1629

Ff


8
7 C
11

THEOMACHIA
ALVINISTICA,
SEDECIM LIBRIS
PROFLIGATA,

VIBVS MILLE ET QVADRINGENTI HVIVS
Sectæ nouissimæ errores, quorum magna pars nunc primum è suis latebris eruitur, diligenter excutiuntur & refelluntur.

IIS CONFESSIO FIDEI HVGNOSTICAE, ET CATECHISMVS
Caluinianus, quæ hactenus intacta gloriari solent Heretici, diuinis, Ecclesiasticis, ac ipsorummet Hæresiarcharum, scriptis, reprehenduntur & confutantur;

Per
F. FRANCISCVM FEV-ARDENTIVM, ORDINIS
Minorum, regularis Obseruantiæ, ac Theologum Parisiensem.

CVM QVADRVPLICI INDICE.

D CARDINALEM AC PRINCIPEM ILLVSTRISS. BAIOCENSEM
EPISCOPVM REVERENDISS. D.D. OSSATVM.

Contra Deum pugnare non est facile. Eccli. 46. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Iob. 9.


[redacted]




[redacted]

COLONIÆ AGRIPPINÆ.
Ex Officina CHOLINIANA, Sumptibus PETRI CHOLINI.

ANNO M DC XXIX.



[redacted]



S. R. E.

CARDINALI AC PRINCIPI

ILLVSTRISS. BAIOCENSI EPISCOPO

REVERENDISS. REGIS FRANC. ET NAVAR. IN SE-
cretiore sanctioreq; Consistorio, Consiliario ampliss.
D. D. OSSATO,

F. FRANCISCVS FEV-ARDENTIVS, EIVS CLIENTVLVS, S.



VÆ seculo hoc nouissimo caput extulit Hæresis, amplissime & illustrissime Cardinalis, quanquam illa ex auulsis & emortuis iampridem stirpibus, ceu stolo quidam, effloruit atque excreuit; tamen multo est, quam superiores omnes, perniciosior, plagam facit maiorem, & exitus habet magis exitiales. Singulis ætatibus singularia quædam doctrinæ Christianæ & Catholicæ momenta commouere exturbareq́; primæ, mediæ, & deinceps consecutæ Hæreses tentarunt; at postrema, quasi omnium priorum virus in vnū conflasset, virulentior effecta est, & fidei orthodoxæ non vnam particulā, non membrum vnum, sed totum veluti corpus labefactare conuellereq́; molita est. In deflagratione Corinthi, pulcherrimæ quondam vrbis Achaiæ, tot metallis in vnum confluentibus, vnum coaluit atque exstitit, quod neque aurum, neque argentum, neque ex alio puro puto genere esset, sed omnia inter se commixta, & contemperata præ se ferret. Haud absimili modo, ex antiquatis & obsoletis tot seculorum Hæresibus, quibus sua rediuiua capita, Veritas ipsa, fortissimi & valentissimi instar Herculis, toties præsecuisset, cum hæc Nouitia, & quasi à matre rubens adhuc disseminata sit multo sane quam mater, prodiit filia nequior. Antea

Ecclesia, quæ vna, quæ sancta, quæ Catholica, Apostolica, Romanaque audit merito, aut ab his, aut ab illis hostibus oppugnabatur, dum eius vel traditiones & instituta à Maioribus accepta, sugilarent, vel Conciliorum & Max. Pontificum decreta eluderent, vel ceremonias tollerent, quibus vt vua suis pampinis defenditur, contra nimios ardores; sic Religio salubriter conuestitur, vel Sacramenta infringerent, vel quid aliud deniq; tot annis commendatum & confirmatum excuterent. Nunc vero nihil reliqui factum est Ecclesiæ, quod nouissima Hæresis non demouere loco, non demoliri, non pessum dare conixa sit. Nonne beatissimæ Animæ Sanctorum degunt in cælo? at inde nupera Hæresis eas detrudit. Num animis non sat bene nitidis & emaculatis locus est certus constitutus, vbi februentur ac purificentur, explorata spe tandem euolandi in cælos? at eadē pernegat, & Purgatorio, quod vere appellatur, bellum indixit perpetuum. Num Cæli incolæ atque habitatores ea pollent gratia & gloria apud Deum, vt intelligant facile, siquid eos rogamus, & succurrant? at Religio hæc & irrisio mera nescio quid somniat de Sanctorum vagrandibus auriculis. Cætera non esset difficile attexere, & hac Epistola, ceu in tabula, tuos, Cardinalis optime, *ponere ante oculos, ad intuendum & deplorandum. Sed vides satis, neque id sine magno dolore tuo, nihil esse in Ecclesia, quæ Veritatis columna est atque firmamentum, quod vel mordere, vel euertere non cogitarit ista veterum abolitarumque Hæreseon insulsa & ridicula interpolatrix.*

Quod dum facit, quid aliud facit, quam vt Deum ipsum expugnet, si possit, & Gigantum more, suum Iouem de cœlo exturbatum deijciat, qui quidquid habet, docet, iubetque eius sponsa Ecclesia, vel ipsemet præcepit tot Prophetarum voce, vel Apostolis suis ore suo aperuit, vel Apostolorum successoribus afflauit atque inspirauit? Quorum mehercule errores, quia his sedecim libris

bris patefacere euincereque conatus sum, non abs re fore putaui, si huic lucubrationi meæ nomen imponerem THEOMACHIÆ. *Ego, verum vt fatear, acerrimos hostes, pugnacissimos Titanas, audacissimos Gigantas, in aciem, in dimicationem, in prælij aleam prouocaui, & dextra meliore, non nego, cadere, quam mea, potuerunt; Adeo ætas nostra tulit tam fortes tamque paratos fidei defensores, & Hæreseon bellatores! At ego qui tot annos, siue meditor, siue scribo, siue concionor, quod dare testimonium mei laboris maius meliusque possum, quam si pro virili mea parte conor hocce etiam doliolum meum terreum versare atque agitare, & aliquatenus hostium irruentium impetum impressionemque retardare?*

Quamobrem, Ecclesiæ Cardo firmissime, & omnium virtutum choro circumsepte Ossate, hoc totum, qualequale est opus meum, tuæ Amplitudini do dicoque. Primum enim id loci, numeri, ordinis in Ecclesia tenes, qui, vt est proxime & secundum Pontificem Max. summus; quis enim Cardinale sublimior & celsior? sic vt eundem assequerere, non domus, non cognatio, non affinitas, non tumosarum series imaginum in atrio collocatarum, sed tua vnius, tua, inquam merita, & innumerabilia in Ecclesiam officia, impulerunt eum ipsum, cui præsto ades quotidie, Clementem VIII. Christi domini nostri vicarium, & Petri, primi Apostoli successorem. Ad eius Cathedram, veritatis columnis vndiq; obfirmatam, & quaqua versus septam, referri necesse est de fide, de religione, deque cæteris in Ecclesia rebus, siquando illas vel Hæreticus ad arbitrium suum diiudicare, vel schismaticus diuidere, alioque trahere, vel Iudæus explodere, vel impius ignorare ac ludificari, vel Ethnicus, fidei expers, negare, vel denique Mahometi in hara educatus, inquinare audet. Eius Cathedræ, ceu Solis, fulgorem, Noctuæ, Bubones, Striges, & quidquid vsquam est Animarum tenebricosiorum, exhorrescunt. Hem quæ occursa-

cula, quæ formidamina, quæ terriculamenta nobis incuteret lucifuga Hæresis, nisi illam ad Cathedram, & sacram Anchoram, confugeremus, & in eam tum Helicen, tum Cynosuram, iactati misellique Phœnices, oculos subinde retorqueremus! Vos vero, Illustrissimi Cardinales, manum admouetis, opem fertis, & ne Cathedra ista nutet, aut Piscatori tradita, vacillet Nauis, quantum est situm in vobis, elaboratis. Vobis propterea non Pileus, non galerus modo, verum etiam quidquid tegit corpus, seu illud sit interulum atque intimum, seu toga illustrior, & togæ superinduci solitum pallium, indumentum, amictus, quem ferretis, datus est, auspicio non sinistro, purpureus, ostrinus, conchyliatus, vt intelligeretis, vos, vos inquam, Ecclesiæ Coryphæos debere Christo, eiusque Religioni, si res ita flagitet, vestrum largiri sanguinem; & quam tot Apostoli, tot Martyres, tot Christiani Athletæ, cruore suo deperdito, fidem tutati sunt, hanc, præter cæteros, Cardinalibus, pro qua vitam suam profundant, esse commendatam.

Hæc non semel animo reputans tuo, Ossate, Cardinalis ampliss. & quem in locum, gradum-ve ascendisti, serio repetens, vt agas sedulo, quæ purpuram tuam deceant, quæq; tibi Coccinum istud plus debere arguant, quam te Coccino, non intermittis accurare. Imo enimuero omnes hoc te animo esse prædicant, vt, quemadmodum probatæ sunt olim hostiæ, quæ se volentes ac faciles ad securim darent; sic in hac cura & Cardinalitio murice, si vita tibi ponenda sit pro Ecclesia, id vltro & tua sponte confestim facias. Sed quid aio? Iam isto nihil opus cruore est. Mars ipse, quamuis αἱμοχαρὴς, *cui cædes tam iucundus ludus, nunc arma ponit, nunc tela condit sua, & bacchari, furereque desinit. Hic graphio, non gladio, tantum opus, quo obsoletarum ac sepultarum Hæreseon tot Mangones atque interpolatores confodiantur. Quinam illi sint, tu Cardinalis maxime, qui regulam habes,*

bes, quæ vera & falsa iudicantur, quippe tot scriptitantium hodie Canon esse potes, hoc Codicillo & Ratiocinio facile perpendes, quod, ceu Anathema iustum ac debitum tibi, appendit, & ad trutinam polituli & limatuli iudicii tui reuocat tuus Clientulus, FEV-ARDENTIVS. *Tuum iure dico, qui tot annos ei ipsi Ecclesiæ seruio, cuius clauum tenes, & tractas gubernacula. Me nascentem excepit Constantia Neustriaca, post aluerunt atque educarunt Baiocæ, non longo dissita interuallo, vbi Pedum, vbi baculum Pastorale, vbi causia, infula, mitra Episcopalis tua est. Baiocis Religiosorum mendicantium Conuentus, qui sanctissimi Patriarchæ Francisci nomen tam clarum & testatum, atque ad vltimas terras peruagatum gerit ac præ se fert, meæ studia Pueritiæ, atque adolescentiæ fouit. Lutetia vero Parisiorum, quæ mater & magistra ingeniorum est, & regina scholarum, labores ætatis meæ firmioris & corroboratæ probauit, atque adeo coronauit. Inde ad omnes Franciæ partes, qui fructus pertinuerint ac dimanarint, testis ipsamet Francia est. Senectutis nunc meæ portus tuum Baiocum est, quod puerilis contentionis illex & quasi igniculus fuit. Ibidem tamen non languori, non torpori, non inertiæ desidiæque me dedo quamuis senem; Istum vt veternum excutiam, assidua vel meditatio, vel lectio, vel scriptio, vel concio admonet me identidem, atque adhortatur; vt quoniam cœpi maturè prodesse Reipublicæ, hanc ad vltimum vitæ spiritum adiuuem, & aduersus tot Ranunculos in Lemano lacu, aliisque turbidis lacunis coaxantes, defendam. Verum id semper ductu atque auspicio tuo, cuius virtuti, fidei & fœlicitati sunt apprime commendaticum Baiocenses omnes tui, tum in iis non postremi Franciscani. Cæteri muneratum te, vel inauratum potius cuperent, suæ si ferrent fortunæ; Ego qui Francisci, beatissimi Patris voluntariam paupertatem mihi à puero despondi, sedecim editos libros in tua*

tutela esse iubeo, & à Fev-Ardentio, *dicatißimo tibi Cliente, oblatos, non illos quidem aureos, sed auri velut spuma illitos, vt sint apud te precii maioris, vt suscipias, iisdemque sis propugnator & patronus perpetuus, te per Genium tuum, te per istam purpuram, te per aßiduißimam opellam istam, quam Pontifici summo, Romæ nunc nauas, oro, obsecro, obtestor, alme Cardinalis.*




APPROBATIO DOCTORVM.

Istos Theomachiæ Caluinisticæ sedecim libros, quibus mille & quadringenti nouissimæ huius sectæ errores discutiuntur, & refelluntur, prælo vtiliter cõmittendos esse iudicamus: quandoquidem nihil contineant Ecclesiæ Catholicæ contrarium, quinimo plurima quibus illius dogmata confirmentur, hæreses etiam ab hominum errantium animis profligentur.

N. Rogvenant. Filesac.

M. Mavclerc. Ph. de Gamaches.

LIBER



LIBER PRIMVS,

IN QVO POST VOTA, ET INITA QVÆDAM PACTA INTER DOCTOREM CATHOLICVM, ET MINISTRVM HÆRETICVM, TRIGINTA & quatuor Caluinianorum aduersus sanctissimam TRINITATEM errores discutiuntur, atque refelluntur.

DOCTOR *precatur, deinde domo paululum digressus, secum meditatur, & sic orat.*

Dan. 3. N ANIMO contrito ac spiritu humilitatis ad pedes Diuinæ Maiestatis tuę consilio, Domine Deus, quem auguste sanctéque veneror, dū singularem tuā imploro misericordiam, atque infinitam complector bonitatem, quæ me Creationis beneficio complevit; anima rationis participe, tuaque imagine insignita donauit; & in primo parente lapsum, Vnici Filij morte & sanguine, incredibili charitate atq; misericordia ex inferis liberauit. Ab ipso mortalis vitæ meæ primordio, te patrē, te educatorem, te ducem, te omnium bonorum meorum authorem admodum liberalem, ac munificentissimum Mœcenatem agnosco & profiteor;
Actor. 13. adeo vt cum viro secundum cor tuum non
Psalm. 17. immerito linguam in hæc verba relaxem: *Quoniam tu es fortitudo mea, firmamentū meum, & liberator meus. Protector meus, cornu salutis*
Psalm. 21. *meæ, & susceptor meus. Tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ, in te pro-*
Psalm. 90. *iectus sum ex vtero. Susceptor meus es tu, & refugium meum. Deus meus, sperabo in eum. Ipse me frequenter liberasti de laqueo venantium, & à*
Luca 11. *verbo aspero.* Deus meus, qui petere iubes, inuenirite facis, & pulsanti aperis; da mihi nosse me, nosse te. Tu mihi cor tene, mentem rege, intellectum dirige, amorem eri-

A ge, animum suspende, & in superna fluenta os ad te sitientis spiritus mei trahe. Taceant, *Aug. Manualis, cap.*
quæso, tumultus carnis, conticescant phantasiæ terrarum, aquarum, aeris, & poli. Dis- *12. Soliloq.*
pereat omnis cura mundi, solicitudo sæcu- *cap. 13. &*
li, amor mei. Sileat sibi & ipsa anima mea, *Meditat.*
& transeat se, non cogitando, sed te solum *cap. 18.*
Deus meus: quoniam tu solus es re ipsa tota spes, & fiducia mea. Sine te etenim omnia sunt mihi tenebræ, omnia aduersa, omnia mala: quia nihil bonum sine te vero, solo, & summo bono. Hoc scio, hoc profiteor, Domine Deus meus, quia vbicumque sum sine te, male est mihi præter te; non so-
B lum extra me, sed etiam intra me: quia omnis copia, quæ non est Deus, mihi est egestas. Tunc & solum satiabor, cum apparue- *Psal. 16*
rit gloria tua. Deus, cuius nos fides excitat, spes erigit, charitas coniungit. Deus à quo auerti, cadere est, ad quem conuerti, surgere est; in quo manere, consistere est. Deus meus, quem nemo amittit, nisi deceptus; nemo quærit, nisi admonitus; nemo inuenit, nisi purgatus: te labiis, te corde, te omni qua possum virtute laudo, benedico, adoro. Tibi quantū possum maximas gratias habeo, quod ex eius mundi cœno ac scopulis, ad dilecta tabernacula tua voca-
C ueris, vt sequerer te cum generatione quærentium faciem tuam, ambulantium veræ obedientiæ semitam rectam, commoran-

tium inter lilia castitatis, & tecum discumbentium in cœnaculo Euangelicæ paupertatis. Tuo in me singulari beneficio sacrarum rerum aliquantam peritiam consecutus sum, vt fructus vberiores cum mea tum multorum aliorum conscientia in sempiternam gloriæ tuæ memoriam colligerem: nec ipse vt paruulus fluctuans circunferrer omni vento doctrinæ, in nequitia hominũ, in astutia ad circumuentionem erroris; nec alios pro credito tui verbi diuini ministerio, finerem vacillare. Enim vero à digno verbi tui præcone non solum hoc te postulare scio, vt sit fidelis, & prudens, sciatq; in tempore Ecclesiæ tuæ filiis præbere tritici mensuram, paruulis lac, & adultis solidam escam subministrare: verum etiam vt possit sane doctrinæ contradicentes arguere, & infelicia hæreseon zizania è medio tritici pro viribus euellere atque destruere.

Ephes. 4.

Luce 12.

Tit. 1.

Matth. 13.

Supplex ergo à te contendo, Domine Deus meus, vt peccata mea, multa sane & maxima, pro immensa miseratione tua condones, nec ad eadem redire vnquam permittas: paululum quoque cum in sacrum suggestum prodeundum erit, eius ingenij, charitatis, vehementiorisque amoris impertias, quod in Beatissimis Apostolis & Discipulis tuis tantopere diluxit. Fac vt verbo tuo per me indignum famulum tuum annunciando, excelsa Diuinæ Maiestatis tuæ gloria innotescat, boni vt meliores euadant prouocentur, improbi emendentur, credentes confirmentur, & increduli prauisque opinionibus infecti ad viam salutis reuocentur. Te postremo patrem optimum & humanissimum ab imo pectore emissis precibus exoro, vt dum cæteris exultantem cælestis gloriæ lætitiam significare peropto, in illius societatem me quoque perducas: & resoluto corporis vinculo, in cælestium ciuium cœtum euolare facias. AMEN. Sed iam sub hac arborum amœnitate cupio apud me quidpiam perpendere ac contemplari.

Act. 2. 3. 4.

MINISTER CALVINIANVS egreditur domo, qui secum aliquid volutat, & composita Psalmi symphonia seipsum exhilarat.

ADensissima varietatis caligine spiritum meum Dominus expediat, & ad reconditos sanctarum scripturarum sensus facilius capessendos eundem emolliat. Dirigat

A me in semitas mandatorum suorum; labia mea aperiat, & os meum annunciabit laudem eius pusillo gregi fidelium reformatorum, curæ ac solicitudini meæ ad erudiendum tradito. Plurimum equidem irradiante illius indigeo lumine: nam cerebro fere diminuto, & capite grauedine oppleto, noctes diebus coniunxi peruigiles in ediscenda ad verbum concione proxima, in commentariis Pellicani, Musculi, Bullingeri, Vermilij, Caluini: in euoluendis Lutheri Postillis: in legendis Gualtheri ac Lauateri homiliis: in relegendis locis communibus Melanthonis, Hyperij, & Sarcerij: recen-
B sendis Bezæ Aphorismis, confessionibus, versibus, ac quæstionibus; & Ochini labyrinthis: ad Molinei Harmoniam, Marlorati rhapsodiam, Vireti dialogos, Danæi Isagogen me totum addidi: neque tamen longiore grauatus labore aut molesto tædio defessus prætermisi Galasii notas, Farelli gladium collucentem; memoria fere teneo Clypeum & Baculum fidei Geneuensis: nec me fugit pro Herodoto Apologia, Matutinum excitatorium, Antiguisardus, sacrum Franciæ ærarium, Gallicus furor, Francogallia, Exilium Missæ; sed neque alia præ-
C termisi meliora sanctioraque defecatæ religionis nostræ monumenta. Verum, inanis ac defessus iam elanguet animus, nullam in his reperi doctrinam, nullam animarum consolationem, nullam denique pietatem, confirmandis animabus idoneam. Inueni molles, fucosas, & suaues dicendi veneres, intertexta dicendi pigmenta: sed exossa & infirma, in quibus nihil aut parum est senilis pietatis, & admirandæ Maiorum doctrinæ: nihil feruentis animi in perpetua rerum cælestium meditatione versantis, quibus abundant edita Patrum ac Doctorum volumina, quibusque grauiter, apposite & sa-
D pienter, qui Catholicas conciones habent, vtuntur.

CALVINIANI *Ministri in omnem hominum ordinem maledicentissimi.*

Grauiter, & iniquo animo patior Religionis nostræ Ministros, insana verborum salebra balbutientes, ementita in Monachos conspuere maledicta, atque in Presbyteros, Reges, Pontifices, & alios omnis generis viros, qui nostram non amplectuntur doctrinam. Doleo reptitios illos libros atrocissimis iniuriis esse refertos: non enim eos allicien-

alliciendi, nedum commouendi idoneum id poteſt eſſe argumentum. Homines ſiquidem honeſtiſsimis artibus inſtructi ab hiſce verbis potius abhorrent, quam ad ea arrecti permaneant. Hæc non redolent humillimam Domini bonitatem, ſed potius inauditi furoris intemperiem, effrænata temeritate geſtientem, inuſitatis cupiditatibus flagrantem, incredibili ſuperbia inflammatam, & inſaniam hominum indomitam. Non his furorum igniculis impios populos ad Chriſtianam profeſsionem Apoſtoli perduxerunt. Quid proſunt Caluini noſtri aduerſus Eccleſiam Romanam ſæpius expreſſa & faſtidioſe repetita conuitia? 1. Cor. 4. Non eſt ſane, non eſt ſecundum Apoſtolica præcepta ad eos accedere in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis. Quid prodeſt tanta vehementia adlatrare, & Catholicos vniuerſos paſsim appellare, *intoleranda ſterquilinia, inquinamenta, ſordes, funeſta, putidaue cadauera, villaticos canes, collectam ex omni face colluuiem, furioſa rabie concitatam, & debitam Deo gloriam ſurripientem, cruentos carnifices, crudeliſſimos tyrannos, cornibus armata pecora, ſceleratiſſimos idololatras, deſperatos Satanæ miniſtros, Antichriſtos, hoſtes Chriſti perpetuos & execrandos, in ſchola dæmonis educatos, importuna rabie correptos, quique dentibus D. Petrum dilacerarent, Paulum lapidibus obruerent, & Chriſtum ipſum, ſi tenerent, lento igne vſtularent?* En quibus eos paſsim in Harmonia titulis exornat: cum tamen pro certo ſciam nullum eſſe in toto mundo Catholicum, quem falſo decantata huiuſmodi maledicta non poſsint non conſternare, aut à nobis inuitum dimouere.

In Harmonia paſſim.

In cap. 23. Matt. verſ. 29.

Aduerſus monachos ſempiternas exercere inimicitias cum Caluino etiam indicat ſe Beza, cum eos contumelioſiſsime vocitat *porcos, impudentes, nebulones, perditiſſimos ſycophantas, quos ſi quis exenteret, ex meris mendaciis, fraudibus, dolis, & impoſturis conflatos inueniret, peſtes, fallaces ſophiſtas ac ſinuoſos, diabolo conſecratos, & ab eo progenitos, coram Deo & hominibus infandam abominationem, ſordida & proiecta mancipia, &c.* An non illud eſt ad ſacrilegia, & cœnobia non ſolum expilanda, ſed & incendio, flamma, ac ferro vaſtanda, minimos & timidiſsimos impellere, atque ad innocentiſsimos quoſque monachos vbique trucidandos violenter excitare? Appellant paſsim horum monaſteria, *præpoſteræ libidinis infecta receptacula, & nefandæ veneris monimenta publica, quorum ſordibus*

Confeſſ. puncto 7. art. 14.

A *infeſtantur Angeli, & tanquam ex atris faucibus effuſo halitu dæmones indignantur.* Putas bone, præceptis Apoſtoli eoſdem obedire, qui in ſpiritu lenitatis iubet nos aberrantes inſtruere, ac edocere eos qui reſiſtunt veritati; experturi, an Deus eos pœnitere flagitij voluerit, vt reiectam ac repudiatam multo ante veritatem amplectantur?

1. Theſſ. 2. Gal. 6.

Sed quibus contumeliis Regum ac Principum noſtrorum tranſlata ad poſteros memoria multis ſeculis confirmata poſſet facilius deleri; qua tuba, quibus opprobriis pernicioſa ſeditio concitari, quam, per B Excitatorium matutinum (Gallice, *Reueille-matin*) id diligentiſsime procurant? Geneuenſium, Rupellenſium, Sedanorum tabernæ his ac ſimilibus libellis famoſis, quibus Catholici Principes dilacerantur, & ad eos perimendos noui Poltrotij exacerbantur, paſsim ſunt refertæ. Aduerſus Pharaonem certe mitius agebat Moyſes; Nabuchodonozorem Daniel, Mardochæus, Aſſuerum & Hamanem amanter coarguebant, Ioannes contra Herodem, Petrus contra Pontifices, Paulus contra Neronem, Ioannes contra Domitianum, Andreas contra Ægeam pacatum ac modera- C tum exhibuerunt animum. Equidem in eorum animis longe diuerſus illuxerat afflatus. Voluerunt viri Patres ſanctiſsimi Titanum è genere eos eſſe ſublatos, qui aduerſarentur Magiſtratibus legitimis, & his quorum deſcriptione omnis Reipublicæ moderatio continetur: cum omnis poteſtas ſit à Deo, & qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtat, damnationemque ſibi acquirat. *Obſecro*, inquit Doctor gentium, *primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: Pro Regibus, & his omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quie-* D *tam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate.* Miniſtri noſtri è contrario, Excitatorij matutini Author præſertim, aduerſus Francorum Reges Carolum & Henricum, aduerſuſque Galliam optimam parentem quæcunque potuerunt mala improbe machinati ſunt. Palam enim, nec minus impudenter quam nefarie, iactant ſe contra illos concitaſſe Germaniæ Principes, Heluetiorum partes, atque etiam præcipuos Suetiæ, Daniæ, Scotiæ, & Angliæ proceres, Sæpius inflatas eorum copias & arma perhorrenda in mediam adduxerunt Galliam,

Epiſt. ad Polonos, Dialogiſmo 1. & 2.

Rom. 13. 1. Pet. 2. 1. Tim. 2.

qui

qui districto & bonorum Principum ceruicibus subiecto gladio eos perimere conati sunt, domos, villas, pagos, oppida florentissima prostrata atque diruta reliquerunt, Reges ad cædem designarunt, & dispositis castris iam septies eosdem aggressi sunt, eorumque legatos partim veneno sustulerunt, partim trucidarunt, alios de propriis ædibus laqueo suffocarunt. Nōne Galliā reliquerunt suo sanguine redundantem, & bellis ciuilibus penitus exhaustam; cum ex eius fide & mansuetudine, inauditam fecerunt perfidiam? Horum artibus, præter eius sepulchrum, nullum prope extat monimentum: vrbes sunt carnificinæ: templa, aut stabula, aut cineres: arces, desolata sunt pascua: agri, ossibus inflati: arbores, infausta patibula: flumina, humano cruore intincta: nemora, latrocinia: diuturna quies, fluctibus oppressa est ruina: eius pulcherrima facies, truculentum, pertriste, ac formidolosum subiacet spectaculum. Atque hi noui Euangelij fructus. Volunt interim tot cædes, tot crimina, tot miserias, tot furores, tot cruēta & tragica flagitia, amplissimo Euangelij velo, & vnico Reformatæ Ecclesiæ vocabulo à nobis Ministris commendari vel obtegi.

CONVITIA *Caluinianorum aduersus veteres & Sanctos Patres.*

Existimo autem rem in primis execrandā, petulantioris linguæ spurcissima in sanctissimos Patres Ecclesiæ Doctores euomere cōuitia: ac potissimum aduersus magnū, & ab omnibus pia recordatione excolendū D. Hieronymum, quem etiam Iudæi ob singularem eruditionem suspiciunt atque mirantur. Eum Ministri nostri vocant *hominem inconstantem, furiosum, rabidum, mente captum, sibique repugnantem, sacræ scripturæ euersorem, cum stultas, infelices, & fanaticas opiniones nititur adserere.* Ab Euangelica certe modestia omnino est alienum, virū tantis totque donis Spiritus sancti insignitum rursum appellare *hominem impium, falsum Christianum, idololatriæ doctorem, non sanctum, sed æque damnatum atque diabolum.* Hæc sunt honorifica per Geneuanos huic Sanctissimo Patri attributa cognomina; & maxime in libro, quem firmissimum fidei nostræ volunt esse Scutum aut Clypeū. Præ cæteris, meo quidē iudicio, errarunt Caluinus & Beza, Hieronymum nusquā fere citantes, nisi vt carpant, flagellent, & dentibus lacerent, vtpo-

Scuto fidei, Dialo. 6. 7. & 9.

A te, *quod in scriptis suis malignum, peruersumque aperte demonstrauerit spiritum. Hominem esse obtrectatorem, maledicum, seditiosum, blasphemum, Apostolis iniurium, & impietate repletum.* Nec his moderatior Melanthon, asserens, *eum confirmare falsas & superstitiosas opiniones de traditionibus humanis, vituperare coniugium, contumeliosa oratione insectari nuptias, male colligere detortas scripturæ sententias, et bruto more coaceruare conuitia sexus muliebris & coniugij, scurrilia conuitia iacere in Dei ordinationem, laudare ritus sine verbo Dei institutos, esseque multos in scriptis Hieronymi non exiguos lapsus.* Credo equidem, nec vana fides, Lutherum maligno spiritu B impulsum, cū aduersus hunc fidelissimum Domini famulum inflato debacchatur animo: *impia & detestanda vox est Hieronymi. Quin te Hieronyme conculcamus, vna cum Bethlehem, cucullo, & deserto?* Et iterum: *Hieronymi impia & diabolica vox est.* Iterumque in colloquiis mensalibus à Ioanne Aurifabro collectis, aiebat: *Hieronymus nunquam veræ fidei ac religionis meminit, nec etiam deberet inter Doctores Ecclesiæ numerari: nullum maiori odio prosequor quam Hieronymum, quoniam ieiunium & abstinentiam vbique prædicat & castitatem, &c.*

Harm. in 19. Matth. Annot. in 23. Act.

Com. in 14 Rom. 1544 Argentorat.

Com. in 22. & 31. Gen.

Nihilo plus modesti sunt in eius familiarem & amicum Augustinum, quem Calui- C nus nuncupat *Theologastrum, nugacissimas blaterantem nugas, quod τὸν λόγον, Latine reddiderit Verbum:* simulque acuta, erudita & pia eius Commentaria dicit esse *falsa, profana, inepta, absurda, plusquam anilia deliramenta, efficta fabularum insomnia, allegorias pueriles & frigidas, hominem in omni doctrina varium & inconstantem, quem decrepitæ vetulæ emoueant desideria.* Nec melius de eo sensit Melanthon, quando scripsit: *Interdum in eius scriptis figuræ orationis occurrunt non satis explicata aut commoda: nec satis assuefactus fuit ad accuratas disputationes, &c. sermones de purgatorio, qui huius ætate percrebrescere cœperunt, nec refutat, nec confirmat:* D *plus tribuit votis quam conueniebat: non satis considerauit quid vitij in votis fuerit, vincebatur enim vulgaribus opinionibus sui seculi.*

Com. in Io. c. 1. 6. 11. 3. 15. 20. Inst. l. 3. c. 20. sect. 20.

Com. in c. 14. ad Ro. 1544.

Eadem intemperie inuehuntur in venerabilem illum Mediolanensium Antistitem Ambrosium, *quem diabolica illusum malitia dictitant*, cuius admirabilem deberent potius admirari constantiam, qua infandos Arrianorum impetus pertrusit, & à grassante huiusmodi peste eximiam Europæ partem liberauit.

Scuto fidei, Dialog. 6.

Multo minus Christianum esse censeo antiquissimos Patres Damascenum, Epipha-

pha-

phanium, Cyprianum Martyrem, & Tertullianum grauissimum huius magistrum, *dementes, impuros, inanes, stolidos, insulsos fuisse acclamare: indignos quibus fides adhibeatur, qui solent scripturarũ corticem delingere & sacras paginas deprauare; desipere, delirare, ineptire.* Horum vltimum vult Melanthon, *ridicule argumentari: ludere de regno Sanctorum: Iudaica deliramenta in Ecclesiam inuehere: durissime declamitare de consuetudine habenda pro lege, vt confirmaret ingentes errores: quapropter eius enarrationes & disputationes non recipiendas esse.* Cyprianum autem *inter declamandum effundere interdum absurdas sententias, & immoderatis hyperbolis exaggerare causam quam instituit: multa continere plena absurditatis: quapropter ipsius dicta pro dogmatibus habenda non esse.*

Scuto fidei, Dialog. 11.

Com. in 14. Rom.

In istis nulla super est modestiæ particula, quandoquidem magnum illum ac percelebrem Theologum Nazianzenum, *Dei perpetuum sustineant inimicum, quique ignorauerit, quæ propria manu consignasset:* Melanthonis autem præpostero iudicio, *fictas narrat fabellas: & vna cum Basilio errores traxit suorum temporum: malo exemplo instituerunt cœtus monachorum: & quidam libri eorum sunt pleni falsarum opinionũ de cœlibatu, & continent ridiculas nugas.*

Scut. fidei Dialog. 8.

Com. in 14. Rom.

Accusant doctissimum Præsulem, & antiquissimum Episcopum Lugdunensem Irenæum Martyrem, *nunquam sacras perlegisse scripturas, nec intellexisse Apostolorum symbolum: sed & multa in Christum protulisse pestifera, nefaria, & ab omnibus reijcienda: multa temere commutasse, & à vera Apostolicaque doctrina turpissime deflexisse:* quæ maxima & impudentissima esse facile deprehendet, totoque pectore detestabitur, qui vel à limine libros tanti viri salutauerit.

Scut. fidei Dialog. 8.

Ex eadem officina prodeunt eorum peruulgata in Dionysium Areopagitam Diui Pauli auditorem, Timothei cõdiscipulum, toties à Græcis Patribus probatum, & summis laudibus exornatum, maledicta, *quem in effingendis mendaciis, & vanis somniorum portentis audacem & insolentem fuisse ausi sunt proclamare.* Insuper, Diuum Clementem Pauli Apostoli cooperatorem, Petrique successorem, *diabolico contagio infectum, & superbia animi obcæcatum nebulonem* dictitare non exhorruerunt. Et Melanthon de beatissimo Areopagita scribit: *In eo sunt initia monachatus, quod graui reprehensione dignum est, quod non discernit inter Sacramenta diuinitus instituta, & humanas traditiones.*

Scut. fidei Dial. 11.

Philip. 4.

Com. in 14. c. Rom.

Chrysostomus, ait idem, *multos ætatis suæ vi-*

Ibidem.

A *tiosos mores recensens, non reprehendit: sicut laudat adeuntes monimenta Sanctorum Monasticam immodicis & falsis laudibus ornat: eius enarratio est obscura, nec vbique secum ipsa consentit: longius excurrit extra septa. Scriptũ eius de pœnitentia pleraq; falsa continet, & confusum ac perplexum est.*

Et vt finiam, idem sublato omni pudore, sanctissimum Pontificem Gregorium traducit, *quod ethnico more ornauerit statuas: magna impietatis confirmauerit initia: in Ecclesias alienas sibi imperium sumpserit: impie distraxerit coniugia: iniustus aduersus eos qui infantes è monasteriis abstrahebant fuerit; mortuorum spectris motus sit. lapsus denique sit in manifestam impieta-* B *tem & tyrannidem*, &c.

Ibidem.

In his sane maledictis ac calumniis Ministri nostri nõ imitantur Domini nostri summam illam mansuetudinem animi, tantopere commendatam, vt qui dixerit fratri suo Racha, reus sit gehennæ ignis. Sancti Apostoli & Discipuli non huiusmodi conuitiis afficiebant gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, ac omni copiarũ genere abundantes, cum idolorum cultum ex eorum pectoribus euellebant, & in ijsdem semina pietatis frugifera inserebant. His certe abstinebant conuitiis ac imposturis inclyti Martyres: qui di- C ligebant inimicos suos, & orabant pro persecutoribus, quo pacto facile est intelligere eos diuino numine afflatos, sæua tyrannorum supplicia exquisitaque tormenta superasse: primi vero doctrinæ nostræ Ministri omnino repugnãtem his exemplis edocent & exornant disciplinam. Vnaquæque arbor à fructu suo dignoscitur; liquidam fontis aquam indicant liquidi, qui ex eo prosiliũt, riuuli; & oratio mentis interpres explicat tacitas animi latebras, & inuoluta euoluit consilia. Cum autem me mea conscientia dispunctim vehementius demordeat, si in viros vita functos, & rebus præclare gestis D egregios, dispersa inclementer conuitia dissimularem, non ambigo quin ex hac re aliquid mali quidem eueniret. Nec dubium est Deum vltionum Dominum, iudicem viuorum & mortuorum breui ad iudicium esse venturum, qui cum verbum prohibuerit otiosum, sempiternis cruciatibus ac suppliciis atrocissimas iniurias in seruos ac fideles amicos pronunciatas merito & iuste coercebit. Si sanguinem lacerati corporis humani non dimittat inultum, si clamantem ad se iusti Abelis cruorem exceperit, tot mendacia in venerabiles Patres emissa profecto

Matt. 5. & 11.

Matt. 5.

Matt. 7. Luc. 6. Mar. 3. Psal. 93. Act. 10. Apoc. 22.

Matth. 12.

Genes. 4. Genes. 9.

non relinquet impunita. Certa porro & manifesta cum sint hæc omnia, qua poterimus fiducia tam maledicorum ministrorum amplecti tuerique doctrinam? Id me diu multumque turbat, contorquet, & subductis diligentissime expensisque calculis, me non parum ab illorum sectis, communione, & libris alienum efficit.

DISSENSIONES *Ministrorum Geneuanorum & Anglicorum.*

Augetur vero iniectus mihi scrupulus multo plus quam significare verbis aut dicendo consequi possim, quoties pro expectata consensione & concordia, inuenio plusquam ciuilem, in varias partes disiunctam, & prorsus dissentaneam omnium rerum dissensionem, & per summa religionis nostræ capita repugnantem inter nouos Doctores nostros disciplinam, non modo in signis & cæremoniis, sed quod peius est, in numero, essentia, & effectu Sacramentorum, vtriusque Testamenti librorum, nec non aliis præcipuis fidei Christianæ articulis. Omnes quidem Ministri vno eodemque consensu aduersus Papam conclamant, accepta à Patribus nituntur delere instituta; sed dum nouam tradere paruulis excogitant & moliuntur religionem, multo grauius implicati laborant, quam qui olim superbum Babelis ædificium in cælos erigere tentauerunt. *Gen. 11.* Anglicani ministri, qui propius ad nostram Geneuanam confessionem accedunt, cum expresso Reginæ & supremæ curiæ imperio strictissime iubent festa Natiuitatis, Circuncisionis, Epiphaniæ, Transfigurationis, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, atque etiam nominis IESV celebrari: addunt his Conceptionem, Annunciationem, Visitationem, & Purificationem intemeratæ Virginis Mariæ: Inuentionem sanctæ Crucis, & eiusdem Exaltationem: Natales duodecim Apostolorum dies, sacra solemnia Michaelis, Ioannis Baptistæ, Stephani, Innocentium, Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Martini, Annæ, Agnetis, Agathæ, Magdalenæ, Margaretæ, Luciæ, Cæciliæ, imo & Sanctorum omnium Calendis Nouembris festum, religiose ab omnibus obseruari: nos autem Caluini & Bezæ dogmata sequentes hæc omnia vt idololatrica damnamus, & propria authoritate reiicimus. Insuper, ex nostro Calendario Gallico Sanctorum omnium expuncta sunt nomina: & horum

Lib. precum publi. in Eccles. Anglic. 1.

A occupant locum Pharaones, Nabuzardani, Herodes, Nerones, Maometi, Solymanni, Hussi, VViclefi, Lutheri, Zuinglij, Buceri, Melanthones; quos vniuersus fere mundus improbat, & vt fœdissimos hæreticos diffugit. Illi in Calendariis Anglicanis, 2. detracta fœlicis Natiuitatis Deiparæ commemoratione, Elizabethæ Principis suæ ortum impurum incredibili superstitione celebrant: Ministri nostri contra in libellis suis eam vocant *Herodiadem, imbecillam, degenerem, frigidam, fraudibus ac periuriis delibutam, religionis expertem, pietatis despicatricem, antiquam* B *Gallorum ruinam, & immortales inimicitias nobiscum exercentem: quaque Reges nostros sustinet esse tyrannos, perfidos, crudeles, improbos, quibus acerbissimæ necis turpissimum multoties festinauit apparatum.* Illi ieiunia à veteribus in 3. peruigiliis Apostolorum, aliorumque cælicolum præscripta seruant: nos cum Caluino affirmamus nulla à nobis ieiunia requiri, eadē esse superstitiosa, hypocritica, & Papistica: quinetiam constanter negamus Dominum Quadragesimale ieiunium seruasse, *vt exemplum abstinentiæ relinqueret.* Illi volunt templa & sacella pristinam retinere formam, & sedilia in choris supersunt integra: 4. C quæ nos diruta, effracta, funditus euersa, & prostrata expilamus, & conflagramus pari sæuientis furoris vehementia, qua Chaldæi quondam Ierusalem, Diocletianus Christianorum, Turcæ Græcorum & Latinorum magnificas vastarunt Ecclesias. Illi oblongis & demissis vestibus induti, & 5. sacerdotalibus ornamentis conuestiti, suas in templis incipiunt preces Matutinas per verba ab antiquis Christianis vsurpata, *Domine labia mea aperies. Venite exultemus Domino, &c.* quibus addunt varias Lectiones: subiungunt, *Te Deum laudamus, &c.* & has finiunt per canticum, *Benedictus Dominus Deus* D *Israel:* ad Vesperas, *Deus in adiutorium, Magnificat, Nunc dimittis, &c.* concinunt, vulgato fateor sermone: nos vero nullum neque Latinum, neque Gallicum hisce de rebus sacris facimus verbum. Illi publicas Litanias 6. instaurant diebus Dominicis, Mercurij, ac Veneris, sanctissimam inuocantes Trinitatem, exclamando, Sancta, beata, & gloriosa Trinitas, tres personæ, vnus Deus, miserere nobis peccatoribus, antesignani vero Ministri nostri Caluinus, Beza, Musculus, Danæus, id *contaminatam, periculosam & barbaram superstitionem nuncupant.* Illi Cœnæ Do- 7. minicæ initio, publica peccatorum confessione

In Excitatorio matutino Gallico.

Har. in cap. 4. & 6. Matth.

sione sese exonerant: decantant, *Gloria in ex-*
celsis Deo, &c. Euangelium in Ecclesia Ro-
mana consuetum: Symbolum Nicenum,
Præfationem, cuius est initium, *Per omnia se-*
cula seculorum. Sursum corda, Gratias agamus,
Vere dignum & iustum est, Sanctus, proferunt:
& illa ex canone Missæ verba, *Qui ea nocte,*
qua tradebatur, accepit panem, & cætera in Mis-
sali libro Romano contenta: denique pa-
nem Cœnæ flexis genibus deuexi ac deuo-
luti excipiunt. Nos primipilos nostros inse-
quuti, illos ritus vniuersos despicimus, ab-
8. ominamur tanquam notas Antichristi, fœ-
dissimamque idololatriam. Illi dum infan-
tes sacro intingunt baptismo, antiquam re-
tinent Ecclesiæ Romanæ consuetudinem
Exorcisandi, & Abrenunciandi Satanam,
Cathechisandi interrogata & responsa de
fidei Christianæ articulis; Fideiussores (pa-
trini vulgo dicuntur) adhibent; paruulos
exuunt, immergunt in aquæ fontem,
& frontibus crucis Christi signant ima-
gine: postremo adductos ante mensam
Dominicam, super eos sacrum legunt Eu-
angelium. Nos hæc omnia sapientissime à
maioribus tradita, & vbique locorum ha-
ctenus religiosissime obseruata, quasi vna
litura Geneuæ editorum Cathechismorum
9. deleuimus. Illi nullum, nisi Episcopi manuũ
impositione Confirmatum, & cruce consi-
gnatum, ad sacram permittũt accedere Cõ-
munionem: nos & in crucis figuram expui-
mus, & ne Confirmationis, aut Episcopi qui-
10. dem nomen audire sustinemus. Illi dum nu-
bentes coniungunt, ab vtroque hæc verba
exigunt, *Accipio te in meam, Accipio te in meum;*
Hoc annulo te spondeo, potestate corporis mei te ho-
noro, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti:
deinde pronunciant, *Quos Deus coniunxit, ho-*
mo non separet; recitãt, pro veteri more, Psal-
mum, *Beati omnes qui timent Dominum*, &c.
Kyrie eleyson, Christe eleyson, &c. *Pater noster.*
Nouo autem nuptiarum vinculo copulati
ante mensam Domini genua ponunt, Euan-
gelium audiunt, ad Communionem acce-
11. dunt, &c. at inter nos exoleta hæc subiacent
omnia. Illi dum aliquẽ morbo oppressum,
aut difficiliori ægritudine collapsum adeũt,
domum ingressi; *Pax huic domui, Ne remini-*
scaris, &c orationem Dominicam, Symbolum A-
postolicum distincta elataq; voce pronunci-
ant; submissam & secretam audiunt pecca-
torum Confessionem; Absoluũt ab illis sub
hac recepta formula, *Absoluo te ab omnibus pec-*
catis tuis: illis singulariter Cœnæ panẽ defe-

A rũt. Nos homines omnium nequissimi, Ge-
neuensi doctrinæ annuentes, morbo præpe-
ditos his armis & auxiliis spoliamus amicos. 12.
Illi cum mortuorum cadauera ad sua ex-
portant cœmeteria, concinunt, *Ego sum re-*
surrectio & vita, &c. Scio quod Redemptor meus
viuit, &c. Homo natus de muliere, &c. Audiui vo-
cem, &c. Kyrie eleyson, &c. nos pro suggestis
denunciamus ea omnia esse hominum ex- 13.
cæcatorum inuenta. Illi Anglicanæ Ecclesiæ
caput imbellem volunt esse fœminam (quã
tamen ab omnibus officiis, ciuilibus & pu-
blicis Iura remouent) Reginam nempe, cui
in negotia Ecclesiastica, & Ministros, ac Epi-
B scopos suos summam permittunt potesta-
tem: quod si quis contrarium scribere, de-
fendere, aut aliquo pacto innuere tentaret,
crimen Maiestatis grauissimum continuo
subiret. Nos post Caluinũm, Vermilium,
Bezam, defendimus Christum sic vnicum
Ecclesiæ caput esse, vt quisquis aliud propo-
suerit, tametsi vicarium aut secundarium,
ille execrabili sacrilegio nitatur æternum
Dei Filium de suo submouere throno, atq;
Ecclesiam eius reddere horrendo ac bicipi-
ti monstro similem. Illi suos habent adhuc 14.
Decanos, Archidiaconos, Episcopos, Ar-
chiepiscopos, aliosque Ecclesiastici ordinis
C officiarios: nostræ vero religionis authores
ac ministri hos omnes in Scotia, Batauia,
Zelandia, Frisia, Heluetia, Sabaudia, Palati-
natu, & Gallia, vbicunque superiores eua-
serunt, veluti putida membra inutiliaque
sarmenta omnino resecarunt. Illi die no- 15.
cteque Catholicos diuexant, ad audiendas
conciones suas pertrahunt, renuentes in
vincula coniiciunt, distorquent, plagis lace-
rant, crucibus suspendunt, colligatis mem-
bris dispungunt, viuos ex patibulis demit-
tunt, pudenda amputant, exenterant, & ad-
huc palpitantia euellunt præcordia, eaque
tosta, auibus, feris, canibus apponunt deuo-
D randa: extracta viscera in feruentem aquam
ingerunt, in quatuor partes corpora dilani-
ant, & priscis persecutoribus inaudita sup-
plicia in eos consumunt, qui acceptam à Pa-
tribus religionem cupiunt obseruare atque
retinere. Nos contra per vniuersam Galliam
libellis, colloquiis, Synodorum edictis, atq;
concionibus, confirmamus vniuscuiusque
liberam, in qua libuerit vitam agere religio-
ne, oportere esse conscientiam. An non er-
go necesse est, aut nos, aut illos, mendaces,
impostores, hæreticos, atq; Antichristi pro-
curatores esse ac ministros, cum tam diiun-
ctam

L. Fœmina ff. de regulis iuris l. 1. §. 5. de postulando. l. 12. §. 2. de Iudiciis. Et l. 18. Cod. de procuratoribus.

ctam tamque contrariam habeamus de religione sententiam?

DISSENSIONES *Ministrorum Lutheranorum & Caluinianorum.*

VNVM adhuc superest, quod me vehe-
mentius permouet, ac meam exagitat acer-
bius conscientiam, quandoquidem video
doctos illos Germaniæ Ministros, quibus
acceptam referimus doctrinam, vt ab illis
inuentam, nobisque traditam, nostras velut
impias & erroneas reijcere sententias, dex-
teras societatis recusare, quinetiam cœtus
nostros pro hæreticis, & omni Christiana
communione submouendis habere. A no-
bis omnino dissentiunt, de reali præsentia,
maiestate, communione, & veneratione
corporis Christi in Cœna: de incarnatione,
natiuitate, vtilitate passionis eius: de nume-
ro, formis, effectibusque Sacramentorum:
de prædestinatione & reprobatione: de di-
uina Patris, Filij, & Spiritus Sancti essentia,
omnipotentia, prouidentia, bonitate, sapi-
entia, veritate, adoratione, inuocatione; de-
que alijs præcipuis doctrinæ ac religionis
Christianæ fundamentis. Nec vana consci-
entiæ meæ commotio, aut absre perturba-
1. tio. Etenim Lutheri, Melanthonis, Alberi,
Marbachij, VVestphali, Illyrici, Heshusij,
Brentij, Memmingi scripta aduersus Zuin-
glium, Bullingerum, Vermilium, Calui-
num, Bezam, Boquinum (quos appellant
hæreticos, Sacramentarios, Dominici testa-
menti fallacissimos deprauatores, prodito-
ris Iudæ æmulos, & de grege Epicureorum
porcos) declarant manifeste nos ab ipsis
plurimum dissentire. A confessione Augu-
2. stana, VVitembergensi, Mansfeldensi, Po-
meranensi, Saxonica, Transsiluanensi, di-
stant omnino vniuersæ Confessiones, quæ
nostris nominibus editæ circunferuntur.
3. Nicolaus Amsdorfius & Simon Musæus ex
sententia aliorum quinquaginta Ministro-
rum, qui ex Saxonia, Thuringia, Misnia,
Franconia, & Mansfeldia in Synodum Ihe-
nensem, anno Dom. 1561. conuenerant, ge-
nerali consensu Caluinistas anathemate da-
mnarunt, *quod sacrosanctum testamentum Filij
Dei peruertant, illudantque verborum præstigiis.*
4. Brentius quoad vixit, doctrinam Caluini,
Bezæ, Bullingeri & Vermilij, vt nefariam &
impiam verbis & scriptis insectari non de-
stitit. Agens autem animam, vixque extre-
mum in faucibus retinens spiritum, cunctos
Germanos Principes, Lutherique sectato-

Supplicatorio libello ex Vrsellis.

A res iureiurando obstrictos polliceri curauit,
quicquid in his esset roboris atque neruo-
rum intenderent, vt Sacramentarios, veluti
pestes longe lateque grassantes, patriæ nefa-
ria molientes, & bellorum ciuilium ac sedi-
tionum faces exterminarent, & ex suis fini-
bus eiicerent: alioqui per exiguas imperij
Romani reliquias breui tempore perituras
iudicabat. Brentius filius, Tubingensis 5.
Minister, libro à se non ita pridem edito,
non solum calumnias Sacramentariorum
contundit, sed & horum argumenta, vt
inanes nebulas, dispellit; Caluinianamque
de Cœna doctrinam, veluti perniciosam, &
B à tetro dæmone machinatam conculcat &
reijcit. Iacobus Andreas, non multos annos 6.
antequam efflaret animam, edidit *Admoni-
tionem de crimine stellionatus Caluinianorum*:
deinde, alium emisit librum, ita quidem in-
scriptum: *Refutatio blasphemæ Apologiæ Lam-
berti Danæi*: nos vna cum illo pro viris bla-
sphemis, & in Deum contumeliosis existi-
mans. Præterea, *in Refutatione disputationis de
Cœnæ materia*, quanta pronunciat anathe-
mata aduersus dogmata Geneuensium &
Tigurinorum? Infandis blasphemiis & im-
pietatibus totam accusat turbam nostram,
in declamatione inscripta: *Oratio de incarna-
C tione Filii Dei contra impios & blasphemos errores
Zuinglianorum & Caluinistarum, &c.* Ecce
pulcherrimum magni Germaniæ doctoris
de nostris iudicium. VVilhelmus Holderus 7.
eandem de Caluinianis habet opinionem;
quippe qui aduersus nostram doctrinam
singulis prope annis nouos euulget libellos;
vt non ita pridem eum, quem per antiphra-
sin *Candorem Caluinianum* nominauit: alte-
rumque *Cuculum Caluinisticum* appellauit, in
quo multis argumentis contendit, nos vel-
uti Cuculos in alienis parere nidulis, ouaque
propria alijs tradere excludenda, tandem-
que nostram iugulare matrem. Ex eius offi-
D cina prodiit *Prodromus Labyrinthi Sacramen-
tarii*: &, *Asinus auis*, in quibus damnando er-
rores nostros vt impios, & à patre menda-
cij profectos, asinis efficit nos similes, qui ri-
dicula transformatione in aues se conuer-
terent: & relicta stupiditate, in sublimia cœ-
lorum conuexa efferre se contenderent. 8.
Eodem tempore Ioannes Mosellanus
Gaylndorfij minister pestiferos nos exi-
stimauit, cum scripsit & publicauit, *Præser-
uatiua contra venenum Cinglianorum & Cal-
uinianorum*. Andreas Poncherius nos mul- 9.
tis conuictos blasphemijs contra duas Iesu
Christi

Christi naturas, & earum vnionem, esse si-
gnificauit, libello inscripto, *Theses oppositas*
blasphemæ disputationi tertiæ Clebitii Geneuæ
10. *1583. impressæ* Philippus Nicolaus VVestpha-
liæ Minister in libro, cui nomen est, *Funda-*
mentorum Caluinianæ sectæ cum veteribus Arria-
nis & Nestorianis communium detectio, nititur
efficere neminem posse Geneuana nostra
religione teneri, nisi impias Arrianorum &
Nestorianorum simul defendat assertio-
nes: quinetiam cæca quadam & tacita con-
spiratione errorum, tandem in execrãdam
totam Europam alliciem⁹ Maometismum,
quo Asiam & Africam infecerunt Arriani &
11. Nestoriani. Tilemannus Heshusius in Saxo- B
nia Minister mordacibus verbis nostram
improbat sectam, eiusque solidiora diluci-
dis rationibus euertit fundamenta, *in Adser-*
tione testamenti Iesu Christi contra blasphemam
Caluinistarum exegesin Idem libro de præsen-
tia corporis Christi in Cœna aduersus Cal-
uinũ, Bezam, Boquinum, & Clebitium, ad-
dit *Collectanea plurimorum & grauissimorum*
errorum Caluini, contra Deum, eius prouiden-
tiam, potentiam, & prædestinationem. Deinde
nos coarguit, quod non minus impie, quam
turpisime, consentiamus cum Pelagianis &
Anabaptistis, in eo libro quem vocat, *Refu-*
tationem Pelagiani seu Anabaptistici Caluiniani C
12. *erroris, de baptismo & peccato originis.* Memmin-
gus Bremæ prædicans, nos coarguit, quod
deprauamus sacrosancta Filii Dei verba, in
scripto, quo ostendit, *quomodo verba Cœnæ*
Domini Sacramentarij inuoluant & peruertant.
13. Nos Deo & hominibus inuisos reddũt VVi-
tebergicæ Theologiæ Professores, scripto à
se dicto, *Solida refutatio compillationis Cinglia-*
næ & Caluinianæ, quam illi Consensum orthodo-
xum scripturæ & veteris Ecclesiæ de controuersia
Sacramentaria appellarunt, & aliquoties recoxe-
14. *runt.* Quam acerbum & fortem aduersa-
rium in nos exacerbatũ, Federicum Petrum
Brunsuicensis Principatus aluit, qui libris e- D
ditis scribit, *Nos grauiter peccare cõtra vnionem*
Hypostaticam, proprietatum communicationem,
realem manducationem, & adorationem Domini
15. *nostri Iesu Christi?* Durissimum quoque nobis
indicit in Hassia bellum circa personã Chri-
sti, eius proprietates, duplicem in eo sub-
stantiam, & Diuinam eius maiestatem, hu-
ius prouinciæ ministrorum supremus, in li-
16. bro de his aduersus nos nuper edito. Rur-
sumque in eadem regione aduersus nos pu-
gnat Basilius Salterus, quæstionibus propo-
17. sitis & promulgatis. Zacharias Riuander
A VVitebergicus, libro quem *Lupum excoria-* Matth.7.
tum nuncupauit, vult nos eos esse lupos pel-
libus ouium tectos, quos Dominus iubet es-
se diligenter fugiendos. Lucas Osiander in 18.
Admonitione Christiana & fideli, scripta ad Eccle-
sias, quæ sunt in Gallia, suos edocet, vt in mate-
ria Cœnæ Dominicæ, plurimisque aliis ca-
pitibus fidei Christianæ, à nobis studiose ca-
ueant. Acta colloquij Montisbelgartensis 19.
primum Tubingæ, deinde Geneuæ edita, in
oculis omnium testantur citius calidum &
frigidum, amarum & dulce, tenebras cum
lumine, & mendacium cum veritate posse
consentire, quam possint Brentiani & Beza-
ni, Sacramentarij & Vbiquistæ, Lutherani
& Caluinistæ inter se cohærere. Sed vt his 20.
finem imponam, VVigandus Erphordien-
sis, Clauigerus Bremensis, Hamelmanus Al-
tenburgensis, Scilterus Leypsicus, & alij in-
numeri Academiarum, rerumpublicarum
& prouinciarum Germanicarum Prædicã-
tes, qui perpetuas nobiscum exercent ini-
micitias, toti huic mundo manifestant, mi-
nus inter nos conuenire, quam consueue-
runt feræ, quæ per densissima nemora fero-
cissime solent inter se depugnare.

CAPITA *Doctrinæ ac fidei Christianæ; in qui-*
bus Lutherani à Caluinianis Mini-
stris dissident.

SED relictis personis, ad certa doctrinæ
capita protinus me confero, in quibus nobis
aduersantur, & propterea anathematib. nos
configunt. Sustinent constanter & vbiq; ve- 1.
ram realemq; corporis & sanguinis Christi
in Cœna præsentiam: nos secundum Calui-
num & Bezam, illam tantum ab eadem di-
stare docemus, quantum cælum à terra cre-
dimus esse remotum. Illi obnixe defendunt 2.
verum corpus & sanguinem Christi vere
substantialiterque adesse, distribui, accipi, &
ore manducari in Cœna Domini, tam à bo-
nis, quam à malis: nos à Caluino & Beza di-
scimus, illud ipsum esse prorsus impossibile,
sed hos cum Antropophagis & Sarcopha-
gis potius relegandos esse. Ex illis præstan- 3.
tiores ac doctiores volunt Dominum IE- Lutherus.
SVM in Cœna præsentem summo cultu ve- Chemnit.
nerandum & adorandum esse: nos id cen-
semus detestandam artolatriam & idolola-
triam. Credunt ac docent illi in huius my- 4.
sterij institutione nihil dici per metonymiã
aut figuram, cum typi figuræq; ad solũ ve-
tus Testamentũ pertineant: ex nostris vero, Tom.7.fol.
etiam referente Luthero, Carlstadius ex his 381.

sacrosanctis vocabulis; *Hoc est corpus meum*,
misere distorquet pronomen *Hoc*: Zuingli⁹
verbum substantiuũ *Est* macerat: Oecolam-
padius nomen *corpus* torturæ subijcit: alii to-
tum textũ excarnificant, & inuertunt voca-
bulum *Hoc* ex primo in postremũ locũ: alii
dimidiam partẽ textus crucifigũt, & vocem
Hoc in medium textus collocãt: alii textum
obtruncant: Vermilius, Caluinus, Beza de-
niq; hãc sacratissimam Filij Dei ordinatio-
nem confictis à se metonymiis figurisq; o-
5. mnino deformant & subuertunt. Hic agno-
scunt Omnipotentiæ diuinæ miraculo fieri,
vt idẽ corpus Christi adsistat, simulq; reci-
piatur in multis locis: nos id, absq; vlla nu-
minis reuerentia, vociferamus Deo prorsus
impossibile, imo & in Deo negamus vllã es-
se absolutã, legibusq; naturæ solutam pote-
6. statẽ. Illi scribunt, hos fidei articulos, *Christus
ascendit in cælos, sedet ad dexterã Patris, inde ven-
turus iudicare viuos & mortuos*, nihil omnino
repugnare reali præsentię corporis eiusdem
Christi in Cœna: nos eidẽ omnino cõtradi-
7. cere vbiq; prædicamus. Illi profitentur Deũ
oẽs vt saluarentur condidisse: nos cum Cal-
uino contra asserimus, eum maximam eorũ
8. partẽ creasse *destinato vt perirent*. Illi audiũt
libenter & proponunt constanter Filium ac
Spir. S. ęterna emanatione Essentiam Deita-
temque à patre accepisse: nos eam illos à sei-
9. psis possidere docemus. Illi cuncta per diui-
nam prouidentiam seruari regiq; profiten-
tur: nos *Deum nulla solicitudine aut cura malorũ
10. hominum tangi cotidie concinimus*. Illi peccata
sola Dei permissione fieri docent: nos Deo
volente, impellente, imo & operante tam
dæmones quam scelestos homines peccare
11. contendimus. Illi viginti & tres duntaxat li-
bros N. Testamenti canonicos habent: nos
12. viginti & septem. Illi cum Luthero & Me-
lanthone nunc tria, mox quatuor, interdum
& quinq; Ecclesiæ Christianæ Sacramenta
numerant: nos vix vnum & alterum admit-
13. timus. Asserunt illi nos omnes in peccati o-
riginalis iniquitatib⁹ concipi & nasci: nostra
vero in Paulum scholia & Catechismi Cal-
uiniani placita canunt. *filios fideliũ in vteris ma-
14. trum sanctos omnino esse*. Credunt illi sanctum
Baptismi lauacrum omnino ad iustitiam &
salutem necessarium esse: nos paruulos sine
eo iustos & saluos fieri, si ante eius susceptio-
nem hinc migrauerint, constanter asserim⁹.
15. Illi cum vrget mortis periculum, & in pri-
uatis domibus baptizant, fœminisq; in ne-
cessitate baptizare permittũt: nos istud hor-

A rendam clamitamus esse Sacramenti pro-
phanationem. Constanter sibi persuadent 16.
Christum hominem mire natũ, & ex vtero
Deiparæ Virginis egressum, vt illic diuinit⁹
conceptus fuerat: nos cum Caluino, Vermi-
lio & Beza beatissimam Mariam cum dolo-
ribus, inquinamentis, effractionibusque in-
star cęterarum fœminarum peperisse adfir-
mare nihil dubitamus. Illi Christum homi- 17.
nem supremo cum Patre & Spiritu S. cultu
adorant, colunt, & suppliciter inuocant: nos
istud inter superstitiosos & idololatricos Pa-
pistarum cultus reiicimus. Asseuerãt Domi- 18.
num pœnis in corpore suo perpessis, suos
B sanguine, & in cruce acerbissima morte, cũ-
cta totius mundi peccata eluisse? nos è con-
trario Caluinus compellit & credere, & v-
bique proclamare, *nihil eum pro nobis fecisse, si
corporea tantum morte obiisset*. Palam adfirmãt 19.
eundem clauso obstructoque adhuc sepul-
chro, in vitã ad suos rediisse; obfirmatis in-
super fenestris ostiisq; ad discipulos in Cœ-
naculum introiisse: nos quiduis aliud ima-
ginamur & comminiscimur potius, quam
id verum esse cõfiteamur. Et ne singula, quæ 20.
nobis cum illis sunt de summis religionis
Christianæ capitibus dissidia percenseam,
illi adhuc in suis templis, in Christi perpessi
C memoriam, eiusdem de cruce pendentis ef-
figiem imaginemque palam retinent: nos
in eam, vbicunque datur, vt execrandum
idolum, conspuimus, & debacchamur, &c.

Quare necesse est, aut nos, aut illos prodi-
giosis mendaciis ac imposturis animas eorũ
eludere atq; seducere, qui nostras, aut illorũ
conciones audiunt, aut libros euoluũt. Qui-
busnam enim fidem adhibebunt piæ mẽtes,
ac de salute sua sollicitæ, vt pacatam & libe-
ram habeant conscientiam, certamq; & ex-
ploratam eiusdem salutis suæ rationem? Se-
se etenim, vt & nos, illi iactant ac efferũt cre-
dere, docere, & in omnib. obtemperare soli
D ac puro verbo Dei: habere se veram, & om-
nibus abusionibus repurgatam Ecclesiam:
legitimam veramq; Sacramentorũ admini-
strationem: extra suos cœtus nullis existi-
mant aditũ in regnum cœlorum patere. Si
dixerimus, illos adhuc veritatẽ ignorare: re-
spondent, se eam cognouisse, prædicasse, &
conseruasse multo prius & melius q̃ cæteri
quotquot sint populi. Si in Hebraicis Græ-
cisq; literis peritissimos gloriemur esse ma-
gistros: illi existimant nos nõ posse minimos
eorum iudicari discipulos. Si Martyres no-
stros in mediũ adducamus, facile vincimur,
quando

quando si vnum à nobis audiunt, continuo A decem obiiciũt. Si dicimus eos excutire, respondent nos pœnitus cęcos esse. Si autumauerim⁹ illos discipulos & auditores suos fallere, respondent nos turpissime nostros seducere. Si eos cõtumaces & insanos iudicemus, reclamant nos incredibili superbia furere, & nouandarũ rerum inusitata cupiditate flagrare. Possentne facilius amarũ cum dulci, cum terra cœlum, & cum lumine tenebræ commisceri; quam tam acriter pugnantia & contradicentia concordare? aut inter tam varia religionis præcepta, Spir. S. pacis & vnitatis largitor inueniri? Nũquam B id mihi persuasero. Quo igitur me vertã, vt veram fidem inueniam, amplectar, & saluti

1.Tim.2. meæ consulam? Te igitur, Pater cœlestis, te summis precibus protestor, qui vis oẽs saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt me lucido Spiritus tui radio illumines, ac in eum locũ & cœtum perducas, vbi omnia ignorantiæ meæ vincula possim disrumpere, & quę ignoro cognoscere. Id a. facile consequi possem pacata & Christiana quadam disputatione cũ aliquo pietatis & pacis amante viro, quiq; non modo sacrarum literarũ, aut veterum Theologorũ, sed & recentiorum omnia diligenter euoluisset C volumina. Intellexi quendam Doctorẽ nuper in hãc terræ plagam appulisse, in his maxime versatum, & harum controuersiarum diuturna exercitatione clarissimum. Vtinã, iterum autem vtinam, mihi obuiam ille veniret, cum quo priuatim de his colloquerer, & pectoris mei pondus in eius sinũ tuto possẽ effundere. Age, nescio qd profecto mihi anim⁹ p̃sagit boni. Is certe, is est, q ea sese recreat vmbella. Eũ ergo qcqd sit nũc cõueniã

Salue Domine Doctor. DOCT. Precor Deum maximũ, vt suam tibi impertiat gratiam. MIN. Quid hic boni agitas & cogitas? D DOCT. Longiore studio grauatus, volebã paulisper meditari. MIN. Quæso mecũ comiter ac benigne sic agas, vt quicquid boni agitat animus, mihi non dedigneris aperire. DOCT. Faciam libenter, nihilq; reticebo, modo prius qui sis dixeris, & quam ob rem id à me requiras.

MIN. Sum equidem in Domini Caluini schola eruditus, Bezæ successoris eius cõdiscipulus, atq; verbi Minister, in ea Ecclesia, quæ à nostris appellatur Reformata: nihilominus pacis magnopere studiosus: nec mihi aduenit vnquam aliquid iucundius, quam perpetuam videre inter nos concordiã, atq; consentaneam in doctrina Christi voluntatem. Verũ, nuper apud me attentius perpẽdens, quam multiplicia horrendaq; Authores nostræ reformationis euomãt in omnes Catholicos conuitia; quantasq; aduersus legitimos Reges ac magistratus designauerint rebelliones, seditiones, obsidiones, cædes, vastationes; deinde reuoluens iniurias ab eisdem in sanctos Dei seruos disseminatas; postremo repugnantes inter Ministros Ecclesiæ nostræ primarios de summis doctrinæ Christianæ capitibus, salutisq; humanæ pręcipuis fundamentis sentẽtias; in varias & ancipites cogitationes distractus est mihi animus: nec qd teneã, satis scio. De his qd sentias, velim ex te audire: si modo tibi est otiũ & velis. DOCT. Ante aliquot annos accepta & impetrata venia, Ministrorũ in vestris sectis clarissimorũ libros non segniter euolui. In his tot tamq; turpes hæreses, secumq; & cũ veritate pugnantes sentẽtias & blasphemias aduersus Diuinam Essentiam, Trinitatem, Deiq; sapientiam, bonitatem, veritatẽ, sanctitatẽ; aduersus incarnationis Christi mysteria, fructus ac vtilitates; aduersus Spir. S. & eius in Eccles. Cathol. officia; aduersus ea quæ de Paradiso, Purgatorio, ac Inferis piis omnibus ad credẽdum pie, p̃posita sunt, legendo & relegendo comperi, vt ad tantos errores obstupuerim, & fere immotus diu multumq; permanserim. Tandem v. collectis viribus, vbi mihi rediit animus, harum hæreseon ordinem, numerum, & rationem perscripsi; quasdam insuper per breues refutationes addidi; partim vt Eccl. Cathol. auitam doctrinam aduersus illas defenderem; partim vt eos pro virili ad meliorem mentẽ reuocarem, qui eam temere deseruerunt, & à fide recta naufragiũ fecerunt. De his reb⁹, cum mihi occurristi, profecto cogitabã. Nec graue mihi erit de his, & quibuscũq; volueris religionis Christianæ capitibus tecũ placide conferre, dum modo, vt dixisti, velis mecum pacate & moderate agere, à cõuitiis vestro gregi assuetis abstinere, atque Diuino verbo, Conciliorum, Patrumque, qui ab Ascensione Domini vsque ad quingentesimum deinceps annũ floruerũt, sanctissimis decretis & interpretationibus te subiicere.

MIN. Ista mihi perplacent. Nam vniuersi illorum quinq; seculorum Patres vixerunt longe ante exorta inter nos dissidia. Præterea, viri sanctissimi fuerunt, quorũ vitæ singularis integritas, dona Sp. S. clarissima, raraq; sapiẽtia efficit, vt credã facillime eos in

nullam hominũ opinionem diuertere: sed potius veritati consentiendo, eandem cunctis huius mundi rebus anteferre. Hi ferme omnes aut assidui Apostolorũ discipuli, aut Martyres sanctissimi, aut veræ Ecclesiæ Pastores, & Doctores fuerunt: certe omnes viua veraq; membra Sponsæ Christi, quam iubemur sub æternę mortis comminatione obaudire, & vt firmissimam veritatis columnam obseruare. *Math.18. 1.Tim.3.* Accedit ante actæ vitæ innocentia innumeris miraculis confirmata, deinde multiplici, & Spir. S. irradiante lumine effusa in eorum animis omnium rerum scientia: quæ eos scripturæ sanctæ interpretes fidelissimos, Apostolicæ fidei ac doctrinæ testes locupletissimos, & nostrarum controuersiarum iudices idoneos merito constituit. Hanc ob rem septem ex nostris præcipuis ministris, vid. Dillerus Boquinus, Oleuianus, Dathæus, Vrsinus, Ehemius, Erastus, in colloquio Malbrunensi, cum totidẽ superioris Germaniæ ministris, præsente Federico Principe Palatino, & Christophoro Duce VVitembergensi, *An.1564.* magno consensu iurauerunt, sese admissuros Patres illos, veluti iudices arbitros omniũ, quæ inter eos essent de religione dissidiorũ. Nã ita, inquiunt illi, constituerunt pridem. Melanthon & Bucerus in Colloquio VVormatiæ celebrato, vt est in actis eius Latinis, editis Heidelberg. 1566. pag. 24. & 25. Quinetiam Caluinus fatetur *puram religionem synceramq; doctrinam in omnibus Ecclesiis floruisse annos illos quingentos: & vsque ad tempora D. August. nihil in eadem Apostolica doctrina immutatũ fuisse, sed ab ipsis vsque Apostolis constanter & vnanimi consensu retentã.* *Lib.1. Inst. c.11. §.13. & lib.4. c.2. §.3. Li.4. Insti. c.9. §.8.* Et rursum: *Nos, inquit, Nicenam, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, ac similes priscas Synodos, quæ confutandis erroribus habitæ sunt, libenter amplectimur, reueremurq; vt sacrosanctas, quantum attinet ad fidei dogmata. Nil n. continent, quam puram & natiuam Scripturæ interpretationẽ.* *In c.23. Mat. v.30.* Alibi rursum inquit: *Eam doctrinam recipi, ac vigere cupimus, quã suo sanguine obsignarunt Apostoli & Martyres.* *E. ad Sado.* Rursumq; ait: *Statue tibi ob oculos veterem illam Ecclesiæ faciem, qualem Chrys. aut Basilii ætate apud Græcos: Cypriani, Ambros. Augustini seculo apud Latinos extitisse: ipsorũ monumenta fidem faciunt.* Denique magnalis Germaniæ præceptores Illyricus, VVigãdius, & Faber palã testificantur, *etiam quinti à Christo seculi Patres doctrinam de Deo vero contra hæreticorum corruptelas summa fide tradidisse & defendisse: Trinitatis doctrinam sancte custodiuisse: Christi incarnationem summa fide* *Cent.5. c.4.*

A *tractasse, &c.* Insuper, cum Theodoro Beza, *à teterrimis hæresibus Sabellii, Samosateni, Arii, Nestorii, Eutychetis, aliorumque hæreticorum, quos vetus Ecclesia damnauit, toto pectore & animo abhorreo.* *Confess. fidei pũcto 1.* Deum immortalem, æternum, omnipotentem, nunc iudicem habeo, testes Beatos Angelos, me omnia à veteri Ecclesia reiecta, in posterum respuere: execrari etiam vniuersa in libris nostrorum cõtenta, si possis probare sacræ scripturæ (quam antiquissimi Patres exposuerunt) tantisper repugnare: aut eorundem hæreticorum impios errores pauxillulum redolere. Est mihi amic' Caluinus, est & Beza: sed omnium amicissima veritas. B Iã incipe quæso, & ea persequere, quæ in scriptis nostrorum aduersus Sanctissimæ Trinitatis professionem Christianam deprehenderis: me sedulum auditorem & collocutorem habes.

DOCT. Ad gloriam Dei sempiternam, & animarum nostrarum salutem, nostrum ergo istud colloquium prodeat, & fœlicissime exeat. MIN. Amen.

DE DIVINIS NOMINIBVS TRINItatis personarum consubstantialium; Dei infiniti, Dei vnius & trini, eius essentia & substantia; eorum antiqua confessione & professione inter Christianos: aduersos tres nefarias Caluinianorum hæreses. C

CAPVT I.

DOCTOR.

PRimum quidem classici vestri Authores inter alios conspicui, omnia diuina truculentissimo genere erroris, quantum in eis est, inquinantes, non minus temerarie quam iniuste defendunt tres scelestas hæreses cõtra sacra diuinaq; nomina, Trinitatem; consubstãtiales personas; Deum infinitum, Dei D vnam essentiam, Deum trinum; atq; etiam horum originem & publicam confesiionẽ. MINIST. Recita eas ordine, earundemq; authores. DOCT. Vester Caluinus nititur obliuionis tenebris illa nomina sepelire. Cum enim de his agit, sceleratas preces & abominanda eructat ista vota: *Vtinam quidem sepulta essent, constaret modo Patrem & Filium, & Spiritum S. esse vnum Deum.* *Inst. l.1. ca. 13. §.5.* Nunquid non est sanctissima nomina ex scriptis Prophetarum & Apostolorum extracta, ab antiquissimis Patribus ad defendẽda fidei nostræ fundamenta aduersus Sabellianos, Samosa-

mosatenianos, & Arrianos religiose vsurpata, sempiterna obliuione delere? MINIST. Perlegi sane cuncta illius opera, sed quantum potest ab iisdem nominibus abstinet. DOCT. Sed præstat vt Petri Caroli primum Neocomensis, hinc & Lausanensis Ministri, verbis tibi patefaciam, quanto sacrilegio & Farellus, & Caluinus sint aliquando in Sanctißimam Trinitatem debacchati. Ait enim: *Videbamus clam suppullulantes hæresum syluas, sectas innumerabiles suboriri, &c. &, quod horresco referens, execrandas in Christi Diuinitatem, & generationem æternam blasphemias: breuiter sacrosanctam personarum Trinitatem inter sciolos passim palamque proscindi, in quotidianis congreßibus, in concionibus publicis, libris editis, synodis, epistolis.* Et aliquanto post: *Caluinum vox Trinitatis offendit, eo quod Ciceroni fuit insueta.* Hæc ille in actis colloquij Lausanensis.

Refutat. blasphem. Farelistarum.

MIN. Quam dicis secundam esse hæresin? DOCT. Eam, qua negant horum nominum confesionem & prædicationem veteribus fuisse cognitam, & Christianis necessariam. Nam VVolffangus Musculus, inter Bezæ imagines toties celebratus, hæc verba scripsit: *Nollem coram Ethnicis Patrem & Filium & Spiritum Sanctum dicere tres personas, ne viderer dicere tres Deos. Vocabulum hoc, Persona, non ita necessarium est ad fidem Christianam, vt sine illo nequeas esse Christianus: cum illud primi Christiani ignorauerint.* MIN. Collusionem hominum nequißimorum iam percipio. Quæ Caluinus sepulta & extincta esse desiderat, Musculus non fateretur: sed potius taceret, aut negaret coram Ethnicis, Iudæis, Maometanis, id est, maiore huius mundi parte. Et quod alter vult tollere, alter superfluum, primis Christianis ignotum, & minime necessarium ausus est asserere. Sed perge.

Primo Anticochleo.

DOCT. Tertia hæresis consistit in atrocißimis iniuriis, quibus Bernardinus Ochinus, nuper Geneuæ & Tiguri in lingua Italica minister, vehementer exarsit in hæc sancta Diuinaq; nomina, *Deum infinitum, Dei essentiam & substantiam, Deum in Trinitate personarum,* ea vocans *monstrosa, Satanica, Prophetis & Apostolis incognita.* MINIS. Eius hominis tanta extititne dementia? DOCT. Fuit sane: & postquam Geneuæ id publice docuit in lingua Italica, etiam Basileæ idem typis mandari, & in orbem euulgari Latina lingua curauit. Has tres eorum hæreses aduersus infinitam Dei maiestatem, primaque religionis Christianæ fundamenta, cum eis propugnabis, an mecum damnabis? MINIS. Non omnino, sed tantum aliqua ex parte excusatum velim Caluinum, eo quod subiiciat, *modo constaret Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum vnum esse Deum:* quibus indicat se nihil vnquam de Trinitatis maiestate detractum velle. DOCT. At si ostendero eum insigni fraude istud annectere, vt sub his verbis plurimas aduersus eam hæreses vafre malitioseque inuehat, nonne eas mecum reiicies, virumque perfidiæ atque criminis maiestatis damnabis? MIN. Aeque seuere atque incendiarium, qui incensa domo, fingeret se desiderare tecta, parietes, fundamenta, omnisque generis supellectilem illæsam videre: aut veneficum, qui iniecto in fontem veneno, se nihilominus nec riuos inficere, nec aliquem veneno tollere se velle impudenter affirmaret.

Li. 2. Dial.

Sine autem, vt primum cum Caluino congrediar, eundemque propriis armis expugnem. Hic enim in Epistola quadam respondet quibusdam eum de hac re inqirentibus: *Quoniam voces istas Trinitatis & personarum, plurimum Ecclesiæ Christi commodare intelligimus, vt & vera Patris, & Filij, & Spiritus Sancti distinctio clarius exprimatur, & contentiosis controuersiis melius occurratur, ab his vsque adeo non abhorremus, vt libenter eas amplexemur.* DOCT. Hæc profecto penitus contraria sunt superioribus votis, quibus exoptat eas voces omnino sepultas esse. Et si hæ commodæ sunt ad exprimendam Patris & Filij, & Spiritus sancti distinctionem; personarum confusioni nequiter patrocinatur, cum eas sublatas esse desiderat.

Prima confutatio à contradict. authoris. Pag. 240.

MIN. Idem rursum iisdem vocibus aliquoties vti compellitur, l. Inst. 1. cap. 13. Sed & Ministri Basilienses, Epist. ad Senatum Geneuensem, in eodem Caluini libro, palam fatentur, *Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate venerandam Scripturas inculcare.*) DOCT. Ergo non solus ipse contradictionibus ac fœdis repugnantiis seipsum inuoluit: sed & à Comministris coarguitur manifestæ in sanctißimam Trinitatem impietatis: & iis fidei Christianæ capitibus contradicit, quæ Scripturis Diuinis inculcantur. MIN. Atque hæc mea de quæstione proposita sententia.

2.

DOCT. Audisti porro, quo pacto Musculus & Ochinus (effractis per Caluinum aduersus sanctißimam Trinitatẽ portis) quam temere in sacra Dei nomina irruũt, abnegant & blasphemiis importunis dilacerant: & iam in Poloniæ, Bohemiæ, Hungariæ & Transsyluaniæ

Confut. 2 ab incommodis & absurdis. conseq.

ſyluaniæ quibuſdam locis, qui antea Calui- A
niani fuerant, præceptoris ſui votum ſecuti,
ſupradicta nomina de medio tollunt: deinde res ſacras his vocabulis demonſtratas penitus extinguere conantur, fiuntque noui
Arriani, Sabelliani, Maometani, &, quod ſolo dictu horrendū, Athei. Quocirca fructus
acerbiſsimi ſane ac triſtiſsimi huius Caluiniani voti plus ſatis probant Authorem nullo modo poſſe excuſari. MIN. Certo ſcio Stācarum, Blandratā, medicos Principis Tranſſyluaniæ, Alciatum Italum, Dauidem Tranſſyluanum, Somerum Germanum, Matthiā
Polonum, Gribautium, Nigrum, Sozinum,
Lyſinanium, Cazanouium, Francké, Stern- B
bergerum, & alios nouos Arrianos, & ad
Maometiſmum quotidie declinantes verbi
Miniſtros, alta voce cōclamare, ſe nihil pronunciare contra Trinitatis myſterium, *quod non didicerint ex Caluinianorum & Zuinglianorum diſputationib. & cōmentariis.* Præterea, cōpertum eſt mihi, Iobum Gaſtium libro de origine errorum anabaptiſticorum, Coruinum in Dialogis, Bucerum commentariis in
cap. 3. Matthæi, Volanum in Paræneſi, Symlerum Præfatione librorum de æterno Dei
Filio & de Spiritu S. iſthæc non tantum confiteri, ſed & ingemiſcere, & de his aſsiduas
iacere ore querelas: Bullingerum denique, C
dum ſe ſuoſque excuſare nititur, ineptum ac
impudentem ſe declarare.

2. DOCT. Credas velim, impios illos Arrianos & Antitrinitarios legentes Caluinum *exoptantem Trinitatis nomen ſepultum*, Muſculum
nolentem tres Perſonas Diuinas confiteri, Ochinum eas blaſphemantem, Bezam vnicam &
ſimpliciſsimam Dei Eſſentiam *realiter in tres diſtinguentem*, Danæum & alios Caluinianos
prohibentes illius adorationem & inuocationem,
eiuſdem poſtremo omnipotentię, præſcientiæ, ſapientiæ, bonitati, permiſsioni &c. magna confidentia detrahentes; auſos eſſe &
idem impudentius facere, ſecreta præcepto- D
rum murmura in publicum euomere, &
quæ audierant Geneuæ, Lauſanæ, Tiguri in
ſecretis illorum magiſtrorum cubiculis,
prædicare ſuper tecta.

3. Ad hæc, audientes illos Symbolū Apoſtolorum in dubiū reuocare, Athanaſij improbare, & Nicenū ex parte mutilare; & iſti de
euertendo fidei Catholicæ fundamento in
doctrina ſanctiſsimę Trinitatis cōtento, protinus cogitauerunt. Et quoniā illi mali corui
nimis præfracte ac importune crocitabant,
Nihil prorſus docendū aut credendū eſſe, niſi V. aut N. Teſtamenti verbis expreſſum contineatur, hæc
mala oua, ſanctiſsimæ Trinitatis. Perſonarū
conſubſtantialium nomina, iiſdem ſyllabis
illic non comperientes, illa nimis audacter
reprobarunt, & adoranda myſteria his ipſis
vocabulis ſignificata prorſus reiecerunt.

Deniq; audientes illos Oecumenicis Conciliis aduerſari, Patres antiquiſsimos oēs maledico dente carpere, dicere vniuerſam per 4.
mundū Eccleſiā Chriſtianam vſq; ad eorum
aduentum in perpetuis denſiſsimiſq; tenebris fuiſſe; ſeſeq; efferētes, vt primos in cunctis Europæ partib. Apoſtolos ac Euāgeliſtas;
ex his iſti concluſerunt, omnem noſtram de
ſanctiſsima Trinitate fidem & doctrinā Catholicā, impurū eſſe mendaciū, ab hominib.
Papiſticis errorib. detentis inuentum & conſtitutum. Ideoq; noui iſti Arriani, Ebionitæ,
Samoſateniani & Antitrinitarij, ſuos parētes
Hugonoſticos & Caluinianos, aduerſum ſe
frementes, his ſuo iure verbis affantur: Vos
patres, quorum adminiculis tales, quales ſumus, euaſimus. Vos præceptores, quorum imitatione ac præceptis noſtrā tenemus doctrinam. Vos primi miniſtri, quorū veſtigiis
inhærem⁹. Vos ſcaturigines, ex quib. noſtras
exhauſimus ſententias. In publicis diſputationib. noſtris aduerſus Romanā de Trinitate, cōſubſtantialitate, & coæqualitate in Deo
perſonarum, fidem, veſtra nitimur doctrina: in publicis iudiciis veſtra producim⁹ decreta; cōciones noſtræ ex veſtris libris acceptæ ſunt. Cur aduerſus nos tātopere indignamini? Pudet præceptores diſcipulos agnoſcere? Licet patrib. ſuos liberos reijcere?
& artificib. opera manuum ſuarū ignorare?

MIN. Hæc quidem abſurda & horrenda, 2.
attamē explorata & manifeſta ſunt. Quiſquis
enim cum Caluino nomina Trinitatis, & cōſubſtantialium Perſonarum in vnico & ſolo
vero Deo ſempiterna obliuione obſcurauerit, cum Muſculo eadem fateri recuſauerit, & cum Ochino contumelioſe vituperauerit; conueniet facile cum Sabellianis, Arrianis, & aliis hæreticorū monſtris, quos vetus damnauit Eccleſia. Inſuper, haud difficile
conſpirabit cum Iudæis; breui negotio conſentiet cum Maometanis, Apoſtatis, Ethnicis, aliiſq; manifeſtis Chriſti hoſtibus, qui ob
iſtam præſertim doctrinam & religionem
Euangelium non ſolum auerſantur, ſed &
perſequuntur. Sed valde aueo ſcire, quibus
diuinorum ſcripturarum præſidiis fulciantur à Patribus inuenta huiuſmodi nomina.

DOCT. Omnibus, quæ docent vnum eſſe 3.
Deum

Deum natura, trinum vero personis, videli- A cet, Patre, Filio, & Spiritu S. Cum enim Ioannes scripsit, *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum sunt*; sic colligendum reliquit: Si tres sunt, ergo Trinitas est: non Deorum, ergo Personarum. Præterea, hi tres vnum sunt, videlicet in substantia & natura: igitur corde credendum & ore confitendum est, Deum esse vnum in natura, trinum vero Personarum consubstantialium & coæternarũ Trinitate. MIN. Ista me hercle, tam manifesta & certa sunt, vt atheus, & diuini verbi sacrilegus hostis mihi videatur, quisquis non crediderit.

1. Ioan 5.

4. DOCT. Verba Baptismi nostri, ab ipso B Filio Dei cõstituta, istud rursum dogma nostrum satis confirmant. Præcipiens enim Apostolis, *Baptizare in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, dum harum trium personarum expresse meminit, eas realiter inter se distingui, sane indicat, improbans eorum confusionem factam à Sabellianis & Priscillianis: & dum singulari numero vtitur, *in Nomine*, id est, authoritate, potentia, & maiestate, docet eas tres vnum esse in Deitate ac infinita natura & essentia. Quare, vt sanctissime Athanas. canit in Symbolo, *Fides Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur*. MIN. Ecce profecto dilu- C cida locupletissimaq; testimonia, idonea ad fidem per vniuersum mundum propagandam: euertendas vero delirationes eorum, qui cupiunt nomen Trinitatis in obliuionis caligine sepeliri, & huius confessionem impedire.

Matth. 28.

5. DOCT. Paulus tuba Euangelica, longe lateque personas, vnum Deum totius mundi creatorem & rectorem; deinde Iesum Christum eius Filium verum Deum orbis redemptorem & iudicem; postremo Spiritum S. etiam verum Deum, omnis iustitiæ & sanctitatis fontem: nonne altioris vocis cõtentione intonat, omnino necessarium esse ad salu- D tem, credere atq; colere sanctissimam personarum Trinitatem, in vnius eiusdemque essentiæ ac Deitatis vnitate? Prædicans etiam huiusmodi Deum ac Dominum non solum secundum Deitatẽ, sed etiam secundum iudicia viasq; suas esse prorsus immensum & incomprehensibilem; nonne aperte docet illum esse infinitum, inexhaustũ, interminatum? Ochinum vero esse virum à cacodæmone obcæcatũ, & omni suppliciorum genere puniendum, qui hos Diuinæ maiestatis & gloriæ titulos tam fera rabie lacerat & cõculcat? Eos deniq; è medio tollendos satis indicat, qui vel cupiunt ea nomina sepulta esse, vel professuros se eadem negant coram Ethnicis? MIN. Non possunt plane excusari in eo q. fidei nostræ proditores deprehensi, vniuersis Apostatis expeditas rationes subministrant funditus euellendi disijciendiq; præcipua illius præsidia. Nam qui sacra hæc nomina delebit, eorumq; significata tollet, omni perfidiæ ac hæresi viam aperiet atque parabit. Sed velim nominum illorum origines ex sacrarũ literarum oraculis patefacias.

Ro. 1. 2. 3. 4. Ephes. 3. 4. Coloss. 1. 3. Hebr. 3. 11. 1. Cor. 1. 3. 4. 6. 12. 14. 15. Act. 17. &c. Rom. 9. 11.

6. DOCT. Nomen Græcum est ὑπόστασις, cui Persona, Latina vox, respondet. Reperitur autem in Apostolo, scribente Iesum Christum esse splendorem gloriæ & figuram τῆς ὑποστάσεως, formæ seu substantiæ Patris. Atq; locum hunc Pauli sic interpretati sunt non solum Beatissimi Apostolorũ discipuli Dionysius & Ignatius, verum & qui proxime ac deinceps illos sunt sequuti, Iustinus, Athanasius, Basilius, Chrysostomus; quinetiam fœlicissimi trecenti decem & octo illi Patres, qui ex toto orbe in Synodum Nicenam aduersus Arrium coierunt. MIN. Sed fortasse Latini illud ipsum non retinuerunt vocabulum. DOCT. Imo vero, nihil sæpius reperitur in libris de Trinitate ab Hilario, Victorino, & Augustino exaratis. Sacra etiam Biblia in Latinum sermonem conuersa eandem *Personæ* dictionem tam studiose retinent, vt tam in veteri quam in nouo Testamẽto plus quadragesies possit reperiri ab his, qui volunt omnia diligentissime obseruari.

Hebr. 1.

7. MIN. Alia eiusdẽ generis nomina, vtpote Essentia & substantia, vtrum sint à sacris literis accepta, & à maioribus nostris vsurpata? DOCT. Græcum verbum οὐσία substantiam significans, habetur in Euangelio Lucæ: ipsumq; substantiæ nomen frequenter vsurpat Apostolus epist. ad Hebr. & alibi sæpissime. Deducitur porro ab eo vocabulo ὤν, q. Deus sibi arrogat, dicendo ad Moysem. *Ego sum qui sum: Sic dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos.* Eo inde vocabulo libere vtuntur oẽs ferme veteres, veluti Tertullianus libro aduersus Praxeam, Hieronymus epistola ad Damasum, Augustinus 5. & 7. de Trinitate.

Luca 15. Hebr. 1. 3. 11. Exod. 4.

Petrus quoque & Paulus vtuntur nomine φύσις, id est, natura, etiam cum de Deo mentio est. Prior scribens, ἵνα διὰ τούτων γένησθε θείας κοινωνοὶ φύσεως, quod vetus interpres sic optime retulit, *Vt per ipsum efficiamini diuinæ consortes naturæ*. Posterior vero, ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς, *seruiebatis iis, qui natura* non

2. Petr. 1.

Galat. 4. *non sunt Dij.* Vnde sequitur diuina vocabula A ab hæreticis furiose & obcæcate reiecta, è puris fontibus Sancti Spiritus esse exhausta, qui reuelauit nobis per scripturas quid de Deo credendum, quid confitendum, & quomodo loquendum sit.

MINIS. Restat ex te audire vsum originemque verbi Consubstantialis. DOCT. *Luca 6.* Probauimus verba οὐσίαν καὶ φύσιν, Essentiam seu naturam esse sacræ scripturæ, vnde eius conflexum, vel, vt loquuntur, deriuatiuum *Lib. de decretis Nicenæ synodi: & Apologia pro Dyon. Ale. lib. 1. hist. c. 12. & 13.* ὁμοούσιος videtur consequenter & artificiose conflatum, veluti ἐπιούσιος, qui manifeste reperitur in Euangelio. Eo etiam vsi sunt non B solum trecenti & octodecim Patres sanctissimi Concilij Nicæni, verum etiam longe ante omnes & singuli Apostolorum successores ac Discipuli, vt docte & sapienter obseruant Athanasius & Theodoretus. Ex his ergo certum & manifestum est, omnes Christianos tam vere ac sancte his vti verbis, *Vnus Deus in Trinitate personarum, Tres personæ eiusdem naturæ, substantiæ, & Diuinitatis,* quam nefarie & diabolice Ochinus, & eiusdem sceleris improbissimi ministri ea contemnunt, blasphemant, ac reijciunt. Denique B. Augu. oportet nos insistere regulis; Dummodo in C sacra scriptura dictionum substantiam reperiamus, aut significationem, quid opus natiua inquirere verba? Quid enim est, inquit, *Epist. 174.* contentiosius, quam vbi de re constat, certare de nomine? Non sunt fugienda nomina noua, quæ contra nouas hæreses instituuntur. Idem profitentur Vigilius Martyr, disputationibus suis aduersus Arrium, Photinum & Sabellium: Hilarius lib. de Trinitate: Victorinus περὶ ὁμοουσίου: Athanasius orat. contra Arrianos; omnis denique religiosa Antiquitas.

9. MIN. Mihi quidem satis esse video sane perniciosam esse malitiam, dictiones in du- D bium reuocare, siquidem earum significata sint in ipsis scripturis contenta; veruntamen me quædam tenet infinita auiditas audiendi ex te, quinam Apostolorum discipuli, Martyres, & Doctores prisci in suis libris ac sermonibus superiorum verborum diserte meminerint. DOCT. Quo tempore arbitraris Dionysium Areopagitam in Ecclesia *Pag. 1.* floruisse? MINIS. Circiter annum Domini 96. si Baculo fidei nostræ fides adhibenda *Pag. 26.* sit: vel anno post natum Dominum 86. vt in Ecclesiæ ordine à Crispino disposito, & Geneuæ excuso notatum fuit. DOCT. vtitur autem Trinitatis vocabulo sanctissimus ille Timothei, Titi, ac Hierothei in schola Doctoris gentium condiscipulus, Hierarchiæ Ecclesiasticæ, cap. 1. 2. & 6. in Cælesti Hierarchia, cap. 7. in Diuinis nominibus cap. 1. 2. 3. 13. & in Theologia mystica, cap. 1. & 2. MIN. Reperitur ne Trinitatis vocabulum apud eum Clementem, quem Apostolus Paulus *Philip. 4.* prædicat suum in Euangelio fuisse cooperatorem? DOCT. Nominatim in prima epistola, libro 2. Recognitionum, & libris Constitutionum Apost. quorum meminerunt veteres. Iisdem temporibus Martialis vnus ex Christi discipulis, epistola ad Burdegalen- B ses cap. 10. & eius discipulus Aurelianus, in vita eiusdem præceptoris sui. Prochorus, vnus ex septem Apostolicis discipulis commemorat ὁμοούσιον τριάδα, consubstantialem Trinitatem. Iacobus frater Domini in sacra Liturgia, quam probauit sexta S. Synodus Oecumenica, sexties sanctam nominat Trinitatem. Ita etiam Egesippus Historiographus Hebræus libro quinto, capite nono. MINIS. Hos septem authores (quicquid alij aliter & impudenter garriant) cum sanctis Domini Apostolis familiarissime vixisse constat; & ab iisdem ea verba, simulque C cuncta fidei Christianæ mysteria accepisse, quæ aliis verbo & scripto tradiderunt, nihil prorsus dubito. Addas, si placet, nonnullos insequentis seculi Patres.

DOCT. Prædictis sanctis nominibus sex- 10.
ties vtitur Iustinus Martyr & Philosophus libro de sancta & coessentiali Trinitate: & quinquies in libr quæst. & responsionum ad Orthodoxos. Vsurpant etiam illa Theophilus Antiochenus libris ad Autolycum, Athenagoras in Legatione ad Antoninum, &, vt obiter multa dicam, Tertul. Orig. Cyprianus, Dionysius Alex. Gregorius Neocæsariensis, Alexander Primus Pontifex & Mar- D tyr, Sixtus, Hyginus, ijdem Pontif. & Martyres.

MIN. Scio omnes illos secundo post Apo- 11.
stolos vixisse seculo, quos secuti sunt tertij, quarti, & quinti seculi Patres, tum quia in eorum libris fuerunt diligenter versati, tum quia Sabellianos, Arrianos, Macedonianos, & alios SS. Trinitatis, personarumque consubstantialium iuratos hostes perpetuis bellis profligauerunt. Nam horum doctrina, vt etiam libenter fatentur Magdeburgici Centuriatores, consensit cum Ecclesiis Apostolicis: isque consensus ac concordia communis fuit omnibus in Europa, in Africa, in Asia Ecclesiis. Deinde habuerunt illæ ætates, si

quæ

quæ vnquam aliæ, plurimos vita & doctrina præstantes Doctores, qui doctrinam Christi & Apostolorum eius puram & integram custodierunt, summaq; dexteritate propagauerunt. Quibus fit, vt nunquam satis mirari possim Caluinum (*qui puram religionem per illos priores, quingentos annos adhuc in Ecclesiis floruisse fatetur*) tanta improbitate fuisse correptum, suique oblitum, vt extincta sanctissimæ Trinitatis, personarumque consubstantialium nomina desiderauerit.

12. Li. act. Ser. pag. 240.

Ad hæc, elato satis animo alibi profert: *Michaelem Seruetum ob reiecta huiusmodi nomina iustissime arsisse*, suaque suasione Geneuæ deflagrasse. Enimuero si Seruetus, quod ea simpliciter negaret, ardentiore igne absumptus est; non minorem pœnam meretur, qui eadem exoptat sempiterna obliuione sepulta & consopita.

13. Lib. 1. c. 13. §. 2. 3. 4. 5. 6.

Idem rursum in Institutione fatetur Ecclesiam necessitate coactam illa nomina sancte vsurpasse, cum ad explicandam clarius suã fidẽ atq; doctrinam aduersus rabidos morsus & adlatrantem hæreticorum linguam, tũ ad intercludenda eorundem lubrica perfugia. Quinetiam sponte comprobat pulcherrimam illam Gregorij Nazianzeni sententiam, *Vnum mente non possum concipere, quin tres protinus occurrant: nec tres possum discernere, quin ad vnũ redeant.* Fatetur etiam nos minime perfecte Deum cognoscere, nisi fides nostra tres Personas in vna Essentia Diuina concipiat.

Harm. in 28. Matth. v. 19.

14. Punct. 1. art. 2.

Beza quoque in sua fidei confessione, quę per vniuersas Reformatæ Ecclesiæ nostræ coitiones volitat, palam profitetur *credere se in Trinitate personas, distinctas coessentiales, & coæternas esse, sine vlla proprietatum confusione.*

15. Cap. 6.

Denique Philippus Mornæus, Caluiniani iuris defensor & propugnator acerrimus, libro de Religionis Christianæ veritate, quem subtiliter ex Galatini Franciscani, Eugubini, Augustiniani, Ludouici Viuis Hispani, & principis Mirandulani scriptis compilauit, apperte demonstrat, antiquos Chaldæos, Arabes, AEgyptios, Græcos pene oẽs, maxime Academicos; imo vero Sybillarum oracula, & Oraculorum responsa, in eadem nobiscũ de Trinitate personarũ doctrina mirabiliter consensisse: veteresque Hebræos longe ante aduentum Domini nostri Iesu Christi, & prædicatum toto orbe Euãgelium, eadem scriptis suis significasse, & credidisse, *cum Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum S. dixerunt, non tres Deos, sed tres personas in vno & solo vero Deo.* Quare cum inepte Caluin' secum dissideat, Beza non cõsentiat, Mornæus fidem & confessionem trium Personarũ in vna Deitate probet impressam esse in animabus omnium populorum; Caluinicam hac in re malitiã totus exhorret animus, impuramq; Musculi calumniam & Ochinistam blasphemiam serio detestatur. Contra vero, duce Deo, semper toto corde credam, & coram omnibus viuentibus ore confitebor, hic & vbique terrarum, sanctissimam Trinitatem personarum Diuinarum in vnica numero essentia & Diuinitate infinita, hominum & Angelorum animis incomprehensibili atque ineffabili. Præterea, profitebor sacra & diuina illa nomina ex verbo diuino & sacris Scripturis, à S. Apostolorum discipulis, primisque Christianis sancte & accommodate deducta esse. Sed de his hactenus: ad alia iam nostra se referat disputatio.

DE INVOCATIONE ET ADORATIONE *sanctissimæ Trinitati debita, aduersus quartam quintamque hæresin Caluinisticam.*

CAPVT II.

DOCTOR.

POstquam primarij vestri Ministri in nominib. S. Trinitatis, Diuinarumq; personarum funditus delendis diu multumq; desudarũt, vel potius petulantissimis suo more verbis ea sunt insectati: statim eorum effrenata eo vsque sese erexit audacia, vt eiusdem prohibuerint inuocationem, & adorationem, hæreses duas omnino damnandas commolientes. MIN. Qui tantarum impietatum authores? DOCT. Cum Lutherus ex Litaniis Germanicis sanctissimã istam precandi formulam, *Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis*, tam audacter quam nefarie prim' detraxisset, statim eum secuti Anabaptistæ, Suenckfeldiani, Zuingliani & Caluiniani, illam damnarunt *tanquam impropriam & barbaram.* MIN. Agnosco censuram verbaque Caluini hæc esse. DOCT. His addidit nuper Lambertus Danæus, *orationem illam esse ineptam, insanam, inconcinnam, à Patribus male inuentam, atq; periculosam.* Quocirca, tametsi multas preces cõtineant vestri Catechismi, Psalmi, & libelli, nulla tñ earum ad sanctissimam Trinitatẽ dirigitur: adeo vt ex vestris cœtib. & supplicationib. omnino nunc sublata sit sanctissimę Trinitatis inuocatio. MIN. Hæc ita sese habere diffiteri non valeo. Sed qui Trinitatẽ prohibent adorandã? DOCT. Idẽ qui & prioris impietatis assertores. Nam cum

Lib. aduer. Valent. Gentilem: & Epist. 1. ad fra. Polonos. Li. adu. Genebrard.

cum palam prædicent scribantq; inuocationem sic ad adorationé pertinere, *vt quicunq; inuocat, adorat: inuocationem sub adoratione contineri: & inuocationem non posse ab adoratione separari*: manifestissima est sequela, q̄ si Trinitas non est inuocanda, neq; sit adoranda aut coléda. MIN. Propositio sane Clypei est fidei nostrę: assumptio Caluini & Danæi: cõsecutio itaq; ex præmissis plane deducta & certa est. *Pag. 84.* *Pag. 143.*

A

DOCT. His adde, vestros authores ex fine omniũ Psalmorũ subtraxisse versiculos ab optimis Patribus additos, & ab vniuersis adhuc piis Christianis per orbẽ decãtari solitos, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.* quib. profitemur sanctissimam Trinitatem nos credere, inuocare, & colere aduersus Sabellianorũ, Arrianorũ, Iudæorum & Turcarũ furores. Insuper, ex cunctis Calendariis vestris, festi sanctissimę Trinitatis, vt & Sanctorũ omniũ, Ministrorum vestrorum summo studio sublata est memoria. Præterea in vestro Catechismo cũ de cultu Dei agitur, *tantum vult is Deũ Patrem adorari, & Christo suo quendam honorem exhiberi*. Deniq; è cœtib. & precib. vestris iam pridem has Catholicas laudes, *Te adoramus, te inuocamus ô beata Trinitas: Benedicamus Patrem, & Filium, cum sancto Spiritu,* non modo sibilis, sed ét conuitiis explosistis. Quid igitur superesse põt, nisi vos omnem religiosum cultum, & adorationem sanctissimæ Trinitati aperte detrahere? honorem quantum potestis imminuere? MIN. Tam perspicua sunt hæc omnia, vt aduersari non possim: &, vt ingenue fatear quod sentio, illa mihi displicent, & cõscientia, quæ mihi pluris est quam omnium hominũ sermo, flagitiorum stimulis agitata plurimũ indoleret, si huiusmodi impias hæreses sustinerem. Has itaq; tecum iam paratus sum contemnere, & veluti furores incredibili temeritate gestientes comprimere.

B

C

Confut. 1. Primam itaq; susceptæ disputationis partem discutiam, & sanctissimæ Trinitatis inuocationem ex diuinis scripturis constabiliamus. DOCT. Omnes inprimis Prophetarum & Apostolorum scripturæ edocẽt, toto corde inuocandũ esse Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ: eædem rursus sæpissime verbis & exẽplis interpellare suadent Iesum Dei Filium, & hominũ summum mediatorem: & pari religione implorant gratiam & auxilium Spiritus ab vtroq; procedentis, non vt tres Deos, sed vt vnum, solum, æternumq; Deum, quem tam sedulo vbique vrgent, & cunctis inculcant: ex quib. sequitur, Caluinianos istam Christianorum

D

orationem, *Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis*, respuentes, more Gigantum cum Deo bellare, Deum verũ de throno suo deturbare, & doctrinæ tam Prophetarũ quam Apostolorum æque ingrate ac præfracte sese opponere. MIN. Luce meridiana clariora sunt hæc omnia, & certissima, vti Deus certissim' est: consequentiaq; adeo manifesta & necessaria, vt nemo possit resistere, nisi sensu omni & ratione careat. Siquidem initio mundi patres dicuntur inuocasse nomẽ domini: Psalmi frequentes sunt in huiusmodi supplici & demissa interpellatione: Euãgelicus Propheta grauiter conqueritur, *Non est qui inuocet nomen tuũ: qui consurgat, & teneat te.* Et idẽ illico precatur: *Et nunc Domine, Pater noster es tu, nos vero lutũ: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum oẽs nos. Ne irascaris Domine satis, & ne vltra memineris iniquitatis nostra. Ecce, respice, populus tuus omnes nos.* Ad Messiã porro, id est Iesum Christum æternum Dei filium preces fundendas esse his verbis vaticinatur: *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorũ ipsum gentes deprecabuntur.* Et rursum: *AEgyptij, AEthiopes, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, tui erunt, post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teq; deprecabuntur.* Consentit & Psaltes Regius, his ipsum regem Messiam compellans: *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* Pari modo tertiam Trinitatis personam, id est, Spiritum sanctum suppliciter exorat, dicens: *Spiritum rectum innoua in visceribus meis: Spiritus principali confirma me: Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me: Emitte Spiritum tuum, & creabuntur: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Non inuocant autem tres Deos, cum nihil magis quam à multis & alienis diis Prophetæ abhorreant, & vnum confirment: constat ergo illos Trinitatem in personis, vnum vero in Essentia & substantia Deum suppliciter inuocare. *Gen. 4. 12. 13. 21. 26. Psal. 4. 13. 17. 19. 30. 49. 55. 74. &c. Isaia. 64. Isaia 11. Isaia 45. Psalm. 44. Psal. 50. 103. 142.*

2. DOCT. Attende etiam, quæso te, quanto studio Paulus initiis fere omnium Epistolarũ precetur. *Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino nostro Iesu Christo, Obsecro vos per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Sancti Spiritus: Flecto genua ad Patrẽ Domini nostri Iesu Christi, vt det vobis secundũ diuitias gloria sua virtutem, corroborari per Spiritum eius in interiori homine, &c.* Et rursum: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus, sit semper cum omnib. vobis, Amen.* An non id est, vnum Deum in Trinitate personarum summo affectu inuocare? Dumq; preces dirigit sic ad diuinas personas sigillatim nominatas, *Ro. 1. 15. 16. 1. Cor. 1. 2. Cor. 1. 13. Galat. 1. Ephes. 1. 3. 6. &c. 2. Cor. 13.*

natas, nonne eiusmodi orationis typum ac A veluti exemplũ vniuersæ relinquit Ecclesiæ Catholicæ? MIN. His profecto tam expressa ac dilucida Trinitatis inuocatio cõprehenditur, vt Sebastianus Meyerus in cõmentariis, & Marloratus in Rhapsodiis idipsum coacti testentur & comprobent: eademque opera Caluini preceptoris sensa reprobẽt. DOCT. Sed qui his modis omnib. anteferendus est, *To.4.l.vno exposit. epist. ad Ro.* Diuus Augustinus, dilucide & constanter in his adfirmat ipsam Trinitatem, pariterque incommutabilem vnitatem inuocari: quoniam gratia qua liberamur à peccatis; & pax, qua reconciliamur Deo Patri haberi nõ potest, nisi per Christum, & in Spiritu sancto. B

3. Initio quoq; Apocalypseos Diu. Ioannes sanctissimam precatur Trinitatem, dum his *Apoc. 1.* vtitur verbis: *Ioann. septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus, qui in conspectu Throni eius sunt, & à Iesu Christo, qui est princeps regum terræ.* En aperta precatio, ad tres diuinas hypostases suis elogiis distinctim descriptas & expressas: quod & diligenter obseruant Rupertus, Ansbertus, Primasius, Ticonius, seu Augustin. Ambrosius, totusq; SS. Patrum chor⁹. MIN. His etiam addi possunt nõ infimæ inter nostros notæ Bullingerus, Meyerus, Conrardus, Viretus, Marloratus, C qui vi veritatis compulsi idipsum confitentur: sicq; & apertis scripturarum testimoniis conuicti, & propriis telis confossi victiq; iacent sanctissimæ Trinitatis aduersarij.

4. DOCT. Inter alios præterea scripturæ locos, is potissimum edocet inuocandam esse SS. Trinitatem, qui arctissime iubet Apostolis baptizare omnes gentes sacro Euangelio credentes. *Ite,* inquit æternus Dei Filius, *Matth. 28.* *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.* Nemo enim inficiari auderet, tres illas personas diuinas propriis nominibus hic exprimi: deinde, naturæ essentiæq; diuinæ vnitas etiam significari voce D *in Nomine*: inuocanda vero diserte præcipitur verbo imperandi, *baptizate in Nomine, &c.* MIN. Equidem Caluinũ ita pressit ille con- *Har. in ca. 28. Matth.* textus, vt illic trium diuinarum personarum apertam inuocationem fieri coactus sit confiteri: ex quo consequitur eundem sibi repugnare, tandemque aliquando eam amplecti doctrinam, quam prius improbauerat: & sanctissimæ Trinitatis inuocationem laudare, quam antea consueuerat vituperare.

5. Sed satis superq; scripturarum verbis cõfirmata sunt hæc, refutataq; contraria hæresis: addas, si placet, nõnulla sapientis religiosæque Antiquitatis in hanc rem testimonia. DOCT. Exordiar igitur à Diuo Augustino, qui effusis precibus sanctissimam Trinitatẽ his alloquitur verbis. O tres coæquales & co- *Soliloq. cap. 37.* æternæ personæ, Deus vnus & verus, Pater, Filius, & Spiritus S. qui solus habitas æterni- *1. Tim. 6.* tatem & lucem inaccessibilem. Sanctus, San- *Isa. 6.* ctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, terribilis & fortis, iustus & misericors, vnus Deus, tres personæ, vna essentia, potentia, sapiẽtia, bonitas, vna & indiuisa Trinitas, aperi mihi clamãti portas iustitiæ, & ingressus in eas cõfitebor tibi Domine. En ad ostium tuũ pulso, iube aperiri pulsanti. Ante te est omne desi- *Psalm. 117.* deriũ meũ, & gemitus meus à te nõ est abscõ- *Matth. 7.* ditus. Et tu, Domine, non auertas faciem tuã *Psal. 26. 37 39.* à me, nec declines in ira à seruo tuo. Retrahe me de profundis aquarũ, de lacu miseriæ, & de luto fæcis, &c. Alibi quoq; sic orat: Rogo te omnipotens Pater, cum dilectissimo Filio tuo teq; dulcissima Proles cum serenissimo *L. Medi. ca. 4.* inuoco Paracleto, trahe me, quatenus post te curram in odorem vnguentorũ tuorum. Et postea: Te Deum Patrem ingenitum, te Filiũ *Cant. 1.* vnigenitum, te Spiritum S. Paracletum, san- *Cap. 11. & 12.* ctam & indiuiduam Trinitatem toto corde & ore confitemur, laudamus, atq; benedicimus, &c. Rursumq; ait: Inuocat te Trinitas *Cap. 31.* beata, vox clara, & syncerus amor fidei meę, quam ab ipsis enutriens cunabulis illuminasti, quam adaugens cõfirmasti in me per documenta matris Ecclesiæ. Te inuoco beata, & benedicta, & gloriosa vna Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, &c. Ecce optimi, doctissimi, & antiquissimi Patris pia admodum verba, quę nostram disputationem non modo confirmant, verum etiam per intima præcordia irrumpunt, & mentem in Deum mirum in modum attollunt.

MIN. Quorumdam aliorum locos tantum designa, quos maiori otio aliquando consulam, & mihi satis erit. DOCT. Hieronymus ad Damasum, Ambrosius libro primo de fide, Basilius & Chrysostomus in Liturgiis, Dionysius Areopagita tertio capite de diuinis nominibus, & in exordio mysticæ Theologiæ, & alij passim plurimi identidem obseruant. MIN. Quãto expressa illa sanctorum Patrum testimonia in fidem & inuocationem sanctissimæ Trinitatis animam meã reducunt ac confirmant, tanto impios errores, quibus Caluinus & Danæus eandem obrutam inuoluerant, nunc abhorreo. DOC. Debes etiam diligenti cogitatione sæpissime

animaduertere grauiora, quæ toto mundo A Caluinicus error adferret incommoda, si Dei optimi maximi in Trinitate personarum tolleretur cultus & inuocatio.

7. MIN. Id ne reticeas etiam atque etiam rogo. DOCT. Primum quidam nequissimus Maometis Alcoranus paulatim inter Christianos serperet: Iudæorũ perfidia reuiresceret, & loco Euangelij ac Christianæ pietatis vbique locorum tandem exurgeret. MIN. Id equidem facile fieret, quoniã nec Turcæ in suis Mesquitis, nec Iudæi in Synagogis, nec Pagani in fanis suis de sanctissimæ Trinitatis inuocatione aut cultu quicquam audiri vo- B lũt. Proinde ex nostris quamplurimi, (eheu conditionem huius temporis!) in Polonia, Hũgaria, Vvalachia, & Trãssyluania, à modo Christianã religionẽ deserunt, & Turcis aut Iudæis multo facilius se dedunt, vt patet ex ministrorũ, qi illic agũt, quotidianis querelis.

Volanus. Chytræus Lasychius Symlerus.

8. Deinde, eadem Caluini impia hæresis ex sordido puluere & vetustatis cinere hæreses damnatas non modo secum multas retraheret, sed obducta Praxeanorum, Hermogenianorum, Sabellianorum Noetianorum, Samosatenianorum, Arrianorum, aliorumque pestilentium hominum vulnera refrica- C ret: qui omnes, vt Caluinus; vnum Deum in Trinitate personarum consubstantialiũ negabant inuocandum & adorandum. MIN. Perspicuum est plane Trinitatem eos minime inuocasse, qui eam nolebant confiteri: & sic illos cum nostris Geneuensibus mirum in modum in eo articulo consensisse.

9. DOCT. Postremo, vestri huius impietatis authores sibi manifeste repugnant, cum superius multoties recitatam orationem vituperant: quandoquidẽ veteris Ecclesiæ, sanctorumque Patrum Athanasij, Hilarij, Hieronymi, Basilij, Nazianzeni, Chrysostomi, D Ambrosij, Augustini fidem doctrinamque reprehẽdunt ac damnant, quam ante laudauerunt & probauerunt. Nam hi omnes submissis animis Deum in Trinitate inuocarũt, & eam deprecandi nobiles formulas posteritati reliquerunt. MIN. Mihi cumulate satisfecisti, remouendo omnem, quam nostri ea de re effingunt, difficultatem. Polliceor itaq; secundum doctrinam Prophetarum, Apostolorum, antiquissimorumque Patrum, me in posterum Deum viuentem in vnitate essentiæ, & personarum Trinitate sancte interpellaturum: & qui contrariam habebunt opinionem penitus relicturum. Nũc de eiusdem Trinitatis adoratione & cultu dicamus.

DE SANCTISSIMAE TRINITATIS adoratione.

CAPVT III.

DOCTOR.

SI inuocatio sub adoratione ita cõtineatur, vt quicunq; inuocat, simul etiam adoret, vt est in vestræ fidei Clypeo, qui Trinitatis inuocationẽ probauit, nõne etiam eius adorationem satis confirmauit? Sicq; paucis & validis argumentis superiorib. iam confectum est à nobis hoc negotium? MIN. Verum est; interim libentissime ex te audirem locos sacræ scripturæ, Patrumq; veterum, qui hanc Trinitatis religiosam adorationẽ suadeant.

Confutatio. 1.

2. DOCT. Purissimi & beatissimi illi Spiritus, qui iuxta Isaiam, astantes throno Dei, *Isa. 6.* concinunt *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth. Plena est omnis terra gloria eius*, plene adorant & glorificant sanctissimam Trinitatem. MIN. Profecto Ioannes Oecolampadius, omnium nostrorum ministrorũ fortasse doctissimus, suis in eum locum cõmentariis fatetur, *Angelos hoc cantico laudare & glorificare, eandem personarum Trinitatem in cuius nomine oẽs Christiani baptizati sunt.* DOC. Etiam si non fateretur, optimo iure satis esse debet, quod expressum Dei verbũ idipsum cõtinet. Deinde, quod istud etiam colligunt Dionysius in Cælesti Hieron. Iustinus Martyr libr. de coessentiali Trinitate, Tertullianus, Athanasius, reliqui omnes.

3. Iterum, Ioannes in Apocalypsi se audiuisse refert quatuor animalia plena oculis, & re- *Apoc. 4* quiem nõ habentia die ac nocte, cum Angelis, iuxta thronum Dei, easdem prorsus laudes assidue præcinentia. MIN. Certe N. Testamenti Geneuenses Annotationes docent, *omnes creaturas visibiles & inuisibiles per hæc quatuor animalia repræsentari.* Quomodo & Bullingerus scribit in eum locum, illa his cantici verbis innuere, *Sanctus est Deus Pater, Sanctus est Deus Filius, Sanctus est Deus Spiritus S. Sanctus est vnus Deus in Trinitate semper adorandus.* DOCT. Vides igitur quomodo pręcipui vestri Antistites ad fidem Catholicam, quam prius abiurarant, coacti tandem reuertuntur.

4. Sed dic obsecro, quid hæc vox Deus, in omnib. tum V. tum N. Testamenti locis designet, in quib. Scriptura iubet *Dominum Deum nostrũ adorare & diligere ex toto corde, ex tota anima, ex omni mente, & ex omnibus viribus nostris?* Solam ne Patris personam? MIN. Minime vero,

vero, sed ex æquo Patrem, Filium & Spiritum sanctum: qui vnum duntaxat verum & solum Deum constituunt. DOCT. Recte quidem, & secundum mentem Augustini, volentis nomina substantialia in Diuinis singulari numero enunciata, de tribus coniunctim personis esse intelligenda. Itemque absoluta omnia vocabula, quæ vel ad essentiã Diuinam pertinent, vel eam consequuntur, ita dici de singulis personis in numero singulari, vt de omnibus simul in numero plurali efferri nec posint, nec debeant. Igitur toties sanctissimam Patris, Filij, & Spiritus S. iubemur adorare personarum Trinitatem, quoties sacra Scriptura præcipit Deum adorandum, timendum, colendum, ex tota anima diligendum. MIN. Tam clara & certa sunt hæc, vt nemo mentis compos, posit contra sentire vel dicere: tantumque esse credẽdum est, *Deum adora, Deum time, Deum dilige*, atque Patrem, Filium & Spiritum S. adora, time, & dilige.

Lib. 7. de Trinit. c. 4. In quæstiunculis de Trinit. & l. de Trinit. & V- nitate Dei, c. 2.

Exod. 20. Deut. 6.

5. DOCT. Ingenue quæso etiam dicas, cur summus cultus Deo debetur? MIN. Plane ob summam potestatem, bonitatem, misericordiam, sapientiam, iustitiam, & reliquas quæ huic infinitæ Maiestati conueniunt perfectiones. DOCTOR. At vero eiusdem sunt summæ bonitatis, potestatis, & maiestatis tres personæ, sicut & eiusdem naturæ, essentiæ, seu Deitatis. Nam vt in Symbolo fatemur, *Omnipotens est Pater, Omnipotens Filius. Omnipotens Spiritus sanctus. Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus. Non tamen tres omnipotentes, aut tres Domini: sed vnus Dominus Deus omnipotens.* Igitur vno eodemque cultu religioso ac summo à cunctis adoranda & colenda est sanctissima Trinitas.

6. Dic etiam, te rogo, an non censetis omnes æque credendum atque sperandum esse in Filium Dei, ac Spiritum sanctum, atque in Deum Patrem? MIN. Id clarissime & constantissime profitemur, iuxta Symbolum Apostolicum, & veteris nouique instrumẽti expressas scripturas. DOCT. At, fidem & spem supremi cultus species esse nemo vnquam inficias ire posset. Ea propter certum est Filium ac Spir. S. vna cum Patre, id est, sanctissimam & augustissimam Trinitatem, omni tam interno quam externo cultu adorandam esse.

7. Rursum, omnium cuiuslibet linguæ, & conditionis summa consensio est, Deum Patrem omni demissione ac religione adorandum esse. Nemo et negare potest Filium submisse adoratum fuisse à Pastoribus à Magis, à Centurione, à cæco nato, à Chananæa, ab vxore Zebedæi, à cæcis, à leprosis, ab infirmis, à Discipulis, ab Apostolis, ab Angelis. Denique, tertiam Trinitatis personam, Spiritum sanctum adorant Prophetæ, Apostoli, cælestes spiritus. De eodemque profitetur palam vniuersa Ecclesia, quod *cum Patre, & Filio, simul adoratur, & conglorificatur.* Consequens est ergo, omnem creaturam cælestẽ, terrestrem, & infernalem supremo Latriæ cultu sanctissimam Trinitatem, religiosissime & sanctissime debere complecti, adorare, & venerari. MIN. Adeo certa & firma videntur mihi tua argumenta, vt non solos Caluinianos, verum & Iudæos, & Atheos omnes, quantumuis contumaces, posint quam primum expugnare.

Luc. 2. Matt. 2. & 8. Ioan. 9. Matt. 5. 20. & 2?

8. Venerandæ sanctæque Antiquitatis quædam testimonia nunc tantum à te postulo. DOCT. Ante mille & trecentos annos magnus Athanasius ait, & vniuersa Ecclesia suscepit & probauit: *Fides Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Hanc nisi quisque (fidem) fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.*

9. MIN. Audio verba sanctissima religiose & integre conseruanda. Sed quoniam multa Augustino, eiusque raræ atque mirabili doctrinæ videtur Caluinus vbique concedere, scire velim, Vtrum sanctam adorauerit ipsemet Trinitatem. DOCT. Audisti nuper quam blande & concinne Trinitatem adorans sæpe inuocauit, iam audias quam submisse eandẽ vereatur & adoret: O summa Trinitas, inquit, virtus vna, & indiscreta maiestas, Deus noster, Deus omnipotens, confiteor tibi ego vltimus seruorum tuorũ, & exiguum membrum Ecclesiæ tuæ, confiteor tibi & honorifico te debito sacrificio laudis, &c. Idemq; postea: Tu es Deus omnipotens, quem trinum in personis, & vnum in substantia Deitatis colimus & adoramus, Patrem ingenitum, Filium de Patre vnigenitum, Spiritum S. de vtroque procedentem, & in vtroque permanentem, sanctam & indiuiduam Trinitatem, vnum Deum omnipotentem, &c. Gloria Patri, qui creauit nos; gloria Filio, q redemit nos; gloria Spiritui sancto, qui sanctificauit nos; gloria summæ & indiuiduæ Trinitati, cuius opera inseparabilia sunt, cuius imperium sine fine manet.

L. Medita c. 12. Cap. 33.

manet. Te decet laus, te decet hymnus, tibi debetur omnis honor, tibi benedictio & charitas, tibi gratiarũ actio, tibi honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen. Idemq́ rursum alibi ait: Soli quidem tibi Trinitas, integre nota es, Trinitas sancta, Trinitas supermirabilis, exuperãs omnem sensum, omnem rationẽ, omnem intellectum, omnem essentiam supercælestium animorum. Cognoui te, & confiteor te Deum Patrem ingenitum, te Filium à Patre genitum, te Spiritum S. Paracletum, sanctam & indiuiduam Trinitatem in tribus coæqualibus personis consubstantialibus & coæternis, Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate corde credens ad iustitiam, & ore confitens ad salutem, &c. Cognoui te vnum Deum viuum & verum, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, trinum in personis, vnum in essentia, quem confiteor, adoro, & glorifico toto corde meo. Alibi rursum ad gaudia cælestia suspirans, exclamat: O quam fortunatus ero, si audiuero iucundissimas ciuium tuorum cantilenas, carmina melliflua, laudes summæ Trinitati debito honore promentia! &c. Nunquid istud est cum maxima fide & demissione Trinitatem venerari & suppliciter adorare? MIN. Imo & hanc adorationem plurimis certissimisque exemplis confirmare, atque pias hominum mẽtes secum in sanctissimam & religiosissimam eiusdem Trinitatis adorationem rapere. Mihi autem perplacet audiuisse Deum in Trinitate personarum sese mortalibus manifestasse, & ab iisdem sic inuocari & adorari suo verbo patefecisse, quandoquidem omnium Christianorum semper ea extitit iam inueterata fides & religio. In alium iam sermonem incidamus.

Soliloq. c. 31. & 32.

Manualis. c. 6.

DE VNICA, SIMPLICI, ET INDIstincta essentia diuina Patris, & Filij, & Spiritus sancti: contra sextam Caluinianorum hæresin.

CAPVT IV.

DOCTOR.

PVtasses ne vnquam vestrorum sacrorũ Antistites eo dementiæ vel inscitiæ peruenisse, vt simplicem, vnicam, & impartibilem essentiam diuinam nefarie multiplicarent, & in tres partes reipsa seiungerent, pessimeque dilaniarent? MIN. Absit omnino, absit vt id vnquam mihi de tantis viris persuadeam: sed est ab aliquo maleuolo illata falso optimis viris illis calumnia? DOCT. Habes fortasse ad manum Bezæ magnam fidei Confessionem Gallicam? MIN. En præsto est: quid vis ex ea legam? DOCT. Principium secundi articuli ex puncto primo. MIN. Scribit: *La parole de Dieu nous enseigne clairement, que ceste essence diuine est distincte reelement, & à la verite, & eternellement en trois persones.* DOCT. Dic Latine ad verbum. MIN. *Verbum Dei clare nos docet, quod ista essentia diuina est distincta realiter, & secundum veritatem, & ab æterno in tres personas.* DOCT. Viden, quo pacto verbo Dei imponit, essentiamq; diuinam reipsa in tres partitur? Nam distingui realiter, etiam iuxta Caluinum, *veram rei distincta per partes separationem atque distractionem significat*: vnde sequitur Bezam in tres partes vnicam diuinam naturam & simplicem essentiam impudenter dissecare & proscindere. Sed neque semel id dixisse satis illi fuit, aut plusquam iuueniliter ita desipuisse: quandoquidem in hac postrema senecta sua adhuc insanire pergit, scribens, Sermon. 5. de Passione Domini: *Ce neantmoins ces trois personnes (diuines) sont distinctes en leur essence.* Quod est ad verbum. *Hoc non obstante, hæ tres personæ diuinæ sunt distinctæ in essentia sua.* Habent quidem distinctas subsistentias, id est, personales rationes atque relationes, cuiusmodi sunt Paternitas, Filietas, & Spiratio seu Productio: sed non substantiam seu essentiam, quæ prorsus vna & impartibilis est. Percipis ergo Bezam vnius & solius Dei essentiam tam pertinaciter quam impie in tres partes lacerantem? MINIST. id si negarem, quotquot sunt mortales me perfrictæ frontis hominem iudicarent.

L. Gallic. de actis Serueti, pag. 219.

Pag. 108.

Sed demus Bezam vel malitia, vel rei Theologicæ imperitia in hanc impietatem lapsum esse: debetne idcirco ea culpa cæteris defecatæ religionis Ministris, & alijs eiusdem professoribus continuo irrogari? DOCTOR. Sane quidem, obseruant illum veluti doctorem maximnm, legitimum Caluini successorem, qui cum eo construxit (quam dictant) emendatam & expurgatam religionem, & doctrinam quam profitentur. Tantum etiam abest, vt talem sua censura notent errorem, quin illum è contrario suauiter legunt, libenter amplectuntur, & vna cum illo pro fidei suæ articulo verbis & scriptis probant & profitentur. Accedit, quod Caluinus huius etiam impietetis author ei fuisse mihi non iniuria videa-

videatur. Scribit namque libro de actis Serueti: *Il fait accroire, que nous coupons Dieu, en distinguant sa simple essence en trois personnes*. Latine est ad verbum: *Persuadet quod Deum nos scindamus, distinguendo simplicem eius essentiam in tres personas*: quibus verbis diserte fatetur se suosque essentiam diuinam in tres reipsa distinguere. Qui & aliquanto ante hæc verba, scribens, *Filium Dei habere substantiam à Patre distinctam*, auget adhuc suam de diuina essentia diuisionem, cum Deitas, substantia, natura, & essentia in Deo vnum sint. Eandem multo magis patefaciens, concedit Valentino Gentili, *Nomen Dei per antonomasiam Patri soli conuenire, & Filium respectu Patris Creatorem cæli & terræ improprie appellari*. Scribit præterea in Institutione sua, *quod Filius post vltimum iudicium Patri remanebit subditus, in ratione diuinæ suæ naturæ*. Ex quibus manifeste sequitur, diuinam essentiam non solum esse distinctam diuersamque in Patre & Filio, verum etiam alteram altera præstantiorem & superiorem esse. Quid tu ad hæc? MINIST. Certissimum est, quod alteri subiici, est diuersam ab eo habere essentiam. Rursumque, si Filius à Patre distinctam habet substantiam, habebit necessario diuersam essentiam. Ac proinde Bezam & Caluinum omnes suos e docere discipulos *vnicam, simplicissimam & impartibilem Dei Essentiam in tres secernere atque lacerare*: quod nunquam in animum meum induxissem.

Li. de actis Ser. p. 343.

Pag. 249. & 250.

DOCTOR. Sustine adhuc paulisper, & audies rursum tertium Caluini discipulum hanc vnicam diuinam essentiam æque nefarie ac temerarie triplicantem atque multiplicantem. MINIST. Quis hic tam consceleratus? DOCTOR. Gulielmus Salustius, cuius poemata vestri omnes adeo suspiciunt & mirantur, vt propemodum super Euangelia & Apostolica efferant scripta; quæque etiam vna cum Beza vestrorum plurimi suis Epigrammatis certatim commendant. Ille itaque initio primæ suæ Hebdomadis, hæc personat carmina Gallica:

--- & dont la Deité
Subsiste heureusement de toute eternité,
Et fait des trois ensemble vne Essence triple vne.

Quæ sic ad verbum Latine sonāt. *Cuius Deitas subsistit fœliciter, & facit ex tribus simul vnam Essentiam triplicem vnam*. Et rursum post medium secundæ diei eiusdem Hebdomadis, Gallice canit: *Du Dieu triplement vn, &c.* Id A est. *Dei tripliciter vnius*. Et paulo ante finem sextæ diei Gallice scribit: *Non qu'il fist vn partage de sa triple vne Essence. Non quod Deus portionem fecerit de sua triplici vna Essentia*. Eisdem iterum sese implicans erroribus, in secundo die secundæ hebdomadæ, Tractatu quem de Columnis inscripsit, rursum etiam Gallice canit:

Dieu n'a pas seulement
Engraué dans l'airain du viste firmament
Sa deuise sacree, & dessous la figure
D'vn triangle pourtrait sa triple-vne Nature.

Quod ad verbum Latine est: *Deus non tantum insculpsit in ære velocis firmamēti sui sacrum* B *signum, & sub figura trianguli suam triplicem vnam Naturam*. Hactenus ille.

MINISTR. Consona mihi & grauissima videntur carmina illa; quid tu erroris in illis deprehendis? DOCTOR. Quod vnicā & indiuisibilem Dei essentiam naturamque, contra verbum Dei, & grauissimas Ecclesiæ Catholicæ definitiones triplicem esse, tam absurde quam impie cantet: & cum Caluino Bezaq; Antitrinitariis viam tam late aperiat, vt ex Polonia, Transyluania, & Hungaria, vbi nunc tantum regnant, in Galliam nostram commigrent. MINIST. Ah nunc errorem animaduerto, quem con- C cinnitas verborum auribus adblandiēs mihi occultabat. Verum, existimo verba illa lectissimo poetæ excidisse citius, incogitantis animi vitio, aut librorum Bezæ lectione, quam hæretica malitia. Atque hoc præmium est leuitatis & facilitatis nostrorum Gallorum, qua multi imprudentes & inscii euadunt Arriani & Antitrinitarij vēto quorundam nebulonum, qui se Ministros legis prædicant, cum nec minimam illius particulam recte intelligant. DOCTOR. quicquid sit, vides me ex vestrorum tam magistrorum, quam discipulorum testimoniis euicisse, Caluinianos essentiam diuinamque D Naturam in tres veluti partes reipsa secernere, triplicare, imo & Filio Dei substantiam à Patre distinctam tribuere: superest, vt id vel cum ipsis sustineas, vel mecum, vt pium virum decet, certioribus argumentis coarguas, atque serio abomineris.

MINIST. Imo præsto nunc sum, & Caluinum, & Bezam, & Salustium ipsum propriis verbis atque scriptis suis refellere: tantum abest vt eis hac in impietate consentiā. Etenim Caluinus libro eodem de Actis Serueti, cum appellat, *Canem erraticum, porcum, asinū, bufonem, furiosum, dementem, & ferè dementi...*

Confut. 1.

L. Gallic. de Serueti actis pag. 245. & 279.

mendicum, propterea quod triplicem Dei faciebat Essentiam: rem ab omnibus execrandam fidelibus, nimirum, simplicem & impartibilem Dei Essentiam in tres partes secernere. Deinde profitetur *se nunquam consentire, vt Essentia Diuina in Serueti carnificina debeat aut possit lacerari.* Ex quibus ita possum ratiocinari, atque huiusmodi assumptionem conficere. Sed Caluinus ipse, Beza, Salustius Essentiam Diuinam in tres realiter secernunt, faciunt triplicem, imo & Filio tribuũt substantiam naturamq́; distinctam à Patre: sunt ergo vna cum Serueto porci, canes, asini, bufones, atque furiosi & dementes; siquidem vera est Caluini propositio.

2. L.1.c.13.§. 2.3.4.&c. Rursum idem Caluinus in Institutione sua, de essentia diuina verba faciens, seuere admodum *vult omnium suppliciorum pœnas in Seruetum, & omnes alios consumendas, qui putant vnicam Dei essentiam, simplicem, impartibilem, & indistinctam, esse triplicem: rem pessimam existimat* (vt reuera est) *eam distinctione reali facere multiplicem: decernit eos, qui notam discretionis in essentia ponũt, eam lacerare, & veram Christi Deitatem in nihilum redigere: teterrimum errorem, imo brutalem impietatem affirmat esse, aliquam in essentia diuina reponere distinctionem.* §.25. Denique, vehementer decertat aduersus Manichæos & Arrianos, *quod eam diuiserint, & diuinarum personarum consubstantialitatem negauerint, &c.* DOCT. Perspicis itaque quemadmodum sibi suisque aduersatur, & seipsum damnat. Deinde, quod nihil est certum aut consonum in tota Sectariorum doctrina: sed tantum in sola & vnica Christi Ioan. 14. Ecclesia Catholica, quæ Spiritum sanctum perpetuum habet doctorem & ductorem. Sed potesne demonstrare etiam Bezam secum pugnare, & non modo non cohærentia inter se dicere, sed maxime disiuncta atque contraria?

3. MIN. Hoc ita est in promptu, vt ampliore probatione res non egeat: quandoquidem initio eiusdem maioris Confessionis fidei suæ, in ore atque oculis omnium dicat, *Deũ esse natura ac essentia vnicum: tres personas esse consubstantiales. & se à teterrimis hæresibus Marcionis, Sabellii, Samosateni, Arrii, Nestorii, Eutychetis, aliorumque hæreticorum, quos prisca damnauit Ecclesia, toto animo abhorrere.* DOCT. Suo sese igitur iugulat gladio, ac proprio iudicio condemnat, eodem in loco reipsa discernẽs essentiam diuinam in tres personas, quod ei cõmune est cum Marcione, Manichæo, Arrio, & multis aliis à vetere Ecclesia proscri- A ptis, & Satanæ traditis hæreticis. De poeta Salustio quid dicis? Nosti genus esse irritabile vatum. Num & secum dissidet ipse?

4. MIN. Multum per omnem modum. Nam eodem loco, quo essentiam diuinam peruerse triplicat, vnicam prorsus eandem esse in tribus personis, pie canit his verbis Gallicis: *De ces deux* (Pere & Fils) *procede leur commune puissance, Leur esprit, leur amour, non diuers en essence.* Id est, *De his duobus* (*Patre & Filio*) *processit communis eorum potestas, Eorum Spiritus, eorum amor: non diuersi in essentia.* DOCT. Bezam primum, damnat, qui eam in tres realiter distinguit personas: deinde, seipsum B erroris conuincit, cum paulo post eandem triplicem facit. MIN. Hæc sunt quæ ex ipsis contra ipsorum errorem depromere nunc valeo: tu scripturarum oraculis confirma essentiam diuinam, nec in tres personas reipsa distinctam, nec triplicem, nec aliam & aliam esse: sed vnicam prorsus atque impartibilem.

5. DOCT. Sententiam istam laudant, vehementissimeque comprobant omnes illæ diuinæ Scripturæ, atque inuictæ rationes quibus edocemur vnicum & solum esse Deum verum ac immortalem, qui cuncta ex nihilo condidit: deorumque multiplicationem, in- C uentum esse Satanicum, ac prorsus impossibilem. Moyses namq; omnium sacrorum scriptorum primus, vnius tantum Dei meminit, dum historiam creationis mũdi percenset: Satan vero pater mendacij serpentis laruam referens, primus ausus est Deorum pluralitatem efferre, dicens, *Eritis sicut Dii, &c.* Gen. 1. 2. 3. Adeo Satanicum mendacium est vel triplicem, vel multiplicem fingere essentiam ac naturam summi numinis, vt diligenter sapienterque ante multos annos Clemens Romanus, & Iustinus Philosophus ac Martyr obseruauerunt. L. Recog. Orat. paranetica.

6. Ille rursum populum Hebraicum primi D ac potissimi totius religionis fundamenti grauiter admonens, ait: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Deut. 6. & 32. Idemque Deus de seipso manifeste testificatur: *Ego sum Deus,* inquiens, *& non est alius Deus præter me.* Et per Isaiam ait: *Ego primus & ego nouissimus, & absque me non est Deus. Quis similis mei? Nunquid est Deus absque me, & formator, quem ego non nouerim?* Isa. 44. Et postea: *Audi me Iacob & Israel, quem ego voco: Ego primus, & ego nouissimus.* Isa. 48. Et alibi: *Videte quod ego sum solus, & non sit alius præter me.* Pius quoque rex Ezechias sic orat: *Domine Deus Israel, qui sedes super Cherubim,* 4. Reg. 19.

tu es

2.Esdr.9. *tu es solus Deus regum omnium terræ.* Et eodem pacto beatus Esdras precatur: *Tu ipse Domi-* Psalm.113. & 105. *ne, solus fecisti cælum & terram.* Dauid quoque Psal.82.85. & 148. deos gentium fictitios tanquam surdos mutosque non solum irridet, sed & impura dæmonia vocat: Deum autem verum sic vnicum esse vbique adfirmat, vt cantet eum solum facere mirabilia: solum altissimum esse super omnem terram, exaltatum esse nomen eius solius. Insuper, quoties Deus siue per Prophetas, siue per Apostolos, seipsum mortalibus patefacit, toties de se, vt de vnico & solo vero Deo, vnica eademque indiuisibili atque inseparabili Essentia seu natura & Deitate consistente loquitur.

B

7. Quinetiam Vnigenitus Dei Filius, ad hoc natus vt testimonium perhiberet veritati, veraq; fide illuminaret omnem hominem Ioan.1. venientem in hunc mundum, eandem Deitatis vnitatem constantissime prædicat, dicens: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Nemo bonus, nisi solus Deus. Diliges Domi-* Matth.4. 19.& 22. Ioan.17. *num Deum ex toto corde tuo. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, &c.* Nullum autem vnquam verbum emisit de triplici natura Dei: altissimum etiam vbique silentium est de Essentia realiter in tres distincta, aut alia substantia Filij à Patre.

C

8. Apostoli quoque in vniuersum mundum dimissi, vt docerent omnes gentes, prædicarentque Euangelium omni creaturæ, verbis, miraculis, morte denique sua, deorum pluralitatem cum primis toto orbe expugnauerunt, Deum autem vnicum & solũ esse mundi conditorem & rectorem tanta virtute persuaserunt, vt multæ virorum, fœminarum, puellarum myriades pro huius fidei assertione vitas ponere nihil dubi- 1.Cor.8. tauerint. *Scimus*, ait Paulus, *quia nihil est idolum in hoc mundo: & quod nullus est Deus, nisi vnus. Nam & si sunt qui dicantur Dii,* (ab ethnicis videlicet) *siue in cœlo, siue in terra, nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo: &* D *vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, &* Ephes.4. *nos per ipsum.* Et iterum: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Vnus Deus & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus no-* Iacob.2. *bis.* Iacobus quoque ait: *Tu credis quoniam vnus est Deus? Bene facis. Et dæmones credunt & contremiscunt.* MIN. Grauissima ista testimonia de Dei veri vnitate & simplicitate, sic omnibus impressa sunt, vt nec cacodæmones eam possint denegare. Sed nihilne officit ei triũ personarũ inter se realis distinctio? DOCT. Nihil omnino, quoniam trium vnica & im-

A partibilis est Essentia atque natura, quemadmodũ de se & Patre Christus Filius profitetur: *Ego & Pater vnum sumus.* Et dilectus Ioan.10. discipulus de tribus simul dicit: *Hi tres vnum* 1.Ioan.5. *sunt:* quibus & Bezæ, Essentiam in tres personas secernentis, damnatur impietas; & Caluini aliam à Patre substantiam tribuentis, coarguitur hæresis; & Poetæ Salustij Deitatem triplicantis conuincitur aut inscitia aut perfidia.

MIN. Hæc quidem ex sacris fidei Christianæ piis sufficere debent, verum augebitur in sanctissimam Dei vnitatem & simplicitatem religio atque reuerentia, si his addideris, quid de hac re veteres illi Patres sanctissimi & sapientissimi Theologi docuerũt atque crediderunt: quandoquidem cõstet, tam Lutheranorum, quam nostrorum allatis initio iudicijs, Apostolicam doctrinam eorum adhuc temporibus puram, sartam, tectamq; permansisse. DOCT. Ab Augustino Doctore maximo exordiar. Is superiorum seculorum doctrinam fidemq; laudãs ait: Omnes, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ Deus est, diuinorum librorum Catholici tractatores, hoc L.1. de Tri. c.4. intenderunt docere, quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnius eiusdemque substantiæ, inseparabili æqualitate Diuinam insinuent vnitatem: ideoque non sint tres Dij, sed vnus Deus. MIN. Insanit ergo Caluinus, *Filio distinctam à Patre substantiam affingens*, furuntque cum illo discipuli Diuinam Essentiam realiter distinguentes atque triplicantes. DOCT. Sustine adhuc paululum disserentem Augustinum. Ait enim postea, velut iam L.6. de Tri. c.7. Salustianam poesin impietatis damnãs: Nec quoniam Trinitas est, ideoque triplex putãdus est: alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater & Filius. Et iterum alibi: Trinitas vnus Deus est, nec ideo L.11 de ciuit. c.10. non simplex, quia Trinitas. Neq; enim propter hoc naturam Dei bonam simplicẽ dicimus, quia Pater in ea est solus, aut Filius solus, aut solus Spiritus sanctus. Sed ideo simplex dicitur, quoniã quod habet, hoc est: (i. omnis accidentis, ac diuisionis substantiæ expers est) excepto quod relatiue quæque persona ad alteram dicitur. Et rursum idem scribit: Cum itaque tantus est solus Pater, vel solus L.6. de Tri. Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, nullo modo triplex dicendus est Deus. Et alibi eadem repetens & confirmans addit: Perfectus Deus siue Pater, siue Filius, siue Spiritus

sanctus, ideo Trinitas potius, quam triplex dicenda est, &c. quia vnum sunt in natura, omnipotentia, & æternitate. Indubitanter siquidem credere debemus ipsam sanctam Trinitatem esse inseparabilis substantiæ, essentiæ, inseparabiliterq; operari, quicquid à singulis personis legimus operatum esse. Attende rursus qualibus anathematibus eos percutit, qui aut realiter secernunt, aut multiplicant Diuinam Dei nostri Essentiam. Maledictus, inquit, qui indiuisam Deitatem Patris & Filij, & Spiritus sancti non confitetur. Maledictus, qui propria nomina Personarū, tres deos, aut tres dominos, aut tres spiritus confitetur. Si quis non dixerit, Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnam Deitatem, maiestatē, potentiam, gloriam, atq; vnam voluntatem, anathema sit, &c. Expendisti prudēter ac diligenter tanti Doctoris verba & sensa? MIN. Expendi, ex hisq; primum obseruaui, eum nō priuatam quandam opinionem aut sententiam suam referre, quæ ab alijs dissideat: sed Catholicam totius Ecclesiæ Christianæ, adeoq; ipsorum Apostolorum fidem & doctrinam. Deinde, triplicem, aut cuiusdam distinctionis realis vi multiplicem Dei essentiam confingentes, nullo modo inter Christianos ferendos esse: alioqui personæ Diuinæ haudquaquam coæquales, & simplices essent. Præterea, eos diris deuouet, qui Essentiam diuidunt, sicq; tres Deos Dominos & Spiritus in vno Deo comminiscuntur. Denique, nihil præter relationes paternitatis filietatis ac spirationis in Diuinis multiplicari: cætera indiuisa & prorsus vnū esse. DOCT. Æque prudenter atq; pie colligis: quandoquidem idem ipse Augustinus sic concludit: Catholica fides credit Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum, vnius substantiæ Trinitatem, inseparabiliter, æqualiter, non commixtione confusam, non distinctione separatam. Et iterum: Qui potest capere, capiat: qui autem non potest, credat, & oret, vt quod credit, intelligat.

Serm. 6. de temp.

Tract. de eo; Ego sum qui sum.

L. 3. contra Maximin. c. 10.

10\. MIN. Ex Latinis vnicus sufficit mihi Augustinus: quosdam adijcias ex Græcis & Orientis Patribus. D O C T. Magnus Athanasius, eos existimat paganorum erroribus infectos, qui aut Deorum pluralitatem credūt & colunt, aut vnius Dei vnam Essentiam reipsa in plures distinguunt, quod Beza impiissime facit. Scribit enim ille hoc pacto: Neque tres substātias seorsim distinctas, vt corporaliter in hominibus fit, cogitamus, ne Deorum pluralitatem instar gentium sapere

Epistola ad Epictetum.

A videamur. Gregorius Nissenus simillimum pronunciat iudicium, inquiens: In multitudinem extendere numerum Deitatum, eorum est duntaxat, qui laborant errore multitudinis Deorum. Basilius & Anastasius Antiochenus & ipsi aperte docent, in Dei essentia aut natura nullum posse numerū reperiri: proin deq; non esse reipsa distinctā, aut vllo modo diuisam: imo integram, simplicem, & in qualibet persona vnam & totam esse: quibus facile subscribunt Ambrosius Libr. 1. de fide c. 2. & Augustinus Tract at. 39. in Ioannē.

Bas. epi. 141.
Anast. lib. 1. de documentis.

11\. Iustinus Martyr & Philosophus, Athenagoras & ipse Philosophus Christianus, Gre-B gorius Nazianzenus cognomento Theologus, Cyrillus Alexandrinus, alijque multo plurimi Apostolicæ doctrinæ per Orientem assertores, expressis verbis fatentur, Deum in sua natura ac essentia sic esse singularē & omnino indiuiduum, vt nequaquam sicut genera aut species in sua inferiora subiectaque reipsa distinguatur; sed vnicam, simplicem ac indiuisam Deitatem habere, quæ per suam infinitatem tribus personis inter se distinctis sine vlla sui distinctione reali cōmunicetur: & propterea has tres personas vnum & solum verum Deum esse. Ex quibus recte colligere licet, veterum Patrum iudi-C cijs, nefandissimum esse sacrilegium, realiter distinguere, aut triplicē efficere vnicam ac simplicem Patris, Filij & Spiritus sancti Essentiam: taliumq; impietatum assertores ab vniuersa Ecclesia Catholica damnari, vt homines verum & vnicumDeum abnegantes, & cum Ethnicis Deorum pluralitatem effingentes.

Lib. de Monarch. Dei.
Apolo.
Orat. ad Euagrium.
Lib. 11. in Io.

M I N. Enimuero, si Essentia diuina reipsa distincta sit in tres personas; atq; triplex, vt Beza & Salustius confingunt, consequenter tres aut triplices esse Deos; quemadmodum Abraham, Isaac & Iacob tres sunt homines; Michael, Gabriel, Raphael, tres sunt Angeli, D propterea quod illis humana, & istis Angelica natura cum distinctione reali communicetur: sicque effugere non possunt huius hæresis authores, quin tres Deos comminiscantur & fabricent, in vnius & solus veri Dei nostri summam contumeliam. Hoc autē nihil aliud est, quam hæc totius religionis Christianæ fundamenta, *Credo in vnum Deū*, &c. funditus euertere, & paganismum tot seculis damnatum ab inferis reuocare. Nihil aliud quam sublata Apostolorum per orbē doctrina, iamdiu consopitos excitare Gnosticos & Valentinianos, vt triginta Aeonum, 12.

id

id est, fictitiorum Deorum pleroma instaurēt: insuper & Romanos, vt duodecim quos præcipuos imaginabantur, in publicam postremamque humani generis perniciē Deastros restituant. MIN. O miram, imo miserabilem Satanæ in impios homines efficaciā? Multorum (eheu!) vices nunc doleo, qui Bezæ fidei confessionem sibi proponunt imitandam, simulq; Salustij poemata tanto in pretio circunferunt; neq; attendunt quā misere eos ab vnius solius & veri Dei confessione longissime distrahant. Sanctè nūc tibi iuro, me de cætero in illorum scriptis prudentius habiturum, simulq; in concionibus fratres moniturum, vt ab illis diligentius caueant. Ad alia festinemus.

TRES DIVINAS PERSONAS VNIcum esse numero spiritum atq; Deum: aduersus septimam Caluinianorum hæresin.

CAPVT V.

DOCTOR.

2. Tim. 3. QVam vere dixit simulq; prædixit Apostolus, *Malos homines proficere in peius, errātes, & in errorem mittentes,* exemplis suis patefecerunt initio nascentis Ecclesiæ Simoniani, Nicolaitæ, Gnostici; medijs autem temporibus Arriani, Nestoriani, Pelagiani, Donatistæ; nouissima vero hac ætate idipsū plus satis superq; confirmant vestri Caluiniani & Hugnoltici, quādo post sanctissimæ Trinitati denegatam adorationem & inuocationem; realiter distinctam triplicatamq; Essentiam diuinam, tres in ea distinctos diuersosq; spiritus comminiscuntur. Idem enim Barthasius poeta Gallus, quem vestri tantopere mirantur, & communi voto probant & amplexantur, fingens Patrem alium spiritum esse à Filio; & Spiritum sanctū tertium alienumque esse spiritum ab vtroque Gallicis versibus canit:

Secund. Heb. dom. 3. die quæ est de columnis.

Quel esprit eternel d'vn double esprit yssu,
Att engendré iamais, &c.

Quod ad verbum sic Latine sonat: *Spiritus æternus ex duplici spiritu procedens vnquam genuerit.* His enim duos diuersos spiritus dicit esse Patrem & Filium, tertium vero Spiritum sanctum esse confingit:

Confutatio.

1\. MIN. Quid tu in graui illo & ingenioso poeta reprehendis? An non Deus Pater spiritus est, Filius quoq; spiritus, & Spiritus sanctus præsertim spiritus dicitur, sicq; tres sunt in Deo spiritus? DOCT. Quid vero tu Antitrinitarijs ac Tritheistis, imo & vniuersis Eth- A nicis, qui cum serpente pluralitatem Deorū in orbem inuexerunt, viam tam latam patefacis & cōmunis? Pari etenim modo & forma tecum argumentantur, Pater est Deus, Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus; ergo & tres Dei asserendi atque credendi: quod tamen mecum iudicas esse cogitatu dictuque nefarium & impium. Eodem etiam modo alij vnitatis diuinæ aduersarii contendent, Pater est æternus, immensus, sanctus, dominus & creator omnium: Filius quoq; æternus, immensus, sanctus, dominus & creator omnium: tantundem de Spiritu sancto credēdum atq; confitendum: igitur tres sunt æ- B terni, immensi, sancti, domini & creatores rerum omnium: quod nihilominus mecum velut absurdum dānas & serio abominaris.

August. in Psal. 68.

2\. MIN. Verissima narras. Sed quid ergo dicendum ac credendum? DOCT. Vt vnicus est natura Deus, omnipotens, creator, & rector omnium, sic vnicus Spiritus, dominus, æternus & immensus: quoniam nomina substantialia (quale est hoc, *Spiritus*, Essentialiter & communiter sumptus) de tribus personis in singulari tantumodo enunciantur. MIN. Ais tu quidem, sed minime probas. DOCT. Imo & tu ipse paulo superius allatis Caluini testimoniis probasti, & ego plurimis & san- C ctissimi verbi diuini, quæ vnicum & solum Deum esse adfirmant, testimoniis satis confirmaui; insuper, & Patrum Orthodoxorum firmissimis atque euidentissimis rationibus corroboraui. Vniuersa namque illa, quæ vnicum & solum Deum verum esse probant, vnicum etiam in tribus personis diuinis spiritum, vnicam mentem, vnicam vitam, vnicum etiam animum esse satis euincunt: & propterea non potest multiplicari in Deo Spiritus, quin multiplicetur deitas.

Aug. li. 7. de Trin. ca. 4.

MIN. Recordor scripturarum & Patrum, quæ vnitatem essentiæ atq; diuinitatis in Deo asserunt, atque ideo iam à poetæ sententia D recedo: sed velim audire, quid de hac re vetus Ecclesia aduersus hæreses decreuerit. DOCT. Horribilis profecto vestra cæcitas, quod non videatis quam in promptu sint omnibus vel sanctissimi Patris Athanasii sanctissima & toto orbe celeberrima verba ista: *Patris & Filij & Spiritus sancti, vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. Increatus, æternus, immēsus, Deus, omnipotens & Dominus Pater, Filius & Spiritus sāctus. Nō tamē tres increati, tres æterni, tres immēsi, tres dii, tres omnipotētes aut tres Domini: sed vnus increatus, vnus æternus, vnus immensus,* 3.

Athan. in symb.

mensus, vnus Deus, vnus omnipotens, & vnus tantum est Dominus.

L. 3. de Spi. sanct. c. 18. — L. de digni. condit. hum. c. 2. — Com. in c. 16. Luc. — Ioan. 10. 1. Ioan. 5.

4 MINIST. Valentissimum sane testimonium: sed aliorum quoq; veterum sententiam audire percupio. DOCT. Ambrosius de hac re scribit: Sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus & Spiritus, sed non tres sancti; quia vnus est Deus sanctus, vnus est Dominus. Vna est ergo vera sanctitas, sicut vna est vera Diuinitas, vna illa sanctitas naturalis. Et rursum idem: Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres Dij sunt: ita & anima voluntas, & anima intellectus, anima memoria: non tamen tres animę in vno corpore, sed vna anima tres habens dignitates. Concludit quoq; alibi, illos plures Deos & Dominos in Ecclesiam gentilis erroris vitio inducere, qui aliam Patris, aliā Filij, aliam Spiritus sancti memorant potestatem. Hæc porro etiam eorum refellunt errorem, qui alium Patris spiritum, alium Filium, alium deniq; confingunt esse Spiritum sanctum: quoniam hi tres prorsus vnus sunt secundum substantiam & Deus & Spiritus.

L. de Trini. & vnit. Dei, c. 2. — Deut. 6. — L. 11. de ciuit. Dei, ca. 24. — L. 5. de Tri. c. 8. & 9. — Psal. 85. Matth. 19.

5 MINIST. Ne in re tam aperta & certa simus effusiores quam deceat, vnius tantum Augustini sententiam adijce. DOCT. Ille æqualiter damnans eos, qui aut tres Deos, aut tres essentias, aut cum poeta Salustio tres spiritus in vno & vero Deo constituunt, scribit: Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus: non tres Dij, sed vnus est Deus; vt Moyses dicit: *Audi Israel, dominus Deus tuus, vnus est Deus.* Ac per hoc, sicut dicimus nō tres Deos, non tres essentias, ita nec tres sapientias, nec tres spiritus. Nam interrogati de singulis personis, si sit Pater sapientia, vel Filius, vel Spiritus sanctus, respondemus, Pater est sapientia, Filius est sapientia, Spiritus sanctus est sapientia: non tres sapientiæ, nec tres spiritus, sed vna sapientia & vnus spiritus, sicut vna substantia & vna essentia. Idem rursum alibi, adfirmans vnum Deum esse confitendum, propter inseparabilem Diuinitatem; & vnum omnipotentem, propter inseparabilē omnipotentiam: eodem pacto probat, tres personas vnum Deum & spiritum esse, non multos, propter inseparabilem cōditionem naturamq; spiritalem. Rursumq; prohibēs dicere tres magnos, aut tres bonos, tametsi Pater sit magnus & bonus, Filius magnus & bonus, Spiritus magnus & bonus, quoniam scriptum est: *Tu es Deus solus magnus.* itē: *Nemo bonus, nisi solus Deus*; multo meliore cēsura &

A iudicio prophanum & Hugnosticum poetam Barthasium damnasset, si in Patre & Filio duplicem spiritum confingentem audiuisset. MIN. De his satis, cætera prosequamur.

DE ABSOLVTA PERFECTAQVE essentia Diuina in tribus personis, nimirum Patre, Filio, & Spiritu sancto: contra octauam Caluinianorum hæresin.

CAPVT VI.

DOCTOR.

ITerum de Essentia seu natura Diuina verba faciemus, quā vester Archisynagogus Beza negat esse absolute in personis diuinis: sed tantum secundum nescio quem respectum. MIN. Adeo ne fuit tam immemor Bestia, vt tāto sceleri sese obstrinxerit? DOCT. In libello Gallico, quem inscripsit, *Quæstiones & Christianæ responsiones*, ait: *Nous ne considerons ceste Deité és personnes, sinon relatiuement.* Quod est ad verbum Latine, *Nos non consideramus istam Deitatem in personis, nisi relatiue.* Quid tibi videtur? (Pagina 33.)

Confutatio.

1 MIN. Ipsum magnum Geneuæ, asinum, asylum putabam dicere, Deum omnino abnegare, atq; multo deterius quam vnquam pernegarit Epicurus. Quamuis enim hic diuinam negarit prouidentiam, nihilominus Deum vnum absolute esse dicebat: Beza vero nullum credit, nec in concionibus suis ad Geneuanos, nec in libellis ad Gallos proponit, nisi relatiue.

2 Etenim si Abraham, Isaac, & Iacob, naturam humanam non essent assecuti, nisi relatiue, veri homines non extitissent: verum cum eam habuerint absolute, fuerunt etiam absolute & vere homines perfecti. Eodem modo si Deitas non est absolute in personis, sed tantū relatiue; nec Pater absolute Deus est, nec Filius absolute Deus est, nec Spiritus sanctus absolute Deus est: sicque nullus absolute esset Deus: à quo atheismo sane execrando etiam abhorrent cacodæmones, & æternis cruciatibus distorti miseri, qui & Deum absolute credunt, & iudicem ac vltorem contremiscunt. Sed nunc dic tu, quæ in eum argumenta paraueras.

3 DOCT. Suæ deitatis ac essentiæ diuinæ nomen Moysi patefaciēs Deus dixit: *Ego sum qui sum. Sic dices ad filios Israel: Qui est, misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meū in generatione & generationē.* Hebręi, Gręci, Latini oēs interpretes in hoc cōsentiunt, (Exod. 3.)

ſentiunt, quod nomen IEHOVA, abſolutam ſignificet Eſſentiam & deitatem, cum à verbo deducatur, quod eſſe abſolute & perfecte ſignificat: quare illa diuinitas ſeu eſſentia diuina, eſt abſolute ac æterne in tribus perſonis, non relatiue. Ideoque Caluino-Bezani hæc non ſatis religioſe perpendentes, Deo viuenti ſeſe peruicaciter opponunt, illique perfectam & abſolutam maieſtatem, quantum poſſunt, præripiunt.

4. *Lib. 1. de Trinit.* MIN. Quænam ſanctiſsimorum Patrum ad illa Moyſis verba ſolet eſſe ſententia? DOCT. Hilarius in primis ſcribit: Admiratus ſum tam abſolutam de Deo ſignificationem, quæ naturæ diuinæ incomprehenſibilem cognitionem aptiſsimo ſermone loqueretur. Athanaſius, Cyrillus, Victorinus, Fulgentius, &, vt breuiter dicam, omnes, qui Arrianiſmum impugnauerunt, nec aliter crediderunt, nec docuerunt.

5. *Lib. 5. citat. cap. 5. & 6.* Auguſtinus acutiſsima firmiſsimaque vtitur ratiocinatione. *Quodcunque* (inquiens) *ſecundum ſubſtantiam dicitur, ad ſeipſum dicitur, non ad alterum. Quia quæ ſecundum relationem dicuntur, diuerſa ſunt.* Et idem poſtea: *Quicquid ad ſe dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur. Relatiuum non ſecundum ſubſtantiam dicitur, &c.* Sub his autem aſſumo: Omnis ſubſtantia ſeu eſſentia eſt abſoluta, & non ad aliud relata: atqui deitas ſeu natura diuina eſt infinita & incomprehenſibilis ſubſtantia atque eſſentia in tribus diuinis perſonis: igitur abſolute, & non relatiue in his eſt credenda, conſideranda, atque veneranda.

6. Præterea, relationes ſeu reſpectus in Deo inter ſe diſtincti & diuerſi ſunt, vt paternitas à filietate, filietas à ſpiratione, & ſpiratio à paternitate. At vero ipſa deitas eſt omnino vna ſiue ſecundum ſe in abſtracto conſiderata, ſiue vt perſonis communicata: ergo in his abſolute, non relatiue eſt conſideranda & credenda.

7. Adhæc, Perſonæ diuinæ inter ſe diſtinguuntur per relationes ſuas cuiq; proprias, vt Pater à Filio per paternitatem, Filius à Patre per filietatem, Spiritus ab vtroque per ſpirationem ſeu proceſsionem paſsiuam: ſed deitate ipſa omnino conueniunt, adeo vt hæ tres perſonæ vere vnum ſint & dicantur illius ratione. Non eſt ergo deitas in eis relatiue, ſed abſolute atque perfecte.

8. Inſuper, relationes, iuxta eundem Auguſtinum, non ſunt proprie ſubſtantia: quoniam media ſunt, quibus vnum ſuppoſitum referatur ad aliud. Scriptura vero ſacra, Patres, decreta Chriſtiana, deitatem vocant ſubſtantiam: Beza igitur Deitatem relatiue tantum in Deo conſiderans, ſubſtantiam & naturam DEI magna impietate negat.

Rurſum, axioma eſt, tam à Theologis quam à Philoſophis probatũ & admiſſum: 9.
Relata ſunt ſimul natura: eademque poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt: adeo vt nequeat vnum conſiderari quin reſpectum habeat ad aliud, vt Pater ad Filium, & Filius viciſsim ad Patrem. Deitas autem etiam vt in Perſonis animo concipitur, neque ad aliam deitatem refertur, nec quicquam ad illam. Igitur Beza, vt omnis Philoſophiæ ac Theologiæ ignarus, audaciſsime & nefarie blaſphemat, negando deitatem abſolute contemplandam & credendam eſſe in tribus diuinis Perſonis.

Poſtremo, relationes Perſonarum diui- 10.
narum cuique earum ſic propriæ ſunt, vt de vna duntaxat poſsint affirmari, vt paternitas de ſolo Patre, non de Filio: filietas de ſolo Filio, nunquam autem de Patre aut Spiritu ſancto: ſpiratio paſsiua ſeu proceſsio ita Spiritui ſancto conuenit, vt de Patre & Filio nunquam poſsit enunciari. Quare deitas cũ econtrario ita ſit vna eademque in tribus, vt & ſigillatim de vnaquaque dicatur, vt Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus ſanctus eſt Deus; & coniunctim de tribus vere enuntietur Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus Deus: in illis pro certo eſt perfecte & abſolute non per modum relationis. MIN. Sum his admodum contentus: videoque nunc Bezam pecus eſſe tam ſtolidum, vt in diuinis rebus etiam euidentiſsimis turpiter cæcutiat.

ESSENTIAM DIVINAM PROPRIE atque reipſa ſubſiſtere in tribus Perſonis, Patre videlicet, Filio, & Spiritu ſancto: non autem perſonas ipſas in Eſſentia: contra nouam Caluinianorum hæreſin.

CAPVT VII.

DOCTOR.

PRæceptores veſtri propria malitia excæcati, parum admodum vident in myſterio ſanctiſsimæ Trinitatis, qui more ſuo garrientes dum nugaciſsimas deblaterant nugas, in eam errorum foueam delapſi ſunt, vt exiſtimarint tres diuinas Perſonas in Eſſentia diuina ſubſiſtere. MIN. Quid ergo aliud dicendum, & ea de re ſentiendum eſt?

DOCT. Omnino contrarium, nimirum, quod Essentia vt res tribus personis communis, in ipsis reipsa subsistat, communicetur, atque ineffabiliter resideat. MIN. Quinam illius erroris authores celebrantur? DOCT. Ioannes Caluinus scribens libro Gallico de actis Serueti: *La parole de Dieu est vne hypostase, qui dés le commencement subsistoit en Dieu.* Quod Latine est: *Verbum Dei est vna hypostasis, quæ ab initio subsistebat in Deo.* Et in Institutione: *Persona est residentia in Essentia Dei.* Beza, in cathedra pestilentiæ illius successor, eandem disseminat pestem, Libello inscripto, *De vnitate Essentiæ diuinæ, & tribus in ea subsistentibus personis*: cum è contrario dicendum fuisset, *de vnitate Essentiæ diuinæ subsistentis in tribus personis.* Essentia namque subsistit in personis tanquam singularibus & incommunicabilibus, non autem personæ in Essentia tribus communicabili. Sed per vias præceptoris incedere cupiens, inepta similitudine efficere nititur, Essentiam diuinam velut totum quoddam esse, in quo personæ diuinæ veluti partes subsistant: quod fastidiose repetit, & rursum inculcat in Thesibus, 10.11.14.15.17. quemadmodum & in libello de Quæstionibus & responsis Christianis. Hunc ductorem cæcū secutus Lambertus Danæus in eandem erroris foueam cecidit, cum nititur has hæreses, quasi veras de Deo sentētias defendere. Philippus Mornæus nobilis Gallus eisdem quoque Bezanis sordibus sese commaculauit, qui bis in libro suo, De veritate religionis Christianæ, scripsit: *In vnica Essentia Dei tres personas subsistere.* Alius rursum, nescio quis de grege nouitiorum, quique suum nomen sub his notis tantum prodidit, S. G. S. Commentariis in primam Hebdomadam Salustii, semel atque iterum eandem recantat palinodiam, bis in eadem pagina, & quater in altera: adeo virus istud in vniuersa Caluinianæ sectæ membra peruasit.

Pag. 74.

Lib. 1. c. 13. §. 4. 6. 25. 29.

Lib. con. Gil. Genebrar.

Cap. 5.

Pag. 3. & 6.

Cōfutatio 1.

MIN. At mihi perfacile erit istum errorem ex ipsorum authorum testimoniis coarguere. Nam Danæus eodem à te notato libro, ingenue fatetur, *eas loquendi de Deo formas fuisse omnibus sanctissimis, doctissimis & antiquissimis Patribus incognitas; excogitatas porro recenter à Caluino & discipulis, vt aduersus nouos Arrianos sese opponerent.* DOCT. Verum; vt Satanas Satanam non eiicit, sic nec error vetus nouo errore refellendus est: sed veritatis efficacia, quæ omnia vincit & superat. Itaque in digito Dei, id est, Scripturis, veterum Patrum interpretatione laudatis, in mediumque productis, conterendus & eiiciendus est immundus nouorum Arrianorum spiritus: quemadmodum iamdudum à Patribus Nicenis, & aliis deinceps extrusus fuit. Accedit, quod si de sanctæ Trinitatis mysterio credere, sentire, & docere voluerint, vt vetus sensit & docuit Ecclesia, vt quidem velle se alibi dictitant: non debuerunt aduersus veterem illorum doctrinam nouas & hæreticas dicendi formulas istas excogitare.

MINIST. Quinetiam Salustius poeta, à nostris tantopere celebratus, contrarium suo commentatori & Bezanæ sententiæ in hisce verbis Gallicis canit: 2. Hebdom. 1.

---- & dont la Deité
Subsiste heureusement de toute eternité, &c.

Quod Latinis verbis est; *Cuius Deitas subsistit feliciter ab omni æternitate.* His siquidem profitetur se credere & confiteri Deitatem seu essentiam diuinam subsistere in personis, & non personas in essentia, vti Caluinus, Beza, & Mornæus dictitant. DOCT. Et ideo magis ipse laudandus, quod ex prisca fide sua Catholica id ad huc retineat: Ministri vero maledici & subdoli eo acerbius obiurgandi & puniendi, quod alios suis polluant maculis: instarque Balaami à propria asina edocti & moniti, resipere nolunt. Num. 22. 2. Pet. 2.

MIN. Quid de re proposita dicendum habebam exposui: tu quid sentias dicito. DOCT. Impietate plena sunt illa eorum verba, quocunque modo ea torquere aut emollire conentur. quod isto dilemmate probo. Cum dicunt vnamquamq; triū personarum diuinarū subsistere in essentia, aut quandā propriam & singularem subsistentiam eidē essentiæ tribuunt, vt in ea personæ subsistant: aut nullam. Si nullam, non potest sane fieri vt personæ in ea subsistāt, quæ nullam propriā subsistentiam ex se habet. Nam vt animæ facultates non subsistunt in ea, eo quod ipsamet non subsistat, (tametsi n. substantia sit spiritalis & immortalis, quia tamē communicatur corpori vt forma materiæ, parsque hominis, non dicitur subsistere, sed tantum existere,) nec lumen in alio lumine, nec calor in alio calore, nec virtus in alia virtute, nec quæcunq; qualitas in alia qualitate possit vnquam subsistere, eo quod nullum horum propriam habeat subsistentiam: ita nec personæ diuinæ poterunt subsistere in essentia seu deitate cum in se, aut per se non subsistat, sed semper est (vt etiam fatentur

aduer-

Beza q. & respons. pag. 4. & 5. aduersarij) natura hisce tribus personis cõmunis atque communicabilis. Verum, cum Pater, Filius, Spiritus sanctus tres sint hypostases seu personæ ex sese subsistentes, efficitur vt essentia ex se infinita & immensa in his proprie subsistat, non hæ in ea. Nam vel sola natura duce clarum est, id quod multis commune est, non subsistere in se, eo quod subsistentia præter essentiam contineat in se tantam singularitatem, vt res subsistens nullo modo possit alteri communicari. Deitas verò seu essentia diuina & semper ex se cõmunicabilis est, & reipsa communicatur tribus hypostasibus diuinis. Igitur si propriam non habet subsistentiam, nemo potest sine manifesta hæresi dicere, personas in ea, & per eam subsistere.

3. MIN. Anteriora huius dilemmatis cornua longe meo iudicio diffugient, ob rationes in medium adductas: citiusque postremam fatebuntur propositionem, videlicet, essentiæ diuinæ propriam attribuendo subsistentiam, in qua tres subsistant Personæ. Ecquid mali in eo est? DOCT. Vah, quid dicis? Nihil absurdius vnquam dici potest. Nam ita mysterium sanctissimæ Trinitatis penitus tollunt, & Quaternitatem personarum in Deo collocant. MIN. Negabo plane eos sic respondẽtes, Quaternitatem personarum in Deo constituere. DOCT. Probabo manifeste. Volunt illi personam esse subsistentiam in Deo residentem. MIN. Ita definiunt Caluinus, Musculus, Beza, & Danæus. DOCT. Fatentur etiam tres personas suas tres habere, aut potius esse subsistentias: alioqui personæ non essent. Ergo si essentia propriam & singularem suam quoque subsistentiam habeat, quatuor erunt in Deo subsistentiæ: sicque Caluiniani collocabunt in Deo Quaternitatem subsistentiarum atque personarum, sanctissima Trinitate impie abnegata & labefactata.

4. MINIST. Nihil plane valeo his respondere, nisi vt propositi dilemmatis aciem eluderem, tantum illud opponam, quod tres personæ nec subsistunt ex se, nec per se: sed tantum per essentiam, & in essentiæ propria subsistentia. Et certe sic vult Caluinus nos existimare, qui scripsit; *Personam significare aliquam proprietatem residentem in essentia Dei.* At proprietas aliam non habet subsistentiam, præter eam, cuius est proprietas. DOCT. Si ita responderint, vt iudicas, & ex Caluino videris tibi posse colligere; ex Quaternitate decident in Iudaismum &

A Sabellianismum. MINIST. Quonam pacto id concludis? DOCT. Quia solam duntaxat admittentes in Deo subsistentiam, quam essentiæ tribuunt, vnicam & solam in Deo personam constituunt: quod Iudæi & Sabelliani omnino contendunt efficere. MINIST. O quam perniciosa & misera res est semel à recto fidei tramite deflectere? Quo enim quis vlterius progreditur, eo peius perpetuo labitur. Video etiam vere Theologiæ ignorantiam, superbum antiquorum Doctorum contemptum, arrogantiam, falsam de se opinionem; effrenatam audaciam, temerariam nouitatis cupi-B ditatem, vsurpatam denique in tanti mysterij verbis immutandis licentiam, primarios reformationis nostræ ministros in profundam errorum caliginem coniecisse. Sed perge quæso, atque eiusmodi impietatem magis ac magis patefacias, vt eandem homines diligentius diffugiant: & maiori alacritate ad integram sanamque fidei Catholicæ professionem redeant.

DOCT. Nullus est sanæ mentis & constantis iudicij, qui nesciat naturas plurimis individuis ac singularibus communes, in iisdem subsistere, docente saltem solo rectæ rationis lumine, Vniuersalia subsistere 5.
C in singularibus: & nunquam singularia in suis vniuersalibus. MINIST. Id aliquo illustrare potes exemplo, vt etiam atque etiam omnibus innotescat. DOCT. Natura Angelica communis Michaeli, Gabrieli & Raphaeli, subsistit in illis singularibus indiuiduis atque personis: non ipsa singularia Angelorum supposita in natura communi. Natura seu species humana communis tribus his singularibus hypostasibus, Abraham, Isaac & Iacob, subsistit in eis: non hi in illa omnibus communi natura atque essentia, quæ dicitur humanitas. MINIST. Iam istud assequor; idem e-
D nim est quod vulgatum illud philosophicum axioma: Primæ substantiæ subiiciuntur secundis, singulares vniuersis ac communibus: non autem secundæ primis. DOCT. Fides autem Christiana est, quod essentia seu natura diuina communis est tribus personis diuinis, non diuisione, sectione, aut extensione, vel propagatione quadam, cum sit omnino impartibilis & immutabilis; sed infinita atque incomprehensibili communicatione: quare vere ac reipsa in iisdem hypostasibus subsistit, quemadmodũ ex scripturis, Ecclesiæ decretis, & vete-

rum

rum Patrum fide tota credit Ecclesia; & non in ea personæ subsistunt, vt noui Caluinianorum Ministri garriunt, demurmurant, obstrepunt. Itaque constanter docemus, & recte credimus secundum scripturas, vnicum & solum esse Deum, propter vnicam & eandem essentiam diuinam in tribus personis: Trinitatem vero personarum propter tres proprietates, quibus à sese personaliter distinguuntur.

Deut. 4. 6. & 32. Isa 37. 43. 44. & 46. Matth. 4. & 28.

6. MIN. Vix crederes quantum his verbis læta sit conscientia, quamque meam illa adaugeant fidem, vt cultum sanctissimæ Trinitati reliquo vitæ curriculo exhibeam maximum. Existimo etiam legitimum esse sensum illius nobilissimi Athanasii Symboli: *Fides Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.* Nam credendo hanc simplicem & indiuisibilem essentiam in Patre, Filio & Spiritu sancto ab æterno subsistere, vnicum & verum credimus Deum: agnoscendo etiam tres personas inter se proprietatibus realiter distinctas, profitemur & adoramus sanctissimam & verissimam hypostaseõn Trinitatem, quarum nomine sacro baptismi fonte perpurgati sanctificamur. DOCT. Recte sane: nam vt primus articulus, qui Dei vnitatem continet, interuertit Valentinũ, Marcionem, Manichæum, aliosque fanaticos, qui diuersas Dei finxerunt essentias: ita secundus, qui de Trinitate personarum est, profligat Noetum, Sabellium, & omnes alios sæuientis furoris rabie correptos, qui volent in posterum tres personas in vnam confundere, aut quaternitatem quandam comminisci.

Athanas.

Aug. Ser. 129. & 191 de tempore: & lib. 11. de ciuit. c. 10. & 24.

7. MIN. Aliquid è diuinis & antiquis Ecclesiæ proceribus in hanc rem à te expecto. DOCT. Athanasius, sanctissimæ Trinitatis propugnator, scripsit: Vti simplex essentia tres personas vinculo incomprehensibili, & vnitate infinita coniungit, ita proprietates seu relationes personales eas personaliter distinguit: quo fit vt Pater, Filius & Spiritus sanctus, propterea quod vnicam eamque simplicissimam deitatis substantiã habeant, vnus sunt Deus, nihilominus in tres personas distinguuntur, quia diuersas proprietates possident. Verbi gratia, Pater solus est à se, & ingenitus; Filius solus ab vnico alio, & solus genitus; Spiritus sanctus solus à Patre & Filio, procedens, non genitus. Eadem rursus copiose & acute pertractant Victorinus, Hilarius, Augustinus, & Fulgentius.

August. in Ps. 68. lib. 3. contra Maxim. c. 10. De Ecclesia dog. cap. 1. Epi. 66. & passim. lib. de Trinit.

Cyrillus, ducentique cum eo Patres ex Oriente & Occidente in Synodum Ephesinam aduersus hæreses Cœlestini & Nestorij conuenientes, aduersus eos sanctissime decreuerunt, duas in vnica Christi personas, substantias seu naturas, diuinam nimirum & humanam ita subsistere, vt nec duplex homo, nec duplex Deus, nec duplex Dominus censeatur: sed iuxta Paulum, *vnicus dominus & mediator noster.* Itaque ad personam solummodo subsistentia per se attinet, non ad naturas, quæ per se, aut in se non subsistunt, sed duntaxat in personis. 8.

1. Cor. 8. Ephes. 4. 1. Tim. 2.

MINIST. Id certe adeo verum est, vt etiam Beza veluti priorem excutiens errorem, profiteatur se credere & docere, *in Christo vnicam esse subsistentiam, diuinæ scilicet personæ, in qua etiam subsistit assumpta humana natura.* Addit præterea, *quod in persona Filij Dei, duæ subsistunt naturæ, remanentque firmissime.* Hinc ego concludo: Si naturæ duæ subsistunt, in persona Filij vnica singulari & incommunicabili necessario subsistunt, nõ in seipsis: alioquin tres essent in illo subsistentiæ, sicque tres personæ, tres Filij, tres Domini, non vnicus: quod impiissimum est vel tantum cogitasse. Itaque cum eius confessione, & veteris Ecclesiæ decretis, vnica tantũ sit in Christo subsistentia & persona: personarum tantum: est subsistere in seipsis, & naturarum in personis. Cõclusio ergo perspicua & certa erit, quod essentia diuina subsistit in tribus personis diuinis, & non personæ in essentia. Deũ immortalem obtestor, me id toto corde crediturum, & qua potero fide & reuerentia tantum mysterium adoraturum & prædicaturum: ab eodem insuper summis precibus contendo, vt me magis ac magis Spiritu suo illustret, vniuersas errorum tenebras dispellat, & ad agnitionem veritatis perducat. Ad alia pergamus. 9.

Lib. quæst. & resp. pa. 9.

QVOD ESSENTIA DIVINA NON *solum sit communicabilis, verum etiã reipsa tribus personis diuinis communicata: contra decimam Caluinianorum hæresin.*

CAPVT VIII.

DOCTOR.

ALius rursum ex vestrorum grege versatur in summo errore, & in maxima rerum diuinarum ignoratione, cum negat essentiam diuinam esse communicabilem.

MIN.

MIN. Ecquis ille tam impius, aut certe stupidus & bardus? DOCT. Certe in eorum ordinem albumque referendus est, quos Tertullianus *bestias lucifugas* quondam appellabat, quoniam & nomen, & patriam, & officium vocationis suæ omnino subticuit: tantummodo Commentariis quibusdam Gallicis, in primam Hebdomadam poematum Gulielmi Salustii Barthasii, mihi innotuit, nomenque proprium tribus duntaxat his literis S.G.S. reliquit diuinandum. Quorumdam autem amicorum relatu pro certo didici eum ex Prædicantibus aut Ministris eis esse, qui Caluiniana dogmata per Franciam spargere conantur. Is ergo quisquis sit, plane meo iudicio, impie scribit in supradictis Commentariis. *L'essence* (de Dieu) *est simple, indiuisible, & incommunicable,* quod est Latine: *Essentia Dei est simplex, indiuisibilis & incommunicabilis.* Recte quidem eam *simplicem* appellat, suumque poetam coarguit eanentem eam triplicem: pieque rursum eam *indiuisibilem* prædicat, Bezam damnans, illam realiter in tres personas secernentem: sed omnino hic error est, idemque turpissimus; vbi eam censet, scribitque esse *incommunicabilem.*

Sectione poeseos, & comment. 14.

Cõfutatio 1. MIN. Proh hominis leuitatem ac inconstantiam? Nam seipsum coarguens, ac, vt Paulus ait, proprio iudicio condemnans, paulo ante scribit: *Le Fils de Dieu est engendré du Pere, & le sainct Esprit procede du Pere & du Fils, par vne indicible & incomprehensible communication de toute l'essence dés toute eternité.* Quod Latine dicitur: *Filius Dei est genitus à Patre, & sanctus Spiritus procedit à Patre & Filio, ineffabili & incomprehensibili communicatione totius Essentiæ ab omni æternitate.* Quid hac inconstantia, mobilitate, & leuitate, in rebus præsertim tanti momenti turpius? Quod hic tam sancte affirmat essentiam diuinam reipsa communicari tribus personis, post quatuor aut quinque pagellas contra scribit, *eam esse incommunicabilem.* Me non solum piget huiusmodi Ministrorum insaniæ, sed etiam pudet.

Tit. 3. Sectione 6.

2. DOCT. Attendas quoque velim, quam absurda sequerentur, si essentia diuina incommunicabilis subsisteret, pro vt Minister iste commentatur. Esset enim per se & proprie persona: quoniam persona (vt postea copiosius differemus) est rationalis naturæ incommunicabilis existentia: sicque in Deo Quaternitas personarum constitueretur: quod summam resipit impietatem. MIN. Vis paucis dicam meum de hoc authore iudicium? Ego hominem impurum & sceleratum puto.

DOCT. Nec illud solum absurdum sequitur: verum etiam nec Patrem esse Deum verum, quoniam iuxta Ministri axioma, essentia diuina in illo non est à se communicata: nec Filium esse vere Deum, quia Pater non communicaret ei essentiam suam, cum sit incommunicabilis: nec Spiritus sanctus Deus vere crederetur, quandoquidem Essentia Diuina, Prædicantis Caluiniani sententia, nec actu communicatur, nec est vlli communicabilis. MIN. Horrendum dictu, tam cæcam & consceleratam esse quorumdam ministrorum mentem. 3.

DOCT. Animaduerte rursum, quam absona sequantur, si Essentia Dei sit incommunicabilis. MIN. Animũ & mentem adhibeo. Cedo tandem. DOCT. Nec Christo homini virtute altissimi obumbrante, in virgine Maria cõcepto, communicata fuisset Filii Dei diuina essentia & natura: sicque nulla esset inter Deum & hominem hypostatica vnitio, nulla Verbi incarnatio, nullus (quod exhorrescens scribo) mediator Dei & hominum homo Christus IESVS: tandemque vel ad Iudaismum redeundum esset, & Messias adhuc præstolandus; vel ad Alchoranum declinandum, quo nullus ducitur humani generis redemptor, qui simul Deus & homo credatur & adoretur. MIN. Rem tam infandam & execrandam Ministrorum synodis castigandam quæso te, relinquamus: & de aliis quæstionibus disseramus. 4.

Luc. 1. *1. Tim. 2.*

DE SIGNIFICATIONE RATIOneque *Personæ in Deo, quodque Pater, Filius, & Spiritus sanctus sint reipsa propriæque personæ; & non quædam solum proprietates: aduersus vndecimam Caluinianorum hæresin.*

CAPVT IX.

DOCTOR.

POstquam nouus Geneuensis Apostolus vnicam Dei essentiam velut in frustula dissecare, quaternitatem inuehere, & sanctissimæ Trinitatis nomen, cultum, & inuocationem per se suosque sepelire & abolere frustra conatus est: omni postea impetu in rationem PERSONARVM irruit, & germanam personæ significationem (pro vt à Christianis in hoc mysterio semper vsurpata

surpata fuit) nefarie conuellere, & impudenter labefactare studuit. Vult namque nomen PERSONÆ in scripturis accipi *pro rebus externis, quæ aliquo in pretio & honore haberi solent.* Et rursum iisdem erroris implicatus laqueis, scribit in primum caput Ioannis: *Personas vocarunt, discretas in Deo proprietates, quæ se mentibus nostris conspiciendas offerunt.* Marloratus Rhapsodis in eundem locum, similem Personæ finitionem Musculo tribuens, secum illum in eodem inuoluit errore. Adeo iuxta Caluinianorum sententiã Deus Pater ideo est persona, quia proprietas, quæ se mentibus conspiciendam offert: Filius persona, quia proprietas animo nostro concepta: & Spiritus persona, quia proprietas in Deo mente conspecta. Denique in Deo tot essent personæ, quot proprietates, quæ se mentibus nostris conspiciendæ offerrent. Quid de his tibi videtur?

Com. in 2. c. Rom. v. 11.

Com. in 1. c. Ioan. v. 1.

Cõfutatio 1. MIN. Dico ingenue, Caluinum turpiter secum in hac re confligere: imo & improbissimi Serueti: quem scriptis lacerauit, demumque viuum flammis absumendũ Geneuæ procurauit, impietatem reparare. Primo enim in Institutione scribit: *Personam voco subsistentiam in Dei essentia, quæ ad alios relata, proprietate incommunicabili distinguitur.* His enim & Personam aliquid esse præter proprietatem fatetur, & propius ad rei veritatem accedit.

L. 1. c. 13. §. 6.

2. DOCT. Serueti errorem quomodo reparat? MIN. Aiebat ille, eodem recitante & scribente Caluino: *Temerarium est de Verbo, seu Sermone facere Filium. Per Sacramentum Verbi antiquior traditio intellexit quandam in Deo dispositionem.* Et iterum: *Verbum Dei est caro factum, quia suas dispositiones in carne manifestandas decreuit Deus.* Nunquid nõ est hoc ex hypostasi seu persona diuina Filij (de quo agitur Ioan. 1.) efficere tantum dispositionem, cogitationem, ac residentem in Deo proprietatem quandam distinctam? Caluinumque se præbere discipulum ac imitatorem infelicissimi Serueti, quem fingit se vt canem impurum abhorrere? Nihil enim aut parum admodum differt Personæ descriptio, tam à Caluino præceptore, quam à discipulo eius Serueto allata: imo hæc ab illa omnino desumpta est, & quorumdam verborum tantum formulis immutata & distincta.

Lib. de actis Serueti. Seru. L. 2. de Trin. pa. 47. & 49.

3. Deinde, videtur mihi Caluinus instaurare Noetianorum, Sabellianorum, & Priscillianistarũ iam vetustate obductas blasphemias: quibus diuinas tres Personas nihil esse autumabant, quam tres proprietates & perfectiones Dei. Interrogati enim aperte fatebantur se credere in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, tanquam in tres proprietates in Deo residentes, quarum vna ad aliam relata, ab ipsa distincta esset, vt & Seruetus & Caluinus & Musculus agnoscunt: sed tres esse personas proprietatibus distinctas, palam negabant. DOCT. Verà omnino loqueris. Nam Athanasius Oratione cõtra Sabellij gregales, & Basilius Oratione cõtra Sabellianos, eos damnant & reiiciunt, eo quod dicerent hypostasin Verbi rem nõ esse subsistentem: sed tantum quendã conceptum in Patre residentem: quod & antea inter somniandum ructauerant sordidi Valentiniani & Gnostici, vt est apud Irenæum Martyrem. Caluiniani ergo cum his furentes, eisdem diris & execrationibus sunt deuoti.

Athanas. Basil.

Irenæus. Lib. 1. c. 18.

4. His addendum, Patres antiquissimos tam Græcos quam Latinos, & seorsim in Libris suis, & palam in Conciliis, quid vox *Persona* significet longe aliter declarasse. Edicunt enim illa dictione significari, *Naturæ intelligentis* (quales sunt diuina, Angelica, & humana) *substantiam ita suis proprietatibus singularem & subsistentem, vt sit prorsus impossibile eam alteri communicari.* Sic Persona Patris non est simpliciter, &, vt in scholis loquimur, formaliter sua proprietas, videlicet paternitas: sed id quod ex ea constitutum est hypostatice cum eius essentia. Persona Filij non est simpliciter & formaliter proprietas sua, quæ dicitur filietas: quemadmodum & persona Spiritus sancti, non est formaliter sua proprietas, id est, processio, seu spiratio passiua: sed suppositum constitutum ex essentia seu natura Diuina, & ex ea spiratione passiua. MIN. Mihi videor istud mysterium quantum homini fas, satis intelligere: tantum percupio veterum Patrum nomina, & de hac re locos designari, vt maiori otio mihi aliquando liceat in horum fontibus sitim meam extinguere. DOCT. Illud tam sancte declararunt, quam docte comprobarunt antiquissimi Apostolicæ doctrinæ propugnatores, clarissimaque Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ lumina, Iustinus Martyr & Philosophus, libro de sancta & coessentiali Trinitate: Athanasius serm. contra Arrianos, & contra Sabellij gregales: Basilius libris aduersus Eunomium: Nazianzenus, Epiphanius, Cyrillus, Theodoretus: & vt La-

vt Latinos Græcis coniungamus, Hilarius, Victorinus, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius, Eugenius Carthaginiensis, Boetius, &c.

5. Sed & Rufinus Aquileiensis in historia Ecclesiastica recenset decreta antiquissimę Synodæ Alexandrinæ, quibus ante annos mille & ducentos constitutum fuit, tres proprie hypostases seu personas diuinas, vnius substantiæ, in Deo adorandas & confitendas esse aduersus Sabellianos & Arrianos: & districte prohibitum, ne quis eas vel cum officijs quibusdam, vel proprietatibus permisceret, vt impij faciebāt Sabelliani, cum Trinitatem in nominibus tantum, & non in rebus atque subsistentijs constituerent. MIN. Maiorem profecto salutis suæ rationem habent, qui eruditam sanctamque sequuntur antiquitatem, quam qui temeraria recētiorum & superba amplectuntur dogmata. Neque enim veteres illi Patres nouam conflarunt doctrinam, sed potius à maioribus acceptam illustrarunt, & successiue posteris suis tradiderunt. Qui ergo aliter dixerit, Apostolicam doctrinam videbitur euertere, vt sensa animi sui immatura quadam cogitatione digesta possit aliquo modo stabilire.

Apud Euseb. lib. 10. c. 19.

6. Sed quibusnam modis probares Personę definitionem à Caluino & Musculo excogitatam, esse falsam & erroneam? DOCT. Primo, quia nō est integra, nec idoneis verbis expressa: imo & conditionibus necessarijs destituta, vt patet, si quis definitionem ex Patribus allatam cum ea velit cōferre. Nam si quis hominis veram & integram rationē exprimere vellet, nequaquam id faceret satis, vnam vel alteram solummodo eius proprietatem adferens, vtpote, quod aptus ad risum, quod disciplinæ capax, aut quod morti obnoxius foret: genus interea & differentiam, quæ potissimæ sunt bonæ finitionis partes omittens. Sicut nec ad declarandā propriam Angeli hypostasin, sufficeret eum dicere, Nuncium Dei, libera voluntate, & magna potentia præditū: sed oporteret addere, Substantiam esse incorpoream & rationalem, & ita singularem, vt ad eum solū, quem velles nominare, siue Michaelem, siue Gabrielem pertineret.

7. Deinde, si Caluiniana definitio admitteretur, ex ea facile concluderetur, animam rationalem à corpore seiunctam, plurimas in se continere personas, quia in se habet Intellectum, Memoriam & Voluntatem non

A aspernandas proprietates & facultates, quarum vna non parum distinguitur ab altera: quandoquidem nunquam possunt de se inuicem enunciari, aut permisceri. Idem iudicium ferendum esset de Sole, quem eximio splendore, calore, ordine, motu, situ velut proprietatibus præstantissimis ornatum cōspicimus. Idem prorsus de Luna, de stellis, de cælis, de elementis, de arboribus, lapidibus, belluis, ac demum de omni re singulari, quasdam proprietates in se habente pronūciandum esset: quod omni doctrinæ tam diuinæ quam humanæ penitus repugnat.

Postremo, sequeretur in solo Deo Patre 8.
B tres esse personas, cum in eo tres comperiātur proprietates distinctæ, & nostro intellectui ita subiectæ, vt ab eo cōsiderari possint, nempe, paternitas, innascibilitas, & spiratio actiua. Filius item vt Dei Filius est, duplicem haberet personam, quia in eo vere deprehenduntur duæ proprietates distinctæ, videlicet, filietas, & spiratio actiua: vt homo vero tot personas contineret, quot proprietates singulares in eius corpore, & anima intellectus noster concipere valeret; quod omnino rabidas Arianorum & Nestorianorum opiniones superat. Solus etiam Spiritus sanctus in tot personas remaneret distentus,
C & reipsa effusus, quot proprietates, perfectiones, atque charismata eidem in sacris literis tribuuntur. Hæc & alia sunt multum absurda, quæ erroneam Caluini definitionem consequuntur.

MIN. Satis nunc Dei gratia, perspicio, quā 9.
falsa & impia sit personæ ratio à Caluino designata: vtinā eam sacris scripturis viderem confutatam. DOCT. Id curabo pro viribus. Vniuersæ in primis scripturæ, quæ docent Patrem genuisse Filium, & Filium à Patre genitum, Patrem & Filium produxisse Spiritum sanctum, & hunc ab iisdem vere productum esse, satis dilucide indicant
D personas non esse nudas aut simplices proprietates, sed quasdam hypostases ex his & essentia constitutas: quoniam proprietates, quæ oēs ex seipsis relationes sunt, nec quicquā gignere aut producere possunt, sed neq; ipsæ dicuntur productæ vel genitæ. Ideo nunquam dicitur, Paternitas genuit filietatem, filietas est genita à Patre, aut paternitas & filietas producunt Spirationē passiuā, aut deniq; Spiratio passiua seu processio est producta à paternitate & filietate: quod tamen vere proprieq; enūciaretur, si personæ solummodo essent relatiuæ ꝓprietates, vti

2. Reg. 7. Psal. 2. 44. 71. Io. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 10. 11. 12. 13. &c. Rom. 6. 15. 1. Cor. 15. 2. Cor. 1. 11.

 Calui-

hunc diuini honoris titulum adimunt; aut saltem in secundo aut tertio caussæ principij & originis rerum omnium volunt tantum consistere loco. MIN Miror si istud è schola Caluini didicerint? DOCT. Mirari desines, si attendas hunc pestiferum hominem, vt paulo ante disseruimus, scribere, *Nomen Dei per excellentiam ad solum Patrem pertinere, huncq; solum proprie cæli & terræ creatorē esse: imo & Patri subiectum Filium etiam secūdum Diuinitatem.* MIN. Profecto si hic vera Caluinus effert, filius non secūda tantum rerum omniū caussa, sed & improprie Deus dicēdus esset. DOCT. Eundem rursum confirmans & adaugens errorem suum, alibi scribit: *Sessio Christi ad dexteram, metaphorice accipitur pro secundo vel proximo gradu, quem Dei vicarius occupat.* Et rursum alibi: *Dicitur sedere ad dexteram Patris, quia summus Rex constitutus, quasi secundā ab eo honoris & imperii sedem obtinet. Sedet ergo ad Patris dexteram, quia eius est vicarius.* Rursumque: *Perinde est ac si vocetur Dei vicarius, cum metaphorice dextera secūdam à Deo potestatem significet.* Eiusdem erroris sordibus vos vestrosq; liberos inquinat in Catechismo suo Genevano, his vtens verbis: *In vnica & sola essentia diuina debemus considerare Patrem veluti Principium, originem, & caussam primariam omnium. Deinde, Filium eius, &c.* MIN. Sint hæc Caluini suorumq; affectatorum placita, diffiteri non possum: sed cur his Zuinglianos & Tigurinos etiam annectis? DOCT. Duplici de caussa: priore, quod Petrus Vermilius illinc in Galliam tunc accersitus, illorum nomine præfatæ primæ Confessioni subscripsit. Posteriore, quod Henricus Bullingerus in cathedra pestilentiæ Zuinglij successor, adfirmare & publicare non dubitauerit: *Personas diuinas gradu, forma, & specie esse differentes:* quod veteres Arrianorum errores non æquat modo, sed & impietate longissime superat. Quod tuum est de his capitibus iudicium? Apertissime & planissime explica.

L. adu. Val. Gentilem: & Inst. l. 2. c. 14. §. 3.

In cap. 22. Mat. v. 44. & in 26. v. 64. & in 16. Marc. v. 19.

Dominic. 3.

L. adu. Coc.

Confutatio. 1.

MIN. Plane iudico Bezam in primis hac in re secum aperte pugnare. Nam in maiore fidei suæ Confessione, quam nos omnes vt veram sanctamque vult profiteri, scribit in hunc modum: *Diuinæ personæ sunt coessentiales, & coæternæ, sine confusione proprietatum & relationum, sine vlla inæqualitate, quemadmodum ex sacra scriptura aduersus Sabellium, Samosatenum, Arrium, Nestorium, & cæteros Ecclesia sanctissime & prudentissime censuit: quorum hæreticorum impios errores ex animo detestamur.* Adiicit paulo post: *Trinitatis enim opera sunt inseparabilia.*

Puncto 1. art. 2.

Punct. 2. art. 4.

A DOCT. Recte sane. Aduersatur namque initio præceptori suo, tam enixe flagitanti, nomen Trinitatis & personarum esse sepultum: quando illud nihilominus in fidei suæ professione reponit. Deinde, cōfitendo nullam esse inter personas inæqualitatem, eiusdem magistri sui, filium patri subijcientis; & secundum tantummodo honoris, imperij, & caussæ rerum eidem relinquentis locum, impietatem coarguit. Simulq; Bullingeranam gradationem aperte damnat: probando deniq; Ecclesiæ Catholicæ in dirimendis & damnandis hæreticorum controuersijs, summam authoritatem, multis modis

B res suas extenuat: de quibus alias dicemus.

MIN. Deinde, cum animum adijcio ad omnes Scripturarum Diuinarum locos, quibus totius huius mundi creatio, conseruatio, administratioq; per Spiritum sanctum nobis exponitur, hæc non soli Patri vt caussæ primæ, deinde filio vt secundæ, aut Spiritui vt tertiæ, tribuitur: sed vbiq; atq; æqualiter Deo vni & vero: quo nomine, Doctore etiam Luthero, Trinitas personarum in vna diuina natura recte significatur. Atq; iccirco Moyses non dixit, In principio creauit Adoni, aut Eloha, (singulari numero) cælum & terram: sed vsus est vocabulo pluralis nu-

C meri, Elohim, vt certo consilio spiritualibus significaret, quod in natura diuina sit personarum pluralitas. Cum igitur neq; hic, neq; vsquam alibi audiantur diuersi gradus caussarum, diuersi ordines principiorum, aut diuersæ classes originum huius mūdi, sed tantum vnus Deus, vnus Dominus, vnus Creator, & Rector omnium ab omnibus celebretur; nefas dictu est, Patrem solum aut caussam primam esse, Filium secundam: aut Patrem solum proprie cæli ac terræ creatorem, Filium & Spiritum improprie, vti Caluinus impie comminiscitur.

2. *Gen. 1. 2. 5. 6. 14. Deut. 4. 26. 32. Psal. 32. 88. 103. Ephes. 3. Coloss. 1. 3. Apoc. 4. & 10. Com. in c. 1. Genes.*

Huic etiam sententiæ optime consentire, 3.
& Bezanos, Bullingeranosque gradus in

D Deo creante confictos penitus euertere videntur, simul Christianæ fidei symbola, in quibus vno eodemq; modo creatio rerum vni & soli principi Deo in personis trino accepta fertur: non huic personæ singulari vt potiori, alteri vt minori caussæ tribuitur. Profitemur enim vniuersi, *Credo in Deum Patrem, creatorem cæli & terræ. Credo in vnum Deū patrem omnipotentem factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium.* Hoc autem Dei nomine Patrem, Filium & Spiritum sanctum vnicum Deum totius vniuersi conditorem

torem & rectorem significari, etiam Caluinus in Genesi, & Catechismo non diffitetur: & ea propter non solum indocte, sed etiam impie idem mihi facere videtur, cum alibi Personas diuinas secernit in diuersos caussarum ordines, hancq; primam, illam vero secundam vel tertiam tantummodo fingit. Atq; hoc meum, quod postulabas, de his capitibus iudicium: tu nunc quod sentis edicito.

4. DOCT. Quemadmodum diuina ad Prophetas & Apostolos facta oracula constanter & perpetuo testificantur, Deum Patrem Filium & Spiritum sanctum vna tantum constare natura, essentia seu diuinitate, ita etiam vnica præditum voluntate, bonitate, atq; potestate; quandoquidem diuina voluntas, bonitas, aut potestas nihil alienum à Deo est, nihil aduentitium aut accidentariũ, sed ipsemet Deus bonus, volens, & potens. MIN. Istud cunctis Christianis est in confesso, & omnes testantur scripturæ, vt nuper exposuisti. DOCT. Atqui vniuersa condita sunt per eam voluntatem, bonitatem, & potestatem: proinde totius vniuersi vnicum est principium, vna simplexque causa, videlicet Deus trinus & vnus. MIN. Firmissimum & clarissimum est argumentum. Etenim si rerum tres essent caussæ diuersæ, triaue principia inæqualia, tres haberent voluntates, tres bonitates, tres potestates subordinatas, trinum & varium denique modum agendi: sicque ex consequenti tres haberent naturas: cum igitur Patris, Filij, & Spiritus sancti vnica & impartibilis sit Deitas, vnica voluntas, & vnica potestas, vnica quoq; fuit vis atque efficax operatio in rerum omnium creatione, non per gradus prioris aut posterioris, maioris vel minoris varia & dissimilis.

5. *Mat.* 19. 23. *Mar.* 10. 12. *Act.* 17. *Rom.* 3. 10. 11. 1. *Cor.* 5. *&c.*

DOCT. Istud omnibus modis fulciunt scripturæ, quæ vnum Deum, vnum dominum, & vnum patrem nobis animo contemplandum, complectendumque proponunt, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, & in omnibus omnia nobis est. MIN. Certe quidem toties ad vnum considerandum & credendum omnium rerum authorem ablegamur ne cum profanis hominibus aut varios deos, aut etiam in vno Deo varias caussarum sedes rationesque inquiramus: sed contenti illius solius Deitate & omnipotentia omnino quiescamus.

6. DOCT. Accedunt grauissima sanctissimaque veteris Ecclesiæ decreta, quibus in

A fidei Christianæ articulis credendum reponitur, Tres diuinas personas non esse tres deos, tres dominos, tres omnipotentes, tres æternos: sed vnum omnino Deum, vnum dominum, vnum æternum, atque immensum, à quo cætera omnia, tanquam ab vnico principio, orta sunt, seruantur & reguntur. Quorsum ergo tres diuersæ caussæ connumerãtur à Caluinianis? Quorsum tria principia rerum creatarum? Nam, vt Pater est prima caussa omnium, sic & Filius, sic & Spiritus: & non tres caussæ, non tres origines, non tria initia, non tres creatores; sed vnus creator, vna caussa, vnicumque cunctorum B omnipotens principium. *Athanas. symb.*

MIN. Lætor magnopere hac nostra congressione, quæ maximam mihi imprimis adfert consolationem: cumulabitur autem multo amplius gaudium meum, si audiero quid de his sanctissimi & doctissimi veteres Ecclesiarum pastores senserunt ac docuerunt. DOCT. Augustinus Faustum Manichæum de grauissimis aduersus sanctissimã Trinitatem arguit contumelijs atque blasphemijs, quod sustineret patrem esse præcipuum lumen, filium vero in secunda luce consistere, Spiritum sanctum vero tertium lucis locum possidere. MIN. Sunt igitur Manichæorum furore ac insania perciti Calu. & Bullin. qui eadem deliria, imo & longe deteriora de sanctissimis tribus personis diuinis scribunt & prædicant. 7. *L. 20. contra Faustum, ca. 2. &c.*

DOCT. Idem rursus sanctissimus & doctissimus Antistes reprehendit Arrianos, propterea quod dicerent Patrem Filio maiorem, & Spiritum sanctum Filio adhuc minorem: proindeque tres gradus eis personis assignarent, & totidem deos constituerent. MIN. In eandem erroris foueã decidit Caluinus, Filium etiam quantum ad Diuinitatẽ Patri subijciens: obruitur vero maiore blasphemiarum suarũ grauitate ac põdere Bullingerus, qui non solũ tres gradus, sed etiam tres formas, tresq; species differentes in tanta tamque intima vnitate comminiscitur. 8. *Comment. in Psal.* 130.

DOCT. Sunt etiam ab eodem sancto Doctore August. Aetiani & Eunomiani hæreseos crimine damnati, eo quod sustinerent filium Dei non esse patri suo æqualem; nec filio spiritum sanctum. Lata est quoq; eadẽ sententia in Donatistas, pro eo quod scripserant, filium patre suo minorem, spiritu autẽ sancto maiorem esse. MIN. Si differunt gradu, forma, & specie, vt tradit Bullingerus, plane cõstat vnũ altero potiorem, alterumque 9. *L. de hæres. cap.* 54. 59.

mensus, vnus Deus, vnus omnipotens, & vnus tantum est Dominus.

4. MINIST. Valentissimum sane testimonium: sed aliorum quoq; veterum sententiam audire percupio. DOCT. Ambrosius de hac re scribit: Sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus & Spiritus, sed non tres sancti; quia vnus est Deus sanctus, vnus est Dominus. Vna est ergo vera sanctitas, sicut vna est vera Diuinitas, vna illa sanctitas naturalis. Et rursum idem: Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres Dij sunt: ita & anima voluntas, & anima intellectus, anima memoria: non tamen tres animę in vno corpore, sed vna anima tres habens dignitates. Concludit quoq; alibi, illos plures Deos & Dominos in Ecclesiam gentilis erroris vitio inducere, qui aliam Patris, aliã Filij, aliam Spiritus sancti memorant potestatem. Hæc porro etiam eorum refellunt errorem, qui alium Patris spiritum, alium Filium, alium deniq; confingunt esse Spiritum sanctum: quoniam hi tres prorsus vnus sunt secundum substantiam & Deus & Spiritus.

L. 3. de Spi. sanct. c. 18.

L. de digni. condit. hum. c. 2.

Com. in c. 16. Luc.

Ioan. 10. 1. Ioan. 5.

5. MINIST. Ne in re tam aperta & certa simus effusiores quam deceat, vnius tantum Augustini sententiam adijce. DOCT. Ille æqualiter damnans eos, qui aut tres Deos, aut tres essentias, aut cum poeta Salustio tres spiritus in vno & vero Deo constituunt, scribit: Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus: non tres Dij, sed vnus est Deus; vt Moyses dicit: *Audi Israel, dominus Deus tuus, vnus est Deus.* Ac per hoc, sicut dicimus nõ tres Deos, non tres essentias, ita nec tres sapientias, nec tres spiritus. Nam interrogati de singulis personis, si sit Pater sapientia, vel Filius, vel Spiritus sanctus, respondemus; Pater est sapientia, Filius est sapientia, Spiritus sanctus est sapientia: non tres sapientiæ, nec tres spiritus, sed vna sapientia & vnus spiritus, sicut vna substantia & vna essentia. Idem rursum alibi, adfirmans vnum Deum esse confitendum, propter inseparabilem Diuinitatem; & vnum omnipotentem, propter inseparabilẽ omnipotentiam: eodem pacto probat, tres personas vnum Deum & spiritum esse, non multos, propter inseparabilem cõditionem naturamq; spiritalem. Rursumq; prohibẽs dicere tres magnos, aut tres bonos, tametsi Pater sit magnus & bonus, Filius magnus & bonus, Spiritus magnus & bonus, quoniam scriptum est: *Tu es Deus solus magnus.* itẽ: *Nemo bonus, nisi solus Deus*; multo meliore cẽsura &

L. de Trini. & vnit. Dei, c. 2.

Deut. 6.

L. 11. de ciuit. Dei, ca. 24.

L. 5. de Tri. c. 8. & 9.

Psal. 85. Matth. 19.

A iudicio prophanum & Hugnosticum poetam Barthasium damnasset, si in Patre & Filio duplicem spiritum confingentem audiuisset. MIN. De his satis, cætera prosequamur.

DE ABSOLVTA PERFECTAQVE essentia Diuina in tribus personis, nimirum Patre, Filio, & Spiritu sancto: contra octauam Caluinianorum haresin.

CAPVT VI.

DOCTOR.

ITerũm de Essentia seu natura Diuina verba faciemus, quã vester Archisynagogus Beza negat esse absolute in personis diuinis: sed tantum secundum nescio quem respectum. MIN. Adeo ne fuit tam immemor Bestia, vt tãto sceleri sese obstrinxerit? DOCT. In libello Gallico, quem inscripsit, *Questiones & Christiana responsiones*, ait: *Nous ne considerons ceste Deité és personnes, sinon relatiuement.* Quod est ad verbum Latine, *Nos non consideramus istam Deitatem in personis, nisi relatiue.* Quid tibi videtur?

B

Pagina 33.

MIN. Ipsum magnum Geneuæ, asinum, asylum putabam dicere, Deum omnino abnegare, atq; multo deterius quam vnquam pernegarit Epicurus. Quamuis enim hic diuinam negarit prouidentiam, nihilominus Deum vnum absolute esse dicebat: Beza vero nullum credit, nec in concionibus suis ad Geneuanos, nec in libellis ad Gallos proponit, nisi relatiue.

Confutatio. 1.

C

Etenim si Abraham, Isaac, & Iacob, naturam humanam non essent assecuti, nisi relatiue, veri homines non extitissent: verum cum eam habuerint absolute, fuerunt etiam absolute & vere homines perfecti. Eodem modo si Deitas non est absolute in personis, sed tantũ relatiue; nec Pater absolute Deus est, nec Filius absolute Deus est, nec Spiritus sanctus absolute Deus est: sicque nullus absolute esset Deus: à quo atheismo sane execrando etiam abhorrent cacodæmones, & æternis cruciatibus distorti miseri, qui & Deum absolute credunt, & iudicem ac vltorem contremiscunt. Sed nunc dic tu, quæ in eum argumenta paraueras.

2

D

DOCT. Suæ deitatis ac essentiæ diuinæ nomen Moysi patefaciẽs Deus dixit: *Ego sum qui sum. Sic dices ad filios Israel: Qui est, misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meũ in generatione & generationẽ.* Hebręi, Gręci, Latini oẽs interpretes in hoc cõsentiunt,

3. Exod. 3.

ſentiunt, quod nomen IEHOVA, abſolutam ſignificet Eſſentiam & deitatem, cum à verbo deducatur, quod eſſe abſolute & perfecte ſignificat: quare illa diuinitas ſeu eſſentia diuina, eſt abſolute ac æterne in tribus perſonis, non relatiue. Ideoque Caluino-Bezani hæc non ſatis religioſe perpendentes, Deo viuenti ſeſe peruicaciter opponunt, illique perfectam & abſolutam maieſtatem, quantum poſſunt, præripiunt.

4. *Lib. 1. de Trinit.* MIN. Quænam ſanctiſsimorum Patrum ad illa Moyſis verba ſolet eſſe ſententia? DOCT. Hilarius in primis ſcribit: Admiratus ſum tam abſolutam de Deo ſignificationem, quæ naturæ diuinæ incomprehenſibilem cognitionem aptiſsimo ſermone loqueretur. Athanaſius, Cyrillus, Victorinus, Fulgentius, &, vt breuiter dicam, omnes, qui Arrianiſmum impugnauerunt, nec aliter crediderunt, nec docuerunt.

5. *Lib. 5. ciuit. cap. 5. & 6.* Auguſtinus acutiſsima firmiſsimaque vtitur ratiocinatione. *Quodcunque* (inquiens) *ſecundum ſubſtantiam dicitur, ad ſeipſum dicitur, non ad alterum. Quia quæ ſecundum relationem dicuntur, diuerſa ſunt.* Et idem poſtea: *Quicquid ad ſe dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur. Relatiuum non ſecundum ſubſtantiam dicitur, &c.* Sub his autem aſſumo: Omnis ſubſtantia ſeu eſſentia eſt abſoluta, & non ad aliud relata: atqui deitas ſeu natura diuina eſt infinita & incomprehenſibilis ſubſtantia atque eſſentia in tribus diuinis perſonis: igitur abſolute, & non relatiue in his eſt credenda, conſideranda, atque veneranda.

6. Præterea, relationes ſeu reſpectus in Deo inter ſe diſtincti & diuerſi ſunt, vt paternitas à filietate, filietas à ſpiratione, & ſpiratio à paternitate. At vero ipſa deitas eſt omnino vna ſiue ſecundum ſe in abſtracto conſiderata, ſiue vt perſonis communicata: ergo in his abſolute, non relatiue eſt conſideranda & credenda.

7. Adhæc, Perſonæ diuinæ inter ſe diſtinguuntur per relationes ſuas cuiq; proprias, vt Pater à Filio per paternitatem, Filius à Patre per filietatem, Spiritus ab vtroque per ſpirationem ſeu proceſsionem paſsiuam: ſed deitate ipſa omnino conueniunt, adeo vt hæ tres perſonæ vere vnum ſint & dicantur illius ratione. Non eſt ergo deitas in eis relatiue, ſed abſolute atque perfecte.

8. Inſuper, relationes, iuxta eundem Auguſtinum, non ſunt proprie ſubſtantia: quoniam media ſunt, quibus vnum ſuppoſitum referatur ad aliud. Scriptura vero ſacra, Patres, decreta Chriſtiana, deitatem vocant ſubſtantiam: Beza igitur Deitatem relatiue tantum in Deo conſiderans, ſubſtantiam & naturam DEI magna impietate negat.

Rurſum, axioma eſt, tam à Theologis quam à Philoſophis probatũ & admiſſum: Relata ſunt ſimul natura: eademque poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt: adeo vt nequeat vnum conſiderari quin reſpectum habeat ad aliud, vt Pater ad Filium, & Filius viciſsim ad Patrem. Deitas autem etiam vt in Perſonis animo concipitur, neque ad aliam deitatem refertur, nec quicquam ad illam. Igitur Beza, vt omnis Philoſophiæ ac Theologiæ ignarus, audaciſsime & nefarie blaſphemat, negando deitatem abſolute contemplandam & credendam eſſe in tribus diuinis Perſonis. 9.

Poſtremo, relationes Perſonarum diuinarum cuique earum ſic propriæ ſunt, vt de vna duntaxat poſsint affirmari, vt paternitas de ſolo Patre, non de Filio: filietas de ſolo Filio, nunquam autem de Patre aut Spiritu ſancto: ſpiratio paſsiua ſeu proceſsio ita Spiritui ſancto conuenit, vt de Patre & Filio nunquam poſsit enunciari. Quare deitas cũ econtrario ita ſit vna eademque in tribus, vt & ſigillatim de vnaquaque dicatur, vt Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus ſanctus eſt Deus; & coniunctim de tribus vere enuntietur Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus Deus: in illis pro certo eſt perfecte & abſolute non per modum relationis. MIN. Sum his admodum contentus: videoque nunc Bezam pecus eſſe tam ſtolidum, vt in diuinis rebus etiam euidentiſsimis turpiter cæcutiat. 10.

ESSENTIAM DIVINAM PROPRIE atque reipſa ſubſiſtere in tribus Perſonis, Patre videlicet, Filio, & Spiritu ſancto: non autem perſonas ipſas in Eſſentia: contra nouam Caluinianorum hæreſin.

CAPVT VII.

DOCTOR.

PRæceptores veſtri propria malitia excæcati, parum admodum vident in myſterio ſanctiſsimæ Trinitatis, qui more ſuo garrientes dum nugaciſsimas deblaterant nugas, in eam errorum foueam delapſi ſunt, vt exiſtimarint tres diuinas Perſonas in Eſſentia diuina ſubſiſtere. MIN. Quid ergo aliud dicendum, & ea de re ſentiendum eſt?

DOCT. Omnino contrarium, nimirum, quod Essentia vt res tribus personis communis, in ipsis reipsa subsistat, communicetur, atque ineffabiliter resideat. MIN. Quinam illius erroris authores celebrantur? DOCT. Ioannes Caluinus scribens libro Gallico de actis Serueti: *La parole de Dieu est vne hypostase, qui dés le commencement subsistoit en Dieu.* Quod Latine est: *Verbum Dei est vna hypostasis, quæ ab initio subsistebat in Deo.* Et in Institutione: *Persona est residentia in Essentia Dei.* Beza, in cathedra pestilentiæ illius successor, eandem disseminat pestem, Libello inscripto, *De vnitate Essentiæ diuinæ, & tribus in ea subsistentibus personis:* cum è contrario dicendum fuisset, *de vnitate Essentiæ diuinæ subsistentis in tribus personis.* Essentia namque subsistit in personis tanquam singularibus & incommunicabilibus, non autem personæ in Essentia tribus communicabili. Sed per vias præceptoris incedere cupiens, inepta similitudine efficere nititur, Essentiam diuinam velut totum quoddam esse, in quo personæ diuinæ veluti partes subsistant: quod fastidiose repetit, & rursum inculcat in Thesibus, 10.11.14.15.17. quemadmodum & in libello de Quæstionibus & responsis Christianis. Hunc ductorem cæcũ secutus Lambertus Danæus in eandem erroris foueam cecidit, cum nititur has hæreses, quasi veras de Deo sentẽtias defendere. Philippus Mornæus nobilis Gallus eisdem quoque Bezanis sordibus sese commaculauit, qui bis in libro suo, De veritate religionis Christianæ, scripsit: *In vnica Essentia Dei tres personas subsistere.* Alius rursum, nescio quis de grege nouitiorum, quique suum nomen sub his notis tantum prodidit, S. G. S. Commentariis in primam Hebdomadam Salustii, semel atque iterum eandem recantat palinodiam, bis in eadem pagina, & quater in altera: adeo virus istud in vniuersa Caluinianę sectæ membra peruasit.

Pag. 74.

Lib. 1. c. 13. §. 4. 6. 25. 29.

Lib. con. Gil. Genebrar.

Cap. 5.

Pag. 3. & 6.

Cõfutatio 1.

MIN. At mihi perfacile erit istum errorem ex ipsorum authorum testimoniis coarguere. Nam Danæus eodem à te notato libro, ingenue fatetur, *eas loquendi de Deo formas fuisse omnibus sanctissimis, doctissimis & antiquissimis Patribus incognitas; excogitatas porro recenter à Caluino & discipulis, vt aduersus nouos Arrianos sese opponerent.* DOCT. Verum; vt Satanas Satanam non eiicit, sic nec error vetus nouo errore refellendus est: sed veritatis efficacia, quæ omnia vincit & superat. Itaque in digito Dei, id est, Scripturis, vete-

A rum Patrum interpretatione laudatis, in mediumque productis, conterendus & eiiciendus est immundus nouorum Arrianorum spiritus: quemadmodum iamdudum à Patribus Nicenis, & aliis deinceps extrusus fuit. Accedit, quod si de sanctæ Trinitatis mysterio credere, sentire, & docere voluerint, vt vetus sensit & docuit Ecclesia, vt quidem velle se alibi dictitant: non debuerunt aduersus veterem illorum doctrinam nouas & hæreticas dicendi formulas istas excogitare.

MINIST. Quinetiam Salustius poeta, à nostris tantopere celebratus, contrarium suo commentatori & Bezanæ sententiæ in hisce verbis Gallicis canit: 2. Hebdom. 1.

B

---- & dont la Deité
Subsiste heureusement de toute eternité, &c.

Quod Latinis verbis est; *Cuius Deitas subsistit feliciter ab omni æternitate.* His siquidem profitetur se credere & confiteri Deitatem seu essentiam diuinam subsistere in personis, & non personas in essentia, vti Caluinus, Beza, & Mornæus dictitant. DOCT. Et ideo magis ipse laudandus, quod ex prisca fide sua Catholica id adhuc retineat: Ministri vero maledici & subdoli eo acerbius obiurgandi & puniendi, quod alios suis polluant maculis: instarque Balaami à propria asina edocti & moniti, resipere nolunt. Num. 22. 2. Pet. 2.

C

MIN. Quid de re proposita dicendum habebam exposui: tu quid sentias dicito. DOCT. Impietate plena sunt illa eorum verba, quocunque modo ea torquere aut emollire conentur. quod isto dilemmate probo. Cum dicunt vnamquamq; triũ personarum diuinarũ subsistere in essentia, aut quandã propriam & singularem subsistentiam eidẽ essentiæ tribuunt, vt in ea personæ subsistant: aut nullam. Si nullam, non potest sane fieri vt personæ in ea subsistãt, quæ nullam propriã subsistentiam ex se habet. Nam

D

vt animæ facultates non subsistunt in ea, eo quod ipsamet non subsistat, (tametsi n. substantia sit spiritalis & immortalis, quia tamẽ communicatur corpori vt forma materiæ, parsque hominis, non dicitur subsistere, sed tantum existere,) nec lumen in alio lumine, nec calor in alio calore, nec virtus in alia virtute, nec quæcunq; qualitas in alia qualitate possit vnquam subsistere, eo quod nullum horum propriam habeat subsistentiam: ita nec personæ diuinæ poterunt subsistere in essentia seu deitate cum in se, aut per se non subsistat, sed semper est (vt etiam fatentur aduer-

Beza q. & respons. pag. 4. & 5. aduersarij) natura hisce tribus personis cõmunis atque communicabilis. Verum, cum Pater, Filius, Spiritus sanctus tres sint hypostases seu personæ ex sese subsistentes, efficitur vt essentia ex se infinita & immensa in his proprie subsistat, non hæ in ea. Nam vel sola natura duce clarum est, id quod multis commune est, non subsistere in se, eo quod subsistentia præter essentiam contineat in se tantam singularitatem, vt res subsistens nullo modo possit alteri communicari. Deitas veró seu essentia diuina & semper ex se cõmunicabilis est, & reipsa communicatur tribus hypostasibus diuinis. Igitur si propriam non habet subsistentiam, nemo potest sine manifesta hæresi dicere, personas in ea, & per eam subsistere.

3. MIN: Anteriora huius dilemmatis cornua longe meo iudicio diffugient, ob rationes in medium adductas: citiusque postremam fatebuntur propositionem, videlicet, essentiæ diuinæ propriam attribuendo subsistentiam, in qua tres subsistant Personæ. Ecquid mali in eo est? DOCT. Vah, quid dicis? Nihil absurdius vnquam dici potest. Nam ita mysterium sanctissimæ Trinitatis penitus tollunt, & Quaternitatem personarum in Deo collocant. MIN. Negabo plane eos sic respondẽtes, Quaternitatem personarum in Deo constituere. DOCT. Probabo manifeste. Volunt illi personam esse subsistentiam in Deo residentem. MIN. Ita definiunt Caluinus, Musculus, Beza, & Danæus. DOCT. Fatentur etiam tres personas suas tres habere, aut potius esse subsistentias: alioqui personæ non essent. Ergo si essentia propriam & singularem suam quoque subsistentiam habeat, quatuor erunt in Deo subsistentiæ: sicque Caluiniani collocabunt in Deo Quaternitatem subsistentiarum atque personarum, sanctissima Trinitate impie abnegata & labefactata.

4. MINIST. Nihil plane valeo his respondere, nisi vt propositi dilemmatis aciem eluderem, tantum illud opponam, quod tres personæ nec subsistunt ex se, nec per se: sed tantum per essentiam, & in essentiæ propria subsistentia. Et certe sic vult Caluinus nos existimare, qui scripsit; *Personam significare aliquam proprietatem residentem in essentia Dei.* At proprietas aliam non habet subsistentiam, præter eam, cuius est proprietas. DOCT. Si ita responderint, vt iudicas, & ex Caluino videris tibi posse colligere; ex Quaternitate decident in Iudaismum &

A Sabellianismum. MINIST. Quonam pacto id concludis? DOCT. Quia solam duntaxat admittentes in Deo subsistentiam, quam essentiæ tribuunt, vnicam & solam in Deo personam constituunt: quod Iudæi & Sabelliani omnino contendunt efficere. MINIST. O quam perniciosa & misera res est semel à recto fidei tramite deflectere? Quo enim quis vlterius progreditur, eo peius perpetuo labitur. Video etiam vere Theologiæ ignorantiam, superbum antiquorum Doctorum contemptum, arrogantiam, falsam de se opinionem; effrenatam audaciam, temerariam nouitatis cupi-
B ditatem, vsurpatam denique in tanti mysterij verbis immutandis licentiam, primarios reformationis nostræ ministros in profundam errorum caliginem coniecisse. Sed perge quæso, atque eiusmodi impietatem magis ac magis patefacias, vt eandem homines diligentius diffugiant: & maiori alacritate ad integram sanamque fidei Catholicæ professionem redeant.

DOCT. Nullus est sanæ mentis & constantis iudicij, qui nesciat naturas plurimis 5.
indiuiduis ac singularibus communes, in iisdem subsistere, docente saltem solo rectæ rationis lumine, Vniuersalia subsistere
C in singularibus: & nunquam singularia in suis vniuersalibus. MINIST. Id aliquo illustrare potes exemplo, vt etiam atque etiam omnibus innotescat. DOCT. Natura Angelica communis Michaeli, Gabrieli & Raphaeli, subsistit in illis singularibus indiuiduis atque personis: non ipsa singularia Angelorum supposita in natura communi. Natura seu species humana communis tribus his singularibus hypostasibus, Abraham, Isaac & Iacob, subsistit in eis: non hi in illa omnibus communi natura atque essentia, quæ dicitur humanitas. MINIST. Iam istud assequor; idem e-
D nim est quod vulgatum illud philosophicum axioma: Primæ substantiæ subiiciuntur secundis, singulares vniuersis ac communibus: non autem secundæ primis. DOCT. Fides autem Christiana est, quod essentia seu natura diuina communis est tribus personis diuinis, non diuisione, sectione, aut extensione, vel propagatione quadam, cum sit omnino impartibilis & immutabilis; sed infinita atque incomprehensibili communicatione: quare vere ac reipsa in iisdem hypostasibus subsistit, quemadmodũ ex scripturis, Ecclesiæ decretis, & veterum

rum Patrum fide tota credit Ecclesia; & non in ea personæ subsistunt, vt noui Caluinianorum Ministri garriunt, demurmurant, obstrepunt. Itaque constanter docemus, & recte credimus secundum scripturas, vnicum & solum esse Deum, propter vnicam & eandem essentiam diuinam in tribus personis: Trinitatem vero personarum propter tres proprietates, quibus à sese personaliter distinguuntur.

Deut. 4. 6. & 32. Isa. 37. 43. 44. & 46. Matth. 4. & 28.

6. MIN. Vix crederes quantum his verbis læta sit conscientia, quamque meam illa adaugeant fidem, vt cultum sanctissimæ Trinitati reliquo vitæ curriculo exhibeam maximum. Existimo etiam legitimum esse sensum illius nobilissimi Athanasii Symboli: *Fides Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.* Nam credendo hanc simplicem & indiuisibilem essentiam in Patre, Filio & Spiritu sancto ab æterno subsistere, vnicum & verum credimus Deum: agnoscendo etiam tres personas inter se proprietatibus realiter distinctas, profitemur & adoramus sanctissimam & verissimam hypostaseωn Trinitatem, quarum nomine sacro baptismi fonte perpurgati sanctificamur. DOCT. Recte sane: nam vt primus articulus, qui Dei vnitatem continet, interuertit Valentinū, Marcionem, Manichæum, aliosque fanaticos, qui diuersas Dei finxerunt essentias: ita secundus, qui de Trinitate personarum est, profligat Noetum, Sabellium, & omnes alios sæuientis furoris rabie correptos, qui volent in posterum tres personas in vnam confundere, aut quaternitatem quandam comminisci.

Athanas. Aug. Ser. 129. & 191 de tempore: & lib. 11. de ciuit. c. 10. & 24.

7. MIN. Aliquid è diuinis & antiquis Ecclesiæ proceribus in hanc rem à te expecto. DOCT. Athanasius, sanctissimæ Trinitatis propugnator, scripsit: Vti simplex essentia tres personas vinculo incomprehensibili, & vnitate infinita coniungit, ita proprietates seu relationes personales eas personaliter distinguit: quo fit vt Pater, Filius & Spiritus sanctus, propterea quod vnicam eamque simplicissimam deitatis substantiā habeant, vnus sunt Deus, nihilominus in tres personas distinguuntur, quia diuersas proprietates possident. Verbi gratia, Pater solus est à se, & ingenitus; Filius solus ab vnico alio, & solus genitus; Spiritus sanctus solus à Patre & Filio, procedens, non genitus. Eadem rursus copiose & acute pertractant Victorinus, Hilarius, Augustinus, & Fulgentius.

August. in Ps. 68. lib. 3. contra Maxim. c. 10. De Ecclesia dog. cap. 1. Epi. 66. & passim. lib. de Trinit.

Cyrillus, ducentique cum eo Patres ex Oriente & Occidente in Synodum Ephesinam aduersus hæreses Cœlestini & Nestorij conuenientes, aduersus eos sanctissime decreuerunt, duas in vnica Christi personas, substantias seu naturas, diuinam nimirum & humanam ita subsistere, vt nec duplex homo, nec duplex Deus, nec duplex Dominus censeatur: sed iuxta Paulum, *vnicus dominus & mediator noster.* Itaque ad personam solummodo subsistentia per se attinet, non ad naturas, quæ per se, aut in se non subsistunt, sed duntaxat in personis. 8.

1. Cor. 8. Ephes. 4. 1. Tim. 2.

MINIST. Id certe adeo verum est, vt etiam Beza veluti priorem excutiens errorem, profiteatur se credere & docere, *in Christo vnicam esse subsistentiam, diuinæ scilicet personæ, in qua etiam subsistit assumpta humana natura.* Addit præterea, *quod in persona Filij Dei, duæ subsistunt naturæ, remanentque firmissimæ.* Hinc ego concludo: Si naturæ duæ subsistunt, in persona Filij vnica singulari & incommunicabili necessario subsistunt, nō in seipsis: alioquitres essent in illo subsistentiæ, sicque tres personæ, tres Filij, tres Domini, non vnicus: quod impiissimum est vel tantum cogitasse. Itaque cum eius confessione, & veteris Ecclesiæ decretis, vnica tantū sit in Christo subsistentia & persona: personarum tantum: est subsistere in seipsis, & naturarum in personis. Cōclusio ergo perspicua & certa erit, quod essentia diuina subsistit in tribus personis diuinis, & non personæ in essentia. Deū immortalem obtestor, me id toto corde crediturum, & qua potero fide & reuerentia tantum mysterium adoraturum & prædicaturum: ab eodem insuper summis precibus contendo, vt me magis ac magis Spiritu suo illustret, vniuersas errorum tenebras dispellat, & ad agnitionem veritatis perducat. Ad alia pergamus. 9.

Lib. quæst. & resp. pa. 9.

QVOD ESSENTIA DIVINA NON solum sit communicabilis, verum etiā reipsa tribus personis diuinis communicata: contra decimam Caluinianorum hæresin.

CAPVT VIII.

DOCTOR.

ALius rursum ex vestrorum grege versatur in summo errore, & in maxima rerum diuinarum ignoratione, cum negat essentiam diuinam esse communicabilem.

MIN.

MIN. Ecquis ille tam impius, aut certe stupidus & bardus? DOCT. Certe in eorum ordinem albumque referendus est, quos Tertullianus *bestias lucifugas* quondam appellabat, quoniam & nomen, & patriam, & officium vocationis suæ omnino subticuit: tantummodo Commentariis quibusdam Gallicis, in primam Hebdomadam poematum Gulielmi Salustii Barthasii, mihi innotuit, nomenque proprium tribus duntaxat his literis S.G.S. reliquit diuinandum. Quorumdam autem amicorum relatu pro certo didici eum ex Prædicantibus aut Ministris eis esse, qui Caluiniana dogmata per Franciam spargere conantur. Is ergo quisquis sit, plane meo iudicio, impie scribit in supradictis Commentariis. *L'essence* (de Dieu) *est simple, indiuisible, & incommunicable,* quod est Latine: *Essentia Dei est simplex, indiuisibilis & incommunicabilis.* Recte quidem eam *simplicem* appellat, suumque poetam coarguit canentem eam triplicem: pieque rursum eam *indiuisibilem* prædicat, Bezam damnans, illam realiter in tres personas secernentem: sed omnino hic error est, idemque turpissimus; vbi eam censet, scribitque esse *incommunicabilem*.

Sectione poeseos, & comment. 14.

Cőfutatio 1. MIN. Proh hominis leuitatem ac inconstantiam? Nam seipsum coarguens, ac, vt Paulus ait, proprio iudicio condemnans, paulo ante scribit: *Le Fils de Dieu est engendré du Pere, & le sainct Esprit procede du Pere & du Fils, par vne indicible & incomprehensible communication de toute l'essence dés toute eternité.* Quod Latine dicitur: *Filius Dei est genitus à Patre, & sanctus Spiritus procedit à Patre & Filio, ineffabili & incomprehensibiti communicatione totius Essentiæ ab omni æternitate.* Quid hac inconstantia, mobilitate, & leuitate, in rebus præsertim tanti momenti turpius? Quod hic tam sancte affirmat essentiam diuinam reipsa communicari tribus personis, post quatuor aut quinque pagellas contra scribit, *eam esse incommunicabilem.* Me non solum piget huiusmodi Ministrorum insaniæ, sed etiam pudet.

Tit. 3. Sectione 6.

2. DOCT. Attendas quoque velim, quam absurda sequerentur, si essentia diuina incommunicabilis subsisteret, pro vt Minister iste commentatur. Esset enim per se & proprie persona: quoniam persona (vt postea copiosius disseremus) est rationalis naturæ incommunicabilis existentia: sicque in Deo Quaternitas personarum constitueretur: quod summam resipit impietatem. MIN. Vis paucis dicam meum de hoc authore iudicium? Ego hominem impurum & sceleratum puto.

DOCT. Nec illud solum absurdum sequitur: verum etiam nec Patrem esse Deum verum, quoniam iuxta Ministri axioma, essentia diuina in illo non est à se communicata: nec Filium esse vere Deum, quia Pater non communicaret ei essentiam suam, cum sit incommunicabilis: nec Spiritus sanctus Deus vere crederetur, quandoquidem Essentia Diuina, Prædicantis Caluiniani sententia, nec actu communicatur, nec est vlli communicabilis. MIN. Horrendum dictu, tam cæcam & consceleratam esse quorumdam ministrorum mentem. 3.

DOCT. Animaduerte rursum, quam absona sequantur, si Essentia Dei sit incommunicabilis. MIN. Animũ & mentem adhibeo. Cedo tandem. DOCT. Nec Christo homini virtute altissimi obumbrante, in virgine Maria cõcepto, communicata fuisset Filii Dei diuina essentia & natura: sicque nulla esset inter Deum & hominem hypostatica vnitio, nulla Verbi incarnatio, nullus (quod exhorrescens scribo) mediator Dei & hominum homo Christus IESVS: tandemque vel ad Iudaismum redeundum esset, & Messias adhuc præstolandus; vel ad Alchoranum declinandum, quo nullus ducitur humani generis redemptor, qui simul Deus & homo credatur & adoretur. MIN. Rem tam infandam & execrandam Ministrorum synodis castigandam quæso te, relinquamus: & de aliis quæstionibus disseramus. 4.

Luc. 1. *1. Tim. 2.*

DE SIGNIFICATIONE RATIOneque Personæ in Deo, quodque Pater, Filius, & Spiritus sanctus sint reipsa propriæque personæ; & non quædam solum proprietates: aduersus vndecimam Caluinianorum hæresin.

CAPVT IX.

DOCTOR.

POstquam nouus Geneuensis Apostolus vnicam Dei essentiam velut in frustula dissecare, quaternitatem inuehere, & sanctissimæ Trinitatis nomen, cultum, & inuocationem per se suosque sepelire & abolere frustra conatus est: omni postea impetu in rationem PERSONARVM irruit, & germanam personæ significationem (pro vt à Christianis in hoc mysterio semper vsurpata

surpata fuit) nefarie conuellere, & impudenter labefactare studuit. Vult namque nomen PERSONÆ in scripturis accipi *pro rebus externis, quæ aliquo in pretio & honore haberi solent.* Et rursum iisdem erroris implicatus laqueis, scribit in primum caput Ioannis: *Personas vocarunt, discretas in Deo proprietates, quæ se mentibus nostris conspiciendas offerunt.* Marloratus Rhapsodis in eundem locum, similem Personæ finitionem Musculo tribuens, secum illum in eodem inuoluit errore. Adeo iuxta Caluinianorum sententiã Deus Pater ideo est persona, quia proprietas, quæ se mentibus conspiciendam offert: Filius persona, quia proprietas animo nostro concepta: & Spiritus persona, quia proprietas in Deo mente conspecta. Denique in Deo tot essent personæ, quot proprietates, quæ se mentibus nostris conspiciendæ offerrent. Quid de his tibi videtur?

Com. in 2. c. Rom. v. 11.

Com. in 1. c. Ioan. v. 1.

Cõfutatio 1.

MIN. Dico ingenue, Caluinum turpiter secum in hac re confligere: imo & improbissimi Serueti: quem scriptis lacerauit, demumque viuum flammis absumendũ Geneuæ procurauit, impietatem reparare. Primo enim in Institutione scribit: *Personam voco subsistentiam in Dei essentia, quæ ad alios relata, proprietate incommunicabili distinguitur.* His enim & Personam aliquid esse præter proprietatem fatetur, & propius ad rei veritatem accedit.

L. 1. c. 13. §. 6.

2. DOCT. Serueti errorem quomodo reparat? MIN. Aiebat ille, eodem recitante & scribente Caluino: *Temerarium est de Verbo, seu Sermone facere Filium. Per Sacramentum Verbi antiquior traditio intellexit quandam in Deo dispositionem.* Et iterum: *Verbum Dei est caro factum, quia suas dispositiones in carne manifestandas decreuit Deus.* Nunquid nõ est hoc ex hypostasi seu persona diuina Filij (de quo agitur Ioan. 1.) efficere tantum dispositionem, cogitationem, ac residentem in Deo proprietatem quandam distinctam? Caluinumque se præbere discipulum ac imitatorem infelicissimi Serueti, quem fingit se vt canem impurum abhorrere? Nihil enim aut parum admodum differt Personæ descriptio, tam à Caluino præceptore, quam à discipulo eius Serueto allata: imo hæc ab illa omnino desumpta est, & quorumdam verborum tantum formulis immutata & distincta.

Lib. de actis Serueti. Seru. L. 1. de Trin. pa. 47. & 49.

3. Deinde, videtur mihi Caluinus instaurare Noetianorum, Sabellianorum, & Priscillianistarũ iam vetustate obductas blasphemias: quibus diuinas tres Personas nihil esse autumabant, quam tres proprietates & perfectiones Dei. Interrogati enim aperte fatebantur se credere in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, tanquam in tres proprietates in Deo residentes, quarum vna ad aliam relata, ab ipsa distincta esset, vt & Seruetus & Caluinus & Musculus agnoscunt: sed tres esse personas proprietatibus distinctas, palam negabant. DOCT. Verè omnino loqueris. Nam Athanasius Oratione cõtra Sabellij gregales, & Basilius Oratione cõtra Sabellianos, eos damnant & reiiciunt, eo quod dicerent hypostasin Verbi rem nõ esse subsistentem: sed tantum quendã conceptum in Patre residentem: quod & antea inter somniandum ructauerant sordidi Valentiniani & Gnostici, vt est apud Irenæum Martyrem. Caluiniani ergo cum his furentes, eisdem diris & execrationibus sunt deuoti.

Athanas. Basil.

Irenæus. *Lib. 2. c. 18.*

4. His addendum, Patres antiquissimos tam Græcos quam Latinos, & seorsim in Libris suis, & palam in Conciliis, quid vox *Persona* significet longe aliter declarasse. Edicunt enim illa dictione significari, *Naturæ intelligentis* (quales sunt diuina, Angelica, & humana) *substantiam ita suis proprietatibus singularem & subsistentem, vt sit prorsus impossibile eam alteri communicari.* Sic Persona Patris non est simpliciter, &, vt in scholis loquimur, formaliter sua proprietas, videlicet paternitas: sed id quod ex ea constitutum est hypostatice cum eius essentia. Persona Filij non est simpliciter & formaliter proprietas sua, quæ dicitur filietas: quemadmodum & persona Spiritus sancti, non est formaliter sua proprietas, id est, processio, seu spiratio passiua: sed suppositum constitutum ex essentia seu natura Diuina, & ex ea spiratione passiua. MIN. Mihi videor istud mysterium quantum homini fas, satis intelligere: tantum percupio veterum Patrum nomina, & de hac re locos designari, vt maiori otio mihi aliquando liceat in horum fontibus sitim meam extinguere. DOCT. Illud tam sancte declararunt, quam docte comprobarunt antiquissimi Apostolicæ doctrinæ propugnatores, clarissimaque Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ lumina. Iustinus Martyr & Philosophus, libro de sancta & coessentiali Trinitate: Athanasius serm. contra Arrianos, & contra Sabellij gregales: Basilius libris aduersus Eunomium: Nazianzenus, Epiphanius, Cyrillus, Theodoretus: & vt La-

vt Latinos Græcis coniungamus, Hilarius, Victorinus, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius, Eugenius Carthaginiensis, Boetius, &c.

5. Sed & Rufinus Aquileiensis in historia Ecclesiastica recenset decreta antiquissimę Synodæ Alexandrinæ, quibus ante annos mille & ducentos constitutum fuit, tres proprie hypostases seu personas diuinas, vnius substantiæ, in Deo adorandas & confitendas esse aduersus Sabellianos & Arrianos: & districte prohibitum, ne quis eas vel cum officijs quibusdam, vel proprietatibus permisceret, vt impij faciebāt Sabelliani, cum Trinitatem in nominibus tantum, & non in rebus atque subsistentijs constituerent. MIN. Maiorem profecto salutis suæ rationem habent, qui eruditam sanctamque sequuntur antiquitatem, quam qui temeraria recētiorum & superba amplectuntur dogmata. Neque enim veteres illi Patres nouam conflarunt doctrinam, sed potius à maioribus acceptam illustrarunt, & successiue posteris suis tradiderunt. Qui ergo aliter dixerit, Apostolicam doctrinam videbitur euertere, vt sensa animi sui immatura quadam cogitatione digesta possit aliquo modo stabilire.

Apud Euseb. lib. 10. c. 29.

6. Sed quibusnam modis probares Personę definitionem à Caluino & Musculo excogitatam, esse falsam & erroneam? DOCT. Primo, quia nō est integra, nec idoneis verbis expressa: imo & conditionibus necessarijs destituta, vt patet, si quis definitionem ex Patribus allatam cum ea velit cōferre. Nam si quis hominis veram & integram rationē exprimere vellet, nequaquam id faceret satis, vnam vel alteram solummodo eius proprietatem adferens, vtpote, quod aptus ad risum, quod disciplinæ capax, aut quod morti obnoxius foret: genus interea & differentiam, quæ potissimæ sunt bonæ finitionis partes omittens. Sicut nec ad declarandā propriam Angeli hypostasin, sufficeret eum dicere, Nuncium Dei, libera voluntate, & magna potentia præditū: sed oporteret addere, Substantiam esse incorpoream & rationalem, & ita singularem, vt ad eum solū, quem velles nominare, siue Michaelem, siue Gabrielem pertineret.

7. Deinde, si Caluiniana definitio admitteretur, ex ea facile concluderetur, animam rationalem à corpore seiunctam, plurimas in se continere personas, quia in se habet Intellectum, Memoriam & Voluntatem non

A aspernandas proprietates & facultates, quarum vna non parum distinguitur ab altera: quandoquidem nunquam possunt de se inuicem enunciari, aut permisceri. Idem iudicium ferendum esset de Sole, quem eximio splendore, calore, ordine, motu, situ velut proprietatibus præstantissimis ornatum cōspicimus. Idem prorsus de Luna, de stellis, de cælis, de elementis, de arboribus, lapidibus, belluis, ac demum de omni re singulari, quasdam proprietates in se habente pronūciandum esset: quod omni doctrinæ tam diuinæ quam humanæ penitus repugnat.

Postremo, sequeretur in solo Deo Patre 8.
B tres esse personas, cum in eo tres comperiātur proprietates distinctæ, & nostro intellectui ita subiectæ, vt ab eo cōsiderari possint, nempe, paternitas, innascibilitas, & spiratio actiua. Filius item vt Dei Filius est, duplicem haberet personam, quia in eo vere deprehenduntur duæ proprietates distinctæ, videlicet, filietas, & spiratio actiua: vt homo vero tot personas contineret, quot proprietates singulares in eius corpore, & anima intellectus noster concipere valeret; quod omnino rabidas Arianorum & Nestorianorum opiniones superat. Solus etiam Spiritus sanctus in tot personas remaneret distentus,
C & reipsa effusus, quot proprietates, perfectiones, atque charismata eidem in sacris literis tribuuntur. Hæc & alia sunt multum absurda, quæ erroneam Caluini definitionem consequuntur.

MIN. Satis nunc Dei gratia, perspicio, quā 9.
falsa & impia sit personæ ratio à Caluino designata: vtinā eam sacris scripturis viderem confutatam. DOCT. Id curabo pro viribus. Vniuersæ in primis scripturæ, quæ docent Patrem genuisse Filium, & Filium à Patre genitum, Patrem & Filium produxisse Spiritum sanctum, & hunc ab iisdem vere productum esse, satis dilucide indicant
D personas non esse nudas aut simplices proprietates, sed quasdam hypostases ex his & essentia constitutas: quoniam proprietates, quæ oēs ex seipsis relationes sunt, nec quicquā gignere aut producere possunt, sed neq; ipsæ dicuntur productæ vel genitæ. Ideo nunquam dicitur, Paternitas genuit filietatem, filietas est genita à Patre, aut paternitas & filietas producunt Spirationē passiuā, aut deniq; Spiratio passiua seu processio est producta à paternitate & filietate: quod tamen vere proprieq; enūciaretur, si personæ solummodo essent relatiuæ proprietates, vti Calui-

2. Reg. 7. Psal. 2. 44. 71. Io. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 10. 11. 12. 13. &c. Rom. 6. 15. 1. Cor. 15. 2. Cor. 1. 11.

Ephes. 1. 3. Caluinus commentus est. Etenim reuera *Coloss.* 1. 2. Spiritus sanctus in scripturis, & omnium *Matt.* 3. 17. Christianorum ore vbique loquitur, Pater *Heb.* 1. 4. 5. 6. 7. 10. genuit Filium, Filius genitus est à Patre, Pater & Filius producunt seu spirant Spiritum *1. Pet.* 1. sanctum, Spiritus sanctus procedit ab vtro- *2. Pet.* 1. que; quibus dicendi formulis satis est ma- *1. Ioan.* 1. 2. 4. 5. nifestum, personas non esse simplices pro- *Apoc.* 2. 3. prietates, aut perfectiones animo cõceptas: sed quid preterea constitutum ab ipsis & essentia. Innumera porro sunt testimonia, quibus & Pater proprie Pater appellatur, non paternitas: Filius proprie Filius nuncupatur, non filietas: & Spiritus concinne dicitur, non spiratio.

10. Adsis etiã animo, quando Scripturæ præstantissima Dei mundum creantis & conseruantis opera prædicant, aut etiam vel tremenda iudicia in impios delata, vel beneficia piis collata narrant: nunquam attribuunt hæc quibusdã proprietatibus aut residentiis à Pseudoapostolo vestro excogitatis; nunquam efferunt proprietatem mundi creatricem aut rectricem; nunquã Adæ, Caino, mundo, Sodomitis, Ægyptiis commerita supplicia inferentem; nunquã Noe, Abrahæ, Isaac, aut Iacob colloquentẽ; nunquam cum Mose, cum Samuele, cum Elia, cum Iona, cum Isaia, aut cæteris Prophetis de generis humani salute disserentem. Rursum, nunquam sustinent quandam proprietatem relatam in Virgine pro nobis esse incarnatam, conceptam, natam, pannis inuolutam, reclinatam in præsepio, vberibus lactatam, circuncisam, à pastoribus & Magis adoratam, oblatam in templo, delatam in Ægyptum, relatam in Galilæam, pro nobis denique crucifixam, mortuam, & sepultam, &c. Nunquam proferunt proprietatem quandam locutam esse per Prophetas, in Deiparam superuenisse, in Christum per speciem columbæ descendisse, aut eundem ad euangelizandum, pauperibus vnxisse & misisse, aut in Apostolos in specie linguarum ignitarum descendisse. Denique, nullo vnquam loco præcipiunt baptizandas esse omnes gentes in nomine trium proprietatum in Deo residentium: sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, qui reipsa tres sunt personæ, ex essentia diuina, & proprietatibus suis constitutæ, atque inter se distin- *L. 3. cont. Maximinum Arrianum, cap.* 10. ctæ: vnus autem verus & solus Deus. Atque hic iterum atque iterum repeto, quod tam grauiter & sancte Augustinus semel pronunciauit: Qui potest capere, capiat: qui A autem non potest, credat: & oret, vt quod credit intelligat.

MIN. Mihi iam satis superque de scripturis patribusque dixisse videris: nec ambigo, si Personæ diuinæ proprietates tantum essent, id alicubi Scripturæ indicassent: superest, vt doceas me ex Augustino, quid discriminis considerandum sit inter Hypostasin, personam, & substantiam, quandoquidem audierim, Hieronymum addubitasse dicendum ne foret, in Deo tres esse hypostases, substantias, aut personas. DOCT. *L. 3. cont. Max. c.* 7. 8. 9. Facile percipies, si orationi eius animum auresque adhibueris. Ait enim: Sicut non di- B cimus tres essentias, sic nõ dicimus tres magnitudines: sed vnam essentiam, & vnã magnitudinem. Essentiam dico, quæ οὐσία Græce dicitur, quam vsitatius substantiam vocamus. Dicunt quidem & illi hypostasin: sed nescio quid volunt interesse, inter Ousiam & hypostasin: ita vt plerique nostrum, qui hæc Græco tractant eloquio dicere consueuerint, μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις, quod est Latine, Vnam essentiam, tres substantias. Sed quia nostra loquendi consuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur cum dicimus *essentiam*, quod intelligitur cum dicimus *substan-* C *tiam*: non audemus dicere vnam essentiam, tres substantias, sed vnam essentiam vel substantiam, tres autem personas, quemadmodum multi Latini digni authoritate dixerunt. Et idem rursum: Græca vox ὑπόστασις, nonnunquam substantiam significat, alias personam: sed inopia verborum, malitiaque hæreticorum effectum est, vt Ecclesia postremam sibi reseruarit significantiam, sicque profitetur, non tres substantias, sed tres in Deo hypostases seu personas, in vnica substantia. Rursumque idem ait: In hunc modum Pater & Filius & Spiritus sanctus, personarum sunt ab inuicem proprietate D distincti. Et alio loco: Impietatem Sabellij declinantes, tres personas expressas sui proprietate distinguimus. MIN. Mihi ex his videre videor, voces *hypostasis & substantia* ex se quidem homonymas esse, & tam substantiam significare, quam personam: veruntamen Ecclesiæ vsu atque authoritate effectũ, vt hypostasis tantummodo ad personam hoc in mysterio designandam arctaretur, sicque tres dicantur hypostases seu personæ: vox autem substantia tantum ad essentiam & naturam pateret, adeo vt vna solum in Deo substantia, essentia, seu natura credenda & confitenda sit.

11.

DOCT.

12\. DOCT. Rem profecto acu tetigisti. Sed quod ad Hieronymum spectat, ille omni fide & constantia sanctissimæ Trinitatis mysterium credidit, docuit, adorauit, & aduersus omnes hæreses acerrime propugnauit, veluti cum scripsit: Nos Patrem & Filium & Spiritum sanctum in sua vnumquemque persona ponimus: licet substantia copulemus. Et idem rursum: Propterea vna fides dicitur, quia simpliciter in Patrem & Filium & Spiritum sanctum credimus. Et baptisma vnum, quia eodem modo, & in Patrem & in Filium & in Spiritum sanctum baptizamur. Et termergimur, vt Trinitatis vnum appareat sacramentum. Et non baptizamur in nominibus Patris & Filij & Spiritus sancti, sed in vno nomine, quod intelligitur Deus.

Epistola ad Marcellam Com. in c. 4. ad Eph.

MINIST. Non hoc volebam, quod Hieronymus de vera huius mysterij fide aut confessione dubitasset: sed quod de vocibus hypostasis, persona, substantia, factum ei fuisset negotium. Cedo, quod illud fuit? DOCT. Illud ipsum ergo suis verbis copiose enarrantem audi Hieronymum: Interrogamus, (inquit) de his, qui fidei suæ cōfessionem vt proferret, dolose & malitiose vrgebant, quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi. Tres personas subsistentes, aiunt. Respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant: quia nescio quid veneni in syllabis latet. Clamamus, si quis tres hypostases, aut tria enypostata, hoc est, tres subsistentes personas non confitetur, anathema sit. Et quia vocabula non ediscimus, hæretici iudicamur. Si quis autem hypostasin Ousiam intelligens, non in tribus personis vnam hypostasin dicit, alienus à Christo est: & sub hac cōfessione vobiscum pariter cauterio vnionis inurimur. Discernite, si placet, obsecro: non timebo tres hypostases dicere, si iubetis: condatur noua post Nicenam fides: & similibus verbis cum Arrianis fateamur orthodoxi. Tota secularium literarum schola nihil aliud hypostasin, nisi Ousiam nouit. Et quis rogo, ore sacrilego tres substantias prædicabit? Vna est Dei & sola natura, quæ vere est: id enim quod subsistit, nō habet aliunde, sed suum est. Cætera quæ creata sunt, etiam si videntur esse, non sunt; quia aliquando non fuerunt, & potest rursum non esse, quod non fuit. Deus solus qui æternus est, hoc est, qui exordium non habet, essentiæ nomen vere tenet. Iccirco & ad

Hiero. tom. 2. epist. 57. ad Damasum Papam.

A Moysen loquitur: *Ego sum, qui sum.* Et rursum, *qui est, me misit.* MIN. Satis mihi est. Video enim Hieronymi timorem fuisse, ne sub hypostaseon titulo tres substantiæ aut essentiæ in Deo inueherentur: ac ideo sapienter à sancto Pontifice Damaso petit, vt Græcæ dictionis homonymia explicata, ad vnius rei, id est, personæ, significationem determinaretur: quod & factum est, &c. Superest scire, vtrum Caluinus suos in aliis quoque de sanctissimæ Trinitatis dogmatibus fefellerit. *Exod. 3.*

B *PATREM, FILIVM, ET SPIRITVM sanctum vnicum omnino esse principium, simplicemque causam rerum omnium aduersus duodecimam Caluinianorum hæresin.*

CAPVT X.

DOCTOR.

SAcrorum vestrorum Antistites in designanda rerum omnium causa & vnico principio turpissime lapsi sunt, quando tres Diuinas Personas velut inæquales, sic in diuersas distribuunt classes ac sedes, vt Pater sit primum, Filius secundum, Spiritus tertiū C tantum omnium rerum principium: Pater primæ caussæ, Filius secundæ, Spiritus solummodo tertiæ caussæ rationem habeat. MIN. Quibus eos testibus & argumentis conuinces, si negent? DOCT. Primæ, ac Pysiaci in Gallia, publicis regni comitiis propositæ Confessionis fidei suæ testimonio. Illic enim, duce Beza, duodecim Ministri, qui nomine omnium Zuinglianorum & Caluinianorum præsto fuerunt, verbo & scripto istud professi sunt his verbis, tametsi Gallicis: *Sancta nos edocet scriptura, quod in sola & simplici essentia diuina, quam confessi sumus, tres sunt personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* D *Pater prima caussa, principium & origo omnium rerum: Filius sermo & sapientia eius: Spiritus sanctus eius virtus, potestas, & efficacia.* MIN. Legi equidem eadem prorsus verba in primæ Confessionis sexto articulo; verum, vt dicam ingenue, mihi verissima videbantur. DOCT. Vera quidem est prima sententia, quæ essentiæ diuinæ simplicitatem & vnitatem prædicat; deinde, tres diuinas personas in Deo esse fatetur: sed in postrema venenum latet colchicum, cum solum patrem vocant omnium rerum caussam, principiū, & originem: Filio autem & Spiritui sancto

hunc diuini honoris titulum adimunt; aut saltem in secundo aut tertio caussæ principij & originis rerum omnium volunt tantum consistere loco. MIN Miror si istud è schola Caluini didicerint? DOCT. Mirari desines, si attendas hunc pestiferum hominem, vt paulo ante disseruimus, scribere, *Nomen Dei per excellentiam ad solum Patrem pertinere, huncq; solum proprie cæli & terræ creatorē esse: imo & Patri subiectum Filium etiam secūdum Diuinitatem.* MIN. Profecto si hic vera Caluinus esset, filius non secūda tantum rerum omnium caussa, sed & improprie Deus dicēdus esset. DOCT. Eundem rursum confirmans & adaugens errorem suum, alibi scribit: *Sessio Christi ad dexteram, metaphorice accipitur pro secundo vel proximo gradu, quem Dei vicarius occupat.* Et rursum alibi: *Dicitur sedere ad dexteram Patris, quia summus Rex constitutus, quasi secundā ab eo honoris & imperii sedem obtinet. Sedet ergo ad Patris dexteram, quia eius est vicarius.* Rursumque: *Perinde est ac si vocetur Dei vicarius, cum metaphorice dextera secūdam à Deo potestatem significet.* Eiusdem erroris sordibus vos vestrosq; liberos inquinat in Catechismo suo Geneuano, his vtens verbis: *In vnica & sola essentia diuina debemus considerare Patrem veluti Principium, originem, & caussam primariam omnium. Deinde, Filium eius, &c.* MIN. Sint hæc Caluini suorumq; affectatorum placita, diffiteri non possum: sed cur his Zuinglianos & Tigurinos etiam annectis? DOCT. Duplici de caussa: priore, quod Petrus Vermilius illinc in Galliam tunc accersitus, illorum nomine præfatæ primæ Confessioni subscripsit. Posteriore, quod Henricus Bullingerus in cathedra pestilentiæ Zuinglij successor, adfirmare & publicare non dubitauerit: *Personas diuinas gradu, forma, & specie esse differentes:* quod veteres Arrianorum errores non æquat modo, sed & impietate longissime superat. Quod tuum est de his capitibus iudicium? Apertissime & planissime explica.

L. adu. Val. Gentilem: & Inst. l. 2. c. 14. §. 3.

In cap. 22. Mat. v. 44. & in 26. v. 64. & in 16. Marc. v. 19.

Dominic. 3.

L. adu. Coc.

Confutatio.

1. MIN. Plane iudico Bezam in primis hac in re secum aperte pugnare. Nam in maiore fidei suæ Confessione, quam nos omnes vt veram sanctamque vult profiteri, scribit in hunc modum: *Diuinæ personæ sunt coessentiales, & coæternæ, sine confusione proprietatum & relationum, sine vlla inæqualitate, quemadmodum ex sacra scriptura aduersus Sabellium, Samosatenum, Arrium, Nestorium, & cæteros Ecclesia sanctissime & prudentissime censuit: quorum hæreticorum impios errores ex animo detestamur.* Adiicit paulo post: *Trinitatis enim opera sunt inseparabilia.*

Puncto 1. art. 2.

Punct. 2. art. 4.

A DOCT. Recte sane. Aduersatur namque initio præceptori suo, tam enixe flagitanti, nomen Trinitatis & personarum esse sepultum: quando illud nihilominus in fidei suæ professione reponit. Deinde, cōfitendo nullam esse inter personas inæqualitatem, eiusdem magistri sui, filium patri subijcientis; & secundum tantummodo honoris, imperij, & caussæ rerum eidem relinquentis locum, impietatem coarguit. Simulq; Bullingeranam gradationem aperte damnat: probando deniq; Ecclesiæ Catholicæ in dirimendis & damnandis hæreticorum controuersijs, summam authoritatem, multis modis B res suas extenuat: de quibus alias dicemus.

MIN. Deinde, cum animum adijcio ad omnes Scripturarum Diuinarum locos, quibus totius huius mundi creatio, conseruatio, administratioq; per Spiritum sanctum nobis exponitur, hæc non soli Patri vt caussæ primæ, deinde filio vt secundæ, aut Spiritui vt tertiæ, tribuitur: sed vbiq; atq; æqualiter Deo vni & vero: quo nomine, Doctore etiam Luthero, Trinitas personarum in vna diuina natura recte significatur. Atq; iccirco Moyses non dixit, In principio creauit Adoni, aut Eloha, (singulari numero) cælum & terram: sed vsus est vocabulo pluralis nu- C meri, Elohim, vt certo consilio spiritualibus significaret, quod in natura diuina sit personarum pluralitas. Cum igitur neq; hic, neq; vsquam alibi audiantur diuersi gradus caussarum, diuersi ordines principiorum, aut diuersæ classes originum huius mūdi, sed tantum vnus Deus, vnus Dominus, vnus Creator, & Rector omnium ab omnibus celebretur; nefas dictu est, Patrem solum aut caussam primam esse, Filium secundam: aut Patrem solum proprie cæli ac terræ creatorem, Filium & Spiritum improprie, vti Caluinus impie comminiscitur.

2. Gen. 1. 2. 5. 6. 14. Deut. 4. 26. 32. Psal. 32. 88. 103. Ephes. 3. Coloss. 1. 3. Apoc. 4. & 10.

Com. in c. 1. Genes.

Huic etiam sententiæ optime consentire, & Bezanos, Bullingeranosque gradus in D Deo creante confictos penitus euertere videntur, simul Christianæ fidei symbola, in quibus vno eodemq; modo creatio rerum vni & soli principi Deo in personis trino accepta fertur: non huic personæ singulari vt potiori, alteri vt minori caussæ tribuitur. Profitemur enim vniuersi, *Credo in Deum Patrem, creatorem cæli & terræ. Credo in vnum Deū patrem omnipotentem factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium.* Hoc autem Dei nomine Patrem, Filium & Spiritum sanctum vnicum Deum totius vniuersi conditorem 3.

torem

torem & rectorem significari, etiam Caluinus in Genesi, & Catechismo non diffitetur: & ea propter non solum indocte, sed etiam impie idem mihi facere videtur, cum alibi Personas diuinas secernit in diuersos caussarum ordines, hancq; primam, illam vero secundam vel tertiam tantummodo fingit. Atq; hoc meum, quod postulabas, de his capitibus iudicium: tu nunc quod sentis edicito.

4. DOCT. Quemadmodum diuina ad Prophetas & Apostolos facta oracula constanter & perpetuo testificantur, Deum Patrem Filium & Spiritum sanctum vna tantum constare natura, essentia seu diuinitate, ita etiam vnica præditum voluntate, bonitate, atq; potestate; quandoquidem diuina voluntas, bonitas aut potestas nihil alienum à Deo est, nihil aduentitium aut accidentariũ, sed ipsemet Deus bonus, volens, & potens. MIN. Istud cunctis Christianis est in confesso, & omnes testantur scripturæ, vt nuper exposuisti. DOCT. Atqui vniuersa condita sunt per eam voluntatem, bonitatem, & potestatem: proinde totius vniuersi vnicum est principium, vna simplexque causa, videlicet Deus trinus & vnus. MIN. Firmissimum & clarissimum est argumentum. Etenim si rerum tres essent caussæ diuersæ, triaue principia inæqualia, tres haberent voluntates, tres bonitates, tres potestates subordinatas, trinum & varium denique modum agendi: sicque ex consequenti tres haberent naturas: cum igitur Patris, Filij, & Spiritus sancti vnica & impartibilis sit Deitas, vnica voluntas, & vnica potestas, vnica quoq; fuit vis atque efficax operatio in rerum omnium creatione, non per gradus prioris aut posterioris, maioris vel minoris varia & dissimilis.

5. DOCT. Istud omnibus modis fulciunt scripturæ, quæ vnum Deum, vnum dominum, & vnum patrem nobis animo contemplandum, complectendumque proponunt, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, & in omnibus omnia nobis est. MIN. Certe quidem toties ad vnum considerandum & credendum omnium rerum authorem ablegamur ne cum profanis hominibus aut varios deos, aut etiam in vno Deo varias caussarum sedes rationesque inquiramus: sed contenti illius solius Deitate & omnipotentia omnino quiescamus.

Mat. 19. 23. Mar. 10. 12. Act. 17. Rom. 3. 10. 11. 1. Cor. 5. &c.

6. DOCT. Accedunt grauissima sanctissimaque veteris Ecclesiæ decreta, quibus in A fidei Christianæ articulis credendum reponitur, Tres diuinas personas non esse tres deos, tres dominos, tres omnipotentes, tres æternos: sed vnum omnino Deum, vnum dominum, vnum æternum, atque immensum, à quo cætera omnia, tanquam ab vnico principio, orta sunt, seruantur & reguntur. Quorsum ergo tres diuersæ caussæ connumerãtur à Caluinianis? Quorsum tria principia rerum creatarum? Nam, vt Pater est prima caussa omnium, sic & Filius, sic & Spiritus: & non tres caussæ, non tres origines, non tria initia, non tres creatores; sed vnus creator, vna caussa, vnicumque cunctorum B omnipotens principium.

Athanas. symb.

7. MIN. Lætor magnopere hac nostra congressione, quæ maximam mihi imprimis adfert consolationem: cumulabitur autem multo amplius gaudium meum, si audiero quid de his sanctissimi & doctissimi veteres Ecclesiarum pastores senserunt ac docuerunt. DOCT. Augustinus Faustum Manichæum de grauissimis aduersus sanctissimã Trinitatem arguit contumelijs atque blasphemijs, quod sustineret patrem esse præcipuum lumen, filium vero in secunda luce consistere, Spiritum sanctum vero tertium lucis locum possidere. MIN. Sunt igitur Manichæorum C furore ac insania perciti Calu. & Bullin. qui eadem deliria, imo & longe deteriora de sanctissimis tribus personis diuinis scribunt & prædicant.

L. 20. contra Faustum, ca. 2. &c.

8. DOCT. Idem rursus sanctissimus & doctissimus Antistes reprehendit Arrianos, propterea quod dicerent Patrem Filio maiorem, & Spiritum sanctum Filio adhuc minorem: proindeque tres gradus eis personis assignarent, & totidem deos constituerent. MIN. In eandem erroris foueã decidit Caluinus, Filium etiam quantum ad Diuinitatẽ Patri subijciens: obruitur vero maiore blasphemiarum suarũ grauitate ac põdere Bul- D lingerus, qui non solũ tres gradus, sed etiam tres formas, tresq; species differentes in tanta tamque intima vnitate comminiscitur.

Comment. in Psal. 130.

9. DOCT. Sunt etiam ab eodem sancto Doctore August. Aetiani & Eunomiani hæreseos crimine damnati, eo quod sustinerent filium Dei non esse patri suo æqualem; nec filio spiritum sanctum. Lata est quoq; eadẽ sententia in Donatistas, pro eo quod scripserant, filium patre suo minorem, spiritu autẽ sancto maiorem esse. MIN. Si differunt gradu, forma, & specie, vt tradit Bullingerus, plane cõstat vnũ altero potiorem, alterumque

L. de hæres. cap. 54. 59.

que

que priore esse longe minorem: sicque conspicio istos nostros decoctores (volebam dicere doctores) veterum hæreticorum sordibus sua nos sponte incestare, & cum his ad tartarum miserabiliter abducere.

10. Satis ex Augustino: aueo enim audire, quid pater eius in Christo Ambrosius de his aliquando senserit. DOCT. Arrianorum errores velut in fasciculum colligens, ante omnia scribit illos dixisse, Filium non esse Patri similem: in eoque illum graui affecisse contumelia, cum ipsemet dixerit: *Ego & Pater vnum sumus*. Eundem autem errorem paulo post refellens, scribit: Non est secundum diuinitatem minor, qui plenitudinem habet diuinitatis & gloriæ. Denique hanc perpulchram fidei confessionem edit. Ad te nunc Pater omnipotens, cum lachrymis verba mea conuerto. Ego te quidem inaccessibilem, incomprehensibilem, inæstimabilem prompte dixerim: sed filium tuum minorem non ausim dicere. Nam cum illũ splendorem gloriæ & imaginis substantiæ tuæ legerim, vereor ne minorem imaginem tuæ dicendo substantiæ, minorem substantiam tuam dicere videar, cuius imago sit filius, cum plenitudo tuæ diuinitatis omnis in filio sit. Immensum te, filiumque tuum, & Spiritum sanctum, incircunscriptum, inæstimabilem, inenarrabilem, legi libenter, credo libenter, &c. MIN. Duo hi Patres tantundem prope apud me pollent, quantum antiqui vniuersi. Nam eos animaduerto ex diuino verbo credidisse atque docuisse tres diuinas personas esse omnino easdem in substantia, maiestate, potestate, atque voluntate: quapropter peccant grauissime errantque flagitiose, qui eas distinguunt in varios gradus, aut diuersas formas vel species, cum Bullingero: vel diuidunt in differentes caussarum ordines, variosque honoris vel imperij gradus, vt Caluinus. Sunt enim veterum hæreticorum sordidata & impura mendacia, quæ isti neoterici resarcire, & quodammodo refricare conantur.

L.1. de fide. cap.3. — Ioan.10. — Col.1. & 2. — L.5. de fide, cap.9. — 1. Tim.6. — Heb.1.

11. Sed age, Vtrum ijdem Patres asseruerint, has tres personas easdem operationes habuisse circa omnia, quæ ad creaturas spectant? DOCT. Ambrosius profecto confirmat eandem esse Trinitatis operationem, eo quod pater ad Filium & Spiritum sanctum dixerit, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. communem asserens esse operationem, vbi commune consilium

In Ps.118. Octon. 20. — Gen.1.

A est. Et continuo idipsum alijs scripturarum testimonijs confirmans subijcit. Quid sine sapientia facit, qui omnia in Sapientia facit? Vt lectum est, *Omnia in sapientia fecisti*. Denique Sapientia dixit: *Cum faceres cælos, cum illo eram*, Et Euangelista ait: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: vt doceret non solum operatorem omnium Filium, sed etiam paternæ operationis consortem esse. Alibi rursum idem corroborãs ex eo quod Apostolus de diuersis Spiritus donis dicat: *Idem Deus operatur omnia in omnibus*, subijcit: Denique, operante vno, tres operari dicuntur, B vt Trinitatis mysterium in vnius Dei natura & potestate claudatur, cum sit immensum. Iterumque indicans eos, qui diuersos potestatis gradus in tribus personis fingunt, tres deos constituere, scribit: Quia aliam Patris, aliam Filij, aliam Spiritus sancti memorant potestatem, plures deos & plures dominos in Ecclesiam gentilis vitio erroris inducunt.

Psal.103. — Prou.8. — Ioan.1. — Com. in 1. Cor.c.12. — Com. in Luc.c.16. & 22.

MIN. Mentem sententiamque maximi illius Augustini mihi aperias, & ero plane contentus. DOCT. Agnoscit plane doctor eximius, quasdam esse personarum internas, seseque mutuo spectantes operationes C singulares, vt quod Pater Filium gignat, Pater & Filius Spiritum sanctum producant, hasque non adeo communes esse. Sed quantum ad illas pertinet, quæ circa creaturas versantur, plane tribus personis communes prædicat; nec magis vni quam alteri tribuendas docet his verbis. Non potest operatio esse diuisa, vbi non solum æqualis est, verum etiam indiscreta natura. Et paulo supra hunc locum scribit: Eadem sunt opera Patris & Filij, quia nullum est opus Filij, quod non per eum Pater facit, nec vllum Patris quod non per Filium simul facientem facit. Quæcunque enim Pater facit, hæc eadem Filius D facit. Nec vtique Pater & Filius operantur sine Spiritu sancto: neque enim ad faciendum, amborum operibus vllo modo amborum separabitur Spiritus. Et alibi: Catholica fides hoc habet contra omnem hæreticorum prauitatem Spiritu Domini firmata, quia Patris & Filij opera inseparabilia sunt. Et iterum idem ait: Omnia & singula quæ creata sunt, vel creantur, Trinitate creante subsistunt: nec quisquam liberatur à Patre sine Filio & Spiritu sancto, &c. Alibi rursum occurrens obiectioni, quæ fieri posset de solius Filij incarnatione & passione, ait: Filius quidem, non Pater, natus est de Virgine Maria: 12.

L. de Trini. & vnit. Dei, c.8. 9. 12. — Ioan.14. — Tract.20. in Ioan. — Epist. 102. — Serm.63. de verb. Dom.

L.50.hom. 32.& 43. Maria: sed ipsam natiuitatem Filij, non Patris, de Virgine & Pater & Filius operatus est. Non est quidem passus Pater, sed Filius; passionem tamen Filij & Pater & Filius operatus est. Non resurrexit Pater sed Filius; resurrectionem tamen Filij & Pater & Filius operatus est, &c.

MIN. Iam video nostrum Catechismum primam causæ rationem & dignitatem patri soli tribuentem, Caluinumque solum patrem proprie dicendum creatorem mundi autumantem, plurimarum impietatum nobis authores & patronos esse, quinetiam aduersus vnius & trini Dei vnicam essentiam, maiestatem, potestatem, & operationem multa nefaria confingere, & sibi nimium credulis nobis obtrudere: à quibus nisi prudenter diligenterque cauerimus, æternum manet exitium. Perge igitur, vt agis, & reliqua eorum errata retege.

OPERA SANCTISSIMAE TRINITATIS, quæ ad res creatas diriguntur & terminantur, sunt indiuisa: contra errorem 13.

CAPVT XI.

DOCTOR.

IN sordibus suis adhuc hodie sordescens Beza, postquam essentiam Dei in tres lacerauit, & in tres causas distinxit, nunc etiam in tres diuersas operationes suas ad extra (agit enim de Passione Domini, & humana redemptione) nefarie diuidit atque separat. Scribit enim Gallice: *Comme ces trois personnes diuines sont distinctes en leur essence, ainsi se doit obseruer ceste distinction en leurs operations.* Quæ Latine sonant. *Sicut hæ tres personæ Diuinæ sunt distinctæ in essentia sua, sic debet obseruari ista distinctio in operationibus earum.* Hæc eadem inter articulos fidei suæ inserens rursum scribit: *Nous distinguons les personnes tant selon leurs proprietez en elles, que selon les propres effects d'icelles.* Latine ad verbum. *Nos distinguimus personas tam secundum proprietates earum in ipsis, quam secundum proprios affectus earum.* Audis tres personas diuinas distingui in suis operationibus? Diuersas esse in effectibus, sicut & in proprietatibus? Idque semel & iterum scriptum, prædicatum, & typis euulgatum esse à tuo Beza?

(Serm. 5. de Passione. pag. 108. — Confess. p. 2. art. 4. — Confutatio.)

1. MIN. Audio plane, ac totus de hominis inconstantia obstupesco, in his præsertim fidei Christianæ summis capitibus. Idē enim proprio seipsum mucrone confodiens ac iugulans, in eodem capite & articulo scribit: *Les œuures de la Trinité sont inseparables.* Id est, *Opera Trinitatis sunt inseparabilia.* Quid iis magis contrarium atque repugnans? An non affirmatio & negatio de eodem, & circa idem? Sane si sunt opera inseparabilia, vt hic loquitur: falsum & impium est quod antea dixit, diuersas esse diuinarum personarum operationes ac effectus.

2. His addo, quod in nostra Confessione fidei Geneuanæ profitemur omnes, Nos de S. Trinitate illa credere & confiteri, quæ in prioribus Conciliis decreta sunt aduersus Sabellianos, Samosatenianos, Arrianos, Nestorianos, & similes hæreticos. Protestamur insuper, nos ex animo detestari omnes hæreses, quas sancti Patres Athanasius, Hilari⁹, Basilius, Nazianzenus, Cyrillus, Ambros. damnauerunt & proscripserunt. At vero, in illis statutum fuit opera Trinitatis ad extra esse indiuisa: & ab istis refutati sunt hæretici, qui contrarium senserunt & docuerunt: ergo & pronunciatum Bezanum, vna cum suo instauratore damnatum fuit. (Artic. 6.)

3. DOCT. Imo vero, & ante illa Concilia, B. Marcellinus Papa & Martyr, eorum damnauerat errores, qui dicebant, *Filium Dei cum Patre nullam operum communicationem habere.* Atqui nullam operum communicationem habet, si vere dicit Beza, seruādam esse distinctionem in operationibus ac effectis trium personarum: ergo plusquam mille & quadringentis sæculis damnatum est, anteq̄ à Beza instauratum fuerit hoc propositū. (Epi. ad Salomon. Episc.)

4. MIN. Sed quibus Scripturis suam istam censuram cōmunit beatus Martyr? DOCT. Subiicit ille. Quod communem operationem habeant Pater & Filius hoc modo docetur. Dum primi hominis plasma Deus ad imaginem Dei communi operationis virtute fecisse fertur Scriptura dicente: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Item ibi: *Descendamus & confundamus ibi linguam eorum.* Et: *Pluit Dominus à Domino ignem & sulphur super Sodomam.* Et in Euangelio: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Similiter hæc: *Opera quæ ego facio, non sunt mea, sed eius qui misit me Patris.* Quæ omnia non discretam Patris & Filij potentiam monstrant, sed vnam Diuinitatis operationem annunciant. Et is qui paternum opus exequitur, à paternis operibus alienus esse non creditur.] Hæc ille, quibus animaduertis & rationum momentis, & scripturarum (Gen. 1. — Gen. 11. — Gen. 14. — Ioan. 5. — Ioan. 7.)

rum oraculis comprobari diuinarum personarum vnicam & indiuisam esse erga hũc mundum operationem.

5. Adijciatur ista ratiocinatio ex fundamentis fidei nostræ petita. Quorum est vnica & sola voluntas, potentia, maiestas, ac natura, vna & eadem est transiens operatio. Sed Patris, Filij, & Spiritus sancti vnica est. Siquidem non sunt tres Dij, aut Domini, aut Omnipotentes: sed vnicus Deus & Dominus
Athan. in Symb. Omnipotens. Ergo eorum vnica est circa nos operatio.

6. MINISTR. Hæc pie & scite: sed super omnia satisfaciunt Scripturæ. DOCTOR. Præsto sunt & alia ista. *Pater in me manens, ipse facit opera. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Quæcunque pater facit, hæc & Filius similiter facit.* Quæ prudenter expendens eximius Doctor Augustinus, ait: Eadem sunt opera Patris & Filij, quia nullum est opus Filij, quod non per eum Pater faciat: nec vllum Patris, quod non per Filium simul facientem faciat. Quæcunque enim Pater facit, hæc eadem Filius facit: nec vtique Pater & Filius operantur sine Spiritu sancto. Neque enim ad faciendum amborum operibus vllo modo amborum separabitur Spiritus.]

Ioh. 4. Ioan. 5. L. de Trinitate & vnitate Dei c. 8.

7. MIN. Sed præstat vt præcipua sanctissimæ Trinitatis circa nos opera percurrentes attendamus, an simul ea tres illæ personæ peregerint. DOCT. Si à creatione omnium exordium capiamus, res statim confecta erit. Moses namque trium meminit, dicẽs: *In principio creauit* (Elohim, Deus trinus & vnus) *Deus cœlum & terram.* Etenim principiũ illud est Filius, qui de seipso dixit: *Ego principium, qui & loquor vobis. Ego sum α & ω, principium & finis. Per ipsum quippe omnia facta sunt. Per ipsum condita sunt omnia siue visibilia, siue inuisibilia.* Adeo vt eodem gradu & iure cum Patre suo vere sit & dicatur Creator & factor cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Ac vt tantundem de Spiritu sancto profiteamur necessum est, de eiusdem creationis initio dicente Moyse: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: quod ad Spiritum sanctum referendum esse non dubitat beatus Hieronymus. Quod asseuerans & Dauid ait: *Verbo Domini cœli firmati sunt: & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Vt tota Trinitas (inquit Gregorius) operata simul demonstretur. Fulgentius addit, de eodem scriptum esse, *Emitte Spiritum tuum & creabuntur.* Atque ideo profitemur in Symbolo, Spiritum

Gen. 1. Ioan. 8. Apoc. 1. Ioan. 1. Coloss. 1. Gen. 1. In nom. Hebraic. Hom 30. Psal. 33. Symb.

A esse Dominum & viuificantem: Ecclesiaque supplex adorans inuocat, *Veni creator Spiritus.* Habes ergo Patrem, Filium & Spiritum sanctum, vnicum & verum esse creatorem mundi, non tres creatores: quod tamen sequeretur, si iuxta Bezam, distinguendæ essent operationes ac effectus varij, sicut distinctæ sunt personæ, earumdemque proprietates.

MIN. Habes hac in re consentientem Augustinum? DOCT. Habeo plane, istisque verbis: Nihil putetur in hac Trinitate temporibus locisve distare, sed hæc tria æqualia esse & coæterna, & vna omnium esse natura. Non à Patre aliam, & à Filio aliam, & à Spiritu sancto aliam esse conditam creaturam: sed omnia & singula quæ creata sunt, vel creantur, Trinitate creante, subsistere. Nec quemquam liberari à Patre sine Filio, ac Spiritu sancto: aut à Filio sine Patre & Spiritu sancto: aut à Spiritu sancto, sine Patre ac Filio: sed à Patre & Filio, & Spiritu sancto, vno, vero, vereque immortali, id est, incommutabili solo Deo.] 8.

Ep. 102. quæ est ad Euod.

MIN. Quomodo vero in Christi incarnatione hæc vera sunt, vbi solus Filius factus est homo, passus, crucifixus, mortuus, sepultus, resurrexit, ascendit ad cœlos, solusque venturus est iudicare viuos & mortuos? DOCT. Magnus Augustinus iandudum iis obiectionibus ita fecit satis: Natus ex Virgine non nisi solus est Filius: vox de nube ad solius personam pertinet Patris: & in corporali specie columbæ solus apparuit Spiritus sanctus: tamen & illam carnem solius Filij, & illam vocem solius Patris, & illam speciem columbæ solius Spiritus S. vniuersa Trinitas operata est. Non quod inualidus sit vnusquisque eorum sine alio quod operatur implere: sed non potest operatio esse diuisa, vbi non solum æqualis esset, verum etiam vbi esset indiscreta natura. 9.

L. de Trin. & vnitate Dei, c. 9. Luc. 1. & 2. Matt. 3.

D IDEM Rursum alibi Filius quidem, non Pater, natus est de Virgine Maria, sed ipsam natiuitatem Filij, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus operatus est. Non est quidẽ passus Pater, sed Filius: passionem tamen Filij, & Pater & Filius operatus est. Non resurrexit Pater, sed Filius: resurrectionem tamen Filij & Pater & Filius operatus est.] Ac ne dubites eum in hac sententia perstitisse, sic rursum in alio loco disserit: Catholica fides hoc habet contra omnem hæreticam prauitatem, quia Patris & Filij inseparabilia sunt opera, &c. Dicam quid sit. Non dicit catholica

Ser. 63. de verbis Domin. Tract. 20. in Ioan.

lica

lica fides,quia Deus Pater fecit aliquid,& fe- A
cit Filius aliquid aliud,sed,quod fecit Pater,
hoc & Filius fecit,hoc & Spiritus sanctus fe-
cit.]

10. MINIST. Sed aduentus ad iudicium, soli
Ioan.5. tribuitur Filio: Quandoquidem ipse ait: *Pa-*
Act.10. *ter non iudicat quemquam.* Et Petrus in Actis:
Hic constitutus est à Deo iudex viuorum & mor-
Act.1. *tuorum.* Quin & Angeli dixerunt Apostolis:
Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœ-
lum,ita veniet. Denique in Symbolo profite-
mur: *Venturus est iudicare viuos & mortuos.*
Quomodo igitur hæc opera totius erũt Tri-
nitatis,cum soli Filio adscribantur? DOCT. B
Aduerte quædam futura in eo iudicio, quæ
totius Trinitatis erũt: alia quæ solius huma-
nitatis assumptæ à Filio: Nam finem huic se-
culo imponet sancta Trinitas, sicut illud i-
psum creauit & formauit. Hinc, vnica Pa-
tris, & Filii, & Spiritus S. virtute omnes à
mortuis excitabuntur, congregabuntur, a-
Iob.5. stabuntq́ ante tribunal Christi. *Nam sicut Pa-*
ter mortuos suscitat & viuificat, sic & Filius quos
vult viuificat: idque, non sine mutuo amore
suo ab vtroq; procedente Spiritus S. Seque-
tur bonorum & malorum diiudicatio, æ-
quissimaque pro variis operibus collata re-
tributio, quæ æqualiter à Patre & Spiritu S. C
atque à Filio,(cum trium sit eadem voluntas
Ps.61. & iustitia) perficietur. Enimuero quoties
Matt.16. Scriptura docet, Deum redditurum esse v-
Rom.2. nicuiq́ secundum opera sua, toties Patrem,
Apoc.22. Filium,& Spiritum sanctũ,vnum solumque
Deum id facturum esse repromittit. Atque
sic hic Deus trinus & vnus iudicabit omnes
fines terræ,iudicabit populos in æquitate, e-
lectos deducet in regnum cœleste, repro-
bos autem mittet in caminum ignis: idque
Act.17. (vt Paulus docet) *in viro in quo statuit, fidem*
præbens omnibus, suscitans eum à mortuis; id est,
per Dominum nostrum Iesum Christum. D

11. MIN. Quid ergo huic soli reliquum est:
Tract.21. in Ioan. DOCTOR. Respondet iterum tuis quæ-
Act.1. sitis B. Augustinus: Hominibus in iudicio nõ
apparebit nisi Filius, Pater occultus erit, Fi-
lius manifestus. In quo erit Filius manife-
stus? In forma qua ascendit. Nam in forma
Dei cum Patre occultus est, in forma serui
hominibus manifestus. Et postea: Formam
Zach.12. humanam videbunt impij. Videbunt & ad
Apoc.1. dexteram positi, videbunt & ad dexteram
Ioan.19. separati, sicut scriptum est: *Videbunt in quem*
pupugerunt. Corpus ipsum videbunt, quod
lancea percusserunt: latentem Deum in
corpore non videbunt.] Et vt noris quam
perpetuus, sibique semper similis fuerit in
hac pietate Augustinus, Eadem tradit libr. 1.
de Trinitat. cap. 13. & Sermone 64. de verbis
Domini, &c.

MIN. At hominis regeneratio & reno- 12
uatio soli tribui videtur Spiritui S. DOCT. Io.3.7.20.
Imo vero Christus præcipiens Apostolis suis Rom 5.
ire in mũdum vniuersum, & prædicare Eu- Titum 3.
angelium omni creaturæ, eadem opera iu- Act.1.
bet tingere, *In nomine Patris, & Filii, & Spiri-* Marc.16.
tus sancti, vt quorum vnica est diuinitas, bo- Matt.28.
nitas, gratia, & in humanum genus beneuo-
lentia, vna quoque sit & indiuisa in hominis
regeneratione operatio.

Alteram renouationis nostræ speciẽ, quæ 13.
in remissione peccatorum fit à Baptismo, ni-
mirum gratia, iustificatione, & vitæ æternæ
consequutione, totam simul Trinitatem o-
perari docent Apostoli. Asserunt enim Pa- Io.2. Gal.
trem misisse Filium suum vt saluaret mun- 4.1. Io. 5.
dum: eumque fecisse victimam pro expia- 1. Io. 1. & 4
tione omnium delictorum nostrorum, imo 1. Cor. 1.
& λύτρον dedisse pro cunctis hominibus re- 2. Cor. 5.
dimendis: ideo Paulus ait, Christum factum 1. Pet. 2.
nobis esse à Deo sapiẽtiam, iustitiam, & san- Heb. 5.
ctificationem & redemptionem. Testimo-
nium de Filio perhibuisse 1. *Ioan.* 5. 2. *Petr.* 1.
Eumque à mortuis resuscitasse, & collocasse
ad dexteram suam in cœlestibus, & Domi-
num & Christum fecisse, & constituisse iu-
dicem viuorum & mortuorum. *Act.* 2. 3. 5. 7.
10. 13. 2. *Petr.* 1. *Rom.* 1. & 6. *Eph.* 1. 4. *Phil.* 2. *Col.* 1.
1. *Thess.* 5.

MINIST. Si quorundam veterum ad- 14.
dideris testimonia, causa perorata est. DO- L. 3. Pada-
CTOR. Clemens Alexandrinus sentẽtiam gogi.
istam scriptis Pauli cõmuniens scribit: Lau-
demus vnum Patrem & Filium vna cum Rom.11.
S. Spiritu, qui vnus est omnia, in quo omnia,
per quem omnia vnum, per quem est quod
semper est.] Extat & Confessio fidei B. Gre-
gorij Neocæsariẽsis apud Eusebium & Ru- L. 7. hist. c.
finum, qua similiter rerum omnium condi- 25.
tionem & regimen ex æquo tribus personis
tribuit, iis verbis: Trinitas perfecta, maiesta-
te & sempiternitate, & regno, minime diui-
ditur, neque abalienatur.] Sic & Tertullia- Adu.
nus eodem sæculo scribebat: Diuinitas gra- Herm. c. 7.
dum non habet, vtpote vnica. Idem rursum cap. 9.
postea: Hanc me regulam professum, qua
inseparatos ab alterutro Patrem & Filium &
Spiritum testor, tene vbique: & ita quid quo
modo dicatur agnosces]

Magnus Athanasius vnicum & indiuisum 15.
Trinitatis Dominium his verbis prædicat: Epist. ad Epictetum.

Omnibus quibus imperat & dominatur Pater, imperat & dominatur Filius, & totus ex toto similis Patri, vt & Dominus testatur: *Qui videt me, videt & Patrem meum.*] Et post pauca: Credimus itidem in Spir.S. omnia operantem: excommunicantes omnes, qui contra hæc dogmata sentiunt.] B. Hilarius, adfirmans, Patrem in Filio prædicasse, quia nihil in se habet Filius à Patre dissimile: Filiũ in Patre confiteri, quia non est aliunde quod Filius est.] Et Papa Damasus: Credimus Spiritum S. Patri & Filio coæternum, & coæqualem, & cooperatorem, quia scriptum est: *Verbo Domini cæli firmati sunt*, id est, à Filio Dei. *Et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et alibi: *Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.*] Claudat cœtum sanctorũ doctorum magnus Basilius ista sententia: Sanctificat, viuificat, illuminat, consolatur, & omnia huiusmodi similiter operatur & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Et nemo peculiariter potestatem sanctificãdi tribuat Spiritui sancto, cum audiat Seruatorem dicentem: *Pater sanctifica eos in nomine tuo.*]

Ioan. 14. *Li. de Syn.* *Symbol.* *Psal. 32.* *Ps. 103.* *Epist. 8* *Ioan. 17.*

MIN. Hæc abunde sufficiant ad fidem faciendam tam ex Scripturis quam ex primæ notæ Patribus, quod eadem & indiuisa sunt Trinitatis opera quæ ad res huius mundi spectant. Cætera persequere.

OPERA TRINITATIS AD INTRA esse distincta: contra 14. errorem.

CAPVT XII.

DOCTOR.

INscita ac temeraria turba Ministrorum nesciens de quibus loquitur, neq; de quibus affirmat, iam nunc contrariam sententiam persequitur, dicens post suum ducem Caluinum, Epistolarum editione secunda, Geneuæ, 1576. p. 293. *Trinitatis opera sunt intrinsecus indiuisa.* MIN. Quid sibi vult vocabulum *intrinsecus*, non satis capio. DOCT. Opera intrinseca dicuntur, quæ ipsam diuinitatis vnitatem, & personarum trinitatem ac maiestatẽ non exeunt: sicut è contrario, extrinseca vocantur, quæ ad res creatas diriguntur atque terminantur, velut creatio, redemptio, iustificatio, aut perditio hominum: Atque hæc quidem indiuisa esse trium personarum opera fides Catholica profitetur, & mox ostendimus: illa vero distincta esse pro distinctione personarum nunc nũc probemus oportet.

MIN. Certe dum de hoc attentius cogito, mihi videtur Caluinus hoc errore vel magnam accessionem, vel integram instaurationem adferre Sabellianismo. Siquidẽ per distinctionem operum Trinitatis intrinsecorum, vti Patris per generationem Filij, & productionem Spiritus sancti ab vtroq; colligimus, hos distinctos esse ab eo: & hunc distinctam esse personam ab vtroque: quandoquidem nemo seipsum gignit, vel producit. Sublata igitur distinctione operationum ad intra, sequetur fœda commixtio & confusio diuinarum personarum, quam molitus est impius Sabellius. *Confutatio.* 1.

Rursus, si trium hypostaseon intrinseca opera essent eadem, generatio Filij eadem esset cum Spiritus S. productione, sicque & Spiritus S. genitus esset vt Filius: & idem Filius Pater illius foret: atque sic in diuinis & duo Patres, & duo Filij numerandi: quæ monstrosæ sunt impietatis. Ad hæc, ipse quoque Filius velut & Spiritus produceretur voluntate, non intellectu aut natura, atq; sic nequaquam genitus esset, sed tantum ꝑductus. Denique, & ille idem Spiritus sanctus seipsum cum Patre & Filio produceret, si non essent distincta trium opera, vt Caluinus multiplici errore fascinatus contendit: quæ omnia his fidei Christianæ summis capitibus aduersantur: *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus à Patre & Filio non creatus, nec genitus, sed procedens. Vnus Filius, non tres Filij: & vnus Spiritus S. non tres Spiritus sancti.* 2. *Athanas.*

DOCT. Scite profecto ac pie. Addendum vero. Si opera personarum diuinarum intrinsecus essent indiuisa, vt placet Caluino, sicut Pater gignit Filium, ita & Filius gigneret aut seipsum, aut alium à se filium: sicque duo essent Patres, ac duo Filij: quod prorsus & cogitatu & dictu nefarium est. Iterum, Spiritus S. sicut Pater gigneret aut eundem, aut alium ab eo Filium, Rursumque, vt Pater & Filius vnica spiratione vel productione Spiritum S. producunt, sic & idem Spiritus produceret, nõ seipsum: ergo alium à se Spiritum: atque sic plusquam prodigiose distractum esset sanctæ & adorandæ Trinitatis mysterium in tres Patres, tres Filios, & tres Spiritus sanctos. Viden quo insaniæ ac furoris pergit, peruenitque supina temerariaque Caluinica inscitia? 3.

MIN. Video ac totus ad tantam hominum insaniam & impietatem obstupesco. 4.
DOCT. Subsiste paulisper, & alia nõ minus absona,

absona, quæ errorem istum consequuntur, A exaudies. Si opera omnia Trinitatis sunt indistincta, necesse est easdem prorsus esse voluntatis, intellectus, & memoriæ operationes: atque sic intellectum velle, voluntatem intelligere, memoriam velle & intelligere; intellectum libere agere, non naturaliter: & voluntatem ex natura agere, nulla vero libertate complacentiæ aut contingentiæ. Proinde sequeretur nihil in Diuinis ordine & sapienter agi? sed omnino commixtas esse Diuinas facultates, & confusas operationes. Quæ quam absurda sint & impia, nemo non intuetur. B

5. Adhæc, si cuncta illic essent indistincta, permiscerentur diuinæ illæ proprietates seu relationes, quibus hypostases & in esse personali subsistunt, & inter sese secernuntur. Nam Filius gignens sicut & Pater, paternitatem sibi iure huius operationis vendicaret: & Spiritui sancto eadem quoque conueniret relatio: atque hoc modo nec Filius nec Spiritus S. distinctæ essent à Patre hypostases. Insuper, & Spiritui sancto actiua spiratio quadraret: sed & generatio passiua, seu filietas eidem aptaretur: atque sic eadem persona Spiritus sancti, & Pater esset & Filius. Denique, proprietas Filij aptata Patri, eum cum C Filio confunderet: atque sic idem personaliter esset Pater qui & Filius & Spiritus: quod impij Noetiani & Sabelliani contendebant.

6. MINIS. Hæc longius persequi minus necesse est, quapropter tantum aliquorum adhibe censuram: DOCT. Scribit Augustinus. Trinitas est propter proprietates personarum: & vnus Deus propter inseparabilem diuinitatem.] MIN. Ergo si permisceas & confundas operationes & proprietates, confundes simul personas, cum per earum distinctionem secernantur. DOCT. Idem rursum ait: Credimus vnum esse D Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Patrem eo quod Filium habeat: Filium eo quod Patrem habeat: Spiritum sanctum eo quod sit ex Patre & Filio procedens, Patri & Filio coæternus.] Et alibi pie concludens scribit: Qui potest capere capiat: qui autem non potest, credat: & oret, vt quod credit intelligat. *Lib. 3. contra Maximinum Arrianum. c. 10.*

L. 11. ciuit. c. 24.

L. de Eccles. dogma. c. 1.

7. Athanasius sic operationes intrinsecas trium discernit: In hoc sane alius est Pater, quod vere genuit: & in hoc alius est Filius, quod vere ab eo genitus est: sed & in hoc alius est Spiritus hic principalis paracletus, quod in Pentecoste in Apostolos effusus est.

De propr. person.

Et ante hos omnes Tertullianus hanc operum intrinsecorum distinctionem sic ex scripturis colligebat: Omnes pene Psalmi Christi personam sustinent; Filium ad Patrem verba facientem repræsentant. Animaduerte etiam Spiritum loquentem ex tertia persona de Patre & Filio: Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam, &c. *Libro aduersus Praxeam*, qui ante Sabellianos (vt à Philastrio & Augustino notatur) in Africa Diuinas personas confuderat. 8.

Ps. 2. & 3.

Ps. 109.

IN PERFECTA TRINITATE PERsonarum, Filius infinitus, & Spiritus infinitus fluunt ac procedunt à Patre infinito: aduersus 15. & 16. errorem.

CAPVT XIII.

DOCTOR.

SEquuntur & alij duo errores, qui licet in specie videantur exigui, reipsa tamen sunt maximi & teterrimi: quoniam duarum personarum diuinarum emanationes tollunt, & perfectæ Triadis rationem subuertunt. Horum author est Ioannes Bodinus, Gallus, qui & si externo cultu ritus obseruet Catholicos, reuera tamen Caluinianis plantis magis adhæret, & huius scripta studiosius voluit & probat, quam patrum, veterumque Sanctorum, vt suis literis patefacit. Ex eorum ergo lacunis hausit, quod libris editis publicauit, de Diuinis tractans. *Infinitum ab infinito fluere nequit*: velut ante me notauit Antonius Posseuinus, vir in Societate nominis IESV, pietate, literis, & rebus in Polonia, & Moscouia præclare gestis celeberrimus.

Methodo ad legendas historias. Apparat. ad omnes hist. sect. 1. c. 9.

MINIS. Recte iudicas sane hos errores desumptos esse ex scriptis Caluini: quandoquidem hic aperte docet Dei Filium *vtpote lucem æternam, fulgorem sibi ingenitum habere, non aliunde* (i. non ex Patre) *accitum*. Quod & alibi repetens & comprobans ait: *Bene & proprie ipsum* (Filium) *esse à se asserimus*. Rursum scriptis suis aduersus Seruetum, & Gentilem, idem multis in locis adfirmat. Tantundem consequitur de Spiritu sancto. Quæ vere dicta esse imprudenter cogitans Bodinus, quasi eorum rationem redditurus ait, *quia infinitum ab infinito, nequit profluere*. Atque sic à Caluino delusus in hos errores impegit; ex qui-

Confut. 1.

In c. 1. Io. v. 9.

Inst. L. 1. c. 8. §. 19. & 23.

ex quibus ſequitur, vel Filium & Spiritum A
non eſſe infinitum, vel neutrum eorum à Pa-
tre infinito procedere: quæ duarum perſo-
narum iſtarum emanationem, ſicque veram
in vna Deitate Trinitatem, penitus labefa-
ctant. Tu age ex Scripturis.

DOCT. Hæ quoties Patris & Filij memi-
nerunt (quod frequentiſsime contigit) aper-
te docent, Patrem vere ab æternoq; genuiſſe
Filium ſibi cõſubſtantialem: Filiumq; vere à
Patre genitum eſſe, Deum de Deo, lumen de
lumine, Deum verum de Deo vero. Ergo in-
finitum ab infinito gigni atq; profluere. Ait
enim Pater infinitus ad Filium æque infini- B
Pſalm. 2. tum *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ex vtero*
Pſal. 109. *ante luciferum genui te.* Et in Euangelio: *Hic eſt*
Matth. 3. *Filius meus dilectus. Ego ero ei in Patrem & ipſe erit*
& 17. *mihi in Filium.* Hæc enim de Chriſto æterno
2. Reg. 7. Dei Filio dicta eſſe, nemo Chriſtianus ibit in-
Hebr. 1. ficias. Ergo infinitum Filij ſuppoſitum ab
infinito Patre procedit atque profluit.

3. Filius quoque toties ſe per generationem
æternam à Patre profluxiſſe cognoſcit & fa-
tetur, quoties Patrem ſuum appellat & inuo-
Io. 11. cat. *Pater, gratias ago quod ſemper me audis. Pater,*
Io. 12. *ſaluifica me ex hac hora. Ego in Patre, & Pater in*
Io. 14. *me. Pater in me manens facit opera. Pater meus di-*
Io. 15. *liget eum. Pater meus agricola eſt. Pater clarifica Fi-* C
Io. 17. *lium tuum. Pater ſancte, ſerua eos. Pater fiat volun-*
Matth. 26. *tas tua. Pater ignoſce illis, &c.* Eſt igitur luce So-
Luc. 22. lis clarius Filium vndequaque infinitum ac
immenſum, à Patre infinito & immenſo pro-
ceſsiſſe. Nam vt immenſus Pater ſic immen-
ſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus. Nec
tamen tres immenſi, ſed vnus immenſus.
L. 1. de Sym- Hæc quidem, vt ait Auguſtinus, digne non
bolo ad poſſumus enarrare: ſed debemus corda no-
Cathec. c. 3. ſtra ipſi Filio præparare, vt illuminando per-
ducat nos ad ſpeciem veritatis ſuæ, ne rema-
neamus in tenebris infidelitatis noſtræ.

4. MIN. De Filij emanatione hæc quidem D
ſatis ſed nondum de Spiritu ſancto. DOCT.
Vt clariſsima ſic certiſsima ſunt de eius pro-
Io. 16. ceſsione iſta verba Chriſti. *Cum venerit Para-*
cletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus ve-
ritatis, qui a Patre procedit, &c. quæ ſic explicat,
L. 15. Trini. & ſententiam noſtram tuetur Auguſtinus.
ca. 26. Quoniam Scriptura Spiritum dicit ambo-
Gal. 4. rum, *Miſit Spiritum Filij ſui in corda noſtra. Spiri-*
Matth. 10. *tus Patris mei loquitur in vobis*, comprobatur
Patris & Filij eſſe Spiritum, qui proprie in
Trinitate dicitur Spiritus ſanctus. De quo i-
Io. 16. tem dicit Filius: *Quem ego mittam vobis à Patre.*
De vtroque autem procedere ſic docetur,
quia ipſe Filius ait: *De Patre procedit.* Et cum

reſurrexiſſet à mortuis, & apparuiſſet diſci- Io. 20.
pulis ſuis, *inſufflauit & dixit, Accipite Spiritum*
ſanctum, vt etiam de ſe procedere oſtende-
ret.] Hæc ille, quibus ex Scripturis, & totius
antiquitatis fidiſsimo teſte manifeſtum &
certum efficitur, Spiritum ſanctum, Deum
infinitum ac immenſum ab infinito & im-
menſo Deo Patre & Filio, tanquam ab vno
principio profluere ac emanare.

MINIS. Et reapſe, ſi Spiritus ſanctus non 5
ſit infinitus, immenſus, ac incomprehenſibi-
lis, non eſt Deus. Cum vero è contrario, ad- Act. 5.
firment conſtanter Petrus & Paulus eum ve- Eph. 4.
re Deum eſſe, & à Patre & Filio procedere
illum iam conſtet: euidens eſt Infinitum ab
infinito procedere atque profluere, quid-
quid hæreticus garriat.

DOCT. Iſtiuſmodi perpetuam atq; con- 6.
ſtantem fuiſſe cunctorum Chriſtianorum
doctrinam fidemque patefaciunt duo pieta-
tis noſtræ Symbola. Nam in Nicæno & Con-
ſtantinopolitano dicitur: *Qui ex Patre Filioq;*
procedit. Et in Athanaſiano: *Spiritus ſanctus à*
Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus,
ſed procedens, Cum vero iſta proceſsio nec
creatio ſit, nec generatio: ſupereſt vt ineffa-
bilis ſit emanatio atq; profluxio infiniti Spi-
ritus ab infinito Patre & Filio.

Et ne in verbo *fluendi*, vt ſunt verborum
captatores, minimum hæreant, ecce priſcos 7.
authores, qui ab eo non horruerunt. Baſilij Serm. cõtr.
Magni verba ſunt iſta: Pater perfectam ha- Sabellium.
bens ac nullius indigam Eſſentiam, radix &
fons Filij ac Spiritus ſancti exiſtens eſt vere
& Filius in plena diuinitate vniens verbum,
& progenies Patris nulla re deficiens. Plenus
autem eſt & Spiritus, non pars alterius: ſed
perfectus, & totus in ſeipſo conſiderandus.
Et M. Victorinus Afer, eadem comparatio- L. 1. contra
ne influendi vſus ſcribit: Vt fons aquarum Arrium.
immutabilis cum fluit, & in flumen aduenit
iuxta alueum, ſemper ſeruat potentiam aquę
ſuam. Et ſicut flumen irrigat terram nullam
diminutionem ſentiens, ad hoc quod eſt eſſe
aquam: ſic Chriſtus ille eſt fluuius, de quo
Propheta dicit: *Qui irrigat & infundit totam* Gen. 4.
terram. Flumine vitæ omnium eorum quæ
ſunt ſubſtantia rigat. In quo autem vita eſt
Chriſtus, in quo rigat Spiritus ſanctus, in quo
potentia eſt vitalitatis, pater & Deus, totum
autem vnus Deus.] Hactenus illi, qui tametſi
ſubobſcure, ſatis tamen attentis mentibus
indicant, Filium & Spiritum ſanctum à Patre
velut riuos à fonte, & flumina ab ipſo mari
ſcaturire, promanare, ſiue profluere, idque
ab æ-

ab æterno, & sine vlla Paternæ Deitatis mutatione vel imminutione.

8\. His adiicio virum Apostolicorum temporum, Tertullianum dicentem: Spiritus est à Deo (Patre) & Filio, sicut tertius à radice fructus ex frutice, riuus ex flumine, radius à sole, apex ex radio.] At vero riuus ex flumine proprie dicitur profluere: igitur vere proprieq; Spiritus infinitus, à Patre & Filio tanquam vnico principio, eodemque infinito, vero viuoq; fonte profluit. Agmen testium claudet Augustinus iis verbis ex Euangelio differens: *Sicut Pater vitam habet in semetipso, sic dedit Filio vitam habere in semetipso*, non sine vita existenti iam Filio, vitam Patrem dedisse, sed eum ita sine tempore genuisse, vt vita quam Pater Filio gignendo dedit, coæterna sit vitæ Patris qui dedit, intelligat, sicut Pater in semetipso habet vt de illo procedat Spiritus sanctus, sic dedisse Filio vt procedat de illo idem Spiritus sanctus, & vtrumque sine tempore. Atque id ita dictum Spiritum sanctum à Patre procedere vt intelligatur quod etiam procedit de Filio: de Patre esse & Filio.] Hæc ille, quibus patet veteres de sacris literis collegisse, & constanter asseruisse, Filium Dei, & Spiritum sanctum, vtrunque sane verum, viuum, infinitum, ac incomprehensibilem Deum, de Deo Patre, vtrique infinito, ante omne tempus emanasse ac profluxisse. Non sunt autem tres æterni, aut tres increati, aut tres immensi: sed vnus æternus, vnus increatus, & vnus immensus Deus qui est benedictus in sæcula.

L. aduers. Praxeam.

Lib. 15. de Trinit. ca. 17. Io. 5.

DE INFINITA DEI VIRTVTE, Omnipotentia, & absoluta potestate: aduersus octodecim Caluinianorum hæreses.

CAPVT XIV.

DOCTOR.

O Bcæcati ac furentes hæresiarchæ, vbi in Deitatem inclementer inuecti sunt, sanctissimæ Trinitatis & vnitatis diuinæ mysterium deformauerunt: mox omni deposito pudore metuque numinis, 18. hæreses contra eius infinitam virtutem, absolutam potestatem, ac omnipotentiam machinati sunt. MINIS. Bone Deus! quid prædicas? quid audio? Nunquam adducar vt credam homines ita versatos in scripturis, Dominicæq; laudis studiosos id fecisse, nisi in eorum scriptis ad verbum hæc omnia sigillatim ostenderis. DOCT. Audi patientissime, & me vera dixisse ostendam. MIN. Agedum, de vnoquoque singulatim differe. DOCT. Caluinus in Instit. li. 3 c. 23. §. 2. ait: *Neque commentum ingerimus absolutæ potentiæ: quod sicuti profanum est, ita merito detestabile nobis esse debet*. Ecce rursum eiusdem in Isaiam Gallice scripta commentaria, lege tu ipse hanc periodum. MIN. Da librum, sic enim mihi multo facilius satisfaciam. *Ceste resuerie de la puissance absolue en Dieu, que les Scholastiques ont introduite, est vn execrable blaspheme.* DOCT. Dic ad verbum Latine. MIN. *Istud somnium de potestate absoluta in Deo, quam Scholastici introduxerunt, est execranda blasphemia.* DOC. Agesis, nonne absolutam, & nullis legibus subiectam Dei potestatem Caluinus negat? MIN. Id non solum, sed quod peius est, & Scholasticos huius authores fingit, & iniuriis atrocissimis eandem proscindit. DOCT. Accipe præterea librum illius Gallicum, De æterna prædestinatione, & hunc locum voluta. MIN. *Ie deteste ceste doctrine en laquelle ces Papaux Theologiēs se plaisent, faignans en Dieu vne puissance absolue.* Quod verbis Latinis dicitur: *Ego detestor hanc doctrinam, in qua Papistici Theologi sibi placent fingentes in Deo quandam potestatem absolutam.* DOCT. Viden igitur, vt miser hic homuncio sine vllo timore blasphemat absolutam & infinitam Dei potentiam qua dæmones ipsi infremunt & contremiscunt? MIN. Non possum id negare, minus etiam dissimulare. DOCT. Ponamus igitur eam sententiam hæreseôn ordine tertiam decimam.

Com. in ca. 23. Isaiam.

MIN. Alias ordine referas velim, priusquã ad earum refutationem accedas. DOCT. Quartadecima est à Theodoro Beza inuenta, scribente. *Nec credendam esse, nec vniuersaliter recipiendam Gabrielis Angeli ad Virginem, vniuersalem propositionem istam: Non est impossibile apud Deum omne verbum.* MIN. Quibus ergo vult nos credere, nisi Dei verbo, per Angelos allato? Impure forsitan meretrici suæ Candidæ, vel catamito Audeberto? DOCT. Præstolare aliquantulum, & his plura, deterioraq; protinus exaudies. Idem enim Beza scribit aduersus Brentium, non ita pridem Ducis Vvitembergici ministrum, *Deum non posse efficere, vt corpus humanum sine suis dimensionibus, id est, longitudine, latitudine, & profunditate, vnquam existat.* MINIST. Nimis audacter imbecillis ingenioli nostri mensura infinitam Dei metitur potentiam. DOCTOR. Decima sexta hæresis eius est, *Deum non posse easdem quantitates suis destituere*

Li. 1. adu. Tilem. Heshusium.

natu-

naturalibus effectis, quominus certa occupent, & impleant loca. MIN. Quasi vero Creator omnium & causarum secundarum summus author ac moderator, tam eas, quam earundem effecta in sua non retineret potestate. Nec posset oculos priuare visu, ab auribus auditum remouere, & linguam humanam continere.

DOCT. Decima-septima hæresis est, *Deū nunquam posse efficere, vt corpus Domini Iesu Christi quantumuis Filio Dei vnitum, gloriosum & immortale, eodem tempore in diuersis existat locis.* MIN. Scio equidem Carolstadium, Zuinglium, Oecolampadium, Caluinum, Vermilium, Boquinum, aliosque permultos in ea fuisse sententia, vt suam de Cœna possent tueri opinionem. Ego vero ne peccarem in diuinam ac infinitam potentiam, semper malui insistere vestigiis Heidelbergensium, qui in Malbrunensi Colloquio, coram VVitembergensi & Palatino, necnon aulicis eorum ac Theologicis publice professi sunt, se nunquam velle dubitare, minus etiam negare, Deum id quidem posse: sed an velit se nescire. *Non negamus*, inquiunt, *illud ex Dei omnipotentia multis locis esse posse: sed an hoc velle Christum possit probari.*

In actis colloq. 1564. Act. 8. Pag. 148.

DOCT. Decima-octaua hæresis est, *Deum non posse corpus Christi tametsi iam immortali maiestate & gloria præditum, inaspectabile reddere, & à carnis mortalium oculis subtrahere.* MIN. Ei sane assentiri nec volo, nec valeo. Nam si Angeli, vt lubet, sese visibiles præbeant & inuisibiles, quid impediet summum creatorem & iudicem eorum corpori à se assumpto idem prorsus elargiri? Si solem, lunam, & stellas modo vigere, modo latere sinat, poteritne Beza eundem præpedire, quominus de corpore humano tantundem si velit efficiat? Depressam sub legibus cælorum habet-ne horum moderatoris supremam potentiam?

DOCT. Disputationem differ obsecro, donec cætera, quæ diuinæ Omnipotentiæ ab his obiiciuntur, enumerē. Illi ergo decimonono loco aiunt. *Deum non posse corpus de genere substantiæ continere sub minore quantitate aut mensura, quam quæ sua cuique propria & naturalis est.* MIN. Nimis certe impudenter opificem totius mundi suis operibus subiiciunt, & omnipotentem Creatorem imbecillis à se conditis rebus substernunt.

DOCT. Vigesimo & vigesimo-primo loco aiunt, *Deum nulla vi efficere posse vt vel camelus, vel funis nauticus per foramen acus transeat.* MIN. Non dubito Spinam, & Suræum ministros, primum voce, deinde publico scripto idipsum post Caluinum & Bezam sustinuisse in Colloquio Parisiis 1566. habito: sed eorum opinionem minus probant mecum omnes, qui aliqua Dei reuerentia tangebantur, propterea quod Omnipotentiæ diuinæ, quæ omnem sensum & intellectum exsuperat, minimum videntur tribuere. Interim inchoatam enumerationem persequere.

DOCT. Vigesimo secundo, tertio, & quarto locis, Gallicus hæresiarcha in scriptis suis asserit, *ea omnia Deo impossibilia, quæ nunquam visa fuerunt: quæ nunquam futura sunt: & quæ Deus prænunciauit nunquam euentura.*

Instit. l. 2. ca. 7. §. 5.

Ioannes VVierius Cliuiensis medicus, magorum omnium patronus, vestræque sectæ propugnator, audacissime pronunciat vigesimoquinto hæreseon ordine, *Id simpliciter Deo esse impossibile, quod per naturam nobis est impossibile.*

Petrus Vermilius immani libro edito cōtra Eucharistiæ Sacramentum, & realē corporis & sanguinis Christi in eo præsentiam, Beza contra Brentium, & non ita multum antea nominati Collocutores Parisienses Suræus & Spina, manifestæ ostendunt omnes sectæ vestræ ministros & scriptores in hoc hærere luto, *quod nihil Deus efficere valeat aut supra, aut contra ordinem ab eo in natura constitutum:* vt ēt ex Caluino manifeste colligitur: Atque hæc vigesima sexta sit hæresis vestra.

Li. 4. Inst. c. 17. §. 24.

Collocutores Parisienses Suræus & Spina vigesimamseptimam addiderunt, Niuernensium Ducis quæstiunculæ respondentes, *Deum nec velle posse, tantum abest efficere, vnum corpus eodem instanti in multis esse locis.*

Vigesimo & octauo loco, Bernardinus Ochinus nuper Geneuæ in Italica lingua minister, verbo promulgauit, & postea scriptis confirmauit, *Deum nec posse intellectu comprehendere idem corpus in diuersis locis*: quod alij eiusdem furfuris ministri comprobarunt, quando eandem hæresin Latinam fecerunt: & typis mandauerunt.

Sermon. de Cœna.

Denique, vigesimo-nono loco ex Apostolico Symbolo, vestraque Fidei communi Confessione *Omnipotentiam Dei reipsa supprimitis.* Et trigesimo, quoties diuinarum perfectionum enumerationem in libellis vestris contexere nitimini, eandem penitus *ac si nulla prorsus esset in Deo, reticetis & obliteratis.* MIN. Cætera quidem hactenus non repugnanter tuli, quod reipsa nouerim in animo meo vera esse, tametsi aliud inuito animo simularē: duas vero postremas accusationes, quis non inique

inique ferret? Tam enim falsæ sunt, quam A falsissimæ. DOCT. Imo tam veræ sunt, quã verissimæ. En accipe, & attentius perlege Confessionem cõmuni cõsensu vestrorum omnium editam, & quidem per vniuersam Galliam disseminatam, Geneuæ autem typis impressam per Franciscum Duron 1563.

Eam Minister voluit, & identidem reuoluit, comperitq; nullam omnipotentiæ Diuinæ in ea fieri mentionem: tandemq; alto de pectore suspirans exclamat.

Nunquam profectò, nunquã peramans Dei & veridice Doctor, mihi persuasissem, summorum Authorũ reformationis nostræ tam B perniciosa esse consilia, tamq; in re præsertim tanti momenti improbos ac subdolos extitisse Geneuani cœtus Ministrorum animos. DOCT. Ecce rursum Confessionem fidei Bezæ, quæ sursum deorsum per Galliã, Angliam, Scotiam, & Heluetiam cursitat, quæq; rursum *Omnipotentiæ Diuinæ* nihilo plus meminit, quam si nulla in scripturis & Symbolis Christianis eius esset memoria. Idem rursum Beza in Declamationib. Pysiaci habitis, præsentib. regib. matre eorum, Principibus, & præsulibus amplissimi Franciæ regni, prætermisit ex composito *infinitam Dei* C *potentiam*, nõ secus ac si eam existimasset nullam: quod statim totus animaduertit & exhorruit Catholicorum, qui aderant, cœtus. MIN. Non essem mentis compos, si hæc non agnoscerem & faterer verissima & apertis-

Dialog. 16. sima esse. DOCT. Ecce rursum Clypeus fidei vestræ, iam ter quaterq; excusus, in quo Ministri, dum singulas Dei perfectiones & proprietates ordine se enumerare pollicentur, *Omnipotentiam Diuinam* omnino prætermittunt, ac si eam Apostoli in Symbolo Christiano primo omnium loco credendam & adorandam non proposuissent. Atque hæ D sunt hæreses, his contrariæ, quæ secundum scripturas, Patrumq; veterum doctrinam de Omnipotentia Dei totus Christianorum cœtus hactenus docuit & credidit. Dic sodes, quas earum velis tueri atque defendere?.

Confutationes à cõtradictionibus. 1. MIN. Aio simpliciter & candide: has oẽs improbare atque reiicere potius iuuat, quam in Diuinam maiestatem, & interminatam virtutem tot contumelias iacere. Constat enim apud me Ministros nostros non diuinæ gloriæ, aut doctrinæ Euãgelicæ propugnandæ studio, in has absurditates incidisse, sed imprudentes ac ferme inuitos. Enimuero vt opinionem Sacramentariam semel à Zuinglio & Caluino inuectam pertinaciter defenderent, & tam Catholicorum quam Lutheranorum argumentorum vim declinarent, in has angustias redacti sunt, vt ad quosdam Atheos confugerent, & ab his cuncta illa mutuo acciperent, quæ aduersus diuinam Omnipotentiam deblaterant, vt eam vel naturæ legibus subiiciant, vel cum Caluino contumeliose reiiciant & abnegent. Plinius.

Malo itaq; cum Heidelbergensib. & Lutheri discipulis, dare gloriam Omnipotenti Deo, atque præcedentes hæreses vt eius maiestati iniuriosas, tecum refellere, & veluti hominũ furiosorum inuenta damnare, quam quicquam aduersus verbum Dei mei præfracte defendere. DOCT. Hæc profecto redolent virum & veritatis amantissimum, & salutis suæ cupidissimum. Et quoniam in hoc consentimus, quod superiora Caluinianorum axiomata diuinis scriptis repugnant, gloriam Dei omnipotentis imminuunt, atque deformant, age, disputationem instituamus, & firmissimis argumentis doceamus, illa impia & hæretica esse, vt ab his omnium hominum animus abhorreat.

MIN. Incipiam quæso, & nostris Confes- 2. sionibus, atque libellis propriis ea refellam. Primo enim in nostris Catechismis profitemur. *Credere Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ.* Quod ibidem interpreta- Dom. 2. & 3. mur, *eum omnia in manu sua tenere, quibus possit imperare, & vt ei bonum videbitur de cunctis disponere.* Et in primo articulo fidei nostræ Cadomi excusæ 1565. per Simonem Mangeantiũ, *confitemur Deum esse Essentiam simplicem, spiritalem, æternam, infinitam, omnipotentem: nulla exceptione interiecta.* Ex quibus consequitur, eos, qui cum Caluino negant potentiam Dei absolutam, aut eam exceptionibus restringunt vt Vermilius, sibi vt impuri mendaces repugnare, & hæreticorum instar proprio se iudicio condemnare. Tit. 3.

Sese etiã proprio gladio iugulat Caluinus, 3. scribens in Harmonia, *eos improbe de operibus* In c. 1. Luc. *Dei sentire qui non credunt eum plura posse facere,* v. 18. & *quam quæ naturæ sunt possibilia, ac si eius potentia* 17. vt ex *vel subiecta vel inclusa esset terrenis in rebus.* Et Gallico Lapaulo post ait: *Verbo Dei nulla impossibilitas est* tina fecimus ad *obiicienda.* In Institutione quoque sua de hac verbum. infinita Dei potẽtia sic loquitur: *Certe cum voluerit bene conuertet tenebras in lucem, & lucem in* Li. 4. ca. 17. *tenebras.* Ex quib. verbis contra eum conclu- §. 14. do, & manifeste, in Deo esse potentiam absolutam, id est, infinitam, liberam, naturæ nullis legib. subiectam: & ita dico eum tam impudentem esse Scholasticorum calumniato-

rem, quibus imponit eam excogitasse; quam in Deum blasphemum, cum eam damnat atque reiicit. Insuper, & atheismi eum insimulo, quippe qui Deum immortalem præcipua gloria & perfectione Essentiali sua dispoliet, sine qua Deus esse non posset. Præterea, *si hi scelerati & improbi sunt, qui volunt Deum nihil efficere posse præter illa quæ natura fieri possunt*, Caluinus profecto cum discipulis & sectatoribus sceleratus & improbus est, qui eis persuasit, Deum nõ posse facere vt camelus, vel funis nauticus, per acus foramẽ transeat; sed neq; efficere, vt vnum corpus multis simul locis existat. Iterum, *si nulla rerum impossibilitas Deo obiicienda est*, perditissimus est ipsemet iudicandus, qui tam multa scripsit Deo esse impossibilia. Rursum, *si Deus potest tenebras in lucem conuertere*, Caluinus propria sententia admodũ pessimus est, qui vult suos ministros cõcionando cunctis obnunciare, ea esse Deo impossibilia, quæ nunquã visa nec vnquam videnda sunt. Deniq;, nisi manus Domini sit inclusa, constricta, & huiusce mundi regulis subiecta, nouus iste Apostolus multas secum animas in profundũ detrudit inferorum barathrum, eis persuadendo tot tantaq; illius omnino fugere infinitam potestatem: quinimo, & hanc esse à Scholasticis hominib. confictam, falsoq; illi tributam. Atque hæc sunt mea aduersus Caluiniana dogmata ex ipsomet authore desumpta argumenta, hæ ex propositis eius consequentiæ. Quid de his iudicas? DOCT. Quot verba tot esse argumẽta; & quot sunt cõsequentiæ, tot victoriæ.

4. Dialog. 12. Pag. 296. MIN. Sine ergo me de illo gygantum fraterculo meas persequi victorias. DOC. Perge faustis auibus. MIN. In Clypeo fidei nostræ Geneuensis Minister fatetur *quod Deus eum posset conuertere in auem, vel bouem*, longe crassiorem sibiq; similem belluam. Ex quo velut admisso principio, sic ratiocinor. Si Deus potest Caluinianum ministrum facere brutum (minus forsan laboraret, quod id facilius fieri posset) & loco humanæ vocis, in concione faceret eum mugire, adlatrare, vlulare, rudere, hinnire, aut instar porci grunnire: nonne potestatẽ habet infinitam & absolutã, qua potest efficere quæcunq; nebulones isti clamitant ei esse impossibilia? DOC. Sed primarios Caluini discipulos præceptoris sui placitis reclamantes, si potes, obiice.

5. Eleg. 7. Epig. am. ad Iru-cium. MIN. Primæ cohortis eius centurio Theodorus Beza in poematibus canit, *Candidam suam vna simul gemino posse esse loco*. Iterumque conuitiis lacessit, probrisque vexat eos, *qui posse fieri negant, vt quis victitet simul in locis duobus*. DOCT. Quid ergo tot verborum contumeliis Brentium & Iacobum Andream lacerat? Quid alios Tubingenses & Lutheranos orationibus suis cruentat, quod nobiscum id constanter doceant & credant?

MIN. Nec in postremis Caluini discipulis est Petrus Viretus, qui præ cæteris honestius hisce de reb. hæc verba Gallica facit. DOC. Præstat, vt Latine translata dicas. MIN. Ait ergo: *Credimus Deũ esse omnipotentem, vt ostendamus in eo idem esse velle & posse tam in cœlo quã in terra. Proinde dicit: Ecce ego æternus Dominus & Deus omniũ creaturarum. Nunquid est mihi quicquam impossibile? Et alio loco: Omnia Deo sunt possibilia. Item, Non est impossibile apud Deum omne verbum, h. e. nulla res. Et in Psalmis dicitur: Domine Deus exercituum, quis similis tibi: Potẽs es Domine, & virtus tua in circuitu tuo. Tu dominaris potestati maris, & motũ fluctuum eius tu temperas. Et in libro Iob: Ille est qui transfert montes, & qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur. Quis restitit ei, & pacem habuit?* Hactenus Viretus. DOCT. Hæc sane omnia tã sunt scripturis & doctrinæ Christianæ cõformia, quam furiosis aduersariorum diuinæ omnipotentiæ portentis cõtraria. Sed si alia noris adhuc clariora, & cõtra enumeratas à nobis hæreses grauiora dicas, & palam facias rogo. 6.

6. Instr. Christ. fol. 651. Psal. 113. Ierem. 32. Matth. 19. Marc. 10. Luc. 1. & 8. Psal. 35. & 71. Iob. 9.

7. Fol. 653. MIN. Idem Viretus sequente proximo folio, vehementer eos aggreditur, *qui putant Deum nihil posse supra ordinem in natura iam à se constitutum: quiq; primam omnium causam secundis & creatis à se causis suis ita volunt esse coniunctam vel subnixam, vt nihil in his vel aliis rebus possit superaddere, immutare, vel, detrahere, aut aliter quam initio de his constituere: concludens tales homines in eo errore versari, qui nihilo minor sit quam insania furorq; Epicureorum.* DOCT. Equidem, Beza, Vermilius, Spina, Suræus & alia vestræ sectæ retinacula, si vera dicit iste, errore maximo sunt iampridem conuicti: eodem Beza attestante & occinente: *Vireto nemo fatur suauius*. Solute ergo & suauiter Vireti testimonio atque censura Epicurei primas ad Bezam deferant omnes. In iconibus.

8. Ex Gallicis eius verbis Latina facimus. MIN. Adhuc multo vehementius idem istos errores insectatur postea his verbis: *Hic error à schola Stoicorum dimanauit, qui voluerunt Deum adesse quidem à se conditis rebus, sed ita earum legibus astrictum & colligatum, vt omnem ab eo libertatem, & potentiam aliter agendi remouerint. Nec enim intelligere potuerunt, quod licet admirabilem rerum ordinem in natura posuerit, sese tamen eidem astringere noluit, sed liber semper in*

operibus

operibus suis permanserit: vt hunc ordinem vel cum velit sequatur, vel eundem facile immutet atque superet. Insuper hunc eundem ordinem sic moderatur, vt subseruire faciat eum suæ voluntati cum libet, vt exemplis suis nobis attestantur vniuersa miracula, quæ sacra scriptura commemorat. Tandē
Pag. 654. concludit, *eos omnes, qui tam persona s efferunt de Deo sententias, eum non credere esse Creatorem, & Patrem omnipotentem: quoniam eius potentiam, inter certos rerum terminos coarctant & retinent.* DOCT. Vix posset quis, meo iudicio, acrius & breuius superius commemoratas hæreses refellere; aut illarum authores scripturarum, miraculorum, & omnipotentiæ ac libertatis diuinæ inimicos atque hostes apertius conuincere, quam his verbis facit Bezæ comminister & assecla Viretus? mihiq́ persuadeo vim veritatis emotam conscientiam eius impulisse, vt tam contrariam collegis suis ederet confessionem. Ex his quoq; manifeste vides, Caluinianorum placitorū præcones, etiam in præcipuis religionis Christianæ capitibus nullo pacto inter se conuenire: sed more canum feliumq́ sese mutuo rodere, lacerare, strangulare, propriisque iudiciis Epicureismi & Atheismi damnare.

Confutationes à scripturis.

9\. MIN. Hactenus ex illis contra illos satis mihi dixisse videor, atque propriis Geneuanorum armis Geneuensem contra omnipotentiam diuinam doctrinam expugnasse. Tu quæ ex scripturis & Patrib. aduersus eos paraueras argumenta, nunc depromе. DOCT. Illis imprimis vt valentissimum & inuictissimum exercitū, obiicio, vniuersos diuinarū scripturarum locos, in quibus Deus adseritur, vocaturque, *Deus Omnipotens, Deus fortis, Deus creator, Deus terribilis, Deus potens, Deus cui nemo potest resistere, Deus qui facit mirabilia magna solus, Deus virtutum, Deus mirabilis in operib. suis, Deus Deorum, Deus magnus super omnes deos, Deus potens in cælo sursum, & in terra deorsum, Deus cæli & terræ, Deus faciens quæcunq; vult in cælo, & in terra, & in omnibus abyssis.* Putas vanos elanguidosque iacere, ac significatione sua priuatos & vacuos esse tot diuinæ maiestatis titulos. MIN. minime gentium. Declarant enim ac innuunt vere talem Deum esse: voluntq́ talem reipsa credendum, confitendū, adorandū: & eos toto pectore à nobis abhorrendos & fugiendos, qui vel in angulis tantisper auderent contrariū demurmurare. DOC. Et ne gratis videar superiores diuinæ virtutis titulos laudasse, aut ex me cōfinxisse, testē appello inuictū Dei athletā Iobū, qui in libro suo ēt in illa legis naturæ obscuritate, decies septies vocat Deū omnipotentē: Mosem, qui in Pentateucho vndecies: Sapientē, qui nonies; Authorē secūdi libri Machabæorū, qui quindecies: Ioannē Apostolū ac Euangelistā, qui in Apocalypsi, nonies. An non toties illi docent, inculcant, ingeruntq́, quantum mens nostra debet esse semota ab omnibus Epicureis, Bezanis, & Caluinianis; quos non pudet absolutam Dei potestatem *insanum appellare delirium*, & vociferat, tot tantaque Deo esse impossibilia?

Gen. 17. 18. 35. 43. 48. 49. Deut. 7. 32. 34. Exo. 5. 9. 15. Iosue. 2. Psal. 46. 47. 49. 71. 75. 76. 77. 79. 83. 88. 105. 106. 138. 144. Tob. 13. Esa. 42. Zach. 12. Malach. 1. Rom. 1. Act. 2. &c.

10\. Dauid, qui sæpius variisque modis huius infinitæ ac inexhaustæ potentiæ admiranda effecta expertus fuerat, corde, voce, scripto, Deum prædicat suam esse fortitudinem, firmamentum, refugium, præsidium, spem, auxilium, robur, petram, brachium, salutem & arcem. Deinde exultantis fidei ardore elatus exclamat: *Quis narrabit potentias Domini? Auditas faciet omnes laudes eius? Omnia quæcunq; voluit Deus fecit in cælo, in terra, & in omnibus abyssis.* Tum ad eum sermonem conuertens dicit, *Tu es Deus qui facis mirabilia. Tu terribilis es, & quis resistet tibi? Quam magnificata sunt opera tua Domine: Potentiam tuam & iustitiam tuam Deus, vsq; in altissima quæ fecisti magnalia: Deus quis similis tibi. Quam magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.* Post velut digito Hugnosticum notans subiicit? *Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.*

Psal. 60. 75. 91. 105. 134.

MIN. Equidem dignus est Caluinus, qui stimulis fodiatur, & sectatores eius Ochinus & Beza non tantum stupidi, ignari, & insulsi, sed suppliciis multandi, qui doctrinam Omnipotentiæ Dei absolute respuentes, bruta omnibus apparent & stolida pecora, dum impudentissime sua erigunt cornua aduersus infinitam Creatoris sui virtutem, vt eam vel nullam faciant, vel saltem creaturarum legibus suppositam. Quæ autem grauitas, quis splendor, quæ magnificentia, quæ admiratio in diuinis operibus reluceret, si nihil præter, supra, vel contra ordinem in mundo constitutum efficere posset? Quamobrem hæc diuina oracula cum prædicarent Omnipotentem, si quæ ab insanis Sacramentariis obiiciuntur, illi essent impossibilia? Quomodo brachij sui potentiam, & regni gloriam per omnem terram effunderet, si corpora terrestria, eorundem formas & quantitates suæ voluntati subiecta non haberet? Quanā veritate in Psalmis, sine vlla exceptione caneremus, *omnia subiecit sub pedibus eius, &c.* si penitus ei impossibile esset per foramen

Psal. 8.

acus camelum introducere? Summa, horum terræ vermiculorum effrenatam arrogantiam perpetuo vituperabo qui potentiã & voluntatem immensi summique Dei creatoris sui phantasmatum ac somniorum suorũ vinculis volunt alligare, vt quod ipsis placuerit, possit: quod non arriserit, nec possit ipse intelligere, velle, aut efficere. Nec vnquam feram sacrilegos, qui ex fidei Christianæ Cõfessione atq; Symbolo, articulum de Omnipotentia Dei mei ausi sunt eradere. Cum loquetur, ego silebo: cum pronunciabit se omnia posse, religiose credam: facta eius admirando, factorem demisse adorabo.

11. Gen.17.18. 35.43.48. Psalm.50. Gen.33. Psa.24. DOCT. His addendum, quod cum melioribus seruis suis sese Deus manifestauit, crebro seipsum, nominauit *Elschaddai*, id est, Deum omnipotẽtem: *Elelohim Iehoua*, Deum fortem & Dominum, *Elelion*, Deum maximum: *Eleloe*, Deum fortissimum: *Adonach Iehoua & elohecha*, tuum dominatorem & Deum: *Elgibbor*, Deum absoluta potentia præditum. Vult itaque vt talem sciamus, confiteamur, adoremus, quoniam reipsa talis est, non imbecillus, vt hi autumant. MIN. Rabido igitur furore correptus est Caluinus, qui cum probris eidem se opponit, secumque in gehennam rapit eos omnes miseros, qui hanc suam audiunt recipiuntque doctrinam.

12. Isai.40. 50.59.& 66. DOCT. Adhuc multo quam antea clarius suam manifestando potentiam Dominus ait per Isaiam, *quod metitur aquas pugillo, cælos palmo ponderat, appendit tribus digitis molem terræ, librat in pondere montes, & colles in statera: quodq; gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentũ, stateræ reputatæ sunt coram eo, & insulæ quasi puluis exiguus, omnes gentes quasi non sint sic sunt coram eo, &c. Nunquid abbreuiata & paruula facta est manus mea*, inquit, *vt non possim redimere? Aut non est in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea, desertum faciam mare, ponam flumina in siccum. Induam cælos tenebris, & saccum ponam indumentum eorum. Cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum.* Rursumque per Ieremiam, maiestatem infinitæ potestatis suæ magnifice prædicans ait: *Nunquid non* Ier.23.& 42. *cælum & terram ego impleo? Ecce ego Dominus Deus, vniuersæ carnis nunquid mihi difficile erit omne verbum?* MIN. Eheu conditionem huius seculi! quo spiritus erroris sic inualuit, vt nobis persuaderi permiserimus à Caluino & Beza, non modo difficilia multa esse Deo, verum etiam impossibilia. Qui diuinæ maiestatis interminatam inexhaustamque virtutem, huius inferioris mundi ordini subiectam prædicantes, libenter audiuerimus. Qui tam blasphema scriptis suis vbique spargentes, patienter tulerimus. Sed perge tenere istam viam vindicandæ ac illustrandæ potestatis Dei veri, quam instituisti.

DOCT. Magnitudinem illius in ordinandis secundum voluntatis suæ beneplacitum 13. Iob.10.& 30. cunctis huius seculi rebus annunciantes sancti Prophetæ, totam visibilem machinam i- Isaia.10. stam comparant cum luto, cum cinere, cum 29.40.45. puluere, cum bullis aquæ, cum fœno agri, & 64. cum vmbra fugacissima, cum floribus agro- Gen.3.& rum, cum vapore ad modicum parente, cum 18. vase figuli, cum rore matutino, cũ vano so- Psal.2.& mnio, &c. quibus collationib. satis indicant, 71. quicquid mundi & creaturarum compre- Sapient.5. henditur, sic in potestate esse Creatoris, vt ex- Eccl.10. truat & destruat, vertat & diuertat, mutet ac & 17. immutet, collocet atque reuocet, & vt pau- Ierem.18. cis dicam, quicquid placuerit de cunctis o- Osea.6. peribus manuum suarum faciat atq; dispo- Iacob.4. nat: nullusque mortalium, aut etiam Ange- 60. lorum audeat requirere, quorsum sic faciat.

14. In nouo per Christum nobiscum inito fœdere personant Apostoli, Neminem posse Rom.9.14. voluntati Dei resistere: cum vocare ea quæ Rom.4. non sunt, tanquam ea quæ sunt: quandoqui- Ephes.3. dem potens sit omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus. Isti vero profani desertores, ac Prædicantes barbatuli contra vlulant, *Deum non posse corpus de genere substantiæ sine quantitatum effectis seruare, nec idẽ in pluribus locis sine loci repletione constituere, nihilq; prorsus efficere supra ordinem, quem solent in* Apoc.4. *natura imaginari & repræsentare.* Quibus fidem & 7. magis adhibebimus? Angeli lucis à Deo immissi canunt de cælis Deum esse omnipotentem, & in terris docent omnes vtriusque se- Luc.1. xus mortales nihil illi esse impossibile aut Gen.18. difficile: isti principis tenebrarum ministri, sua tantum opinione freti, reboant ingenti latratu, ea nõ esse simpliciter admittenda aut credenda: contra vero excipienda omnia, quæ in suis decreuerint Consistoriis: quos existimas audiendos? MIN. Quicunq; verbis Angelicis non obtemperauerint, in Deum non credent. DOCT. Vnigenitus Dei Filius adfirmat, omnia Deo possibilia esse, etiam ea quæ sunt hominibus impossibilia. Et orando Matth.19. Patrem dicit *Abba, Pater, omnia tibi sunt possibilia:* Marc.14. hi vero terræ filij quasi sapientiores contradicunt, aiuntq; multa esse excipienda, &c. An non hæc satis esse tibi videntur ad harum impietatum refellendam absurditatem?

MIN.

15. MIN. Satis quidem, sed tanta perfundor lætitia, tantaque animi consolatione sustentor, dum incredibilem proprijs laudibus sic audio Dei mei efferri magnitudinem & potentiam, vt nulla me isthæc & similia audiendi capiat satietas. DOCT. His ergo diuinæ virtutis hostibus rursum oppono, non Alphium vallum, sed miram totius huius vniuersi creationem. Nam in eius opificio satis patefecit Deus, quod vbi vult, infinita potētia, vt admirabili ac mentibus nostris prorsus incomprehensibili potestate quicquid vult statim efficit. Quid enim est obsecro, ex nihilo creasse tot myriades Angelorū, Archangelorum, Virtutum, Dominationum Cherubinorum, & Seraphinorum? Ex nihilo condidisse cælos, qui sua magnitudine totum inuoluant mundum, suis motibus effecta in hisce terris gignant perhorrenda, eosdem tot & tantis exornasse flammis, quæ nostras depellant tenebras; dies, annos, mēses, tempora denotent, nosque ad celebrandam, communis omnium parentis ineffabilem bonitatem & potestatem dies & noctes inuitant? Ex nihilo cuncta conflasse elementa, ignem, aerem, aquam: vt ex his velut fontibus naturæ reliqua educeret? Quæ diuini verbi potestas, quando vtillico dixit *Fiat lux*, *Fiat firmamentum*, *Congregentur aquæ*, *Fiant luminaria*, *Producant aquæ reptile*, *Producat terra animam viuentem*, *&c.* continuo factum est ita? Quam patefacit potentiam, quando informem vilissimumque limum terræ, transformauit in carnem humanam? Costam hominis mortuam & exsiccatam in formosam, viuentem rationalemque fœminam? MINIST. Indicauit profecto, indicauit omnium apertissime & planissime se munitum esse multiplici excellentia infinitæ & absolutæ potestatis, vt & infinitæ sapientiæ, bonitatis, atque misericordiæ; nec his ab homuncionibus puluereque terræ vllas constituendas esse metas. Enimuero quicunque cogitata meditatione isthæc admiranda rationis opera pensitabit, nunquā, nunquam cum his nebulonibus acclamabit, *Deus non potest*, *Deus non potest illud*, vt semel à se conceptam sacramentariam opinionem tueantur. Nam ter maximus ille Deus nunc idem est, qui tunc fuit, suam non exhausit omnipotentiam, suam non exuit fortitudinem, suam non immutauit virtutē, suam nullis legibus mundi alligauit voluntatem, suam nullis operibus conditis subiecit dexteram. Itaque tam potens est quam

Gen. 1. Ps. 32. & 148. Eccl. 18. Act. 14. Heb. 11. Ge. 1. & 2.

A vnquam fuit, vt de cūctis manuum suarum operibus faciat quidquid placuerit, quantumuis imperitis hominibus videatur impossibile. Quapropter nullo negotio facere potest substantiam sine accidentibus, accidentia seruare sine substrata substantia, quātitatem sine loci occupatione, idem corpus in multis locis, diuersa corpora in eodē loco: deniq; quicquid voluerit, licet lōgissimè absit à sensibus nostris; atq; ordini, quem in natura disposuit, censeatur contrarium. Et quisquis hæc libere credere ac confiteri recusabit, is mihi erit anathema maranatha. Adde, si placet, quæ supersunt ad confirmā- 1. Cor. 16
B dam Dei nostri Omnipotentiam, & refellendos errores contrarios.

16. Confutationes à miraculis

DOCT. Portenta & miracula vniuersa ab origine mundi facta in omnibus creaturis aperte demonstrant, earum Conditorē nullo modo pendere ab his, quas ipse præscripsit, regulis; imo, sua, quæ metiri non valet, potentia & sapientia, quæcunq; in his & ex his mutare, transmutare, miscere, secernere, addere & demere posse. *Subest namque illi*, vt Sapiens ait, *cum voluerit, posse.* Imprimis autem horribilis illa proluuies, & magna vis aquarum, quæ vniuersum orbem submersit atque perdidit, seruata inter tot mortes vni-
C ca Noe familia, dilucide monstrat, quā maxima & admiranda sit Dei potentia, minimeque naturæ legibus subiecta, qui tam facile perditum renouauit mundum. Cum etiam iussit nubibus inordinate flammas & sulphura demittere, & amplissimas vrbes deflagrare: & terræ, quæ omnia sustinet, sese pandere, & perditissimos homines viuos exorbere; loco fertilis & iucundi soli, putidum lacū exurgere; illico factū est ita: omni creatura Creatoris potentiæ & iussu illico obtemperante. Fœminam immorigeram in statuam salis statim commutauit: Abrahæ & Saræ corpora effœta, & senio languida nullo
D labore fœcunda reddidit; rubum flammis ardentibus incensum nihilominus seruauit incōbustum; Mosis ministerio ex aqua sanguinē fecit, & rursum sanguinem transtulit in aquam; virgam aridam in serpentem viuum & tortuosum, rursumq; serpentis carnem in lignum aridum conuertit: meridianam lucem tenebris oppleuit; mare vt trāsirent illi, diuisit: & vt obruerentur isti, protinus coniunxit: de saxo durissimo ex quo scintillas flammasq; educimus, aquas è contrario viuas extraxit: rorem manna multis miraculis plenū quadraginta annis de cælo

Sap. 12. Gen. 7. Gen. 19. Deut. 29. Isa. 13. Sap. 10. Gen. 19. Luc. 14. Gen. 18. 21. Exod. 3. 4. 5. 6. 7. &c.

Exod.19. dispersit: Mosis & Eliæ corpora sine cibo & A
24. potu, adeoq; inter cælestium ignium globos
3.Reg.19. vegeta illæsaq; seruauit. Vbi in his ordo lex-
que natura? Nōne è diuerso tot tantaque in
tam diuersis rebus miracula sufficiunt ad
confirmandam diuinæ virtutis quandam
esse absolutam potestatem: & hanc longe
maiorem, quam imbecillitas intellectus hu-
mani possit vnquam apprehendere aut su-
spicari? MINIST. Sane Caluinus cum suis
manipularibus se pro impio, & hactenus in-
auditis blasphemijs confecto hæretico ge-
rit, quando scribit potentiam Dei absolu-
tam esse delirium, mendacium, & execran-
dam blasphemiam. Beza nec eo melior est, B
qui Bezanis suis credere in vniuersum ve-
tat, Non esse impossibile apud Deum omne
verbum. Nam quisquis accurata meditatio-
ne supradicta miracula considerabit, nun-
quam profecto dubitabit, eundem Deum &
Dominum omniū, qui olim exercuit, posse
adhuc hodie substantiam sine accidente, &
accidens sine substantia seruare: duo cor-
pora in vno loco, & vnum corpus in multis
locis collocare: & cætera omnia, quæ rabidi
canes isti latratu suo trifauci personāt sum-
mo Deo esse impossibilia. Sed pulcherrima
Omnipotentiæ diuinæ effecta exemplaq; à
te adhuc longius persequi velim. C
17. DOCT. Ad demolienda funditusque e-
uertenda istorum impiorum Sacramentario-
rum fundamenta, quæ sunt, *Id esse impossibile
Deo, quod natura fieri non potest: & Deum nihil
posse efficere, aut supra, aut contra ordinem, quem
inter res conditas ab initio constituit*, viro sanæ
mentis & illæsæ conscientiæ sufficere de-
Iosue 10. bet, quod Deus per seruum suum Iosue, cō-
1.Par.4. tra statutum mundi ordinem, cursum Solis
Num.22. continuum retinuit; & per Isaiam decē gra-
3.Reg.17. dibus eum retrocedere fecit: per Angelum
3.Reg.18. asinam in voces humanas erumpere, & cum
Dan.4. sessore suo differere. Adhæc, Nabuchodo-
Num.17. nosorem potentissimum Monarcham ad D
Iosue 2.3. eam redegit mentis inopiam, vt aliquot an-
4.Reg.1.6. nis, cum belluis, belluino more versaretur.
Psal.113. Baculum aridum flores fructusq; protinus
Dan.3.6. emittere: fluuiū contra scaturiginem redi-
14. re; aquas defluentes & liquidas quiescere, &
instar firmissimorum murorū stare in sub-
lime: ferrum velut leuissimū lignum nata-
re: ex ardente camino flammas hos refrige-
rare, istos longe semotos viros corripere &
absumere: leones rapacissimos, improba
ventris rabie furentes, siccisq; faucibus agi-
tatos, diu asseruare Prophetam oblatū sibi

pabulum, & è contrario, illius in momento
dilaniare aduersarios. In his omnib⁹ diuinę
virtutis operibus, quem naturæ ordinem, q̄
mundi legem, quam huius seculi viā com-
munem imaginari poterunt Sacramentarij
Deum nostrum obseruasse? Qua ergo fron-
te, quo ore audebunt dicere, isthæc naturæ
viribus possibilia fuisse, quæ vident Creato-
ri nostro fuisse tam peruia & facilia?
Qui per seruos suos cælos nūc clausit, mox 18.
aperuit; & hisce nunc dulces pluuias, statim 3.Reg.17.
collucentes ignes emanare fecit: animas ho- 18.
minum ex abyssis retraxit, fœda corpora ex Iacob.5.
tumulis integra & viuentia resuscitauit; tu- 4.Reg.1.
mentes fluminum aquas sicco pede pertrās-
ire voluit: Diuina secreta toto mundo igno-
ta patefecit, & futura reuelauit: non poterit,
scilicet, per coæternum & cōsubstantialem
Filium suum quicquid voluerit operari in
Ecclesiæ sponsæ suæ datis Sacramentis? A
profanis Sacramētariorum istorum animis
requiret, an hoc vel illud in sua potestate si-
tum sit, an minus. MIN. Existimabo hominē
mente captum, & propter enormia ab eo
peracta flagitia à Deo derelictum, Satanæq;
patris mendacij, & tenebrarum principis
manibus ad illudendum traditum, qui au-
debit his tam sanctis, tam dilucidis & gra-
uissimis assertionibus resistere, aut eas tan-
tisper velle impugnare.
DOCT. In altissimo & saluberrimo ver- 19.
bi diuini in vtero sanctissimæ Deiparæ in- Isa.7.
carnationis mysterio, quas approbationes Luc.1.
infinitæ & absolutæ Dei potentiæ, & repro- Matt.1.
bationes errorum ipsi contradicentium, pu-
tares reperiri? MIN. Dicas actutum quæso.
DOCT. Supra contraque omnem naturæ
legem & ordinem, virgo cōcepit, virgo pe-
perit, virgo lactauit, virgo in æuum perma-
net. Peperit, quam, & vtero & animo illæsa,
puerum, qui simul & eodem instanti homo
perfectus, & Deus perfectus, mortalis & im-
mortalis, æternus & temporalis, viator &
comprehensor, fuit. Sine sui vlla immuta-
tione, factus est hic puer quod antea non e-
rat, & quod erat permansit, non cōmixtio-
nem passus, neq; diuisionem. Deus puer non
motus è cælo, descendit in Virginis vterum,
factusq; homo, hominem tamen non conti-
nuo subuexit in cælū. Deus puer duas simul
& easdem diuersas, & suis proprietatibus
subnixas naturas tam intime strictéque cō-
iunxit, vt non duo Filij, non duæ personæ,
non duo Domini, sed vnicus persona fuerit
Filius, Deus homo, homo-Deus, & Domi-
nus

Isa. 53. 66. nus noster Iesus Christus. *Generationem istam quis enarrabit? Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic simile?* Vbi ordo, vbi lex, vbi cursus ordinatus naturæ? MINIST. Etenim re-uera huiusmodi miraculorum, ac diuinorũ pro nobis operum attenta meditatio me plurimum iuuat, & incredibili feruore excitat ad agendas bonitati diuinæ gratias, simulque admirandam infinitam Dei mei potestatem in sacris mysterijs corporis & sanguinis Christi Seruatoris mei: nec à cætero vnquam requiram, quid in his natura valeat, aut non valeat, cum superius dicta mysteria ab ordine naturæ longius remota sint, quam efficere sine quantitatis effectib. substantiam, hancque retinere sub minore forma quam sua naturalis extensio requirat, aut idem corpus eodem tempore in distinctis locis constituere, & his similia perficere miracula. Nam quicunque ex animo sibi persuaserit superiora vera & certa esse diuinæ potestatis opera, nõ dubitabit & ista Deo possibilia & facillima esse. Maxime cum etiam Philosophi sola duce natura cognouerint, suisque persuaserint discipulis, Substãtiam ab accidentibus non pẽdere, quantitates & qualitates esse accidẽtia absoluta, quæ à subiecto possunt separari, Causam denique supremam infinita virtute sua posse secundas causas sine effectibus suis suspensas retinere. Sicque nunc perspicio Sacramentarios nostros magis obcæcatos, & à cognitione veri Dei ac perfectionum eius longius remotos, quam vnquam fuerint miserrimi ac ignorantissimi superiorum seculorũ pagani. DOCT. Certe enim sunt plusquam trecenti & mille anni, quod nostri sic obseruauerunt Patres prudentissimi ac religiosissimi, quorum vnus caput quoddam libri sui inscripsit, *Quod Plato religiosior sit omnibus hæreticis*: & alius ita suum claudit Tractatum, *Philosophi non credendo, credunt: hæretici vero credendo, nihil credunt.* *Ire. l. 3. cap. 45. Tert. l. præf.*

20. *Confutationes à Patribus.* MIN. Quam quæso à te, sententiam ferent veteres Theologi de his, qui tam audacter diuinæ obstrepunt potentiæ? DOCT. Eandem quam de Plinio, & de similibus atheis, id est, sine Deo, sine fide, sine vlla religione hominibus pronunciarent. Ille enim homo plane impius aperte negat Deum esse Omnipotentem, *quod mortem sibi consciscere nequeat, nec mortales æternitate, aut defunctos ad vitam reuocare, nec facere, vt qui vixit non vixerit, qui honores gessit non gesserit, nullum ius habeat in præterita præterquam obliuionis, nec efficere vt bis* *Plinii Atheismi.*

A *dena viginti non sint.* MINIST. Compertum est Bezam, Vermilium, & gregales eorum, iisdem ac similibus obiectionibus munitos diuinæ omnipotentiæ sese opponere: & idcirco eandem cum Plinio existimationem atque sententiam mereri. Sed quid interim obiectionibus illis Patres respondent? DOCTOR. Quæ isti obiiciunt non esse potentiæ sed magnæ imbecillitatis atque infirmitatis certissima argumenta. Deus, ait August. non potest mori, non potest peccare, nõ potest mentiri, non potest falli. Tanta non potest, quæ si posset, non esset omnipotens. Et rursum: Deus omnipotens est, & cum sit omnipotens, mori non potest, falli nõ potest, B mentiri non potest, *negare seipsum non potest.* Quam multa non potest, & omnipotens est? Sed ideo omnipotens est, quia ista non potest: nam si mori posset, non esset omnipotens: si mentiri, si falli, si fallere, si inique agere, non esset omnipotens. Rursumq; Omnipotentem Deum non ita dicimus, ac si eum etiam mori posse credamus: & quia hoc non potest, ideo non sit dicendus omnipotens. Ille plane omnipotens vere solus dicitur, quia vere est, & à quo solo est, quicquid aliquo modo est, vel spiritale, vel corporale: quia vniuersa creatura sua vtitur, vt ei pla- C cet. MIN. Huius vnius sancti ac perdocti Patris iudicium mihi pro multis est: ideoque perge rogo, pede quo cepisti. *Serm. 110. de tempore. Li. 1. de symb. c. 1. 2. Tim. 2. L. 26. cont. Faust. Manich. c. 5. L. 5. ciuit. c. 5. & li. 22. c. 25.*

DOCT. Hos nouissimos absolutæ infinitæq; Dei omnipotentiæ aduersarios diuinus Areopagita, cum beatissimo præceptore suo Paulo, in ordinem Elymæ Magi cogeret, quippe qui omnipotentiæ diuinæ detrahens, hæc Apostoli verba, *Deus seipsum negare non potest*, perperam intellecta, longe ante Sacramentarios, instar tamen eorum, illi opposuit. Atq; tũ ob istud, tũ ob alia nefaria scelera à doctore gentiũ his verbis damnari meruit: *O plene omni dolo & omni fallacia, fili* D *diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis vias Domini subuertere rectas?* MIN. Ergo eadem obiicientes Beza & Vermilius, eandem increpationem merentur. 21. *Lib. de diuinis nom. c. 8. Act. 13. 2. Tim. 2. Aug. l. 1 de Symb. c. 1. & l. 2. c. 3.*

DOCT. Eosdem quoque cum Sadducæis coargueret Dominus, dicens, *Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei.* Nam vt hi obganniunt absolutæ virtuti Dei, ne cogantur nobiscum fateri realem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia præsentiã; sic illi eidem detrahebant, ne resurrectionem veram corporum confiteri compellerentur. 22. *Matt. 22. Act. 23. Epiph. c. tr. hæres. 14.*

23. Cum impuris Capernaitis eiusdem Domini iudicio recenserentur, quando, vt illi, *Ioan.6.* aut parum, aut nihil Omnipotentiæ Christi tribuentes, absurdum putauerũt, quod carnem suam daret ad manducãdum; sic & isti prorsus impossibile clamitant, vt simul in cœlo & in altari consistat, impossibile vt à bonis & malis ore recipiatur & comedatur, impossibile vt non oculis videatur, manu, gustu, aliisq; sensibus percipiatur, siquidem reipsa distribueretur.

24. Impietate etiam Iudaica accerserentur, quippe vt illi Dei potentiæ & clementiæ dif- *Psalm.77.* fidentes vociferati sunt, *Nunquid poterit Deus parare nobis mensam in deserto? Nunquid & panẽ* B *poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Sic isti turpiore infidelitate atque perfidia ad raucam rauim vsque clamitant; Non potest Deus carne Filij sui Christianos reipsa pascere: Non potest facere vt corpus humanum locum non repleat, &c.

25. Quinetiam minus Omnipotentiæ diuinæ *Matt.4.* tribuere iudicarẽtur, quam ipse inferorum & tenebrarum princeps Satanas, qui Filium Dei lapidem in panem posse mutare satis aperte confessus est. Isti vero præfracte negant eum panem & vinum Eucharistiæ posse reipsa commutare in idem corpus & sanguinem, cum quo ascendit in cœlos, & sedet ad dexteram Patris.

26. Denique, Sacramentarios tam impuden- *Serm.139. de temp.* ter Dei absolutam omnipotentiam, vt initio audisti, blasphemantes, totq; exceptiones eidem obiicientes, B. Pater Augustinus cunctis Iudæis, Ethnicis, & idololatris deteriores iudicaret. Da mihi Iudæum, inquit ille, da mihi paganum, idolorum cultorem, dæmonum seruum, qui non dicat, Deum esse Omnipotentem. Negare Christum (Iudæus & paganus) potest, negare Deum esse omni- *Serm.119. de temp.* potentem non pôt. Si dixeris, non potest fieri, tu derogas omnipotenti. Et rursum idem alibi sic colligit: Deus omnipotens est ad fa- D cienda maiora & minora. Omnipotens est ad cœlestia & terrestria. Omnipotens est ad facienda immortalia & mortalia. Omnipotens est ad facienda spiritalia & corporalia. Omnipotens est ad faciẽda visibilia & inuisibilia, Postremo, omnipotens est ad facienda omnia quæcunq; voluerit. Hæc ille de diuina absolutaque potestate, quam vester Caluinus tam fœdissime indignissimeque lacerat. Tu dic nunc libere quid de his tibi videatur.

27. MIN. Ingenue dico, animus horum bla- A sphemias atheismoq; exhorret, timetq; vehemẽter ne vrbes, prouincias, regna in quibus libera sinuntur eiusmodi piacula, Deus vltionum Dominus cœlestibus flammis aliisque vltionibus breui visitet, & suæ maiestatis gloriam imminutam seuere vlciscatur. Vnum mihi ex animo scrupulum euelle, q me dies noctesq; stimulat ac pungit, & desiderijs meis satis superq; abs te factum erit. DOCT. Dic quęcunque voles, viri boni officio non deero. MIN. Corpus Domini- *Obiectio hæret.* cum eiusdem rationis esse cum omniũ nostrum corporibus nullus negare potest, cum sit semen mulieris, semen Abrahæ, fructus ventris Dauidis, *factumque*, iuxta Apo- *Gen.3.15. 22. Psal.131. Rom.1. Heb.2.* stolum, *ex semine Dauid secundum carnem.* Nam Filius Dei, vt vere seruator hominum esset, non Angelos, *sed semen Abrahæ apprehendit, debuitque per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi.* Atqui corpora nostra in multis locis esse non possunt, nec sub breuiore quantitatis forma quam quæ illis connaturalis est, sed neque humanis oculis inaspectabilia. Quomodo igitur corpus Christi sub exigua panis forma, simul in cœlo & in terra, idemq; inaspectabile, atq; sensibus nostris imperuium esse poterit?

C DOCT. Hoc præsertim argumento, vel- *Respons.* ut claua Herculea munit Beza cum gregalibus in Pyssiacensi Colloquio, & in cunctis deinceps libellis, plusquam iuueniliter exultat, & de Christi reali præsentia & communicatione in Sacramento Eucharistiæ victoriam sibi palmamque repromittit. Verum, fortiter à Theologis nostris excussa est ei de manibus claua, sapienterque responsum, corpus Dominicum quantum ad substantiam carnis & sanguinis attinet; deinde cibi, potus, quietis, laborum, sudorũ, vigiliarum, dolorum, mortis denique necessitatẽque spectat, cum nostris pœnitus conuenisse, vt non solum superiora probant testimonia; verum etiam quod passim vocetur *Filius hominis, factusque ex muliere, frater & mini-* *Gal.4. Io.20. Psal.21. Psal.8. Isa.53.* *ster noster, vermis terræ, opprobrium hominum & abiectio plebis, minoratus ab Angelis, vir dolorum & sciens infirmitatem, &c.* Quantum vero ad perfectiones, diuina beneficia, prærogatiuas, gratiasque huic homini Deo concessas pertinet, tantum differt à nostris, vt nullus comparationi locus remaneat. Nam non ex semine viri aut voluntate carnis illud imprimis in vtero corruptæ fœminæ conceptum est, & post temporum interualla viuũ, & ani-

Luc.1.2. & anima rationali prædítum: sed vnico primoque momento per virtutem Altissimi
Matth.1. obumbrantem, & Spiritum sanctum super-
Isa.7. uenientem in purissima & integerrima Virgine conceptum, animarum, & Filio Dei in vnitate personæ supra omnem naturæ ordinem copulatum est, exactisq; nouem mensibus tam mirifice natum, quam Diuinitus
Matth.4. conceptum fuerat. Cuius autem Monarchę,
14.17.28. cuius Prophetæ, cuius Sancti, aut cuius Præ-
Ioan.20. dicantis ac ministri corpus poterit cum isto
Luc.4.24. aliqua ratione conferri? MIN. Nullius pro-
Mar.16. fecto. DOCTO. In eodem corpore postea
Act.1. quadraginta dierum & noctium famem pertulit, mare siccis vestigijs peragrauit, in aerem elatus velut sol resplenduit, è monumenti recluso saxo exiuit, ianuis clausis intrauit ad Discipulos; cum volebat videbatur, capiebatur, manibus tractabatur; cum nolebat nullus eum oculis intueri, nullus capere, nullus attrectare poterat. In eodem postremo ascendit super omnes cælos, penetrauit omnes choros Angelorum, sedet in dextera Patris, inde venturus iudicare viuos & mortuos. An non igitur extrema cæcitate correpti sunt vestri, quando ex immundorum corporum suorum cum Christi corpore comparatione conantur efficere vt tā procul sit ab Eucharistia, quam summus vertex cæli à centro terræ? His etiam adde, quod cum de hac re agitur, non virium humanarum imbecillitas, non naturæ nostræ infirmitas Diuinæ virtuti ac omnipotentiæ, cuius vi efficitur vt idem corpus sit in multis locis, obijcienda est, vti superiori disputatione prolixe quidem, sed non inutiliter, vti spero, disseruimus.

28. Conclusio primi Dialogi. MINIST. Mirabilis, fateor, vtilitatis fructum ex hoc cepi colloquio. Didici etenim hodie, præcipuos reformationis nostræ pręsules solidioris Theologiæ ignaros, multas hæreses & blasphemias, cum ea quam ventilant doctrina, vel imprudenter, vel malitiose commiscere, absurda plura cōtra sanctissimæ Trinitatis, eiusdemque indiuiduæ vnitatis confessionem, inuocationem, & adorationem confingere; plurima vero cōtra trium Diuinarum Personarum maiestatem, potentiam, cæteraque religionis Christianæ fundamenta comminisci. Quocirca eorum deinceps libros maturiore iudicio à me legendos esse censeo, nec placitis eorum tam facile, vt solebam, de cætero acquiescam: sed detracto fuco omnia verborum pondera diligenter examinabo: soli verbo

A Diuino, prout à sanctissimis & antiquissimis, qui primos à Christo quingentos annos Ecclesiæ gubernacula tenuerunt, Patribus & Doctoribus interpretatum fuit, fidem habebo: & hæreses omnes, qui his aduersabuntur, toto pectore damnabo, & fugiam. Persanctum vero ac peradorandum Trinitatis personarum, & Vnitatis essentiæ Diuinæ mysterium, non Philosophorum, aut id genus otiosorum hominum incertis speculatoribus excogitatum, sed oraculis cælestibus mundo manifestatum, ab Apostolis prædicatum, à Patribusque summa fide ser-
B uatum & propugnatum & si non possum humana ratione perscrutari & capere: possum tamen adiuuante Spiritu sancto, & debeo, & volo sic corde credere ac ore confiteri, quemadmodum militanti Ecclesiæ Catholicæ reuelatum & traditum est, donec ad triumphantis gloriosum cœtum peruenero. Tunc enim ea, quæ nunc secundum Dei verbum recte credo, manifeste cognoscam & intelligam. Video nunc per speculum in ęnigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc 1. Cor.13.
cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Scio enim quoniam cum apparuerit Dei Filius, similes ei erimus;
C quoniam videbimus eum sicuti est. Atque 1. Ioan.3.
in hac fide & spe, ita me Deus amet atque iudicet, eius auspicijs in finem vsque permanebo ac immoriar.

Interim autem per omnia sacra rogo & obsecro te, ne alios Ministrorum nostrorum errores celes à me, vt eos apud me diligenter perpendam & examinem. DOCT. Habent adhuc plurimos & turpissimos contra reliquas Dei nostri perfectiones: sed quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies, satius erit totum negotium in crastinum differre, & primum hoc colloquium nostrum his Diui Augustini precib. terminare.

D SVPPLICES adoramus & inuocamus te Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum sanctum Paracletum, sanctam & indiuiduam Trinitatem toto corde & ore confitemur, laudamus, atque benedicimus. Confitemur tibi nos vltimi seruorum tuorum, & exigua Ecclesiæ tuæ membra, confitemur tibi, & debito sacrificio laudis pro viribus nostris honorificamus te. Et quia exteriora nobis munera desunt, quæ possimus offerre, ea quæ in nobis sunt, ex domo misericordiæ tuæ vota laudis libentes & ouantes offerimus tibi de cōscientia pura & fide non ficta. Credimus, con- ORATIO. Medit.ca. 11. & 11.

fitemur, & adoramus te Patrem, Filium, Spiritum sanctum, in personis trinum ac subsistentem, & in substantia simplici, impartibili, absoluta, vnum verum Deum omnipotentem, vnam & solam totius huius vniuersi causam, originem, conseruatorem, & moderatorem æque sapientissimum atq; potentissimum sine quantitate magnũ, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternũ, sine situ vbiq; præsentem, sine loco vbique totum, sine indigentia omnia creantem, sine
Cap. 30. labore omnia regentem, sine sui mutatione omnia mutabilia facientem. O Trinitas, cuius omnipotentia omnia possidet, omnia regit, omniaq; implet quæ creauit, omnia cõcludit, adeo vt euadendi omnipotentem manum tuam nullus aditũ inuenire possit. Qui enim te non habet Placatum nequaquã euadet iratum. Immensitas quoque magnitudinis tuæ ista est, vt intelligamus te intra
Cap. 31. omnia, sed non inclusum: extra omnia, sed non exclusum. Itaq; inuocat te, Domine, fides nostra, quam propter bonitatem tuam, A ad salutem nobis cõtulisti, vt excussis ignorantiæ tenebris nos semper ad veritatis lucem perducas, & à stulta huius seculi dilectione erutos, ad dulcedinem amoris & charitatis tuæ subtrahas. Tibi hymnum gloriæ Isa. 6. tuæ concinimus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Apoc. 4. Dominus Deus Sabaoth. Te inuocamus vt Cap. 32 venias in nos, & tẽplum nos facias dignum gratiæ & gloriæ tuæ. Rogamus Patrem per Filium, rogamus Filium per Patrem, rogamus Spiritum sanctum per Patrem & Filium, vt omnia vitia procul arceantur à nobis, & omnes accedant virtutes. Custodi nos quæsumus, hic & vbique, nunc & semper, B intus & foris, ante & retro, supra & infra: custodi nos opera manuum tuarum, & in sola misericordia tua sperantes, vt de præsenti seculo nequam ereptos, tecum tandem aliquando cum omnium fidelium ac piorum cœtu in vita cælesti colligere digneris. MINIST. Amen. Vale Doctor optime, cras adhuc te videbo.



LIBER SECVNDVS, IN QVO QVADRAGINTA ET OCTO ERRORES CALVINIANORVM ADVERSVS SANCTISSIMÆ TRINITATIS PERFECTIONES examinantur & refelluntur: ac primo de VERITATE Dei in verbis suis.

CAPVT PRIMVM.

MINISTER.

EA quæ me detinet cupiditas tecum examinandi alia errorum capita, quæ dixisti nostros præceptores contra sanctissimam Trinitatem effinxisse, fecit profecto vt hic lætus adessem, nõdum exorto diluculo. DOCT. Aliquantulum temporis consumpsi primum in recitandis precibus matutinis, deinde in euoluendis chartulis & aduersarijs: id me quidem detinuit, & quo citius venirem prohibuit: sed sat cito, si sat bene. Precor Deum immortalem vt conatus nostros euehat. Caluinianæ sectæ trigesimus quintus error, certæ perpetuoque sibi constanti VERITATI Diuinæ omnino contrarius est. MIN. Quid? Adeone nostros delirasse censes, vt eam mendacijs importunis audeant onerare? DOCT. Suræus & de Spina Colloquio ministri, Lutetiæ in frequentissima lectissi- Paris. C morum hominum corona primum dictitarunt, & postea typis mandari & euulgari curarunt Gallicis verbis, quæ Latine sonant: *Si Deus faceret in eodem instanti corpus Christi Filij sui præsens in pluribus locis, in verbis suis non esset verax.* Cum vero tum petijsset ab illis illustriss. Dux Niuernensis, An non posset istud Deus facere, si vellet? In deteriorem adhuc prolapsi errorum caliginem, responderunt,

derunt, *Deum neque id posse velle, quin protinus à sua veritate deficeret.* Deinde aperte negarunt id se concessuros, *Ne Deum mendacem facerent. Quod si faceret* (inquiebant) *esset in illo, est, & non est*: quæ sunt contradicentia, quorum necesse est alterum falsum esse. Ex hoc principio à pessima consequentia improbissime ducto, vociferant in concionibus, Deum aperte mendacem esse ac fallacem, si sua infinita absolutaque potestate permittat corpus Christi domini omnibus locis adesse, vbi sanctissima conficitur, seruatur, aut sumitur Eucharistia. Dic rogo, quid de his cogitas?

Confutatio. 1. MIN. Animo agito, te eos summo hoc errore iure notare, supposita diuinæ Eucharistiæ veritate. At ego tribus de causis nefariam opinionem istam damnabo. Primo enim aperte pugnant cum magni illius Bambalionis Bezæ sententia, qua distincte clareq; docet se cum sua meretrice Candida multis simul & semel locis posse cõsistere. Eius verba sunt hæc ad eandem Candidam:

Humanum potius debes deponere nomen,
Vna simul gemino quæ potes esse loco. Poem. Eleg. 6.

Et ne quis putet hæc ei imprudenter excidisse, id rursus non simpliciter tantum confirmat, sed & eos multis probris insectatur, qui putant Deum id efficere non posse, sicut Caluinus, Spina, Rosierus siue Suræus, & alij passim ministri docent. Ille ergo adhuc scribit:

Epigr. de amicitia cum Truchon.

Heu vos aduoco, vos acres sophistas,
Fallaces, querulosq; homunciones,
Qui posse hoc fieri simul negatis,
Vt quis victitet in locis duobus.
Tandem vera loqui ô tenebriones,
Discite, & fieri videte posse,
Posse quod fieri simul negatis.

Itaq; cum eo credendo & confitendo fieri posse, vt idem corpus sit in pluribus locis; Deus nihilominus veritatis esse Deus non desinit: patet aperte eos mẽdacij spiritu plane repletos esse, qui Deũ mendacij carpunt.

2. Inst. l. 4. c. 17. §. 9. 18. & 19. Secundo, post Caluinum & duodecim ministros, qui omnium nostrum nomine Posiaco interfuere colloquio, credimus & docemus, *eos omnes qui more nostro; ad Cœnam accedunt realiter & vere substantiam corporis Dominici recipere. Non enim vacua sunt signa, sed his plena quæ significant: sicq; huius substantiæ participatione efficimur os ex ossibus, & caro de carne Domini.* Necesse est igitur, vt dum eodem tempore celebratur in Heluetia, Germania, Polonia, Anglia, Scotia, & Gallia, in totidem

A locis vera vereque præsens sit eadem substantia: nec tamen sic existimamus Deum esse mendacem, sed veridicum. Itaque incredibili atq; intolerabili contumelia eum afficiunt, qui ea de causa illum accusant mendacij.

Tertio, si quis audeat dicere *Deum esse mendacem, aut verbis suis contradicentem, si hoc aut illud faciat*, eundem cum teterrimo cacodæmone confundit, negatq; verum Deum esse: quod nunquam ausi sunt ore euomere quotquot vsquam fuerunt Epicurei, aut alij diuinitatis hostes infestissimi: quandoquidem tantam insolentis temeritatis petulan- 3. Ioan. 8.
B tiam omnis creatura ratione prædita damnat, ac palpitante pectore perhorrescit. En mea de his hominibus, eorumq; opinione sententia. Tu quid censes?

DOCT. Argumenta tua dilucida & firma esse. Sed prÿter hæc, eiusmodi blasphemum de vero & viuo Deo Caluinianorum iudicium omnibus sacris scripturis remanet conuictum, quæ confirmant immutabilem Dei semper esse maiestatem & veritatem, etiam si vniuersa ista inferiora & creata mutentur. De cælestibus enim orbibus scribitur: *Mutabis eos & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Et alibi: *Deus verax est, omnis autem homo mendax.* Et iterum: *Omnis homo mendax. Satanas mendax fuit, & pater mendacii.* Igitur cum omnis fraus & mendacium duntaxat vel dæmoni tribuatur, vel homini perdito velut cacodæmonis organo, nunquam autem Deo, inconsideratissimæ & dementissimæ profecto temeritatis est, hanc illi inferre iniuriam. 4. Psal. 101. Heb. 1. C Rom. 3. Psal. 115. Ioan. 8.

Præterea, veritas in Deo tam naturalis ac intima perfectio est, quam sapiẽtia, bonitas, misericordia, & iustitia, quæ naturæ diuinæ tam proprie conueniunt, vt non solum non sint accidentia quæ separari aliquando possint, verum sunt ipsa Dei substantia atq; na- 5.
D tura. Etenim secundum Augustinum, nõ est Deo aliud esse, & aliud intelligere, sapere, bonum, aut verum esse: sed hoc ipsum verum & bonum esse, quod viuere ac esse. Vt igitur Dei substantia atque natura semper constantissima est ac immutabilis, quicquid in rebus creatis permutetur, ita & Veritas certissima, quæ in nullam cadere potest cõtradicentiam, in nullum declinare mendacium. Hoc innumeræ confirmant scripturę, eiusmodi sunt istæ: *Dominus veritatem requiret. Veritas tua vsque ad nubes. Propter veritatem & mansuetudinem, & iustitiam deducet te* Psal. 30. 35. 44. 50. 88.

116.118. *mirabiliter dextera tua. Veritatem dilexisti. Veri-*
145. *tas tua in circuitu tuo. Veritas Domini manet in*
æternum. Omnes viæ tuæ veritas. Iustus Dominus
in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus ope-
Isa.16. *ribus suis.* Et in Isaia iurans Dominus per vi-
tam suam, & per thronum in veritate con-
stitutum, denunciat eos eniti suo ipsum de-
turbare regno ac solio, qui mendacij ac fal-
6. sitatis Deum audent accusare.

Ioan.14. Ad hæc, vnigenitus Dei filius profitetur
se esse, viam, veritatem, & vitam: igitur vt
nequit à recto aberrare, nec à morte deti-
neri, sic neque à veritate vnquam declinare.
Hac de re vno eodemque consensu beati
Apo.15.19. omnes Spiritus in cœlis concinunt, *Dominus*
Deus est omnipotens, & omnes viæ eius iustæ, ac ve-
ræ. Nomen eius est fidelis, & verax.

7. Perpende etiam tecum, quamobrem
Sap.1.Ex. strictissime omne prohiberet mendacium,
23. Leu.19. mendaces & dolosos abominaretur, filios
Num.23. diaboli & mortis esse dictitaret, si in eum vel
Psal.4.5. minima falsitatis suspicio cadere posset?
51.58. Aut quis constanter crederet ei, inconcusse
Prou.6.14. speraret in promissa eius, si vel semel in mē-
29. dacio fuisset deprehensus? Nam hoc conse-
Laert.l.5. quuntur viri mendaces, vt illis etiam cum
c.1. vera loquuntur, nemo credat, nemo fidat.

8. MIN. Quam ergo putas ineptum confi-
ctumq; esse eorum metum, (quo angi se &
grauari testantur) ne Deus mendacio aut
contradicentia conuictus reperiatur, si vni-
cum Filij sui corpus in multis simul locis cō-
stituat? DOCT. De his & similibus improbis
Psal.13.52. hypocritis dictum est, *Trepidauerunt timore,*
Isa.33. *vbi non erat timor. Possedit tremor hypocritas.* Et-
enim huiusmodi conficto timore, non di-
uinæ veritati & reuerentiæ, sed impiæ Sa-
cramentariæ opinioni suæ, ne ab omnibus
conuincatur & exsibiletur, trepidant. Hac
leonis pelle suum nituntur contegere asinū,
hacque purpura (vt est in prouerbijs) simiæ
suæ turpitudinem celare. MIN. At nimium
exigua sunt hæc folia, breuioraque integu-
menta, vt hinc possint erroris sui fœditatem
obuelare. In alium ergo sermonem incida-
mus.

DE CONSTANTIA ET IMMVTABI-
litate Dei in sua essentia & natura: aduer-
sus secundam hæresin.

CAPVT II.

DOCTOR.

SVperius iam aliquoties nominati ministri
Spina & Suræus tam verbo quam postea

A scripto asseruerunt: *Deum fore inconstantem,* Colloq. Pa-
mutabilem, propriæq; naturæ repugnantem si quo- riss. fol. 64
dam potentia sua miraculo corpus Christi Domini
nostri eodem temporis instanti in diuersis locis esse
permitteret. Ita enim elate nimis & arroganter
Dei viuentis maiestatem flocci faciunt.

MIN. Dicas potius eos tam impie & super- Confuta-
be blasphemare, vt nullus reperiri possit, in tio.
quo vel minima fidei & timoris eius reman- 1.
serit particula, qui ea audire non exhorreat.
Enimuero si vere vnus est Deus, vt & ratio
docet, & sacræ perhibent scripturæ, ille est
omnino immutabilis, quicquid rebus crea-
tis adueniat: quoniam pugnat Deum verum
B esse, & mutationi esse obnoxium. Nam mu-
tationes & vicissitudines tantum rebus in-
constantibus conueniunt, & dijs vanis, vel-
uti Saturno, Ioui, Marti, Plutoni, Iunoni, Pal-
ladi, Proserpinæ, Veneri, alijsque vanissimis
simulachris, quæ os habebant & non lo-
quebantur: quæque nec seipsa, nec cultores
suos ab iniurijs communibus seruare potue-
runt.

DOCT. Recte certe ais, fingentes Deum 2.
natura mutabilem, negare eum verum esse
Deum, quoniam sic eum in creatarum re-
rum ordinem reponunt, quæ propter inna-
tam imperfectionem & defectum non pos-
C sunt non esse mutabiles & inconstantes. De
vero autem Deo scribitur: *Non est Deus quasi* Num.23.
homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mute-
tur. Et semetipsum talem patefaciens homi-
nibus, qualem credere & colere illos dece-
bat, ait: *Ego Dominus, & non mutor.* Ideoque Mal.3.
Paulus apertissime & constantissime prædi- 1.Tim.6.
cat, *eum solum habere immortalitatem:* quo no- L.3. cont.
mine magnus Antistes Augustinus perpe- Maxim. c.
tuo contendit significari immutabilitatem. 12.

MIN. Et quoniam hic error tam crassus 3.
est, vt ampliori confutatione non indigeat;
insuper magnopere me delectat sapientissi-
mi & vetustissimi huius Patris doctrina, tan-
D tum ex eo aliqua deprome, quæ huic dispu-
tationi nostræ congruant. DOCT. Ait ergo. Tract.23.
Non est Deus mutabilis spiritus. Sed transi in Ioan.
omnem mutabilem spiritum, qui modo scit,
modo nescit: modo meminit, modo obliui-
scitur: vult quod nolebat, non vult quod vole-
bat. Transi omnia, non inuenies in Deo ali-
quid mutabilitatis: non aliquid quod aliter
nunc est, aliter paulo ante fuerit. Nam vbi
inuenis aliter, & aliter, facta est ibi quædam
mors. Mors enim est, non esse quod fuit. Solus
autem Deus habet immortalitatem. Et ali-
bi rursum his verbis verum Deum nobis
descri-

L. 1. Confess. cap. 4. Medit. cap. 29. Manual. c. 1. describit: Est immutabilis mutans omnia, nunquam nouus, nunquã vetus, innouans omnia, & in vetustatem perducens superbos, & nesciunt. Sẽper agens, semper quietus, colligens & non egens, portans & implens. Amas nec æstuas, zelas & securus es, pœnitet te & non doles, irasceris & tranquillus es, opera mutas nec mutas consilium. Et rursum omnia prorsus accidentia, quibus res creatæ immutari solent procul à Deo ablegans ait: Magnus es domine, sine quantitate, & ideo immensus. Bonus sine qualitate, & ideo vere & summe bonus, & nemo bonus nisi tu solus: cuius voluntas opus est, cuius velle posse est. Omnem creaturam absque indigentia possides, sine labore gubernas, absque tædio regis, & nihil est quod conturbet ordinem imperij tui, vel in summis vel in imis. Qui in omnibus locis sine loco haberis, & omnia contines sine ambitu, & vbique præsens es sine situ & motu. MINIST. Hæc mihi sufficiunt. Dicant in posterum quicquid voluerint alij ministri, ego cum verbis diuinis & Augustino, Deum meum verbo & Deitate sibi perpetuo constantem colam & inuocabo.

Manual. c. 2.

DE SANCTITATE ATQVE PERPETVA AEQVITATE, IVSTITIAQVE DEI NOSTRI, IN SVIS OPERIBVS: ADVERSVS TERTIAM CALVINIANORVM HÆRESIN.

CAPVT III.

DOCTOR.

Dicamus ergo de sanctitate, perpetuaque iustitia & æquitate Dei in cunctis operibus suis, quam impius vester Caluinus non solum suspectam habet, sed & seuere reprehendit atque vituperat. MIN. Potest ne fieri? DOCT. Imo & factũ ab ipso est, quando his verbis Gallicis ait: *Ie ne reçoy point ce mensonge & resuerie, que Dieu soit sans reprehension, quoy qu'il face, parce qu'il n'est obligé à aucune loy.* Quod ad verbum Latine dicitur: *Non recipio hoc mendaciũ ac delirium, quod Deus sit sine reprehensione, quicquid faciat, propterea quod nulli legi deuinctus sit.* Patet itaque Caluino iudice, Deum aliquando incurrere in varias reprehensiones atque vituperationes, eo quod quibusdam legibus teneatur.

Lib. de æter. prædest. pa. 239.

Confut. 1. MINIST. Ecquis vnquam purus, innocens, & omnino sanctus, si Deus sanctus & benedictus obiurgatione dignus inuenitur? Quibus indulgebit Caluiniana censoria grauitas, qui Deũ putat aliquo defectu arguendum? Etenim audacissime nimis nititur Consistorii sui sordidum efferre theatrum super Altissimum, & cum principe tenebrarum, Deum maximũ adducere in iudicium tanquam reum, & eundem velut iniustum carpere. Tam impia certe, & absurda sunt hæc, vt & cacodæmones horrerent in huiusmodi verba irrumpere, ac Deum reprehensioni subiicere: cum æquitas iudiciorum, & sanctitas operum eius tanta sit, vt huic etiam testimonium perhibere persæpe coacti fuerint. DOCT. Hactenus quidem de his iudicasti: sed si Caluinus etiam in hac re secum pugnat, vt in aliis frequenter, edicito.

Marc. 1. Luca 4. Actor. 16.

MINIST. Suo sese iugulans mucrone, scribit vt Gallica eius ad verbũ Latina reddam: *Faciamus consequentiam certam ac indubiam, quod omne quod in Deo est, iustum & verum est, nec potest vllo modo fieri, quin sit fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis:* Et rursum alibi: *Hoc modo vere demum subiguntur homines ad credendum, vbi carnis sensus facescere iussi, statuunt nihil nisi rectum ac purum à Deo procedere, nec eius verbo vel operibus obstrepere sibi permittunt.* Et sese adhuc strictius inuoluẽdo & implicando manifestis contradictoriis, ait: *Deus iniuste nihil potest facere.* Et postea: *Ecce portentosa humani ingenij rabies, Deum potius accusare vt iniustum, quam propriam non agnoscere cæcitatem.* Iam ex his ita ratiocinor, Si Deus aliquando reprehensioni esset obnoxius, vt scripsit Caluinus, maxime quod rem faceret iniustam. Iustum enim quis iuste reprehenderet? At nihil, eodem censore, iniuste Deus potest facere: igitur quicquid faciat, omni prorsus reprehensione vacat. Et si sanctus est cõtinuo in cunctis operibus suis, an non homo amentissimus, atque omnibus consiliis præceps ac deuius nouus iste Geneuensis Apostolus existit, existimans illum aliquando reprehendendum? Si autem accusare Deum sit furiosa & truculenta rabies, idem ipse monstrum erit ex pugnantibus naturis conflatum, & vt omni ratione priuatum constringendum & fugiendum, qui non solum reprehensibilem Deum existimat, sed & eum aliis in locis *autorem omnium peccatorum esse prædicat.* Præterea, si Deus in omnibus operibus suis sanctissimus & æquissimus est, extra omnem reprehensionem erit quicquid faciat. Nam aliam legem non habet, præter naturalem propriamque æquitatem & iustitiam suam.

2. In c. 5. Io. Psal. 144.

In cap. 7. Luc. vers. 29.

In cap. 3. ad Rom. v. 6. & in c. 9. v. 14.

3. Sed & in Institutione illos oppugnans, qui
Lib. 3. c. 23. putarent Deum alicui obtrectationi esse ob-
§. 4. noxium, ait: *Quomodo vllam iniquitatem ad-*
Rom. 9. *mitteret, qui iudex est orbis? Ad Dei naturam si proprie pertinet, iudicium facere, iustitiam igitur naturaliter amat, iniustitiam auersatur, &c. Docet Apostolus indignum esse, ad eam legem redigere Dei opera, vt simul ac eorum ratio nobis non constiterit, improbare audeamus.* Quibus verbis seipsum non tam oppugnat, quam reipsa vincit & expugnat. Etenim si Deus iniquitatem nequit admittere, omni reprehensione vacat. Et cum ad eius naturam pertineat iustitiam amare, iniustitiam auersari, & iudicium facere; profecto Caluiniani eius Diuinitati & iustitiæ palam aduersantur, iudicantes illum reprehensione dignum, si quid faciat, propterea quod nulli legi deuinctus sit. Denique, si nemini licet operibus eius obstrepere, aut opera eius improbare, tametsi ratio eorum nobis non constet; quo loco hunc hominem constituemus, qui illa carpit, & reprehensione digna posse aliquando esse tam impie quam audacter pronunciat?

4. DOCT. Ponas vbi volueris, sed certo scio, nullum ei locū remanere cum sanctissimis Prophetis, quorum vnus summam eius æquitatem & sanctitatem admirans ex-
Psalm. 72. clamat: *Quam bonus Israel Deus! Iustus Domi-*
91. 105. *nus, & non est iniquitas in eo. Confitemini domi-*
108. *no, quoniam bonus. Iustus es Domine, & rectum*
Deut. 32. *iudicium tuum.* Et alius canit: *Dei perfecta sunt opera, Deus fidelis & absque vlla iniquitate, iustus*
Ierem. 11. *& rectus.* Succlamat & tertius: *Tu autem Do-*
Baruch. 2. *mine Sabaoth, qui iudicas iuste, & probas renes &*
Dan. 3. & *corda.* Quartus & quintus eodem consensu
9. concinunt: *Dominus Deus noster iustus est in omnibus operibus suis.* Quocirca plusquam diabolica temeritas est, asserere Deum esse quouis pacto reprehendendum quidquid faciat.

5. Hunc rursum errorem conuellendum a-
Isaia 4. uertendumque curarunt Prophetæ & Apo-
Ierem. 18. stoli, cum Deum peritissimo figulo faciunt
Sapient. 15. simillimum, omnia vero quæ cælorum am-
Rom. 9. bitu continentur fictilibus vasculis, de quibus quæcunque voluerit operatur: nec possunt dicere fictori suo, *Cur me fecisti sic?* Ecquid etiam posset infinita sapientia, bonitas, & iustitia facere, quod non sit rectum, sanctum, & iustum?

6. MIN. Quædam ex Augustino adiice, vt
August. lib. ad inquisit. ad alia transeamus. DOCT. Eum Beatus
Deo, c. 16. Pater exhortatur, qui mente aberrans putat

A Deum non omnia sibi concedere, quæ ad salutem necessaria sunt, vt non obmurmuret, neq; vllo pacto illum accuset, quoniam cuncta certissima & iustissima ratione facit. *Cuius vult miseretur, & quē vult indurat.* Quinetiam potens est dona sua cuicumq; voluerit, conferre; & collata cum voluerit tollere: omnia æquissimi iudicii sui trutina ponderans. Denique, persæpe & grauiter obscurissimas de Diuinis iudiciis quæstiones concludens ait: *Iudicia Dei occulta esse possunt, iniusta non possunt. Iudicia eius semper manifesta sunt illi, occulta nobis.* MIN. Et sane malitia est perniciosissima, aliter cogitare vel dice-
B re: & quantum ad me pertinet, hunc errorem vt confectum & oppressum relinquam. Alium persequamur.

DE SVMMA DEI LIBERTATE IN operibus, quæ terminantur ad creaturas: contra hæresin quartam.

CAPVT IV.

DOCTOR.

Avthor vester tetra rursum hæresi seipsum suosque commaculat, Deū omni voluntatis libertate spolians, in cunctis ope-
C ribus, quæ in Scholis vocamus ad extra, id est, quæ ad res creatas pertinent: affirmans eum tali in his necessitate ferri, vt nō possit nō facere quæ facit. Sic enim scribit in Gallico de libero arbitrio volumine: *Dieu necessairement veut & fait bien: & veu qu'il perseuere ain si constant, il est comme necessité à soymesme.* Quod sic ad verbum Latine reddo. *Deus necessario vult & facit bene; & quia sic constanter perseuerat, sibi loco necessitatis est.* Fraudem quoque suam alibi aliquanto apertius manifestans ait: *Penitus statuere conuenit, fieri non posse, vt Deus consilium retractet:* adeo vt In cap. 26.
hoc iudice, prorsus Deo impossibile sit, ali- Mat. v. 39.
D quid vel immutare vel reuocare in his quæ promisit, aut comminatus est hominibus. Beza sordibus præceptoris se coinquinans, ait: *Deo nec liberum esse semel datam nobis fidem* Conf. pūct.
& gratiam tollere: nec inferi cruciatibus adiudi- 3. art. 6. &
catum liberare, nec beatū æternis suppliciis distor- puncto 4.
quere: eo quod nunquam sententiam immutet; & art. 20.
quod semel statuit, ita fiat necesse est. MIN. Fateor eos hæc sensisse & scripsisse: sed nondū video, qua in re peccent. Nonne scriptura docet Deum prorsus verum esse in verbis suis, & natura omnino immutabilē, vt nunc disserebamus? DOCT. Est prorsus quan-

tum ad naturam, voluntatem, intellectũ, & perfectiones essentiales spectat. Deinde, etiam omnis mutationis expers est in æternis illis emanationib⁹ ac operibus, quę in Scholis dicuntur ad intra, id est, quæ ipsam diuinitatem non exeunt, qualis est Filii generatio, Spiritus processio, mutuusque personarũ amor, beatitas, & gloria. In his enim tam naturalis est necessitas, vt aliter esse nõ possit, solaq; libertas, quæ dicitur Complacentiæ, in eisdem concipitur. Sed in operibus ad extra, id est, quæ solas respiciunt res creatas, tanta est diuinæ voluntatis libertas, tantaq; in rebus contingentia, vt Deus & dominus noster sine sui vlla mutatione, possit cuncta mutare, construere & destruere, conuertere & subuertere, probare & reprobare, viuificare & mortificare, perdere & saluare, pro vt ei placuerit. Atq; hoc est quod aduersus Caluinianos & Bezanos hoc loco adserere cõtendo. Vides enim eos in operibus ad extra, qualia sunt ferre sententiam in bonos vel malos, gratię & fidei dona infundere vel tollere, beatum vel miserũ hominem reddere, vniuersam prorsus Deo libertatem adimere, vt eum quadam ineluctabili necessitate constringant atque subiiciant.

Cõfutatio 1. MIN. Sententiam tuam nunc facile capio & probo: Caluinianam vero hac in re improbo atque reiicio, quoniam in primis sibimetipsi manifeste contrarius est, quando in libro de æterna prædestinatione, cum omni seueritate *damnat hoc Stoicorum axioma, Deus sibiipsi sua necessitas est.* Sic enim eodem ore efflat calidum & frigidum, & quod de libero arbitrio disputans adfirmat, nunc de æterna Prædestinatione differens plane reprobat: quod & ego eundem secutus improbo.

2. Alibi rursum Diuinam in operibus atque sententiis externis libertatem comprobans, scribit: *Dominus in gratuita sua electione liber est, & solutus ea necessitate, vt eandẽ omnibus gratiam ex æquo impertiat. Quin potius quos vult prætereit, quos autem vult assumit.* Idemq; rursum in Libris Institutionum sponte fatetur, *Deum posse conuertere lucem in tenebras, & tenebras in lucem.* Minister etiam Bartholom. Causseus in Clypeo fidei Geneuanæ sustinet, *Deum posse eum conuertere in auem vel asinum, nimirum vt stolidius & crassius animal existat:* quod tamen non facit: est igitur in Deo summa agendi libertas, nulla vero necessitas, vt ex ipsomet Caluino & fidei nostræ communi professione euidentissime colligitur.

In c. 9. Ro. vers. 11.

L. 4. c. 17.

Mihi insuper videntur hi, qui Deum vi ac necessitate coactum & inuitum aut agere aliquid, aut permittere dicunt, eundem in Lucianicum Iouem flagitiose transformare, quem impius atheus fato & necessitate retineri fingit. Tametsi enim isti à vocibus Fati abstineant, re tamen illud constituunt, eiusdemque violentiæ Deũ viuentem subiiciunt, quando scribunt, *eum necessario agere, eum sibi necessitatem esse, decreta sua de rebus humanis mutare non posse, &c.* 3.

Adhæc, attente mecum ipse cogito: Si Deus initio & Angelos & primum hominem (vt non inuitus confitetur etiam Caluinus) cum præclara arbitrii sui libertate creauit, nullique vel bene vel male agendi necessitati subiectos esse voluit: multo magis eam sibi seruauit perfectionem atque dignitatem, cum si quid bonum aut pulchrum in secundis causis existat, multo perfectius & excellentius in prima & summa, vnde procedunt, reperiri necesse est. Quomodo enim aliis quid contulisset, quod ipsa eminentius non haberet? Alias caussas liberas faciens, ipsam nec fuisse, nec superesse in suis effectis liberrimam, quis credet? Ex his itaque conclude, vero Deo non ferendam iniuriam irrogari, cum erga nos sua libertate, & quiduis agendi, aut non agendi licentia spoliatur. 4.

DOCT. Satis scite hoc quidem probas & confirmas, propriisque testimoniis aduersarios cõuictos reosque tenes. Sed si mecum ad aliquot operum diuinorum contemplationem animũ attendere velis, meridiana luce clarius conspicies, quam liber, omnique necessitatis lege solutus Deus omnipotens totum hunc mundum disponat & ministret. An non imprimis & Angelos, & cælos, & elementa, & homines, & cuncta alia summa libertate, atque spontanea voluntate sua creauit? Quæ alia causa eum impulit vt faceret? Quis vim ei adhibuit? Quæ necessitas coegit? MIN. Plane nulla, quoniam nec ante alia fuit, aut esse potuit. Deinde, audiui aliquando Basil. Mag. in his verbis, *In principio creauit Deus cælum & terram,* obseruasse, mundum Dei consilio & libera voluntate factum esse, non autem ex necessitate quadam, vt à vero aberrantes existimauerunt quidam Philosophi. Atque eodem pacto clarum & indubitatũ cunctis esse debet, Deum eadem libertate mundo induxisse diluuium, Ægyptios marinis vorticibus inuoluisse, legem dedisse Moysi, Filium suum 5.

suum in hunc mundum misisse, atque vniuersa ea perfecisse, quæ in Diuinis libris commemorantur. Sed perge, obsecro.

6. DOCT. Rursum mecum attende, quod si Deus sententias, suaque aduersus improbos lata semel decreta, nullo modo reuocare aut immutare valeret, profecto nec Moysem, nec Ieremiam, nec Danielem, nec Mardochæum, nec alios plures, toties pro Hebræorum salute deprecantes exaudiuisset. Ait autem sanctus Vates, *Dixit vt disperderet eos:* en Diuina cõtra obmurmurantes Israelitas sententia. Attendamus an illam commutare & reuocare nõ potuerit. Illico subiicitur: *Si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius, ne disperderet eos.* Et paulo post, eundem Dominum, aliam subinde sententiam suam aduersus Hebræos reuocantem idem Psalmus his verbis inducit: *Eleuauit manum suam super eos, vt prosterneret eos in deserto: Et deiiceret semen eorum in nationibus, & dispergeret eos in regionibus.* An non hoc est diuinum consilium & statutum? MINIST. Est plane, si quod aliud. DOCT. Audi illius apertam retractionem. *Stetit Phinees & placauit, & cessauit quassatio.* Tertiam quoque Diuinæ sententiæ aduersus Iudæos reuocationem ibidem animaduerte: *Immolauerunt* (inquit) *filios suos & filias suas dæmoniis, &c. Et iratus est furore dominus in populum suum, & tradidit eos in manus gentium, & tribulauerunt eos inimici eorum.* MINIST. Hic non tantum video decretum diuinum, verum & eiusdem executionem. Doce reuocationem illius. DOCT. Subiungitur statim: *Vidit cum tribularentur, & audiuit orationem eorum. Et memor fuit testamenti sui, & pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ. Et dedit eos in misericordias in conspectu omnium qui ceperant eos.* MINIST. Plurima sane & grauissima ex vnico Ps. argumenta, quibus & diuina licentia in decretis suis ferendis & reuocandis dilucide probatur, & Caluiniana Bezanaque impietas ac impudentia reprimitur.

Psal. 105. Exod. 32. Num. 25. Exod. 17. Deut. 7. Deut. 30.

7. DOCT. Putasne etiam quod cum Deus Abraham ex terra Chaldæorũ; Lot ex Sodomæ incendio; Noe ex diluuio; Iosephum ex vinculis; Moysem ex Nilo; Israelem ex Ægypto, mari, & desertis; Dauidem de manu leonis, Goliathis, & Saulis; Ionam ex ventre ceti; Ezechiam de potestate Assyriorum; & innumeros alios de summis ac præsentibus periculis asseruit, in potestate sua habuisse illos vt perirent, relinquere? MIN. Nullo modo dubito, cum nemo posset eum cogere, vt miraculosis liberationibus eosdem seruaret: sicque patere, Deum ineffabili libertate in cunctis operibus suis præditum esse. Quinetiam si voluisset, potuisset septem fratres per Antiochi aliena flammis vndantia illæsos emittere, quemadmodum tres pueros ex Babylonica fornace potuit lætos & integros retrahere, leones à Daniele arcere, Susannæ supplicium impedire. Quare manifestũ est & certissimum, Deum in cunctis operibus suis esse summe liberũ.

Genes. 6. Exod. 2. Mach. Dan. 3.

8. DOCT. Idipsum apertissime declarat, *Si*, conditionalem particulam decretis suis frequenter adiiciendo: simulque docendo, se non aliter teneri decretis suis, quam gloriæ suæ expedit, hominum saluti conducit, idemque seipsos diuinis promissis vel dignos reddunt, vel indignos. Ideoque semini Dauidis pollicetur: *In æternum seruabo illi misericordiam meam. Et ponam in seculum semen eius, & thronum eius sicut dies cæli. Si autem dereliquerint filij eius legem meam, &c. si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint: visitabo in virga iniquitates eorum, &c.* Sequitur querela: *Tu vero repulisti & despexisti, auertisti testamentum serui tui, &c.* Adhucque multo breuius & clarius per Isaiam ait: *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum est.* MIN. Ecce profecto conditiones dilucidæ, quæque satis indicant Deum in promissis & decretis suis esse liberrimum, nullaque necessitate detineri.

Psal. 88. Isaia 1.

9. DOCT. Ostendens rursum quam suum semper ius retineat, ait: *Si reuertamini & quiescatis, salui eritis.* Et per Ieremiam populum suum cohortatur? *Bonas facite vias vestras, & studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto. Si feceritis iudicium inter virum & proximum eius; aduenæ, pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis: & post deos alienos non ambulaueritis, habitabo vobiscum in loco isto vsque in seculum.* Huiuscemodi promissis sub conditione conceptis, omnium aliorum Prophetarũ libri sunt referti: quibus infinita Diuinæ voluntatis atque decretorum eius libertas satis manifeste comprobatur.

Isaia 30. Ierem. 7.

10. Promisit quoque patri fidei nostræ Abrahæ, quod si in Sodomis etiam tantum decem viri iusti reperirentur, propter eos non deleret ciuitatem. Dauidi pollicitus est, *Si custodierint filij tui vias meas, & ambulauerint coram*

Genes. 18. 3. Reg. 2. 3.

coram me in veritate, non auferetur tibi vir de solio Israel. Nec non Salomoni dixit: *Si ambulaueris coram me, sicut ambulauit Dauid pater tuus, & feceris iuxta omnia quæ præcepi tibi, suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum patri tuo.* An non his ostendit; summam se omnium decretorum suorum semper retinere potestatem, in liberando & perdendo, consolando & affligendo, erigendo & deprimendo: idque se facturum patefacit secundum diuersa hominũ merita & opera?

11. *Iona 3.* Et vt nondum à veteris Testamenti testimoniis recedamus, lata in Niniuitas subuersionis sententia, Ionæ concionibus, ac eorum precibus & ieiuniis plane reuocata est. B *3. Reg. 21.* Pronunciatum aduersus Achab iudicium, non est veritus retractare, quando eum in sacco & cinere coram se humiliatum conspexit. *4. Reg. 19. Isaia 37.* Mortem citissimam in Ezechiam à se decretam, & à suo præcone denunciatam, propter eiusdem preces & lachrymas, in quintum decimum vsque annum retardauit. Sic etiam ad vniuersos mortales per Ieremiam loquitur: *Iere m. 18.* *Si pœnitentiam egerit gens illa, à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei.* Et per Ezechielem: *Ezech. 18. Ierem. 18.* *Cum peccator ingemuerit, iniquitatum eius non recordabor.* Quorsum etiam sese figulo assimilat, si omnem licentiam super opus suum non seruat? Quis ergo poterit eũ iniustitiæ redarguere, si perditos saluet, aut beatos perdat? *Rom. 9. Sap. 15.* *An non cuius vult miseretur, & quem vult indurat?* Et in eius potestate est tenebras in lucem, & lucem in tenebras commutare? *Matth. 3.* Vasa quædam facere in honorem, quædam vero in contumeliam? Ex lapidibus facere filios Abrahæ & ipsos filios Abrahæ lapides? *Matth. 20.* Voluntati eius quis resistit? *An non licet mihi* (ait ad quosdam obmurmuratores) *facere quod volo? Et oculus tuus nequam est, quoniam ego bonus sum?* Hæc porro vniuersa sine sui vlla mutatione efficit atque operatur, quoniam, vt ait Boethius:

L. 1. confess. c. 4. Manu. c. 1.

Immotus remanens solus dat cuncta moueri.

Augustinus quoq; his eum compellat: Pœnitet te, & non doles: irasceris, & tranquillus es: opera mutas, nec mutas consilium.

12. MIN. Hæc mihi penitus faciunt satis, nec vlteriores diuinæ libertatis in externis operibus probationes requiro. Hanc enim certissime credo, sed & perpetuo confitebor, quod ipse, ipse est qui mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit, pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat. Ait enim

A de seipso: *Ego occidam & viuere faciam, percutiam & sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere.* *1. Reg. 2. Psal. 111. Deut. 32.* His enim satis declarat, qua libertate omnia huius mundi negotia temperat: illosque ab omni pietate longe remotos esse, qui aliter senserint. Disputationem aliam instituamus.

PRÆVISIONEM AVT VOLVNTATEM *Dei æternam, nec humani arbitrij libertatem, nec rerum inferiorum contingentiam auferre: aduersus quintam & sextam hæresin.*

CAPVT V.

DOCTOR.

Agamus ergo de eo, quod Caluinus, vt cum auis suis Simone Mago, Marcione, & Manichæis, liberum hominum arbitrium perneget; & contingentiam è rebus inferioribus tollat; sustinere nititur, voluntatem & præscientiã Dei talem illis necessitatem imponere, vt nulla relicta sit in eis libertas, aut causis secundis contingentia. Propria sunt hæc eius verba: *Inst. lib. 3 c. 23. §. 8.* *Non dubitabo igitur simpliciter fateri, Voluntatem Dei esse rerum necessitatem,* C *atque id necessario esse futurum, quod ille voluerit: quemadmodum ea vere futura sunt, quæ præuiderit.* Tum Diuo Augustino imponens, quod eiusdem fuerit secum opinionis, licet omnino contrariam & toto cælo (vt aiunt) oppositã defenderit, vt mox docebimus, adiicit: *Deum ab æterno omnia præuidisse ac voluisse tum in caussis generaliter, tum in effectis particulariter:* vnde manifeste consequitur, nullam in caussis secundis aut effectis earum esse relictam libertatem ac cõtingentiam: sed tantam impositam necessitatem, vt euitari nullatenus possit. Suam adhuc detegit hæresin multo quam antea clarius in Antidoto aduersus D Conc. Trid. dum conatur eam tueri profani & athei Poetæ sententiam; *Certa stant omnia lege:* hæcque Lutheri verba, quæ Concilium damnat, *Omnia absoluta necessitate eueniunt.* Quod tuum de his iudicium?

MIN. Certum est, hanc fuisse hominis opinionem: *Confut. 1.* sed te non celabo, mihi semper displicuisse, & his omnibus, in quibus animaduerti aliquam superesse conscientiæ integritatem, idq; multis rationibus, quas paucis commemorabo. Prima est, quod author sibi repugnat, alibi plane *reiiciens omnem de præscientia diuina doctrinam, velut subtilitatem à sacra scriptura dissentaneam.* *Inst. lib. 2. c. 4. §. 3. In ... Io.* Alias insuper scribens,

bens, *Prophetias*, (quæ non nisi diuinæ præscientiæ hominibus factam reuelationem canunt) *nullam imposuisse necessitatem Iudæis; neque domini prædictionem Iudæ Ischariotis vllam pereundi necessitatem attulisse*. Et antea, multo maiori contradictione irretitus scripserat, *Seruitutem peccati tam esse voluntariam, vt hi etiam, qui necessitate peccant, non tamen peccare compellantur*. Alibi rursum confitetur: *Reprobos in se mortem non accersere, propterea quod Deus ita præuiderit, & propterea perditionem eorum non esse diuinæ præscientiæ tribuendam*. Ex his itaque Caluinianis placitis, sic aduersus Caluinianam necessitatem argumenta conficio & concludo: *Si nulla simplex est in Deo præscientia*, nullam certe rebus necessitatem illa potest adferre: quoniam quod non est, alterius libertatem nequit tollere. Adhæc, *si Prophetiæ vim pereundi non adferunt hominibus vt pereant*, profecto ipsi in mera puraque libertate arbitrii relinquuntur. Quo igitur fundamento necessitatem absolutam poterit Caluinus stabilire? Nec possunt Caluiniani vllo modo negare. Deũ Patrem ab initio Filii sui aduentum in carnem, passionem, & mortem præsciuisse: atqui certissimum est, eam fuisse omnino liberam & voluntariam, alioquin nostra non expiasset delicta, vt idem quoque Geneuenses fatentur: manifestum est ergo diuinam voluntatem aut præscientiam nullam imponere rebus necessitatem, aut libertatem contingentiamue caussis secundis tollere.

In c. 11. & 13. Ioan. — *In c. 8. Io.* — *In c. 23. Mat. v. 34.* — *Cal. in c. 10. Ioan.*

2. Insuper, idem Caluinus alibi non inuitus confitetur, *Iudæorum errorem fuisse voluntarium: neminem cogi ad peccandum; homines spontanea malitia reiicere à se gratiam Dei: propria voluntate fugere oblatum sibi lumen: fidem hominis esse voluntariam; impios sponte accersere super se scandala, vt ad Deum vocantem non pergant*. Grauiter rursum conqueritur: *quod rebus liberis sit imposita necessitas, cum Deo cultus nullus placeat, nisi spontaneus sit: veramque religionem continere in se voluntariam & liberam reuerentiam, &c.* quæ omnia totidem mihi videntur decreta, ex ore Authoris emissa, cõtra absolutam, quam fingit & imaginatur necessitatem. DOCT. Repugnat sine dubio, rem aliquam esse liberam ac voluntariam, simulque necessariam. Rursumque, neminem cogi ad peccandum, sed voluntarie libereque peccare: & cuncta necessitate absoluta euenire. Præterea, si nefarium est rebus liberis necessitatem imponere;

Cal. in c. 5. 8. 10. & 12. Io. In c. 4. Luc. in c. 13. 15. & 22. Matth. Inst. lib. 1. c. 2. §. 1.

A quomodo diuina voluntas, quæ semper recta & iusta est, his necessitatem vimque adferret? quomodo contingentiam tolleret? Ista certe inter se conuenire nõ possunt. Sed perge cæteras causas adferre.

3. MIN. Si omnia propter Dei voluntatem & præscientiam absoluta necessitate fierent, Deusque omnia (vt & Caluinus confitetur) ab initio præscierit atque voluerit: horrendum dictu! sequeretur Deum sua voluntate & præscientia coegisse Luciferum, Satanam aliosque diabolos, vt aduersus propriam Maiestatem suam diuinam superbia exurgerent: Euam, vt serpenti potius quam

B sibi crederet: Adamum, vt mandato suo non obtemperaret: Cainum, vt fratricidio sese pollueret: Gigantes, vt viam suam peruerterent: Cham, vt pudenda paterna irrideret: Sodomitas, vt præposteram & execrandam libidinem exercerent: Loth, vt incestu filias virgines comprimeret: Hebræos, vt idolis inseruirent: Dauidem, vt contaminatæ adulterio fœminæ maritum proditorie necaret: Amnonem, vt sorori vim inferret: Absalonem, vt nouercas incestaret, & patrem ad necem persequeretur: Salomonem, vt idola coleret: Iero-

Luca 10. Apoc. 12. Gen. 2. 4. 6. 12. — *Exod. 32. 2. Reg. 11. & 16. 3. Reg. 11. & 18. 4. Reg. 21. Psal. 105.*

C boamum, vt vitulos erigeret & coleret: Achabum & Iezabelem, vt sanctos Prophetas neci traderent: Manassem, aliosque Iudæos, vt filios suos & filias suas immolarent dæmoniis. Et, vt paucis dicam, consequeretur ex Caluinianis placitis, Deum sanctum & benedictum sua voluntate & præscientia omnem libertatem abstulisse, & absolutam necessitatem imposuisse latronibus ad furandum, prædonibus ad grassandum, sicariis ad homines innocentes iugulandos, parricidis ad commaculandos in sanguine parentum digitos, meretricibus ac lenonibus ad omnem prurientis libidinis exercendam

D illuuiem: quæ vniuersa timentibus Deum tam horrenda sunt, vt etiam arbitrer coram ipsis dæmonibus & inferorum carcere detentis reprobis hominibus execranda videri, quippe qui experiantur cacodæmones peccatorum istorum sibi suasores fuisse, nõ autem Deum ad hæc patranda sua prænotione compulisse. DOCT. Et certe si voluntas Dei rebus omnibus sit absoluta necessitas, vt hic Geneuanus Apostolus prædicat, cuncta absurda, quæ commemorasti recta consequerentur. Præterea, quod homines ratione præditi essent ad omnia opera sua velut equi frænis constricti, asini clitellarii,

tellarii, porci in luto, canes intercincti, & alia omnis generis bruta, quæ ratione & libertate carentia, statim belluina ignorantia necessario rapiuntur, quo furiosus eorum transuehit appetitus. Si has igitur consecutiones execrandas iure arbitramur, quanto magis ministros antecedentium & principiorum authores?

MIN. Tertia ratio est, quoniam dicere Deum sua voluntate aut præscientia absolutam necessitatem cunctis à se creatis rebus imponere, est ipsum in idolum impurum, ac etiã omnium, quæ vnquam stultus commentus est paganismus, pessimum, transformare. Imo etiam (horret animus referre) deterius Satana, cunctisque nequitiæ e-
In cap. 26. iusdem Angelis: cum nec idola lignea, la-
Mat. v. 14. pidea, argentea, aurea, cultores suos cogere
Gen. 2. possent ad peccandum, nec ipsi cacodæmo-
Iob. 2. nes nos impellant ad quotidiana peccata, vt
1. Reg. 18. lubens etiam fatetur Caluinus.
3. Reg. 22.
Matth. 4. DOCT. Equidem princeps ipse dæ-
& 26. monum Euam quidem solicitauit, vt Deo fidem non haberet; Iobum, vt desperans blasphemaret; Saulem, vt Dauidem confoderet; Pseudoprophetas, vt mentirentur; Christum, vt se deorsum mitteret: Petrum, vt magistrum abnegaret: sed eos nunquam, aliqua necessitate compulit, nunquam vim intulit, nunquam libertatem sustulit; vt Deo optimo & sanctissimo blasphemando dicit vester Caluinus.

5. MIN. Hæ sunt tres rationes, quibus permotus ab illius errore recedo: tuas libentissime nunc audiã. DOCT. In primis ad hunc errorem damnandũ cõmoueor, quod penitus aduersetur cunctis scripturis, quib⁹ manifestatur, Deũ etiã post lapsum primi parẽtis, aliquã hominibus reliquisse rerũ electionem, ac animi libertatem. Hæ vero ex parte sunt. Dicit Dominus ad Cain; *Nonne si*
Gen. 4. *bene egeris, recipies, sin autem male, peccatum statim in foribus aderit?* Et ad omnem Israe-
Deut. 30. lem: *Testes inuoco cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam & bonum, benedictionem & maledictionem. Elige ergo viam, vt & tu viuas, & semen tuum.* Prius quoque eisdem
Deut. 26. dixerat: *Tu hodie elegisti Dominum Deum, vt*
2. Reg. 24. *per vias eius ambules, &c.* Monet quoque Da-
1. Paralip. 21. uidem voce Prophetæ, vt ex tribus afflictionum generibus, *quod vellet, eligeret*, quo pro delictis admissis castigaretur. Idem postea profitetur se *elegisse abiectum habitare*
Psalm. 118. *in domo Dei, magis quam in tabernaculis pecca-*
Prouerb. 8. *torum.* Denique ait: *Viam veritatis elegi, quia*

A *mandata tua non sum oblitus.* Et filius eius affirmat, se *doctrinam magis quam aurum elegisse.* Ac vt boni electionem in hominum potestate relictam, noui etiam Testamenti authoritate confirmemus, Christus Petro & coapostolis potestatem faciens à suo contubernio exire, vel in eodem perseuerare, dicit eis: *Nunquid & vos vultis abire?* Lau- Ioan. 6.
dat Mariam, *quod bonam partem elegisset.* Et frequenter proclamat: *Si quis vult post me venire, &c. Si vis perfectus esse. Si vis ad vitam* Luca 10.
ingredi. Si quis ad me venit, &c. An putas po- Matth. 6. & 19.
testatem eligendi toties oblatam vanam ac ridiculam esse? MINIST. Hominem Luc. 9. & 14.
B profecto derideret, qui electionis libertatem verbis quidem offerret, reipsa tamen absolutæ necessitati eum subiiceret. Quare video Caluinum plane deludere illos, qui scriptis suis fidem præbent; cum superiora testimonia vera quidem esse non diffitetur, nihilominus voluntatem præscientiamque Diuinam hominibus ineuitabilem necessitatem adferre simul prædicat. Constat enim cunctis, electionem nullam esse in rebus omnino necessariis, sed tantum in liberis, & quæ in eligentis potestate sunt constitutæ.

DOCT. Altera causa, cur eundem er-
C rorem improbem, ea est præsertim, quod 6.
Deus affirmet sæpissime, se voluntatem hominis non cogere, sed prorsus liberam relinquere. MIN. Quoniam id nostri pertinaciter negant, plurimum desidero id à te constanter probari. DOCT. Id iam supra satis euici ex omnibus his locis, quibus dicitur, *Si vis, Si quis voluerit, &c.* sed ne vlla tibi supersit dubitatio, en Sapientis clarissima testimonia: *Deus ab initio constituit hominem,* Eccles. 15.
& reliquit illum in manu consilij sui. Si volueris mandata conseruare, conseruabunt te. Apposuit tibi aquam & ignem; ad quod volueris, appone manum tuam. Ante hominem vita & mors, bo-
D *num & malum; quod placuerit, dabitur illi.* Et ne leuis videatur huius vnius authoritas, ecce Ieremias iussu domini Ierosolymitis de- Ierem. 21.
nunciat: *Do coram vobis viam vitæ & mortis.* Et ipse Filius hominis Iudæos increpat, Matth. 23.
quod noluissent ad vocem illius aggregari sub alis suis. An non his ostenditur voluntas humana esse prorsus libera, nullaque vi diuina aut cælesti coacta? Rursum, petit ab infirmis, *Si velint curari:* Per Ioannem procla- Ioan. 5.
mat: *Qui vult aquam vitæ, veniat, & hauriat* Ioan. 7.
gratis. MIN. Non possum satis mirari, quo pacto quis non vereatur asserere, Volunta-

 tem

tem diuinam rebus inferioribus necessita-
tem afferre, aut eius præscientiam eos ad
quædam compellere, quando apud me di-
ligentius repeto tot diuinas voces contra-
riam omnino sententiam pronunciare.
7. DOCT. Audi rursum, quomodo Dauid
Psal. 52. dicat: *Voluntarie sacrificabo tibi.* Eleazar vo-
2. Mach. 6. luntarie pergat ad mortem: Alcimus pa-
14. trum fidem sponte violet: Petrus hortetur
Heb. 10. Ecclesiæ pastores, *vt non coacte, sed spontanee*
1. Pet. 5. cõmissum curæ suæ gregem pascant. MIN.
Audio, & multo magis aduersus impiam
hæresin inardesco: simulque necessitatem,
à Caluino rebus humanis innectam, ex ani-
mo detestor. DOCT. Consentit Beato Pe-
tro diuinus Paulus, scribens ad Corinthios,
1. Cor. 7. Patres *potestatem habere suæ voluntatis,* vt filias
superadultas viris in matrimonium possint
tradere, vel non tradere: alios rursum lau-
dans, quod eleemosynas conferrent *non ex*
2. Cor. 9. *tristitia, aut ex necessitate:* dicit insuper Phile-
moni se non voluisse quidpiam agere sine
consilio suo, *vt ne velut ex necessitate bonum e-
ius opus esset, sed voluntarium.* Ecce diuina de-
creta absolutæ necessitati Caluinisticæ tam
contraria, vt non possint cum ea conciliari.
Etenim si pastores nõ coacte vacant suo of-
ficio; si non ex necessitate eroganda est e-
leemosyna, vt præstantissimi docent Apo-
stoli: nulla profecto necessitate absoluta ho-
mines irretiuntur. Philemon item si nõ ne-
cessario, sed voluntarie Onesimum seruum
suum in obsequio Pauli relicturus esset, di-
uina certe voluntas aut præscientia nullam
vim, nullam coactionem rebus adfert. Num
hæc tibi sufficiunt?
8. MIN. Si quæ adhuc habeas ad tantã im-
pietatem refellendã, lubens audiã. DOCT.
Hanc ergo absolutam hæreticorum neces-
sitatem rursum execror, propter plurima
absurda, & infanda vitia, quæ inde conse-
quentur, si semel per orbem admissa fuerit.
Nam quisquis sibi persuaserit, res omnes sic
Deum constituisse, vt sit impossibile aliter
contingere, nihil in consilium aut delibera-
tionem adducet: nec laborabit salubria re-
media aduersus famem, pestem, bellũ, mor-
tem, tentationes, prauos naturæ affectus,
peccata & scelera omnia sibi oblata requi-
rere: quippe qui sibi persuadeat aduersus
absolutã necessitatem à Dei voluntate im-
pressam, nullum esse consilium, nullũ per-
fugium, nullam cautionem. Deinde, Reges,
principes, magistratus hac imbuti persua-
sione, nihil curabunt leges pro pietate & iu-
A stitia ferre, administrare iura, viduam & pu-
pillum de manu opprimentis eripere, no-
xios minis coercere, aut suppliciis iuste affi-
cere. Nam scelesti omnes vociferabunt sese
nõ sponte, sed diuina coactos voluntate ab-
solutaque necessitate sic compulsos sceleri-
bus dedisse operam, vt ab his abstinere nec
velint, nec valeant. Tuncque omnes impro-
bi in omnem criminum speciem sese pro-
fundent, & sine timore aut pudore in his vt
porci in cœno se volutabunt: sua denique
turpissima flagitia in voluntatem diuinam
reiicient, dicentes cum sacrorũ vestrorum
Antistite, illam cunctis rebus tantam vim
B adferre, vt eam nullus effugere, nullus su-
perare, nullus vincere possit.
Præterea, si huiusmodi necessitas semel 9.
admittatur, frustra monebuntur infideles,
Iudæi, Turcæ, vt doctrinam Christianam
relicta superstitione sua, amplectantur, & sa-
cro lauacro regenerentur: frustra apostatæ,
vt ad fidem redeant: frustra hæretici, vt er-
roribus extremum vale dicant: frustra o-
mnes peccatores, vt vitiis nuntio remisso,
ad pœnitentiæ fructus, meliorisq; vitæ fru-
gem sese conuertant. Quandoquidem & in-
fideles, & Turcæ, & Iudæi, & apostatæ, & hæ-
retici, & peccatores, iuxta Caluinum, diui-
C na voluntate tales sunt, nec aliter potest fie-
ri, *cum vniuersa necessitate absoluta fiant, certaq;
stent omnia lege.*
Sequeretur rursum, neminem diuinas 10.
per ora Prophetarũ minas oportere refor-
midare: neminem exhortationes Aposto-
lorum exaudire: neminem parentum mo-
nitis assurgere: neminem præceptorum de-
creta curare: neminem aduersus immissa à
Deo flagella per pœnitentiã aut preces ob-
uiam pergere: quoniam omnia iuxta istos
Seductores, *absoluta & ineuitabili necessitate
accidunt*, tamque certa stant omnia lege, vt:
quicquid consultes, quicquid tentes, quic-
D quid legas, vt Deus ab æterno præsciuit, eue-
nient, nec sententiam vnquam retractabit.
Vides itaq; Satanam omnis fraudis & men-
dacij parentem, dum per vestros ministros
fingit gloriæ diuinæ se studio teneri, eum è
contrario in spiritum quendam inexorabi-
lem & implacabilem transformare; quique
sit ipse tantæ necessitatis lege subiectus &
vinctus, vt aliter nec velit, nec possit esse.
Conspicis etiam Hugnosticorum ducem
cuncta, seu Diuina, seu humana sub cuius-
dam fati necessitate, longe violentiori, ac
crudeliori constringere, quam vnquam
impro-

improbissimi finxerint ethnici vel athei: quoniam eam vim existimauerunt ex ordine tantum secundarum causarum procedere; vestri autem Ministri prædicant & scribunt eam venire à Deo; qui vi infinita omnẽ ordinem, fluxum, & vim corporum cælestium exsuperat.

11. MIN. Hæc tam clara & certa sunt, vt nemo mentis compos possit contradicere. Sed quoniam Caluinus Augustinum à se stare scribit, tu vero pollicitus es, illum contrariam omnino sententiam tenere te probaturum, fac fidem promissi, & finem huic disputationi apponamus. DOCT. Decem prima capita Libri quinti de Ciuitate Dei exeunt in refutanda apertis scripturæ verbis, & exemplis grauissimis, ista fatali necessitate: asserenda vero præscientia diuina, liberiq; arbitrij hominum cum ipsa concordia. Concludit autem his verbis: Nullo modo cogimur, retenta præscientia Dei, tollere voluntatis arbitrium; aut Deum (quod nefas est) negare præscium futurorum: sed vtrunq; amplectimur, vtrunque fideliter & veraciter confitemur. Illud vt bene credamus, hoc vt bene viuamus. Alibi rursum nō solum idem confirmat, sed & omnia argumenta quæ contra dirigi possunt, scite dissoluit: & probat exemplo resurrectionis nostræ quam futuram credimus, prænotione: & rerum præteritarum retenta per nos memoria, quibus nulla imponitur iccirco necessitas; longe maiore ratione diuinam præscientiam non adimere arbitrij nostri libertatem. Claudit vero disputationem, hac ratione. Sicut non sibi aduersantur hæc duo, vt tu præscientia tua noueris (peccatum) quod alius sua voluntate facturus est: ita Deus neminem ad peccandum cogens, prȩuidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Et sicut memoria tua nō cogit facta esse quæ præterierunt: sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt. Et alio loco vulgatam hæreticorum obiectionem ita soluit: Si dicitur Pharaonem non potuisse mutari, quia eum præsciuerat Deus non mutandum. Respondetur, Dei præsciẽtiam non cogere hominem vt talis sit, qualem præsciuit Deus: sed præscire talem futurum qualis futurus est, quamuis eum non sic fecerit Deus. MIN. Hæc ex Augustino satis superque ostendunt, quam longe discesserit à Caluiniana necessitate; contra vero semper asseruerit voluntatem aut præscientiam

Aug. l. 5. c. 9.
L. 3. de libero arb. c. 4.
Li. de prædest. & gra. c. 15.
Exod. 4. 5.

A Diuinam concinne stare cum rerum contingentia atq; libertate.

12. DOCT. Qualem existimas virum fuisse Diuum Ambrosium? MIN. Cum Philippo Melanthone pronuncio illum fuisse, *verum veræ Ecclesiæ membrum.* DOCT. Damnans & ipse fanaticam hæresin de qua disputamus, ait: Vtiq; præsciebat Deus ad quem finem insanientis (Caini) esset progressura conceptio. Neq; ex eo quod falli scientia Diuina non poterat, necessitate peccandi vrgebatur facinus voluntatis, à cuius vtiq; intentione atq; effectu potuit incolumitas Abel illæsa defendi, nisi placuisset Deo, cum magna B laude patientiæ suæ, vt temporalis furor impij fieret perpetuus honor iusti.

In c. 14. Ro.
L. 2. de voc. gentium. c. 4.

13. De pietate vero & summa Hieronymi doctrina quid censes? MIN. Audiui Bernardum de illo & Augustino frequenter dixisse: Non facile ab his duabus Ecclesiæ firmissimis columnis discedo. Hoc idem à me tibi responsum puta. DOCT. Bene habet. Ille ergo libertatem arbitrij humani nullo pacto tolli per Diuinam voluntatem aut præscientiam non perfunctorie docet, sed multis sacrarum literarum testimonijs comprobat, ijs videlicet quibus hæ dubitandi particulæ: *Si forsitan, si forte, fortassis,* reperiuntur; C vt, *Si forsitan audiant & conuertantur: Forsitan verebuntur filium meum: Si forte Deus recogitet de nobis & non pereamus: forsitan ignoscet Deus: Ne forte nec tibi parcat: Si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Verbum ambiguum *forsitan* (scribit ille) maiestati Domini non potest conuenire: sed nostro loquitur affectu, vt liberum hominum seruetur arbitrium, ne ex præscientia eius quasi necessitate vel facere quid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est. Deus nouit quasi præscius futurorum: & tamen iuxta Ieremiam, & si mala prædixerit dominus, & populus D egerit pœnitentiam, quod & ipse acturus sit pœnitentiam, super his quæ facere comminatus est. Et si prospera pollicitus fuerit, & egerit populus negligenter, mutet Deus sententiam, & pro bonis mala inferat. Hactenus ille, qui & alio rursum loco sibi obijcit, vt soluat: Si Daniel Nabuchodonozori prædixit sententiam Dei quæ non potest immutari; quomodo hortatur eum ad eleemosynas, vt Dei sententia commutetur? Facile soluitur Ezechiæ regis exemplo, quem Isaias dixerat esse moriturum: & Niniuitarum,

Hier. com. in c. 25. Iere. & in c. 2. Ezechiel.
Iere. 25.
Luc. 20.
Ioan. 1. 3.
Dan. 4.
Rom. 11.
Act. 8.
Com. in c. 4. Daniel.
Isa. 38.

Ion.3. quibus dictum est, *Niniue subuertetur*: & tamen ad preces Ezechiæ & Niniue Dei sententia commutata est: non vanitate iudicij, sed eorum conuersione qui meruere indulgentiam. MIN. Penes me trium sanctiss. antiquiss. & sapientissimorum Patrum testimonia tantundem sunt ac trecentorum. Docent enim satis perpetuam Christianæ Ecclesiæ fidem esse, contingentiam in rebus, & arbitrij libertatem in hominibus etiam post lapsum remanere, nihil obstante diuina præscientia: ac proinde detectum errorem Caluinicum tecum damno ac respuo. Iam de alio tractemus.

PROVIDENTIAM AC SOLICITVDINEM diuinam etiam in improbos ac immorigeros homines extendi: contra septimam & octauam Hugnosticorum hæresin.

CAPVT VI.

DOCTOR.

DIcamus ergo de prouidentia Dei nostri, quam vestri æque aperte ac nefarie negant, in omnibus locis vbi conuenire solét. MIN. Illud falsum est. DOCT. Imo verum, & cunctis compertum. MIN. Nequaquam. DOCT. Quotidie id fit in ore & oculis omnium vestrum. MIN. Impudens est calumnia, quam melioribus vobis obiectare soletis. DOCT. Placide sedateque obsecro domine, agamus: & nisi probauero, calumniator habear, & planus improbissimus: sin luce meridiana clarius id euicerim, errorem mecum refelles & detestaberis? MIN. Imo vt execrandum atheismum animus reijciet. DOCT. Agnoscis nos omnes filios Adæ, vere peccatores & reos esse in conspectu Dei? MIN. Hæc docent omnes fere veteris & noui fœderis paginæ, & conuincunt propriarum conscientiarum testimonia. Nec dubitauimus omnes infideles, omnes Iudæos, omnes Mahometanos, omnes à sacris Christianis alienos, esse propter infidelitatem & peccata continua, velut impuros canes coram Domino. DOCT. Recte ac merito id facitis. Sed quam opinionem, quæso te, Pontifex vester Caluinus habet, de his omnibus qui Catholicam religionem profitentur? MIN. Non feras obsecro te, iniquo animo, si aperte dixero. Scribit, *vos esse hostes plusquam mortales Christi, in cuius vultum conspueretis quem lento igne vstularetis, si nobiscum adhuc viueret: & Petrum in frusta discerperetis, Paulumque lapidibus obrueretis.* DOCT. Sua igitur innata modestia, & mansuetudine Euangelic[a] de nobis admodum male iudicat. Sed quid de vobis reformatis, ab vteris matrum sanctificatis, nouis huius seculi Apostolis & Euangelistis, Christi ministris, Dominique fraterculis existimat? MIN. Nec istud te celabo. Scribit de seipso, comministris, prædicantibus, diaconibus, antiquis, superintendentibus, & doctrinæ suæ sequacibus. *Quod Christum non aspicimus nisi carneis oculis: ita fit vt nihil in ipso magnificum nobis appareat. Vitioso enim nostro sensu quicquid in ipso est, eiusque doctrina peruertimus: adeo sinistri sumus interpretes. Deinde, eo ipso non contenti, multa falsa arripimus quæ Euangelij contemptum pariant.* DOCT. Quanto ergo cum periculo, imo & præsenti animarum discrimine, certissimaque perditione salutem suam huiusmodi præconibus ter quaterque miseri homines committunt? MIN. Sine, & his audies grauiora de nobis, cum dicit: *Natura certe nihil minus quam oues sumus: quin potius omnes nascimur vrsi & leones, donec Spiritus Christi nos cicuret, & ex feris ac indomitis bestiis mansuetas pecudes formet.* Denique, *experientiam ipsam docere, nos esse à Deo penitus auersos, eius odio plenos & infectos: lucem Euangelii obscurare nostris peruersis inuentionibus.* Hæc ille de nobis. DOCT. Certe, vt video, hac in re propheta est. Sed quid in publicis precibus vestris, dum vel ad Cœnam, vel ad quotidianas conciones conuenitis, de peccatis vestris serio confitemini? MIN. Confitemur grauiter & affirmate, *nos esse peccatores, miseros, in peccato & corruptione natos, in malum propensos, ad nullum bonum aptos, qui perpetuo diuina infringimus præcepta, indignos qui vel cælum ipsum intueamur.* DOCT. Equidem, si vera dicitis, vt hæc facile credo: nobis longe deteriores & nequiores esse vos conspicio. MIN. Quorsum vero hæc disquisitio? quorsum? DOCT. Sequitur ex præsenti deductione, *omnes homines male agere.* Atqui in omnibus vestris cœtibus cantatis & psallitis Gallice, *Dieu n'a ne soin ne cure des mal viuans.* quod Latine est: *Deus nullam habet solicitudinem aut curam eorum qui male viuunt*: ex his igitur apertissime & certissime concludo, vos diuinam prouidentiam & curam erga improbe viuentes, id est, vniuersos filios hominum, nefarie tollere & reijcere.

Sed neque hic substitit Hugnostica impietas:

Marginal notes: In cap.23. Mat. & in 5.13. & 15. Ioan. — In c.6. Io. vers.41. — In c.10. Io. v.8. & in c.14. & 15. — In vers. vl. Psal.1.

tas: quandoquidem eo progressa est, vt scriptis euulgarit, *Deum aut scelerati, aut boni viri curam omittere.* Hæc enim sunt verba Io. Bodini, Caluinicorum magis quam Catholicorum scriptorum studiosi. *Methodo ad legendas historias.*

Confutatio. 1. MIN. Heu me miserum, qui toties istud in nostris Psalmis audierim, toties legerim, toties cecinerim, nec hucusq; tamen animaduerterim tam nefariam culpam ac impietatem in nostram Ecclesiam inualuisse. Miror Bezam, qui ducibus nostris Geneuanis præest; quique toties Psalmos perlegit & emendauit, locoq; ceruæ detonsæ, timidum finxit strepere ceruum; & in versibus Latinis, suam improbauit Gallicam versionem, cur tantam impietatem non correxerit. DOCT. Tantum abest vt voluerit vestrum Marotum in hoc emendare, vt eum, atque hoc ipsum eiusdem inuentum, multis laudet atque approbet, scribendo: *Clemens Marotus citra vllã linguarum vel artium cognitionẽ, vtilissimam, æternaque memoria dignam Ecclesiis nauauit operam: quamuis mores parum Christianos, ne in extrema quidem ætate emendarit.* (Beza in Iconib.) MIN. Dicant garriantq; cæteri Ministri & Prædicantes quicquid voluerint: ego talem impietatem perpetuo diligenterque detestabor. Primum, quod errorem impium arrogent sanctissimo Prophetæ Dauidi, qui nunquam de illo ne minimum cogitauit. Neq; enim in Psalmorum codicibus siue Hebræis, siue Græcis, siue Latinis, id potest reperiri. Maximum est autem sacrilegium verbis diuinis aliquid addere, imminuere, aut rebus contrariis illa corrumpere. (Deut. 4. Apoc. 22.)

2. Deinde, noster Caluinus, huiusmodi sententiam vehementer improbat, *vt toto mũdo execrandam ac exterminandam, quoniam impiũ Epicureismum redoleat, & sceleratum Libertinismum constituat.* (Li. adu. Libert.) DOCT. Cur ergo verba illa approbans, eadem iussit publice decantare Geneuæ, Lausanæ, Nouocastro, & in singulis de lingua Gallica vestris synagogis? Nonne hoc est spontaneum sibi exitium accersere: & ex animi sententia, in eandem ruinam alios secum quamplurimos pertrahere? Quod si tam obuium manifestumque errorem non viderint, certe excæcauit eos malitia eorum. (Sap. 3.)

3. MIN. Postremo, ita palam pertinaciterque negare diuinam prouidentiã in omnes filios hominum diffusam & innatam esse, idem est ac dicere, Deum non esse Creatorem, conseruatorem, redemptorem, ac iu- A dicem eorum. Nam ea sunt præcipua diuinæ prouidentiæ & solicitudinis effecta: quæ qui Deo detrahit, negat omnino Deum verum esse. Ea propter illam reprobo cantionem, non solum vt Maroticum & veneficũ carmen, sed vt & diabolicum inuẽtum, quo Deus præcipuis titulis ac ornamentis gloriæ suæ exuitur & spoliatur. Ecce quam ingenue mihi patefactum errorem coarguo & damno, veritatem autem syncerã toto pectore amplector. DOCT. Vir bonus & simplicis veritatis amicus, minimeq; fallax es.

4. Et sane huius impietatis vel solum detecta origo, vniuersos deberet ab ea reuocare: vtpote, quod à desperato Caino profecta B est, qui primus, vt constans est veterum Hebræorum sententia, ausus est negare, bonos & malos cura & solicitudine diuina gubernari. (Tharg. in 3. cap. Gen.) Huic, iuxta Annianum Berosum Chaldæum, successerunt impij ac superbi Gigantes, ad quorum vlciscendas blasphemias immissum est diluuium. (Li. 1. Anti. Sap. 14. Eccl. 16. Beros. lib. 3. 4. 5.) Cham Esenua, id est, turpis & impudens post diluuium impietatem illam in suis tribubus redintegrauit, & longe lateque propagauit. Contra huius vero assertores, Iob, Dauid, Salomon sæpissime differunt, & Dei omnipotentis vindictam efflagitant. Tum inter Græcos, Epicu- C rus, Protagoras, Diagoras, Theodorus, & plurimi alij suis libellis ac orationibus eandem deinceps impietatem vsque ad tempora Maroti, Bezæ, Caluini, vestrorumque Hugnosticorum illabi procurarunt: (Lact. l. de ira Dei c. 9. Laert. Valer. Max.) qui talium auorum pudore non exterriti, nec iudicij diuini timore perculsi, eandem nunc quoque suauissime cantillant quasi verbum diuinum, licet reuera sit excogitatum à Satana mendacium. MIN. Ah, iam conspicio, hunc salutis nostræ & diuini cultus hostem infestissimum, Maroti cantilenis, Caluini libris, & Ministrorum fucatis orationibus, veluti laruis abuti ad illudendum huic mũdo, vt eius amatores in pudendos atheismos D inducat. Horumque imitatores possunt merito Cainistæ, Gigantistæ, & Chamistæ, quam Caluinistæ verius cognominari. Sunt enim pro nobis Euangelistis, & fæcibus Pontificis (vt aiunt) expurgatis ac reformatis, plane Epicurei, Libertini, & Athei, vt propriis ipsorum cantionibus comprobatur.

DOCT. Præterea, si Deus *improborum & male agentium nulla cura tangeretur*, vt cantitãt vestri, nec Angelos peccatores ex cælo detrusisset in abyssũ, nec primos parẽtes paradiso 5.

diso

Ion. 3. quibus dictum est, *Niniue subuertetur*: & tamen ad preces Ezechiæ & Niniue Dei sententia commutata est: non vanitate iudicij, sed eorum conuersione qui meruere indulgentiam. MIN. Penes me trium sanctiss. antiquiss. & sapientissimorum Patrum testimonia tantundem sunt ac trecentorum. Docent enim satis perpetuam Christianæ Ecclesiæ fidem esse, contingentiam in rebus, & arbitrij libertatem in hominibus etiam post lapsum remanere, nihil obstante diuina præscientia: ac proinde detectum errorem Caluinicum tecum damno ac respuo. Iam de alio tractemus.

PROVIDENTIAM AC SOLICITVDInem diuinam etiam in improbos ac immorigeros homines extendi: contra septimam & octauam Hugnosticorum hæresin.

CAPVT VI.

DOCTOR.

Dicamus ergo de prouidentia Dei nostri, quam vestri æque aperte ac nefarie negant, in omnibus locis vbi conuenire solet. MIN. Illud falsum est. DOCT. Imo verum, & cunctis compertum. MIN. Nequaquam. DOCT. Quotidie id fit in ore & oculis omnium vestrum. MIN. Impudens est calumnia, quam melioribus vobis obiectare soletis. DOCT. Placide sedateque obsecro domine, agamus: & nisi probauero, calumniator habear, & planus improbissimus: sin luce meridiana clarius id euicerim, errorem mecum refelles & detestaberis? MIN. Imo vt execrandum atheismum animus reijciet. DOCT. Agnoscis nos omnes filios Adæ, vere peccatores & reos esse in conspectu Dei? MIN. Hæc docent omnes fere veteris & noui fœderis paginæ, & conuincunt propriarum conscientiarum testimonia. Nec dubitauimus omnes infideles, omnes Iudæos, omnes Mahometanos, omnes à sacris Christianis alienos, esse propter infidelitatem & peccata continua, velut impuros canes coram Domino. DOCT. Recte ac merito id facitis. Sed quam opinionem, quæso te, Pontifex vester Caluinus habet, de his omnibus qui Catholicam religionem

In cap. 23. Mat. & in 5. 13. & 15. Ioan. profitentur? MIN. Non feras obsecro te, iniquo animo, si aperte dixero. Scribit, *vos esse hostes plusquam mortales Christi, in cuius vultum conspueretis quem lento igne vstularetis, si no-*

A *biscum adhuc viueret: & Petrum in frusta discerperetis, Paulumque lapidibus obrueretis.* DOCT. Sua igitur innata modestia, & mansuetudine Euangeli[?] de nobis admodum male iudicat. Sed quid de vobis reformatis, ab vteris matrum sanctificatis, nouis huius seculi Apostolis & Euangelistis, Christi ministris, Dominique fraterculis existimat? MIN. Nec istud te celabo. Scribit de seipso, comministris, prædicantibus, diaconibus, antiquis, superintendentibus, & doctrinæ suæ sequacibus. *Quod Christum non aspicimus nisi carneis oculis: ita fit vt nihil in ipso magnificum nobis appareat. Vitioso enim nostro sensu quicquid in* In c. 6. Io. vers. 41.

B *ipso est, eiusque doctrina peruertimus: adeo sinistri sumus interpretes. Deinde, eo ipso non contenti, multa falsa arripimus quæ Euangelij contemptum pariant.* DOCT. Quanto ergo cum periculo, imo & præsenti animarum discrimine, certissimaque perditione salutem suam huiusmodi præconibus ter quaterque miseri homines committunt? MIN. Sine, & his audies grauiora de nobis, cum dicit: *Natura certe nihil minus quam oues sumus: quin potius omnes nascimur vrsi & leones, donec Spiritus Christi nos cicuret, & ex feris ac indomitis bestiis mansuetas pecudes formet.* Denique, *experientiam ipsam do-* In c. 10. Io. v. 8. & in c. 14. & 15.

C *cere, nos esse à Deo penitus auersos, eius odio plenos & infectos: lucem Euangelij obscurare nostris peruersis inuentionibus.* Hæc ille de nobis. DOCT. Certe, vt video, hac in re propheta est. Sed quid in publicis precibus vestris, dum vel ad Cœnam, vel ad quotidianas conciones conuenitis, de peccatis vestris serio confitemini? MIN. Confitemur grauiter & affirmate, *nos esse peccatores, miseros, in peccato & corruptione natos, in malum propensos, ad nullum bonum aptos, qui perpetuo diuina infringimus præcepta, indignos qui vel cælum ipsum intueamur.* DOCT. Equidem, si vera dicitis, vt hæc facile credo: nobis longe deteriores & ne-

D quiores esse vos conspicio. MIN. Quorsum vero hæc disquisitio? quorsum? DOCT. Sequitur ex præsenti deductione, *omnes homines male agere.* Atqui in omnibus vestris cœtibus cantatis & psallitis Gallice, *Dieu n'a ne soin ne cure des mal viuans.* quod Latine est: *Deus nullam habet solicitudinem aut curam eorum qui male viuunt*: ex his igitur apertissime & certissime concludo, vos diuinam prouidentiam & curam erga improbe viuentes, id est, vniuersos filios hominum, nefarie tollere & reijcere. In vers. vl. Psal. 1.

Sed neque hic subsistit Hugnostica impietas:

tas: quandoquidem eo progressa est, vt scriptis euulgarit, *Deum aut sceleratorum, aut boni viri curam omittere.* Hæc enim sunt verba Io. Bodini, Caluinicorum magis quam Catholicorum scriptorum studiosi. *Methodo ad legendas historias.*

Confutatio. 1. MIN. Heu me miserum, qui toties istud in nostris Psalmis audierim, toties legerim, toties cecinerim, nec hucusq; tamen animaduerterim tam nefariam culpam ac impietatem in nostram Ecclesiam inualuisse. Miror Bezam, qui ducibus nostris Geneuanis præest; quique toties Psalmos perlegit & emendauit, locoq; ceruæ detonsæ, timidum finxit strepere ceruum; & in versibus Latinis, suam improbauit Gallicam versionem, cur tantam impietatem non correxerit. DOCT. Tantum abest vt voluerit vestrum Marotum in hoc emendare, vt eum, atque hoc ipsum eiusdem inuentum, multis laudet atque approbet, scribendo: *Clemens Marotus citra vllã linguarum vel artium cognitionẽ, vtilissimam, æternaque memoria dignam Ecclesiis nauauit operam: quamuis mores parum Christianos, ne in extrema quidem ætate emendarit.* MIN. Dicant garriantq; cæteri Ministri & Prædicantes quicquid voluerint: ego talem impietatem perpetuo diligenterque detestabor. Primum, quod errorem impium arrogent sanctissimo Prophetæ Dauidi, qui nunquam de illo ne minimum cogitauit. Neq; enim in Psalmorum codicibus siue Hebræis, siue Græcis, siue Latinis, id potest reperiri. Maximum est autem sacrilegium verbis diuinis aliquid addere, imminuere, aut rebus contrariis illa corrumpere.

Beza in Iconib.

Deut. 4. Apoc. 22.

2. Deinde, noster Caluinus, huiusmodi sententiam vehementer improbat, *vt toto mũdo execrandam ac exterminandam, quoniam impiũ Epicureismum redoleat, & sceleratum Libertinismum constituat.* DOCT. Cur ergo verba illa approbans, eadem iussit publice decantare Geneuæ, Lausanæ, Nouocastro, & in singulis de lingua Gallica vestris synagogis? Nonne hoc est spontaneum sibi exitium accersere: & ex animi sententia, in eandem ruinam alios secum quamplurimos pertrahere? Quod si tam obuium manifestumque errorem non viderint, certe excæcauit eos malitia eorum.

Li. adu. Libert.

Sap. 3.

3. MIN. Postremo, ita palam pertinaciterque negare diuinam prouidentiã in omnes filios hominum diffusam & innatam esse, idem est ac dicere, Deum non esse Creatorem, conseruatorem, redemptorem, ac iu-

A dicem eorum. Nam ea sunt præcipua diuinæ prouidentiæ & solicitudinis effecta: quæ qui Deo detrahit, negat omnino Deum verum esse. Ea propter illam reprobo cantionem, non solum vt Maroticum & veneficũ carmen, sed vt & diabolicum inuentum, quo Deus præcipuis titulis ac ornamentis gloriæ suæ exuitur & spoliatur. Ecce quam ingenue mihi patefactum errorem coarguo & damno, veritatem autem synceratoto pectore amplector. DOCT. Vir bonus & simplicis veritatis amicus, minimeq; fallax es.

Et sane huius impietatis vel solum detecta origo, vniuersos deberet ab ea reuoca- 4.
B re: vtpote, quod à desperato Caino profecta est, qui primus, vt constans est veterum Hebræorum sententia, ausus est negare, bonos & malos cura & solicitudine diuina gubernari. Huic, iuxta Annianum Berosum Chaldæum, successerunt impij ac superbi Gigantes, ad quorum vlciscendas blasphemias immissum est diluuium. Cham Esenua, id est, turpis & impudens post diluuium impietatem illam in suis tribubus redintegrauit, & longe lateque propagauit. Contra huius vero assertores, Iob, Dauid, Salomon sæpissime disserunt, & Dei omnipotentis vindictam efflagitant. Tum inter Græcos, Epicu-
C rus, Protagoras, Diagoras, Theodorus, & plurimi alij suis libellis ac orationibus eandem deinceps impietatem vsque ad tempora Maroti, Bezæ, Caluini, vestrorumque Hugnosticorum illabi procurarunt: qui talium auorum pudore non exterriti, nec iudicij diuini timore perculsi, eandem nunc quoque suauissime cantillant quasi verbum diuinum, licet reuera sit excogitatum à Satana mendacium. MIN. Ah, iam conspicio, hunc salutis nostræ & diuini cultus hostem infestissimum, Maroti cantilenis, Caluini libris, & Ministrorum fucatis orationibus, veluti laruis abuti ad illudendum huic mũdo, vt eius amatores in pudendos atheismos
D inducat. Horumque imitatores possunt merito Cainistæ, Gigantistæ, & Chamistæ, quam Caluinistæ verius cognominari. Sunt enim pro nobis Euangelistis, & fæcibus Pontificis (vt aiunt) expurgatis ac reformatis, plane Epicurei, Libertini, & Athei, vt propriis ipsorum cantionibus comprobatur.

Tharg. in 3. cap. Gen.

Li. 1. Anti. Sap. 14. Eccl. 16. Beros. lib. 3. 4. 5.

Lact. l. de ira Dei c. 9. Laert. Valer. Max.

D O C T. Præterea, si Deus *improborum & male agentium nulla cura tangeretur*, vt cantitãt vestri, nec Angelos peccatores ex cælo detrusisset in abyssũ, nec primos parẽtes para- 5.

diso

diso exclusisset, nec Cainum de fratricidio obiurgasset, nec mundum corruptum diluuio mersisset, nec Cham in arca cum patre seruasset, nec Segor in gratiam Loth pepercisset, nec filios Iacob inedia macerasset, nec Ægyptios decem plagis percussisset, nec Israelitas pro delictis tot pressisset captiuitatibus, cum omnes illi male egerint, & à timore cultuq; diuino procul aliquando recesserint. Sed contra, manifeste declarauit se eorum qui male agunt curam retinere, quando Mosem, Aaronem, & Mariam germanã eorum, pro delictis affecit supplicijs: & Samsonem ob intemperantiam, Saulem ob hypocrisin, Heli, quod filios impẽsius amaret, Dauidem propter adulterium & homicidium, Salomonem ob lasciuiam & idololatriam, Ieroboam ob apostasiam, Ionam ob perduellionem, varijs, iustis tamen inflictis cladibus & tormentis ad meliorem mentem studuit reuocare. MIN. Hæc certe ac innumera alia diuinæ iustitiæ opera, quibus in hoc seculo, vel in alio in delinquẽtes animaduertit, satis patefaciunt Deum male viuẽtes non penitus negligere, sed plusquam paterna cura & solicitudine visitare, atque vt ad se redeant, nunc prosperis, nunc aduersis maxime curare & admonere.

Num. 12. 12. Iudic. 16. 1. Reg. 4. & 15. 2. Reg. 12. 3. Reg. 11. & 13. Ioan. 1. & 2.

6. DOCT. Rursum, quando vestri grauiter & affirmate cantitant, *Deum nullam curam habere male viuentium*, negant Deum prophetis suis demandasse, vt humanas respublicas pro peccatis increparent, & futuras calamitates prædicerent, quæ illis superuenirent, nisi à seipsis per maturam pœnitentiam anteuerterent illius indignationem. Negant quoque Apostolos missos esse ad prædicandum gentibus Euangelium: negant Filium Dei venisse vt mundum saluum faceret: Samaritanam perductam ad pietatem, mulierem peccatricem, adulteram, Petrum, Thomam, Zachæum, Matthæum, latronem, Paulum, in gratiam fuisse receptos à domino. Quinetiam negant eum esse pastorem illum, qui aberrantem ouem quæsiuit, patrẽ qui filium prodigum redeuntem admisit, quique venerit *non propter iustos, sed vt peccatores ad pœnitentiam vocaret*. Negant eum pro tortoribus suis orasse de cruce, imo & pro peccatoribus crucifixum, passum, & mortuum esse. MIN. Certe quidem Filius Dei vniuersa hæc non fecisset, nisi male viuentium & communem & particularem habuisset solicitudinem: *nec solem suum oriri permitteret super bonos & malos, nec plueret super iustos & iniustos*. Atque ista fateri nihil aliud est, quam vniuersam scripturam contemnere & abnegare, misericordiæ diuinæ spem extinguere, vsum Sacramentorum labefactare, verbi diuini ministerium tollere, legum & magistratuum imminuere maiestatem, atque religionis loco horribilem confusionem & impurum atheismum inter homines dsseminare & propagare. Verum his omissis, ad alia properemus.

Mat. 2. Io. 4. & 8. Luc. 15. Mat. 6

A

SOLA DEI PERMISSIONE, NON *operatione, hominum cacodæmonumq́; peccata fieri: aduersus hæresin.*

B

CAPVT VII.

DOCTOR.

Discutiamus igitur quę credenda sunt de simplici Dei Permissione circa peccata tam hominum, quam diabolorum. Hanc enim Caluinus non tantum negat, sed & suo more cum multis probris reijcit. MIN. Nihil ei, quæso, imponas, sed magis verba eius refer. DOCT. In primo Instit. libro, vocat veterum ac recentium omnium sanctorum Theologorũ distinctionem, inter opus atq; permissionem Dei, vt ad maledicendum disertissimus est, *mendacium, tergiuersationem, effugium repudiandum, figmentum euanidum, & ridiculum, nimis friuolam solutionem, cauillum insulsum dilutum & insipidum, atq; dilutius quã subsistere valeat.* Atque hæc est hominis modestia, si superis placet, Euangelica. Imo hæc, vt Deum optimum maximum, authorem omnium peccatorum, atq; scelerum nefarie confingat, aduersus Prophetas, Apostolos, Martyres, & Sanctos omnes Diabolica conuitia. In librum Exodi, eos qui permissionem istam asserunt, nominat *frigidos & vanos speculatores*. Persequitur eandem petulantis linguæ procacitatem Commentarijs in cap. 1. ad Romanos: in quartum primæ ad Corinthios: & in primum epistolæ ad Ephesios. Sed in libro de æterna Prædestinatione, seipsum maledicendo superans, compilat omnes iniurias, quas sedentes in limine tabernæ solent eructare mulierculæ, & omnem inflat eloquentiam ad imminuendã & lacerandam istam, de qua dicturi sumus, Dei permissionem. MIN. Recordor iam, in his libris ea me legisse omnia, sed ampullæ ac sesquipedalia verba eius, coniuncta cum affectibus, quibus tum laborabã, ne propius de his cogitarem prohibuerũt, & hoc in eodẽ cœno me diutius retinuerunt. Sed præter hæc,

Cap. 8. §. 1. & 2.

C L. 2. c. 4. §. 3. 4. & 5.

D

hæc, memini Bezàm libro contra Castalionem scripsisse: *Si est in Deo quadam simplex peccatorum permissio, non est Deus omnipotens: sed Deus Epicuri otiosus, ignauus, & improuidus.* Atq; in hanc sententiam pedibus & manibus descendunt Bucerus, Vermilius, & huius metalli omnes.

Confut. 1. Ego autem sententiam hanc non sequor: sed firmissime credo, Deum in sua voluntate improbis seu hominibus, seu diabolis ad peccandum tantum fræna laxare, permittendo, vt pro sua voluntate bonum aut malum seligant, amplectentur, atq; persequantur; in quantum eos non impedit efficaciter quod volunt facere. Nam Caluinus seipsum alibi coarguens, Permissionis diuinę vocem admittit, & doctrinam approbat, cum scribit: *Tentationes qua nobis aduenïunt, non esse fortuitas, nec Satana voluntate commotas, sine permißione Dei. Et quod Deus verbum à quibusdam subtrahit, permittēdo eos perire. Milites à Iuda instructos permißione Patris comprehendisse Filium. Iudaeos nunquā clamaturos, sanguis eius super nos & super filios nostros, nisi Deus permisisset. Diabolū exercere in mundo regnum suum tyrannicum permißione Dei. Iudaeos non potuisse Dominum morti tradere nisi permissum fuisset.* Ecce sex locis diuersis, Permissionem diuinam prædicat, astruit, celebrat. Non fuit igitur mentis & rationis compos, sed à malo quodam genio incitatus, quando eandem tot probris laceratam abnegauit atq; reiecit. Quod vt clariꝰ cunctis patefaciam, ecce idem rursum Caluinus lib. 2. Instit. *Laudat veterum Patrum modestiam, quod cacitatem & obstinationem improborum ad solam permißionem diuinam, non ad operationem retulerunt, vt nullam relinquerent occasionem de operibus Dei male sentiendi, aut irreuerenter loquendi.* DOCT. Non potest ergo non esse detestanda & damnanda eius audacia & impudentia, cum simplicem abnegat Permissionem diuinam circa hominum scelera, vt horum Deum authorem faciat.

In Matt. c. 4. 8. 9. 26. 27. In Io. c. 10. 14.

Ca. 4. §. 3.

2. MINIST. Scripsit etiam Beza in Aphorismis: *Non reiicimus vocem permißionis aut concessionis: & nunquam nobis in mentem venit dicere, Deum operari in impiis.* Cum itaque sic conspiciam præcipuos synagogæ nostræ Rabbinos, relicta tandem superiore aduersus Permissionem Dei insania, ad mentem & Catholicam de illa sententiam redire: malo semper in hac credenda & prædicanda vobiscum permanere. Audiam te de ea nunc differentem.

Aphor. 29.

3. DOCT. Piorum omnium conscientiæ in hac re tuto conquiescere debent, quod cum Deus optimus & maximus nec suasor, nec author sit peccatorum, quæ ab hominibus sunt diabolis admittuntur, ea tantummodo ac simpliciter ab his fieri permittat. Ista enim de simplici permissione & concessione diuina in scelerum sordibus committendis, tradita à sanctis Patribus doctrina nō est cum tot blasphemiis & furoribus repudianda: sed vt sancta & necessaria recipiēda, & suis laudibus exornanda. Etenim magnus ille Augustinus de Iudæ proditoris peccato differens, prohibet omnino dicere aut sentire, Deum ad tam horrēdum facinus illum prædestinasse, vel impulisse; sed duntaxat præsciuisse, & iusto iudicio suo tradens eundem in reprobum sensum, vt impleret permisisse. Et alibi scribit, Deum altissimo consilio suo malle bona de malis elicere, quam nulla mala permittere. Rursumq; ait: Nihil fit visibiliter & sensibiliter, quod non de inuisibili & insensibili summi Imperatoris aula, aut iubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam præmiorum atq; pœnarum, gratiarum & retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam republica. Idem rursum lib. 7. ciu. c. 30. Sic Deus administrat omnia quę creauit, vt etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat. Et li. de diuinatione dęmonū, c. 2. post multam de hac permissione disquisitionem concludit. Vnde colligitur quod Deus aliquid & improbet iustus, & tamen permittit omnipotens. Et concessum est, non ideo putandū aliquid iuste ac bene fieri, quia hæc omnipotens, quamuis ei displiceant, fieri tamen sinit, &c. Et in Enchir. c. 96. Non fit aliquid nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est, Deū facere bene, etiam sinendo fieri quæcumq; fiunt male. Et c. 101. Nec sineret bonus fieri male, nisi omnipotens etiam de malo posset facere bene. Hæc ille, ex quibus audis, Dei permissione sola, non autem ordinatione, mala fieri.

L. 6. Hypognostic.

Ench. c. 27 Li. Sent. sent. 58.

MIN. Hic fige gradum. Non est n. necesse vt amplioribꝰ Patrum testimonijs diuinam asseras Permissionem, cum audierit Caluinum ea de re vltro laudantem veterū modestiam & reuerentiam erga Deum, sed tantum vt hanc Sanctorum doctrinam S. Scripturis innixam stabilitamq; esse confirmes. 4.

DOCT. Perspicuum & firmum imprimis ex Euangelio testimonium est, cū legio dæmonum ex corpore obsessi hominis exire compel-

compelleretur à Domino, *rogabat eum*, inquit Lucas, *vt permitteret eis in porcos ingredi. Et permisit illis.* Audis simplicem peti indulgentiam atque permissionem? Vides simplicem concessionem dæmonibus, vt porcorũ damno dominos affligerent, datam esse? Attende & ex alijs scripturis alteram. Satanas expetijt nunc Iobi facultates perdere, mox & ipsius personam: *Ecce* (ait Dominus) *vniuersa quæ habet, in manu tua sunt*: & paulo post: *Ecce in manu tua est.* Non audis Deum præcipientem Satanę, vt sancto viro noceat: multoq; min᷒ Deum furoris Satanici esse coadiutorem aut cooperatorem? sed tantũ simpliciter permittere, vt rabiem suam in facultates, liberos, corpusq; iusti viri hostis exerceat. Quod & per alteram Scripturam Sp.S. corroborat, dicens de Tobia oculorum cæcitate percusso: *Hanc tentationem ideo permisit dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & S. Iob.* Beata quoq; Iudith rediens ex castris Assyriorum palam protestatur, *nõ permisisse dominum* suam castitatem aut ab Holoferne, aut à satellib᷒ ac ministris eius vllo modo coinquinari. Eiusdem etiam simplici permissioni adscribitur concessio libelli repudij, quo Moyses certas ob causas Iudæis copiam fecit diuortij. An non ergo Patrum veterum doctrina de simplici permissione, multis iisdemq; apertissimis scripturis S. innititur: & Caluini eam probris lacerantis & reijcientis impudentia satis damnatur?

Luc. 8.
Iob. 1. 2.
Tob. 2.
Iudith 13.
Mat. 19.
Mar. 10.

Sed aures rursum Deo, de se, & peccantibus filijs hominum personanti admoue: *Nõ audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi.* En peccata & scelera, quib. seipsos addicebãt: audi simplicem Dei permissionem. *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Et per Oseam dicit: *Nõ visitabo super filias vestras cum fornicatæ fuerint, & super sponsas vestras cum adulterauerint.* Iterumq; minatur: *Oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego.* Hæc enim omnia satis declarant Deum peccata hominum simpliciter tantum permittere, non autem decernere, aut in his cooperari.

5. Psal. 80.
Ose. 4.

MIN. Id certum est: quoniam cum peccata omnino prohibeat & damnet, ea nec decernit, nec in his cooperatur: cum etiam ea fieri non efficaciter impedit, superest vt duntaxat illa simpliciter euenire permittat.

6. DOCT. Iustissima hæc atq; simplicissima Dei permissio adhuc cõfirmatur omnibus sacrorum librorum verbis, in quib. lau- A datur admiranda Domini erga peccatores longanimitas, atq; singularis patientia: veluti cum dicitur; *Dissimulat peccata hominũ propter pœnitentiam. Sustinet in multa patientia vasa iræ aptata in interitum. Peccator centies facit malum, & per patientiã sustentatur.* Quo pacto autem isthæc fierent, nisi Deus plusquã paterna indulgentia & dissimulatione ad tempus eos sineret peccatis sese oblectare, vt vel sero ad pœnitentiam redirent, vel saltem iustissima pœna tandem plecterentur? *Ignoras*, ait Apostolus, *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? An diuitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis eius contemnis? Secundum* B *duritiem & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicii.*

Sap. 11.
Rom. 9.
Eccl. 8.
Rom. 2.

Idem Apostoli exemplum est, comprobatæ in seipso patientiæ diuinæ, quem post cædes Christianorum & alia scelera, Deus tandem ad se vocauit, vt esset exemplũ omnibus qui credituri erant. Scribit etiam Petr᷒: *Non tardat Dominus promissionem suam, vt quidam existimant: sed patienter agit propter electos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Ob eam causam Moyses, David, Ioel, Ionas, aliique Prophetæ appellant Dominũ, Deum patientiæ, longanimitatis, misericordiarum & miserationum multarum. Alibi C quoq; nominatur Deus clemẽs, misericors, indulgens, facilis, mansuetus, amabilis, desiderabilis, spõsus animarum nostrarum, auxilium, refugium, consolator, tardus ad irã, redemptor, saluator, salus ipsa, propitius, pastor, pater humanissimus, &c. quib. diuinis dulcissimisq; titulis, illum crudeliter admodum hæretici spoliant, sanctissimam ei᷒ promissionem, qua in peccantes vtitur improbissime demordendo & calumniando.

7.
1. Tim. 1.
2. Pet. 3.
Exod. 32. 34.
Ps. 85. & 144.
Ioel. 2.
Ioan. 4.

MIN. Aliam discutiamus quæstionem: huic enim abunde satisfecisti.

D IN DEO SIMPLEX EST PRAESCIENTIA de peccatis futuris, non ordinatio vel decretum: aduersus 12. hæresin.

CAPVT VIII.

DOCTOR.

DIsseramus ergo de simplici æternaque Dei nostri quantum ad hominum vel cacodæmonum attinet scelera, PRAESCIENTIA seu prænotione: huius enim & nomen & significationem vester Hæresiarcha supra modum insolenter deridet, scribens: *Nimis inscite nugantur multi de nuda Præsciẽtia.* Alibi

Inst. l. 1. ca. 18. §. 4.
L. 2. c. 4. §. 3.

Alibi nomen illud semel ac iterum reijciens, simulque magnum illum Augustinum superstitionis coarguens, quod Pharaonis indurationem & excæcationem ad simplicem Dei permissionem & præscientiam spectare pie docuerit, subijcit: *Sed istas argutias non recipiunt Scripturæ locutiones. In quale sit nequaquam explicatur, si confugitur ad Præscientiam aut permissionem.* Eandem rursus lacerans diuinam perfectionem ait: *Frustra de Præscientia lis mouetur, vbi constat Dei ordinatione & nutu omnia* (etiam mala culpæ, nam de his præsertim nunc agitur) *euenire.* Hæc ille de quibus tuum postulo iudicium.

L.3.c.24. §.6.

Confut. 1.

MIN. Iudico illum turpiter in hac re secũ pugnare, vt mendax; seque proprio iudicio condemnare, vt hæreticus. Alijs enim in locis asserit, *Deum ab æterno præuidisse lapsum primi hominis, & in hoc totius posteritatis ruinam.* Et in Institutione scribit, *Creando hominẽ Deũ nouisse, omnia quæ ei ventura essent.* Et postea: *Sicut ad sapientiam Dei pertinet, omnium præscientia, sic ad potestatem illius spectat, cuncta manu sua regere ac moderari.* His etenim verbis primorum parentum peccati, quod sane & graue & multiplex fuit, Deum præscium fuisse; quinetiam rerum omnium, etiam iniquarum & iniustarum, scientiam eũ nullatenus fugere, vltro confitetur. Quod autem omnino simplex sit huiusmodi præscientia diuina, ex eodem probatur, scribente, *Perditionem impiorum non esse tribuendam diuinæ præscientiæ: illosque non modo esse plane furiosos, rabidos & prodigiosos homines; verum & belluas, & pestes detestabiles, & totius religionis hostes, qui Deum authorem peccatorum esse vel cogitarent vel dicerent.* Ergo eorum, quæ prænouit Deus, & tamen non est author, simplex tantum est præscientia seu prænotio.

Lib. aduer. Pigbium. L. Inst. 3.c. 21.§.4.& c.23.§.7.

In Matt. c. 6.v.13.& c.23.v.34. L. cont. Li. & Anab.

2. DOCT. Mecum etiam perpendas, quæso te, Christum æternum Dei Filium perfecte nouisse ab initio quis erat eum traditur[a]: sæpiusq; Apostolis prædixisse, quod vnus ex duodecim eum traderet: quinetiam eũdem proditorem non semel antea denotasse & monuisse: atque idcirco futuram miseri huius hominis apostasiam, auaritiam, proditionem, malitiam, desperationem denique illi notissimam fuisse. Quod auté simplex fuit hæc præscientia, vel ex eo patet, quod nec Caluinus, nec Beza, nec vllus (quod sciam) Hugnosticus, palam profiteri auderet, eundem Filium Dei authorem fuisse tam execrabilium illorum Iudæ criminum, cum ab hac blasphemia etiam inferi abhorrerent;

Matt.26. Marc.3. Io.6.12.13. Luc.22. Marc.14.

A igitur futura scelera Deus tantum simpliciter prænouit, non decernit, non operatur.

3. Præterea, Petro prædicens, *quod eum esset ter negaturus antequam gallus bis vocem emisisset,* eius nefariæ negationis & defectionis plane præscius erat. Quis vero tam vecors aut furiosus, vt auderet affirmare, Christum discipulum suum ad tam execranda facinora incitasse aut compulisse? Aut (quod etiam deterius est) eadem in Petro operatum esse? fuit igitur Præscientia atque simplex in Christo peccatorum Petri prædictio, non decretũ, non impulsio, non cooperatio. Ad id etiam pertinet, quod vniuersis Apostolis prædixit, B quod essent *in ipso scandalum passuri*; quod ab impijs esset *capiendus, vinciendus, accusandus, illudendus, flagellandus, conspuendus, in crucem affigendus, & occidendus*: quæ non nisi cum plurimis & grauissimis Authorum peccatis fieri poterant. Horum vero criminum Iudaicorum, quæ pro certo prænouerat, quis Deum impulsorem & factorem ausit dicere, vel cogitare? Est itaque in Domino Deo nostro, eiusdemque Filio, ac Spiritu sancto, simplex tantum futurorum peccatorum præscientia, non ordinatio aut cooperatio.

Matt.26. Luc.22.

Marc.14. Matt.17. 20. Marc.10. Luc.18.

4. Prænuntians quoq; de Paulo, quod *multa esset pro nomine suo passurus*; Petro quod *alius* C *eum cingeret & duceret quo non vellet*, Iacobo & Ioanni quod *calicem suum essent bibituri*, Apostolis omnibus quod è Synagogis expellendi, flagris, lapidibus, aliisque tormentorum speciebus afficiendi, varijs & grauibus mortibus tollendi è mundo; & persecutorum ac infidelium immanem crudelitaté futuram sibi probe notam esse patefecit: nec tamen se illorum iniquitatis participem, sed solum prænuncium declarauit.

Act.9. Ioan.21. Matt.20. Matt.10. Io.15.& 16

5. Nemo etiam nisi amentissimus, atque omnibus consiliis præceps ac deuius, aut verbo propalare, aut animo concipere audebit, Christum Ecclesiæ sponsum, vel venturi D Antichristi blasphemiarũ, persecutionũ, impietatum cooperatorem; sed neque Satanici aduersus nouissimos Christianos funestissimi belli authorem esse futurum. Hęc v. cuncta nouit, reuelauit, pdixit. Ergo futurorum, solummodo, seu hominũ seu cacodæmonũ delictorum præscius est, non author.

Marc.14. Luc.22. Ioan.5. Marc.15. Apoc.13.

6. Ideo scite atque commode Augustinus dixit: Deus omnia, quorum est author, ipse perfecit, nec tamen omniũ quæ præscit ipse auctor est. Quorum autem non est malorum auctor, iustus est vltor. Et idem rursum alibi: Absit à nobis Dei negare pręscientiá, vt

Lib.3.de li. arb.c.4.

L.5.ci.c.4.

liberi esse velimus, quo adiuuante sumus liberi, vel erimus. Proinde nõ frustra sunt leges, obiurgationes, exhortationes, laudes & vituperationes, quia & ipsas futuras esse præsciuit, & valent plurimum ad ea impetranda quę se precantibus concessurum esse præsciuit: & iusta premia bonis factis, & peccatis supplicia constituta sunt.

7. Augustini vero perantiquus & perdoctus discipulus Fulgentius, à præceptoris disciplina & pietate non recedens, ait: Fidelibus congruit credere & fateri Deum bonum & iustum, præscisse quidem peccaturos homines, quia eum nihil latere potuit futurorũ: non tamẽ prædestinasse ad peccandũ. Quia si ad peccatum aliquod hominẽ Deus prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret. Et paulo post: Præsciuit hominũ voluntates bonas & malas: prædestinauit non malas, sed solas bonas. Postea quoque citato Augustini Libro de prædestinatione Sanctorum, ex doctrina eius concludit, Præscientiam Dei sine prædestinatione esse posse. Prædestinationem vero sine pręscientia esse non posse. Quia Deus præsciuit etiam quæ ipse non facit, hoc est, peccata, &c. Laudat etiam paulo post has beati Prosperi pro Augustino ad calumniatores eius responsiones: Infidelitas non credentium, non ad constitutionem Dei, sed ad Præscientiam referenda est. Quæ non ideo necessitatem non credendi intulit, quia falli de ea quæ futura erat infidelitate non potuit. Et paucis interiectis: Qui Præscientiam Dei in nullo ab ipsius p̃destinatione discernit: quod tribuẽdum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur asscribere. Sed cum bona ad largitorem cooperatoremque eorum, mala autem ad voluntariam creaturæ nequitiam referenda sint; dubium non est Deum & præscisse & prædestinasse, quæ erant ipso Authore facienda; præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causã operationis habitura. Hacten⁹ ex Augustino & Prospero B. Ruspensis Episcopus Fulgentius. MIN. Hæc mihi iam satis sunt: video enim Præscientiam Dei simplicem ad intellectum tantum pertinere, sicque præscita tantum esse peccata: Prędestinationem vero etiam voluntatis eius esse, qui nec delictum, nec mortem peccatoris velit.

L. 1. ad Monimum, c. 23. 24. & 28.

Cap. 10.

L. 1. ad Monim. c. 30.

PECCATA IMPROBORVM HOMInum, nec DECRETO, *nec* CONSILIO, *nec* ORDINATIONE, *nec* PROVIDENTIA *Dei optimi max. sed Dæmonum hominumque praua voluntate contingere: aduersus 13. & 14. hæresin Caluinisticam.*

CAPVT IX.

DOCTOR.

Dici non potest, quanto Satanas flagret desiderio infamandi Deum optimum & maximum de cunctis sceleribus, quæ toto orbe committuntur, quasi illorũ sit author: vt hanc à se notam turpitudinis amoliatur. Hos quondam per serpentem, per pseudoprophetas, per pseudoapostolos, per Marcionistas, per Manichæos, & alios quosdam fascinatos à se excæcato mundo persuadere conatus: sed nunquam cum tanto molimine ac efficacia id consequutus est, quam nouissimo seculo isto per Caluinum, Bezam, & reliquos eiusdem farinæ Prædicantes. Postquam enim persuasit illis *Deum peccata hominum nec simpliciter permittere, nec simpliciter præscire,* tum demum eo peruentum est, vt per eos suadere conetur, illum ea efficaciter velle, ordinare, atque decernere vt fiant. Scribit enim Caluinus vester Patriarcha: *De creto Dei constitutum est, hominem per peccatum labi debere. Et nihil contigit ei quod Deus non decreuerit:* Sic quo primi parentis scelus sane vt pœna ipsa contestatur, grauissimum, refert ad Dei omnipotentis constitutionem, ordinationem, atque decretum. In Institutione vero ait: *Decretum fuit à Deo vt defectione periret Adam. Cunctos autem mortales in vnius hominis persona morti æternæ mancipatos fuisse scriptura clamat. Hoc cum naturæ ascribi nequeat, ab admirabili Dei consilio profectum esse minime obscurum est, &c. Ideo præsciuit Deus quem exitum esset habiturus homo, quia decreto suo sic ordinarat, &c. Lapsus est enim primus homo, quia Dominus ita expedire censuerat. Cadit igitur homo, Dei prouidentia sic ordinante.* Et idem commentariis in Genesim: *Adamus corruit ordinatione Dei.* Hactenus ille peccatorum omnium originem Dei super omnia benedicti consilio, prouidentiæ, ordinationi, & decretis adscribens. Quid tu de hoc statuis?

L. cont. Pighium.

Li. 3. c. 23. §. 7. & 8.

MIN. Censeo Caluinum etiam in hac re secum fœdissime pugnare, & à suis quoque præcipuis discipulis refelli. Ille n. alibi docet, *quod Deus dederat eidem Adamo potestatem* non

Confutatio. 1.

In c. 4. Mat. v. 1.

non peccandi. Atque superius ex eo audiuimus, *non posse fieri vt quod Deus semel decreuerit non eueniat:* igitur cum homo tandem lapsus sit, certum est peccatum illius non fuisse ordinatum aut decretum à Deo. Beza in cathedra Geneuana primogenitus ac successor eius, & insignis poëta succinit: *Adamum creatum fuisse cum tali iustitia & sanctitate, & voluntate & sine vlla coactione diabolo sese coniunxerit.* Ex quibus verbis colligo. Si voluntarium fuit peccatum eius, ergo potuit non peccare: sicque peccatum eius nec ordinatum, nec constitutum fuit à Deo. Si diabolo item sine vlla coëtione se coniunxit, nec præscientia, nec decreta diuina hominis liberum arbitrium tollunt vel compellunt: vnde tandem consequitur originem peccati esse à voluntate humana, non à præscientia, consilio, decreto, prouidentia aut ordinatione diuina. Atque hoc meum de hac re iudicium. Nunc tuum expone.

Conf. pūct. 3. art. 10.

2. DOCT. Huius controuersiæ iudicium penes Apostolum esto. Hic enim peccati Adæ originem omnino serpenti, id est Satanæ, qui per serpentem disseruit cum Eua, tribuit dicens: *Timeo ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita & corrumpantur sensus vestri, &c.* Illa porro à serpente seducta, continuo virum & ipsa in peccati consensum consortiumque pertraxit. Atq; pro certo ista fuit prima primi peccati caussa, non præscientia, non voluntas, non ordinatio, non decretum Dei. Ex quib. etiam illud aperte consequitur, quod quicunq; diuinæ voluntati aut decreto peccatum primorum parentum, aut quorumcunque aliorum Caluinum sequuti attribuunt, Deum optimum & maximum cum diabolo, fraudibus, & insidiis eius improbissime permiscent atque confundunt.

2. Cor. 11.

3. Idem rursum Apostolus, omnem suspicionem originis & caussæ peccati à Deo longissime remouet, quando etiam tentationes, quibus ad peccandum solicitamur, eius duntaxat simplicissima permissione, non autem decreto, contingere docet. Quinetiā illarum aliunde quam à se aduersum nos insurgentium impetum ferociamq; reprimere, atq; ardorem sua gratia restinguere prædicat, ne supra vires nostras sæuiant, & imbecillitatem nostram opprimant. *Fidelis autem, inquit, Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt posſitis sustinere.* Multum igitur abest, vt peccata ipsa Dei voluntati, ordinationi, vel decreto tribuenda censeat.

1. Cor. 10.

4. Hoc idem & alij omnes Apostoli censuerunt, veluti ex vno Iacobo fratre Domini satis colligitur. Ait namque. *Nemo cum tentatur,* (ad peccandum nimirum) *dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Vnusquisque vero tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* MINIST. Euidentissimum & certissimum plane, quod si Deus nec tentet, nec solicitet ad peccandum, multo minus velit decernatque nos peccaturos. Deinde, quod si tentationes ac commotiunculæ peccatorum partim oriantur à diabolo, partim ab impuris fœdisque desideriis carnis nostræ; delictorum nostrorum origo his procul dubio adscribenda est, non voluntati diuinæ aut decretis eius. Perge porro tam apertis verbis diuinis, tantam impietatem labefactare & conuellere.

Iacob. 1.

5. DOCT. Aeternus Dei Filius paucissimis, sed grauissimis verbis fontem peccatorum ostendit esse, non diuinā Patris sui præscientiam, voluntatem, aut determinationem, sed è contrario ipsummet diabolum: quando de hoc ait: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius.* Ideo enim & Iudas proditor etiam *diabolus*, & Iudæi perfidi *filij diaboli* nuncupantur: quod diabolicis suasionibus obaudientes eum in peccatis imitarētur. MIN. Profecto enim peccatores improbi sæpe *filij Belial* nominantur: & cum Iudæ nefaria proditio describitur, nunquam decreto diuino, nunquam voluntati aut ordinationi diuinæ adscribitur: sed è contrario, Satanæ. *Cum diabolus misisset in cor Iudæ vt traderet eum.* inquit Euangelista: & alius: *Intrauit Satanas in Iudam, & abiit, & locutus est cum principibus Sacerdotum, quemadmodum Iesum traderet eis.* Ac ideirco manifeste sequitur, eos qui Deum sanctum & benedictum peccata velle aut ordinare confingunt, illum cum impurissimo Satana permiscere.

Ioan. 8. Ioa. 6. 1. Reg. 1. 2. 20. 22. 2. Reg. 16. & 20. 3. Reg. 21. 2. Paral. 13. Ioa. 13. Luca 22.

6. DOCT. Ad hæc, Prophetæ commemorantes, *Deum nolle mortem peccatorum, sed magis vt conuertantur & viuant: Deum non fecisse mortem, nec letari in perditione viuentium:* insuper, sub grauissimis comminationibus prohibere, *Deos alienos, assumere sanctum nomen suum in vanum, falsum testimonium, homicidium, luxuriam, furtum, omnem prauam concupiscentiam,* & reliqua peccata, satis manifestant

Esa. 18. Ezech. 18. Exod. 20. Deut. 5. Leuit. 26. Matth. 5.

quam inuisæ sint illi hominum iniquitates; A tantum abest vt illas velit, vel aliquo modo easdem fieri vnquam decernat, quemadmodum Caluinus turpissime & nequissime comminiscitur.

7. Deut.27. & 28. Num.14. Leuit.26. Matt.8.22.25. Ierem.14.21.24.27.29.32.34.

Præterea, cum Deus iste vltionum Dominus, excelsus & terribilis super omnem terram, horrendas minas intonat, agros & domos maledictionibus cõturbat, terram ferream, cælum ahæneum, famem, pestem, bella, feras, coruscationes, iaculata fulmina, eluuiones aquarum, exustiones, tenebras exteriores, fletum & stridorem dentium, gehennæ ignes inextinguibiles, & alia iræ suæ B effecta nimium pertimescenda mortalibus peccantibus obiicit atque minatur; sine dubio miseris non vult illudere, aut fictitiorum vanorumq; periculorum denunciatione solum terrere: ludificaret autem & falleret, si eos in peccata, quibus hæc accersuntur, voluntate, ordinatione, consilio, prouidentia, aut decretis suis homines induceret. Vt igitur omnis fraus ac irrisio, à seuero iudice viuorum & mortuorum est longissime remota, qui virtutum officia iubet, & vitia prohibet; sic omnis optima vitæ ratione præditus credere oportet optimum & sanctissimum C Patrem omnium nostrum charissimos filios suos voluntate aut decretis non impellere ad peccandum, nunquam ordinare vt peccent: sed cum libertate sua fuerint ad delinquendum abusi, eos iustissimis suppliciis addicere & plectere. MIN. Quorundam solummodo veterum de peccati Adæ origine sententias deprome, & disputationi huic finem imponemus.

8. Li.de paradiso c.8.

DOCT. Ambrosius de huius, atque Iudæ proditoris agens delictis, ait: Deus non necessitatem vel Adæ præuaricationi, vel Iudæ proditioni imposuit; quia vterq; si quod ac- D ceperat custodisset, à peccato potuit abstinere.

L.de Genes.

Augustinus vero post longissima de hac re verba, tandem asserit, Adæ peccatum ex callido serpentis consilio initio promanasse: deinde ex coniugis illecebris, & liberi arbitrij violata scientia. Gregorius quoque docet eundem peccasse, quod propriæ voluntati paruerit: Diuinæ autem obedire & assentiri noluerit. Hæc illi, in quibus nulli decreto, nulli determinationi, nulli voluntati diuinæ peccatum Adæ vides assignari. MIN. Mihi tres illi Patres loco omnium antiquorum esse possunt: ideoque aliam ineamus disputationem.

QVOD DEVS NON PRAEDESTINET *homines ad peccandum: aduersus 15. heresin.*

CAPVT X.

DOCTOR.

VT nihil intactum in Deo, nullamq; perfectionem diuinam erroribus suis impollutam relinqueret vester Caluinus, etiam æternæ Prædestinationi eius conatus est tam primi parentis, quam omnium posterorum illius lapsus, corruptiones, & vniuersa scelera tribuere, Admittit eum in Institutione propositum istud: *Ad eam, quæ nunc pro damnationis causa obtenditur, corruptionem Dei ordinatione prædestinati fuerant.* Li.3.c.23 §.4.7.8. Et paulo post ait: *Vnde factum est vt tot gentes vna cum liberis eorum infantibus æternæ morti inuolueret lapsus Adæ absque remedio, nisi quia Deo ita visum est?* Et paucis interiectis: *Nec absurdum videri debet quod dico, Deum non modo primi hominis casum, & in eo posterorum ruinam præuidisse: sed arbitrio quoque suo dispensasse.* Consequenter etiam eos oppugnat, qui dicunt, permittente modo, non autem volente Deo perire impios, subiiciens. *Sed cur permittere dicemus, nisi quia ita vult? Quamquam nec ipsum quidem per se probabile est, Sola Dei permissione, nulla ordinatione hominem sibi accersisse interitum.* Hæc ille, quibus diuinæ Prædestinationi, dispensationi, voluntati, & ordinationi non modo Adæ, sed & omnium liberorum eius scelera quantumuis atrocia deputat. MIN. Iamdudum istud & ego deprehenderam non solum ex his, quæ citasti, locis, verum & ex eiusdem Libro de Prædestinatione: item & scriptis aduersus Pighium, in quibus adhuc apertius mentem suam explicat: & vt libere dicam, impudentius blasphemat.

Quidni enim blasphema vocem verba Confut. 1.
tam diuinæ gratiæ, misericordiæ, clementiæ, ac beneuolentiæ in homines, quos ad suam imaginem & similitudinem condidit, quibusque non modo Angelos suos custodes, verum & vnigenitum Filium suum Redemptorem & Saluatorem contulit, aduersa penitus & plusquam ex diametro pugnantia? Qua etenim æquitate omnium æquissimus Pater & iudex filios ac subditos suos, virtutis, gratiæ ac æternæ salutis capaces, antequã in eum vnquam deliquissent, ex proposito destinaret ad infringenda paterna mandata, ad maiestatem deturpandam, & debitum sibi obsequium detrectandum? Nunquam, nun-

nunquam adduci possum, vt credam, eũ qui A fecit cœlos, vt enarrent gloriam suam; firmamentum, vt annunciet opera digitorum
Psal. 18. 101. 103. Dan. 3. Psal. 148. 150. suorum; Angelos, vt eum celebrent; Solem, Lunam, & stellas, ignem, grandinem, niuẽ, glaciem, spiritum procellarum, vt eum laudent & faciant verbum eius; bestias, & vniuersa pecora, serpentes, volucres pennatas, imo & dracones abyssi, vt suo more Creatorem exornent atque prædicent: eum, inquam, solum hominem effinxisse ac destinasse vt blasphemet, furensq; probra & contumelias in se optimum & humanissimum parentem euomat: & ita cunctis belluis esset deterior. Pater ille cælestis destinasset libe- B
Matt. 6. 13. Ioa. 10. 21. ros vt in suum conspuerent vultum? Pastor pius destinasset oues, vt suam contemnerent vocem? Opifex admirandus composito animo opus suum perfecisset, vt ab illo despiceretur, & ignominia afficeretur? nunquam, ita me Christus saluet, nunquam in animum induxerim sententiam tam diuinæ naturalique bonitati ac humanitati repugnantem.

2. DOCT. Enimuero, longe alio & contrario fine Deum Adamũ & posteros eius creasse, atq; ad res sanctiores prædestinasse testificantur veteres Theologi: nimirum, vt eum agnoscerent sicut factorem, diligerent vt summum bonum, adorarent vt bonitatem C infinitam, obedirent ei vt summo Domino, laudarent vt omnipotentem, & tandem cum eo in cælis sempiternam gloriam & fœlicitatem consequerentur.
Orig. tract. 34. in Mat. Lact. li. 3. c. 8. 9. 10. 11. Basil. ho. 11. Hexam. Aug. l. de fide ad Pet. c. 25. Paulin. ep. 4.

3. MIN. Euolui, & diligentissime reuolui locos omnes, in quibus Paulus de Adamo, posteris eius diuinaq; prædestinatione disputat, sed nullibi reperi, Deum primos parẽtes aut liberos eorum condidisse, vt cacodæmoni potius, quam sibi morem gererent, vel fructum vetitum manducarent, aliave exercerent peccata, quibus homines fræna laxare consueuerunt. Imo vero contrarium omnino docet: *Quos* (inquiens) *præsciuit, prædestina-* D *uit conformes fieri imagini Filij sui*, id est, vt essent *sancti, iusti, immaculati, irreprehensibiles ante eum in charitate* filij Dei per gratiam adoptionis, *pleni operibus bonis in charitate*, deniq; *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*.
Rom. 8. Ephes. 1. 1. Cor. 15. 2. Cor. 9. 1. Ti. 1. 3. 5. Tit. 2.

4. DOCT. Hæc profecto Apostolica sunt dogmata de fine ac scopo Prædestinationis diuinæ, quorum meditatione incredibili consolatione exhilarantur animi, sustentantur in tot periculis & aduersis conscientiæ, & ad fidem spemque reponendam in Deum summopere dilectum inflammantur animi. Sed Geneuani Apostoli teterrima blasphemia nonnisi ad reformidandum Deum, vt in sese crudelem, in mortales autem crudelissimum, concitat: & ad eundem vt immanem tyrannum, qui suos ad quoduis nefarium opus destinet, & perditione eorum lætetur, toto animo exhorrescendum impellit.

MINIST. Iuuaret me plurimum quædam 5. veterum Sanctorum testimonia de proposita quæstione nunc ex te audire. DOCT. L. 1. ad Monim. c. 17.
Vnum in primis Fulgentium, præstantissimum totius Africæ post Cyprianum & Augustinum ante mille & centum annos Antistitem. Is lapsum Luciferi & Adami non diuinæ Prædestinationi, sed horum superbiæ ac peruersæ voluntati tribuendum esse probans ex eo quod scribitur: *Initium omnis peccati, superbia*: de ipso tandem homine primo subiicit. A Domino bono dissentiens, & seruo malo (diabolo) consentiens, malæ voluntatis effectum plenum adipisci non potuit; quia ipsa malitia voluntatis à Deo non fuit. Hanc enim si à Deo non discederet, non haberet; Postea idem sequentibus Scripturis confirmat: *Deus mortem non fecit*: quod de animarum morte, id est, mortali peccato intelligendum adfirmat. *Non est iniquitas apud Deum. Iustus Dominus, & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius.*
Eccles. 10. Cap. 23. Sapien. 1. Deut. 32. Psal. 10.

6. De aliis vero, id est, Adæ posteris, idem scribit: Prædestinauit Deus quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam. Sed quos prædestinauit ad gloriam, prædestinauit ad iustitiã: quos autem prædestinauit ad pœnam, non prædestinauit ad culpam. Posset enim peccatum aliquod ex prædestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum iuste peccare. Nullus autem hominum iuste peccat, quamuis eum iuste Deus peccare permittat. Iuste enim deseritur à Deo qui deserit Deum. Et postea id confirmaturus ex Scripturis ait: Ad voluntatem malam Deus hominem non prædestinauit, quia homini eam daturus non fuit. Quomodo enim Deus hominem, quem ad imaginem suam fecit, prædestinaret ad malam voluntatem, quam ipse non fecit? Itaque peccare in hoc homo cœpit, in quo à Deo discessit. Scriptum est enim, *Quia initium superbiæ apostatare à Deo.* Et alio loco: *Ecce omnes qui se elongant à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te: Defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.* Defectus ergo à summo bono ad infimum bonum, hoc est, peccatoris proprium & voluntarium malum, quo
L. 1. ad Monim. c. 13. Cap. 19. Gen. 1. Eccl. 10. Psal. 72.

quo malo seipsum perdidit iniustus. Et eiusdem libri c.26.& 27.ait: Quomodo peccanti seruo iram iustus Dominus intulisset, si seruus ex Domini prædestinatione peccasset? Quod si Deus tales in peccatum prædestinaret; non eos Apostolus vasa iræ mallet nominare, sed culpæ; nec in interitum talia vasa, sed in peccatū dicerentur aptata. Nunc autem vasa iræ ideo dicuntur, vt ostendatur in talibus ex Dei prædestinatione non hoc esse quod est ab eis male admissum; sed quod est talibus bene redditum. Bene quippe malis interitus à Deo redditur, quamuis sit malus interitus eis, qui nunc iuste deserūtur, & postmodum iuste torquebuntur. Recipient non pro eo quod Deus bene vsus est eorum operibus malis: sed pro eo quod ipsi male abusi sunt Dei operibus bonis. Tales itaque Deus aptauit in interitum punitionis, quem peccatori iustus iudex prædestinatione iusta decreuit. Non in peccatum, quod homo non ex prædestinatione diuina, sed ex voluntate sua, male cōcupiscendo cœpit, & male operando perfecit. *Concupiscentia enim concipiens, peperit peccatum, peccatum vero consummatum genuit mortem.* Non ergo iniqui prædestinati sunt ad mortem animæ primam, sed prædestinati sunt ad secundam, id est, ad stagnum ignis & sulphuris.

Rom.9. *Iacob.1.* *Apoc.20. & 21.*

7. Demumque tam ex Augustini, quam totius Ecclesiæ Christianæ communi doctrina disputationem clausurus, ait: Peccata itaque hominum cuncta quidem Deus in peccatoribus præsciuit futura: & quia ipse non ea prædestinauit facienda, iuste prædestinauit iudicio punienda. Quod in ipsis sancti Augustini dictis cognosces. Ostendit enim, quia Deus peccata hominum præscientia vidit, quibus sententiam prædestinatione dictauit. Iuste autem est ad punitionem diuina æquitate prædestinatus, qui peccator est diuina cognitione præscitus: vtpote, qui iniquitatem, ad quam à Deo non est prædestinatus, propria esset voluntate facturus. Vt in quo præscientia Dei videbat futurum opus iniustum, huic per prædestinationis sententiam pararet supplicium iustum. MIN. Sufficit. Iam enim hic vnus mihi pro innumeris reputatur, tum quod communem totius Ecclesiæ sententiam & doctrinam proferat, tum quod apertis Scripturis eandem corroboret. De alio capite dicamus.

Eiusdem l. c.27.

DEVM NON EO FINE AC PROPOSITO destinato homines creasse, vt peccarent sicque illos perderet: aduersus 16. heresin.

CAPVT XI.

DOCTOR.

QVid tibi videtur de Geneuensis Prophetæ sententia, qua vult Deum non solum æternam improborū ruinam damnationemq; præuidisse: sed & eos maturo consilio, nullo alio fine hos condidisse, quam vt eos excæcaret, induraret, ac in sempiternum perderet? Verba enim illius sunt: *Prædestinatio Pharaonis in exitium ad arcanum Dei consilium refertur. Deus pro arbitrio suo, in quemcunq; libuerit iudicij sui seueritatem stringit. Deus alios illuminat in salutem, alios in mortem excæcat. Indurandi verbum cum Deo in scripturis tribuitur, non solum permissionem, sed Diuinæ quoque iræ actionem significat. Friuolum est illud effugium, quod de præscientia Scholastici habent. Neque enim præuideri ruinam impiorum à Domino Paulus tradit, sed eius consilio & voluntate ordinari. Non modo præcognita fuit impiorum perditio, sed impij ipsi fuerunt destinato creati vt perderentur.* Audis eum adfirmantem, Pharaonem prædestinatum ad exitium consilio Dei? Deum pro arbitrio suo homines excæcare in mortem, in quos libuerit seueritatem stringere, ruinam horum consilio & voluntate ordinare, quinetiam destinato creare illos, vt perdat? An non est hoc proclamare, *Deum longe maiorem hominum partem consulto creare, vt damnet atque in æternum perdat*; cum reipsa Sanctorum ac electorum minor sit quam aliorum numerus?

In cap. 9. ad Rom. v. 17. & 18. *Matt.7. & 22.*

MIN. Exaudio, sed fidem eius verbis non habeo: quoniam alibi frequenter secum pugnans, hæc ipsa, quæ hic tradere videtur, aliis plurimis locis idem ipse damnat & reprobat. Scribit namque in caput Lucæ decimum sextum, *Diuitem epulonem damnatum, creatum fuisse in vitam immortalem consequendam; sed huius nobilis conditionis immemorem, maluisse cani aut porco similem se præbere.* Itaque si de reprobis ac miseris omnibus, idem est sentiendum, vt & ipse vltro fatetur; consequens est vniuersos prorsus homines creari ad salutem, vitamque immortalem consequendam; reproborum vero ruinam, exitium, ac perditionem propria ipsorum oriri peruersitate, non autem ex primo Dei creantis proposito, aut voluntate.

Confut. 1. *Vers.25.*

Ait

2. *In cap. 9. Matt. vers. 22.* Ait rursum: *Non stare per Deum, quo minus copiosa bonorum suorum abundantia in nos quotidie defluat, sed exiguitatem fidei nostræ id impedire.* A
Atqui Deus ipse præsertim impediret, si æterno consilio destinaret ad exitium, in quosdam seueritatem solam iudicij sui stringeret, excæcaret in mortem, vellet & ordinaret tantum in ruinam, eoque solum consilio conderet aliquos, vt in æternum perderet. Quanto igitur prima propositi pars vera est, tanto posterior est falsa & impia.

3. *In Matt. c. 15. v. 13. & c. 23. v. 34. In Ioa. c. 3. 5. 8. & 12.* Docet iterum, *Deum improbos damnare, quod propria malitia conuertunt in interitum omnia sibi in salutem oblata, quamuis optima & salutaria: & ita sponte perire.* B *Quorum ruina Præscientiæ diuinæ non est tribuenda. Non per eum stare, quo minus omnes, vt decet, sapiant. Homines damnari priuata infidelitate, malitia, & ingratitudine. Errorem & ruinam impiorum ab his solis promanare, quod eorum insolens superbia ipsos ad interitum perducit. Incredulos perire in tenebris, propterea quod lucem sponte fugiant, &c.* Quibus verbis perspicuum est, solam & totam damnationis reproborum rationem, non à cõsilio aut prædestinatione diuina procedere: sed eos sibi laqueum cõtexere quo pereant, & foueam facere, in quam ter quaterq; miseri detrudantur & perdantur. C DOCT. Sed singula ab hoc aduersario concessa accuratius, quæso te, excutiamus. Si improborum damnatio ipsorum propriæ malitiæ ascribẽda est, non est profecto tribuenda diuino consilio, in quod nulla vnquam malitiæ suspicio cadere potest. Et si idcirco pereunt improbi, quod salutaria sibi oblata conuertunt in interitum, propriæ malitiæ exitium eorũ imputandum est, non Prædestinationi diuinæ. Deinde, si Deus multa & optima illis offert salutaria, idq; sine fraude, vt omnis delusio ac fallacia procul abest ab ipso: certe nõ vult illos perdere, sed saluare. Et si ruina reproborum diuinæ præscientiæ non sit tribuenda, est in primis simplex malorum pręscientia in Deo, cui antea Caluinus cum probris sese opposuit; nuncq; flagitiose appellat *effugium friuolum Scholasticorum*: deinde, nec consilio, nec prædestinatione eius reprobi in cæcitatem & exitium præcipites aguntur. D Prętere a, cum impiorum ruina à sola eorum superbia & insolentia promanet, & solummodo pereant, propterea quod lucem spõte refugiant, profecto non destinato creati sunt à Deo, vt perdantur. Atque sic remanet Caluinus propriis testimoniis nefarię impietatis conuictus atque damnatus.

4. MIN. Optimum & gloriosissimum plane genus vincendi, cum hostis proprio ferro confoditur: sed firmior erit victoria, si apertis noui ac veteris Testamenti scripturis error iste omnino labefactetur & conuellatur. *Esaia. 18. Ezech 18. Ierem. 33. Osee. 13. Sapien. 1. Zach. 1. Isai. 1.* DOCT. Dominus Prophetarum oraculis personat, magnaque voce iurat verissimum pulcherrimumque iusiurandum, *se nolle mortem peccatorum, sed omnino velle vt conuertantur, & viuant: perditionem Israelis ex eodem Israel promanare, ex se vero salutem: mortem se non fecisse, nec lætari in perditione viuentium, si improbi conuertant se ad eum, conuersurum se ad eos: ad se redeuntium peccata dealbaturum vt nix.* Denique ait: *Conuertimini ad me in ieiunio fletu, & planctu, scindite corda vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* *Ioel. 2.* Sequitur: *Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo, &c.* Amabo te, sunt ne istæ voces creantis homines vt destinato perdat? In quemcunque libet, pro arbitrio suo iudicij seueritatem stringentis? Volentis & ordinantis ruinam improborum hominum? MIN. Minime gentium: sed è contrario, omnium quos condidit salutem percupientis.

5. *Matth. 9. Matth. 11. Ioan. 7. Luc. 15. Io. 3. & 12.* DOCT. Aures etiam ac mentem erige in has Christi omnium Saluatoris voces humanissimas & dulcissimas: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos. Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Omnis qui venerit ad me, non eijciam foras. Venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat. Pater dedit Filium, non vt iudicet mundum, sed vt saluificetur mundus per ipsum.* An non his, aliisque innumeris similibus sermonibus diuinis, Filius Dei satis manifestat, quali Pater eius sit animo & consilio erga totum genus humanum: Videlicet, non vt peccatis suis quantumlibet magnis pereat, sed omnino saluetur. *Matth. 18. Ioan. 6.* *Non est voluntas Patris mei* (inquit rursum) *vt pereat vnus de pusillis istis.* Et iterum: *Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, vt omnis qui credit in me, non pereat: sed habeat vitam æternam.* MIN. Væ ergo, & iterum atque iterum væ impietati Caluinicæ, qua suadere nititur, cæcitatem, indurationem, exitium, ruinam ac perditionem peccatorum Dei voluntate fieri & ordinari consilio.

6. *1. Tim. 2.* DOCT. Attende etiam studiose, quid de pia voluntate, ac diuino super omnes peccatores consilio doceant, Apostoli. D. Paulus ait, *Vult Deus omnes homines saluos fieri,*

1.Thes.4. & 5. *& ad agnitionem veritatis venire.* Et iterum: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Iterumque: *Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite, hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis.* MIN. Certe enim si nos destinato condidisset vt periremus, non vellet saluos fieri: aut si voluntate sua destinasset gratis in ruinam, nollet sanctificationem nostram. DOCT. Idem rursum de æterna Dei electione, destinatione, ac fine eius longe sanctius differens, quam Geneuanus
Ephes.1. vester, ait: *Elegit nos in Christo ante constitutionem mundi, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate. Qui prædestinauit nos* B *in adoptionem filiorum, per Iesum Christum, in ipsum secundum propositum voluntatis suæ.* MIN. Manifestum est ergo, quod non prædestinat ad exitium, non intendit excæcare ad mortem, nec reproborum ruina tribuenda est eius æterno consilio aut ordinationi.

DOCT. Audi rursum eundem Apostolum de fine ac scopo creationis hominum
Ephes.2. loquentem: *Ipsius enim (Dei) sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* MINIS. Turpiter ergo ac nequiter Caluinus contradicit Apostolo, blaterans *Deum destinato creare, vt* C *perdat.*

7. DOCT. Eadem mente Petrus cum Paulo aperiens sanctissimæ voluntatis diuinæ intentionem ac destinationem de nostra
1.Pet.2. sanctificatione & salute scribit: *Sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* MINIST. Mendaces ergo nituntur facere Apostolos, qui è contrario aiunt, voluntatem Dei esse, vt homines excæcentur, indurentur, & cunctis sordibus peccatorum sese commaculantes turpissime tandem perdantur. Ete-
Ge.4.6.7. Ioan.1.& 3. 3.Reg. nim cum Dominus Cainum de fratricidio obiurgauit, improbis per voces Noe dilu- D uium comminatus est, Niniuitas præmonuit vt resipiscerent, Eliam ac Elisæum ad commonefaciendas decem tribus legauit, Pro-
Matt.23. Matth.28. Act.1. phetis iussit peccatores hortari ad pœnitentiam, ipse per Filium voluit congregare Iudæos sub alas protectionis suæ, Apostolis Denique præcepit ire in mundum vniuersum, docere & baptizare omnes gentes, vt salutem consequerentur; satis patefecit, non condidisse illum, *vt destinato damnaret atque perderet.* Quare quanto propius huius hæreseos turpitudinem ac deformitatem conspicio, tanto mihi videtur optimi ac cælestis Patris nostri bonitatem coarguere, ac infini- A tam eius in genus nostrum beneuolentiam iniuriose tractare.

DOCT. Certum est demum, quod si ex peruulgatis cōcionibus ac libellis sectæ Caluinicæ, ea homines inuadat opinio, *quod Deus maiorem eorum partem ex animi sententia creauit vt peccet, atq; in æternum perdat,* id in eorum animis incredibile fastidium adferet: insuper non tantum contemptum, sed & Dei viuentis odium perpetuum loco summæ reuerentiæ ac dilectionis in eum instillabit. Tantum enim aberit, vt possint eum concipere vt parentem benignissimum, humanissimum, & sui amantissimum; quin è contrario iuxta hanc hæresin Hugnosticam sibi persuadebunt eum esse crudelem, tyrannum, implacabilem, inexorabilem, salutis suæ antiquissimum & infestissimum hostem, vtpote qui gaudeat eos arcere à summo bono, quod naturaliter appetunt, cuiusque natura ipsa sunt capaces, etiam antequam ab illo vllo pacto defecerint. Gaudeat, inquam, eos præcipites in inferorum horrendam voraginem in sempiternum detrudere, atque tenebris exterioribus & interioribus, fletu, stridore dentium, vermis non morientis arrosione, & flammis ignis inextinguibilis, aliisq; innumeris suppliciis, quæ naturaliter abhorrent & reformidant, in æternum cruciare. MIN. Equidem qui primam Caluini sententiam attente secum perpenderit & crediderit, pro *Patre misericordiarum & Deo totius consolationis,* sibi proponet Busyrida, Rhadamantem, & Phalarida, qui seruos suos torrere, deglubere, discerpere, & extremis suppliciis torquere delectetur, atque in eum finem producere, in mundum immittere, vt perpetuis tandem tormentis excruciet atque disrumpat, quamquam prius nec verbo, nec opere, nec cogitatione quidem ipsum offenderint. DOCT. Imo his omnibus tyrannis, quos citasti, Deum crudeliorem & immaniorem sibi repræsentabunt: quoniam hi solum corpora, & breuissimo tempore distorserunt: sed Deus qualis à Caluino effingitur, sola voluntate & sua oblectatione, & animas, & corpora, & in æternum, & sine vlla remissionis spe, premit acerbissimis tormentis: animas, inquam, quas voluit esse vnitati, Trinitati, immortalitati, libertati, cunctisque aliis perfectionibus suis diuinis simillimas.

Quis vero posset animo erecto liberaque voluntate, tam immani Deo Hugnostico seruire? quis credere? quis obedire? quis eum ex tota mente diligere ac colere? quis laudare

laudare & benedicere? quis in suis miseriis A inuocare? quis ad eum confugere? quis mandatis eius libens obtemperare? quis in promissa eius sperare? Quis in eius bonitatem, fiduciam suam reponere? Quis ab eo vitam & salutem æternam expectare, quem audiet à Verbi Ministro, Euangelio reformato, sanctificato, cælitus misso, *homines destinato creasse, vt in æternum perdat*? MIN. Video profectò hanc Caluinianam hæresin, omnem auferre Dei timorem, amorem, obedientiam, inuocationem ex conscientiis hominum: nihiloque aliud in his relinquere, quam omnis impietatis, blasphemiæ, & desperationis semina: quare hoc sermone derelicto, alium ag- B grediamur.

DE SVMMA INTEGRITATE, Innocentia, & sanctitate Dei, aduersus 31. hæreses: quibus Caluiniani conantur illum deformare, atque omnium mundi peccatorum auctorem ac reum facere.

CAPVT XII.

DOCTOR.

QVi vestræ defectionis duces & quasi signiferi fuerunt, post discissam simpli- C cem Dei nostri Essentiam, sepultam Trinitatis confessionem, diuinasque perfectiones omnes populatas: eo tandem dementiæ prolapsi sunt, vt eius quoque summam bonitatem, puritatem, & sanctitudinem infamare atque turpificare nitantur, cum in eam vniuersa tam dæmonum, quam hominum peccata, quantumuis atrocissima, reiicere nihil reformident, idque plurimis modis: quos si patienti animo tuleris, quantum potero, breuioribus verbis nunc recensebo, & refellere conabor. MIN. Præbebo me tibi vicissim attentum contra illos auditorem, & strenuum commilitonem, si his tot erroribus & D delictis illos prius conuiceris.

DOCT. Primo, Martinus Bucerus, quem vnicum inter Germanos Caluinus vester laudat & amplectitur ministrum, scribit; *Deus dat menti reprobæ, vt ita mereatur perdi.*
Com. in c. 1. ad Rom. pag. 72. Perditur autem in fidelitate, magia, blasphemia, atheismo, & omnibus peccatis mortalibus. Igitur hæc dona & opera Dei esse ille arbitratur.

Pag. 72. Secundo, idem subiungit: *Apparet Deum cum seducit, indurat, tradit in reprobum sensum, immittit efficacem errorem, id facere, non tantum deserendo: sed etiam animos hominum vt errori concedant, inclinando.* Itaque sententia huius Martini, Deus est author seductionis, obstinationis, erroris, & deprauationis animorum & sensuum humanorum.

Tertio, eosdem errores persequens, ait: *Ibidem.* *Animos hominum vt à concupiscentiis vincantur, Deus inclinat, in malas cupiditates pellicit, simpliciter prauis cupiditatibus dedit, & peruersis desideriis addicit.* Quibus verbis Deo veluti auctori tribuit omnes prauas hominum concupiscentias, nefarias cupiditates cordium, scelerata quantumlibet animorum desideria.

Quarto, audacius & apertius blasphemans *Ibidem.* omnium prorsus criminum seu corporaliũ seu spiritualium, seu aduersus Deum seu aduersus proximum committantur, eundem Deum insimulans inquit: *Nam nisi fateamur eum omnia in omnibus efficere, Deum esse negamus.* MIN. Sequeretur Deum in sacrilego, facere sacrilegium; in incesto, incestum; in adultero, adulterium; in homicida, & proditore, homicidium & proditionem; in falso teste, falsum testimonium; in blasphemo, peccatum blasphemiæ, & cætera omnia, quæ etiam nefas est nominare.

DOCT. Quinto, etiam idem ait: *Faciunt* *Idem in c. 9. ad Rom. pag. 454.* *indurati ea, quæ Deus ipse vult eos facere, imo quæ ipse in eis facit: nec possunt aliud quam perperam agere.* MIN. Igitur & in Caino & Iuliano Deus blasphemauit, in Saule & Achitophele aduersus suam iustitiam & æquitatem insurrexit, & in Iuda, multisque aliis sese minime bonum, misericordem, exorabilemque esse professus est, siquidem vera loquitur Bucerus.

DOCT. Sexto superioribus adiicit: *Voluit* *Ibidem.* *Deus Pharaonem iussui suo non obtemperare: imo vt ei repugnaret, ipse in eo effecit. Fecit Pharao quod Deus volebat eum facere, imo quod ipse faciebat in eo.*

Septimo, subnectit: *Cum immisit in cor Da-* *Ibidem.* *uidi, vt censeret populum, vtique ipse & voluit, & effecit vt Dauid populum numeraret, eratque necesse ita illum facere:* quibus Deum perduellionis, & superbissimi ambitus, nulla vtens circuitione impudentissime coarguit. Atque hæc sufficiant ex Bucero, ad alios me confero.

Octauo, nono, & decimo, Philippus Me- *Annot. in ep. ad Rom. c. 8. edit. Vvitemb. 1524.* lanthon (quem Caluiniani in sua, id est, Sacramentaria opinione prædicant obiisse) tres simul aduersus Dei sanctitatem & innocentiam eructat hæreses his verbis: *Adulteriũ Dauidis, sæuitia Manlij, & proditio Iudæ, æque sunt Dei opus, atque ipsa conuersio Pauli.*

Vndecimo & duodecimo, Caluinus omnium furorum Satanæ, & prædationum, quæ à latronibus passim in facultates piorum exercentur, Deum faciens authorem, ait: *Eius probationis (sancte Iob) cuius Satan & scelesti latrones ministri fuerunt, Deum fuisse authorem colligimus. Molitur Sathanas sanctum virum desperatione adigere in furorem: Sabæi crudeliter & impie in aliena bona prædando inuolant, &c. quia sic placuit Deo.*

Inst. l.1. ca. 18. §.1.

A

Tertiodecimo, tam fœcundus est idem Caluinus in erroribus concipiendis, fouendis atque pariendis, vt paucissimis verbis octo fœdissimas istas enixus fuerit. Primo, *cæcitatem & tyrannidem Achab: 2. Absalomi incestum: 3. conuicia Semei: 4. apostasiam & idolomaniam decem tribuum: 5. cædes, rapinas, incendia Chaldæorum in Iudæa: 6. rabiem furentium Iudæorum in Christum: 7. iniquissimum Pilati iudicium: 8. scelerata militum crucifigentium facinora, & cætera id genus crimina*, scribit esse Dei opera, *quæ non sola eius permissione, sed voluntate, & decreto facta sunt. Satan & scelesti latrones* (ait) *ministri fuerunt, Deus author. Sic placuit Deo. Deus hoc opus suum pronunciat. Opus Dei esse pronunciat Ieremias. Deus præcipuus est author. Satan vero tantum minister.* MINIS. Oportet sane illum atque Bezam cunctos verecundiæ fines transiisse, & bene nauiterque impudentes esse, quando alibi pernegant se in hac esse sententia: insuper omnibus probris & conuitiis eos lacessunt vt calumniatores, qui illos de his erroribus accersunt & redarguunt. Sed assumptum ordinem persequere.

Ibid. m.

B

Ibidem. §.2.

C

DOCT. Vigesimoprimo idem affirmat, *Deum velle, imo & præcipere Satanæ vt mentiatur, seducat, fallatque incautos, tam per seipsum, quam per pseudoprophetas & seductores.*

Inst. l.1. ca. 18. §.1. L.2. c.4. §.3.4. 5. L.3. c.28. §.8.

Vigesimosecundo, *Cunctos impios sceleribus suis operam dantes*, ait, *esse tantum velut secures aut gladios in manu Dei.* Sicque vt ferrum in manibus homicidæ omni culpa vacat, homicida solum est homicidij reus: sic & impij Caluini iudicio, extra culpam essent, solusque reus esset omnium scelerum Deus.

L. contr. Pigh. L. contr. Liber. c.14. 15.16.

D

Vigesimotertio, inclamat publice, *Deum esse veluti ducem latronum, grassatorum, sicariorum qui dato minimo signo, omnes aduocat sceleratos tanquam fidelissimos commilitones sub vexillo suo depugnantes; quos sua manu disponit, vt ciuitates diripiant, & delubra sanctissima subuertant.* Non ergo mirandum gregales eius tam propensos esse ad seditiones, ad bella, ad expilationes, regnorumque euersiones.

Vigesimoquarto, cunctorum peccatorũ causam referẽs in iudicium & secretum Dei consilium, dicit: *Cum pronunciat (Scriptura) cæcis obtrudi velum, vt in suis tenebris maneant, neque huius rei culpam illis adscribit, &c. causam non assignat extra arcanum Dei consilium.*

In cap. 13. Matt v.13.

Vigesimoquinto, iam non de quibusdam in particulari, sed de vniuersis mundi sceleribus Deum turpificans ait: *Deum nominari authorem omnium, quæ (à Catholicis) dicuntur aduenire per eius permissionem.* Atqui docemus omnia tam spiritalia quam corporalia peccata ab hominibus patrari simplici permissione Dei: quare Caluinus & eius discipuli nunquam poterũt excusari, quin Deum omniũ, quæ per totum orbem committuntur, peccatorum auctorem constituant.

Inst. l.1. c. 18. §.3.

Vigesimosexto, Beza Caluini successor personat, *Deum omnia operari sine vlla exceptione boni aut mali, virtutis aut vitij: alioqui in otio delitesceret, iuxta errorem Epicuri.*

Aphoris. 6.

Vigesimoseptimo, vt eiusdem impietatis totam sectam conuincam, Marloratus suas dum profert ineptias, in expositione generali suæ quam dicit Ecclesiæ, postremum exhalat horum errorum fœtorem, scribens: *Deus non solum homines in peccatum cadere permittit: sed & vult, & ordinat. Et præcepto eius Satanas inferorum carnifex contra nos in bellum insurgit. Efficaciter quodcunque vult in cordibus peruicacium & reproborum operando, nihil facit præter Dei ordinationem.* Atque hæc sunt viginti & septem capita, quibus euicisse, coramque toto mundo contestatum & exploratum me fecisse contendo Caluinianos improbissime errare cõtra summam Dei nostri sanctitatem ac innocentiam, cum statuunt eum cunctorum peccatorum atque scelerum authorem. Tu promissis fidem faciens, primus in has hæreticas sententias inquire, & gloriam præpotentis Dei, vt Christianum virum decet, nunc pro viribus assere & tuere.

In c.1. Ro. v.24. & in c.9. v. 18.

MIN. His omnibus Caluinianis erroribus obiicio in primis grauissimas ministrorum superioris Germaniæ censuras, quibus declarauerũt eosdem errores importunas esse aduersus Deum blasphemias, & sanctissimo eius verbo penitus contrarias: atque ob id, & aliquot alias fanaticas de Sacramentis sententias, Caluinianos omnib. modis execrantur & damnant. Nam Ioachimus Vvestphalus, Ioannes Brentius, Iacobus Andreas, & plurimi alij, quos initio huius colloquij recensui, tota Germania & libris editis, & concionib. & publicis colloquiis, & Principũ suorum

Cõfutatio per aliorũ Ministrorum censuras. 1.

rum

rum edictis ac legibus, propterea illos finibus suis expellunt, & bello irrecõciliabili in hanc vsque diem persequuntur, vt paucis
Ihenæ 1560. commemorabo. Nam Tileman.Heshusius libellum diuulgauit inscriptum, *Aliquot errores Caluini,&c.* Et postea subdit: *De fato, & causa peccati, plane impie docet; vt ex multis eius libellis probari potest, vtpote qui dicat Deum impiorum scelera non tantum permittere fieri, sed & efficaciter operari.* Paulo post vero huiusmodi subijcit censuram: *Hæc omnino & Dei voluntatem incertam faciunt, & Deum peccati authorem asserunt. Hic autem error est in Deum horribiliter contumeliosus, & generi humano perniciosissimus. Hoc sane Doctore, non diabolus, sed Deus erit pater mendacij.*

2. Huic subnecto & Ioannis Brentij non impium iudicium. Cum enim hic vulgatã mali distinctionem in malum pœnæ, & malum culpæ constituit, asseruitque mala pœnæ, cuiusmodi sunt pestis, grando, incendiũ, morbus, rerum penuria, fames, bellum, malę bestiæ, ignominia, contemptus, mors, &c. à Deo vere & iuste mortalibus infligi, de altera mali specie sic loquitur. *Alterum genus mali, vocant malum culpæ, quod vsitate dicitur peccatum. De hoc constanter sentiendum est, quod Deus non sit eius author vel approbator. Ps 5. Non Deus volens iniquitatem tu es. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquũtur mendacium. Nam quod Deus non velit, nec approbet peccata, sed extremo odio prosequatur patefecit primum præceptis. Prohibet n. peccatum seuerissime, quemadmodum Decalogus testatur. Deinde supplicijs, quæ diuinitus vel per magistratum, vel per alia organa sceleratis inferri solent. Postremo significauit se puniturum peccatũ æterna pœna, & igni inferni. Quare si esset author peccati & faueret ei, certe nec prohiberet ipsum, nec puniret tanta seueritate. Quis est ergo peccati author: Diabolus quem vocamus Satanam. Hic cum satellitib. suis defecit à Deo, & excogitauit peccatum à seipso. Vnde Christus dicit; Cum diabolus loquitur mendacium, ex proprijs loquitur. Et 1.Ioan.3. Qui facit peccatum, ex diabolo est. Quare, cum aut nos peccamus aut videmus alium peccare, sentiamus non Deum, sed Diabolum esse peccati authorem, & dominari in homine propter peccatum. Quod certe excitare nos debet, vt quam primum reuertamur pœnitentia ad Dominum, ne vna cum diabolo in tartarum præcipitemur.* Atque hæc Germanorum Superintendentium de his Caluinianorum erroribus iudicia & decreta: quæ si paruifecerint, nunquam tamen damnatos se non modo à Catholicis, sed & à Lutheranis; & quod o-

In Catechismo. pa. [illegible]105. & 106. Isa.45. Thren.3.

Ioan.8. 1.Ioan.3.

A mnium præcipuum est, expresis verbis diuinis negare valebunt.

Sed & istud Tigurinorum atque Zuinglianorum, quibus cum belle consentire se iactant, iudicio confirmabo, Petrus Vermilius eorum in Theologia publicus Professor, superius citatas Caluini *sententias appellat libertinas, execrandas, sacrilegas, abominandas, & plane diabolicas:* easdemq; licet plurima versans multis argumentis refellit & persequitur, quorum quædam postea subijciam. 3.

In 2.l.Reg. c.6.

Illis etiam Geneuæ statim initio sese opposuerãt Castalio & Seruetus, sed quia viribus plus pollebat illic Caluinus, alterum fuga sibi consulere compulit: alterum viuum B ardentibus flammis tradendum & absumendum curauit. 4.

Bernenses ministri coram senatu suo eadem impietate Caluinum accusarunt, & libellos eiusdem super hac re à carnifice publice laceratos, eodem loco conflagrari statuerunt, edicto prohibentes, ne quis in eorum terris ac locis tam tetros errores spargere auderet. Atque hæc aliorum tum Germaniæ tum Heluetiæ ministrorum de illis erroribus publica decreta. DOCT. Egregia & iusta certe, & quæ Caluinianæ impietatis discipulos cõfundere, & ad saniorem men- C tem reducere deberent, si infamiæ suæ eos aliquando puderet atque tæderet. 5. 1554.

Verum, quoniam superioribus iudicibus (scio) non cedent, præstat vt Caluinianis armis (quod sane strenue atque cõmode superius fecisti) Caluinianicos errores expugnes atque conuellas. MINIST. Mihi quoque sane in promptu est. Nam Caluinus seipsum impietatis coarguens; appellat eos qui dicunt Deum authorem peccati, *Homines Libertinos furore rabieque correptos, bruta, portenta, lucem perniciosam, nefarie grassantem, quique inter homines omnem expungunt humanitatem & religionem.* Atque hæc illorum ex illo epi- D theta Errorem vero ipsum nominat, *fœdam illuuiem, proluuiem, abominationem, insanum delirium, desperatum ac diabolicum, à naturali sensu tam remotum, vt etiam ipsa abhorreant bruta. eundem non posse admitti nisi à viris dissolutis & improbissimis.* Addit præterea, *huiusmodi opinionem inter bonum & malũ omnem auferre differentiam; & ita Deum cum cacodæmone confundere, vt alter ab altero vix possit discerni aut separari.* Postea etiam iudicat *eandem opinionem, malitiam veneficã & pestiferam impiorum hominum, qui conantur homines brutis reddere similes, vel etiam deteriores.* Tandem exclamat, *hæresin*

Confutatio per propria testimonia. 1.

Nic.Galas. præf.aduer. Anabapt. & Libert. Cal.l cõtr. Libertinos c.3. & 4. Ex gallico eius libro Latina ad verbum facimus. L. contra Liber.c.1.2 & 3.

iniquam, prodigiosam, & nequiorem quã vnquam ex Satanica exierit officina. Asserit rursum, *eam nominatim per Apostolos Petrum & Iudam in epistolis catholicis damnatam.* Vult deinde, *eos qui sopitam hanc hæresin redintegrant; obsoletas resarcire opiniones Simonis Magi, Cerdonis, Marcionis, Valentini, Gnosticorum, Manichæorum Priscillianistarum & Borboritarum, quos propter horrendã blasphemiam istam, à cœtu Christianorũ antiquissimi Patres semouerunt,* Huius veteris impietatis instauratores profert, *Copinum Insulanum, Quintinum Hannoniensem, Bertrandum Moletrinum, Claudium Perseualum & Anton. Pocquinũ, quos appellat, è lustris extractos helluones, ebriosos,* B *funesta animalia, ex nefariis stupris, ciuili cruore, scelerum & flagitiorum omnium libertate concreta: in quorum vultum totus mundus deberet conspuere, atque sordes iniicere.* Hæc ille tribus aut quatuor primis capitibus libelli, quem euulgauit contra Libertinos. D O C T. Certe vt video, ille contra se suosque copiosus est atque disertus: Paulo enim superius audisti eũ docentem, *Deum auctorem esse omnium, quæ (à Pontificijs) dicuntur per eius permissionem aduenire.* Adueniunt autem totius mundi peccata eius permissione. Igitur omnium peccatorũ auctorem Deum Caluinus efficit. Et rursum de cædibus, rapinis, violẽtiis B. Iob inflictis, C ait: *Satan, scelestique latrones ministri fuerunt, Deus author, Deus præcipuus author, Satan tãtum minister.* Itaque in faciem Caluini recidunt tot fœda maledicta, quot aduersus Libertinos nunc euomuit: & seipsum, suarumque opinionum ministros atq; Prædicantes suis depinxit coloribus: & quales eos reputare debeamus copiose edocuit. Sed perbelli Apostoli Geneuani persequere iudicium, propria confessione confirmatum.

Instit. l.1.c. 18.§.3.

1\. M I N. His addit, *Martinum Bucerũ in Christo sibi venerabilem fratrem, facillime eam Libertinorum comprobasse doctrinam: seque ac commi-* D *nistros Geneuenses hisdem imprudenter inseruiisse tanquam lenones ad seducendas & perdendas miserorum animas.* D O C T. Quid audio? Potest ne fieri, vt Caluinus parens vester, eiusdemque Theologiæ ministri ac Prædicantes, Lenones Libertinorum patiantur appellari? Idque ab eodem Caluino? M I N I S. Verba illius sunt: *Oculis ipsis intueor impuros istos atque impudentes, nobis, id etiam ignorantibus, quasi Lenonibus vti, vt miseras animas corrũpant.* D O C T. Si in nostris concionibus aut scriptis illos hisce pulcherrimis exornaremus epithetis, nos aut dentibus discerperẽt, aut saltem nostræ immodestiæ testes cælum

L. cont. Libert. c. 4.

A & terram appellarent. Sed quoniam libere tales se esse confitentur, nolo resistere. Dic quid postea agat Caluinus.

M I N. Nouem sequentia supra dicti libelli capita refertissima sunt iniurijs & maledictis atrocissimis, quæ summo animi ardore in miserrimos discipulos suos eructat. Deinde adijcit, quæ ex Gallico idiomate ad verbum Latine reddam. *Ex hoc Libertino dogmate tria execranda esse notanda. Primum, confitendo Deum authorem peccati, nullum superesse discrimen inter Deum & diabolum. Nam quis ab hu effingitur Deus, esset idolum deterius cunctis dæmonibus. Secundum, nulla homines modestia contineret à vitiorum sordibus, eosdemq; nullus deterreret conscientiæ stimulus: sed velut bruta, suum non contraherent appetitum, ignorantes quid inter bonum & malum insit discriminis. Tertium, nemo in posterum auderet aliquid arguere aut iudicare: sed cogeretur adulteria, homicidia, atque latrocinia laudare & approbare. Omnia crimina, quamquam pessima, vt pulcherrima Dei opificis opera, miris laudibus efferre.* Concludit demum, *eos qui dicunt Deum esse peccati causam, male admodum de ipso mereri, eo quod grauius, quam si eius potentiam negarent vel iustitiam: cum eum sua etiam bonitate exuant, quæ præter cætera ei tamen propria est. Nec vllus (ait) vnquam poterit ostendere, Deum in latrone furari, in grassatore diripere, in homicida necare: & proinde execranda est blasphemia, sic de Deo aut sentire aut dicere.* Hactenus ille libello aduersus Liber. D O C T O R. Quam ergo perfidum ac nefarium censes eum fuisse hominem, qui nihilominus easdem impietates, quas hic tam execrari se fingit, alibi prædicat & extollit? Quales Bucerus, Melanthon, Beza, & singuli huius farinæ ministri habendi sunt, qui eadem ipsa Libertinorum placita tuentur: aut vt verius dicam, illa ipsa ante Libertinos libellis & prædicatiunculis disseminauerunt: Sed perge, atque insequere longius. 3.

L. cont. Libert. c. 13. 14. 15. 16.

M I N. Idem auctor supra dictos errores magis ac magis improbat, dum in Harmonia personat, *Deum mali authorem non debere appellari, nec perditorum ruinam eius præscientiæ attribui.* D O C T. Seipsum igitur manifeste condẽnat, cum vnum & alterum faciat, vt supra probatum est. M I N. Tuetur adhuc tẽtationes quæ alliciunt vel inducunt ad malum, non aliunde quam à Satana dimanare. D O C T. Errauit igitur pessime, & Deum cum impio Satana misere confudit, vbi literis mandauit: *Omnia peccata Dei esse opera, & Satanam tantum esse ministrum: & cum diabolus dicitur excæcare,* 4.

In c. 6. Mat. v. 13. & in c. 23. v. 1.

In cap. 4. Matt. v. 1.

tantum

tantum ei ministerium competere, Deum autem id in eo & per eum operari.

5. MIN. Scribit rursum Com. in Ioan. *Iudaeorum caecitatem & perditionem, ex ipsis solum venisse.* Et postea: *Hominum perfidia Deum nullo pacto accusandum, propterea quod non nisi voluntaria malitia gratiam eius reiiciunt.* Et iterũ: *Increduli pereunt in tenebris, quia lumen sponte refugiunt.* Rursumque: *Christus Iudae dicendo, Quod facis, fac citius, non sic adhortatur eum, vt putetur eum impellere ad malum.* DOCT. Cur ergo, & ipse, & Bucerus, & Melanthon, aliis in locis, suis persuadent, Deum animas in errorem inducere, in pessimos effectus deflectere, in obstinatis animis improbitatem exercere, & Iudae proditionem, vt D. Pauli conuersionẽ aeque inter diuina opera referendam? Possent ne manifestius sibi repugnare, aut se mutuo mendacio deludere?

In c. 5. 10. 12. & 13. Ioan.

6. Ait item in illud primi capitis Epist. ad Ro. Propterea tradidit, &c. *Tantum id excipimus, Peccati causam à Deo non prouenire: cuius radices in peccatore ipso perpetuo resident. Illud enim verũ esse oportet: Perditio tua ex te Israel: in me tantum auxilium tuum.* DOCT. An non ergo palam impius & nequam, cum alias dicit peccatorum causam non assignari extra arcanũ Dei consilium? Deumque authorem omnium, quae à Catholicis dicuntur aduenire per eius permissionem? Distinctionem inter Dei permissionem & actionem, effugium esse vanum & stolidum?

Ose. 13.

7. MIN. Idem praeterea, initio Instit. scribit, *Scelera omnia Satanae malitiae tribuenda esse: vnicum autem Dei Filium peccati non esse ministrum, cum ipse venerit, vt diaboli opera dissolueret.* DOCTOR. Cum peccati nõ sit minister, multo minus erit illius author, quemadmodum idem superius frequenter illum infamauit. MINIST. Iterum literis mandat, *Improborũ excaecationem, & omnia quae ipsam sequuntur flagitia, diaboli opera appellanda esse, horumq; causam extra hominum voluntatem non esse requirẽdam, à qua totius periculi radix procedit.* DOCT. Ergo alibi eam tribuens diuino consilio, diuinae voluntati & praedestinationi, in Deũ impius est & blasphemus: atque agnitam veritatem oppugnans, in Spiritum S. delinquit peccato, quod ei nec in praesenti nec in futuro seculo remissum est. Et haec satis superq; ex Caluino: nunc ex te audire percupio, quid eius primarii discipuli & successores de eadem re senserint atque dixerint.

Praefat.

Inst. l. 2. c. 4. §. 1.

8. MIN. Primo igitur loco magnus Theodorus Beza post hunc, ore fero capricornus

A vadere pergit. Iste iurat, abiurat, negat, pernegat, furit, insanit, acclamat, vnum & alterum daemonem aduocat, *si Caluinus & ipse cogitarint vnquam talem edocere impietatem, quam confidit non admitti nisi à desperatis, & in omnem nequitiam profusis, & qui propterea quae exercuerunt vitia, ceciderunt in reprobum sensum. Profitetur se obnixe credere, Deum nullo modo conscium eorum quae vbique fiunt scelerum: Deum bonũ nil posse nisi bonum facere: Deum improbos non debere punire, si auctor peccati videretur existere. Sustinet insuper corruptionem naturalẽ veteris Adami, quae radicitus in nobis innixa est, motus corruptos producere, à quibus mala promanant opera.* DOCT. B Interim audiuisti, quemadmodum callidus ac perfidus iste moechus, eundem errorẽ in suis Aphorismis impudenter sustinet: quare certissimum ac manifestũ est eum se talem exhibere qualẽ sua notat censura. MIN. Sed vnde, quaeso te, accidit q; tam stolide sui ipsorum obliti, tam saepe foedeq; sibi contradicunt? DOCT. Ex ipsa mendacii natura, q; nunquam potest vnum constans & firmum, vt ipsa veritas, remanere. Deinde, haeresis crimine conuicti non possunt has deuitare notas, quibus solent à Paulo designari, videlicet, *quod proprio iudicio sint condemnati.* Praeterea, cum ab Ecclesia Iesu Christi vltro qui- C dem egressi, sint Christianae fidei proditores, pseudoapostoli, ac Iudae Iscarioti persimiles, qui tum obsequentissimũ discipulum simulabat, cũ nefariã traditionem moliebatur & exercebat. Salomon pclare eiusmodi bilingues & duplices animo viros impudẽtibus adulteris ac prostitutis facit persimiles, quae in omni obscoena libidine volutatae, nihilominus pro pudicis audẽt sese effingere, negando se peccasse, multasq; euomẽdo iniurias, in eos qui volunt reprehendere. Cyprianus Martyr eos etiam apposite admodũ comparat cum salacissimis duobus adulteris, qui sese adulteriorũ vindices acerrimos D fingebant, pudicissima matrona ẽt in periculum adducta, cũ tamen ipsi essent omni libidine & spurcitia repleti. Eodẽ modo Caluinus, Beza, & cõministri post q̃ aperto gutture contra summã Dei bonitatem & integritatem vociferarunt, eamq; docuerũt iubere, ordinare, impellere, nec nõ cooperari in omnibus sceleribus turpissimis, quae ab hominibus vel daemonibus vnquam fieri possunt: mox simulato animo dictitãt, se nũquam talia cogitasse, imo & in Libertinos talia audẽtes calamũ strinxisse, eademq; dolia iniuriarũ plena effundunt in eos, qui hoc crimi-

L. contr. Castalion.

Confess. puncto. 1. art. 3. puncto 3 art. 4. puncto. 4. art. 8.

Tit. 3. 1. Cor. 11.

Prou. 30.

Deut. 23.

crimine eosdem insimulant. MIN. Sua itaq; eos maxime obcæcat malitia, existimantes sic totum cæcutire ac desipere mundum, vt eorum contradictiones nec videat nec deprehendat. Sed etiam ego ex ipsis hostibus protuli, quę aduersus eosdem facere putaui: tu nunc quoque aduersus illos decreta.

Confutatio ex absurdis cōsequentibus.

DOCT. Quisquis decem absurda, quæ ex superioribus hæresibus consequuntur, & quantum infinita Dei bonitas & integritas ex his blasphemetur, serio cogitabit, illas toto pectore abhorrebit atq; detestabitur.
1. Primum n. ex his regulis sequeretur, *Si Deus det menti reprobæ vnde perdi mereatur*, vti Bucerus autumat, quod superbia, auaritia, luxuria, inuidia, gula, homicidia, falsa testimonia, cæteraq; cūcta peccata mortalia Deo vt datori & largitori essent imputanda. *Si efficaciter ipse seducit, fallit, indurat*, vt idem prædica-
2. re non timet; Deus (nō mihi, sed Bucero imputetur blasphemia) est seductor, fallax, in malis pertinax, & crudelitate non humanitate plenus.
3. *Si ad obscœnas cupiditates animos hominū abducit, allicit, & impellit*, vt eidem Bucero placet; oēs cogitationes obscœnæ, impuræ, nefariæ, ac flagitiosæ, omnia furiosa
Matth. 15. desideria, etiamsi Thiæstea & Sodomitica essent, à Deo immissa esse spiracula iure dicerentur: & non ex corde humano exirēt malæ cogitationes, furta, adulteria, quæ coin-
4. quinant hominē, sed ex Deo. *Si Deus nō sit fatendus nisi omnia* (inter quæ peccata ēt connumeranda volunt) *in omnibus operetur*, vt est ēt Bezæ atq; Buceri sententia; cū alias Hugnostici dicant, non esse Deum, si peccatorū author sit, oēm pernegant Deitatem, & multo insolentius blasphemant, quā qui in infero-
5. rum tenebris tormentisq; detinentur. *Si De⁹ in induratis ea omnia facit, quæ ipsi facere vidētur*, veluti Martinus ille censuit; Deus actor est effusi cruoris innocentis, incendiorum, blasphemiarum, desperationum, spontanearū suspensionum, & præcipitationū, omniūq; malorum, in quæ desperati homines se præ-
6. cipitant & inijciunt. *Si illata Pharaonis & similium tyrannorum velit consilia*; sane Deus Bucericus & Caluinicus non est ille quem prædicauit Moyses, quem coluit Hebraicus populus, in quemq; crediderunt Abrahā, Isaac & Iacob, quique virum sanguineum & dolosum habet odio, & pater dicitur Domini
Psal. 5. nostri Iesu Christi. *Si adulteriū Dauidis & pro-*
7. *ditio Iudæ essent æque opera Dei, vt cōuersio Pauli*. quemadmodum Melanthon iudicauit; sine controuersia, Deus (exhorrescant cœlum & terra ad tam nefandam Creatoris sui cōtumeliam) esset nuncupandus adulter, mœchus, impurus, proditor, perfidus, inhumanus, &c. *Si cædes, rapinas, direptiones, Deus in Satana, Sabæis & Chaldæis operatus est*, vt Caluini 8.
reproba mens est; Deus censendus est homicida, raptor, prædo; & raptores, homicidæ, prædones Deo sunt gratissimi & acceptissimi. *Si obcæcationes, defectiones, & idolorum* 9.
cultus, qualis sub Ieroboamo contigit, *sunt Dei præcepta*, vt Ianus Caluinus scripsit; Deus sibi omnino contrarius & repugnans est, qui talia scelera tam districte prohibuit. *Si author* 10.
est omnium quæ permissione eius fieri Pontificii dictitant, vt vester dictat Pontifex, erit etiam patrator omnium scelerum, quæ ab hominibus simul ac dæmonibus committuntur. Ecqua igitur iustitia vel æquitate iudicatur⁹ est viuos & mortuos, cum etiam iuxta Bezam, *non debeat punire, quos voluit peccare?* MINIST. Hæc sane absurda, cum his, quæ etiam ipsi paulo superius ex propriis regulis eduxerunt, coniuncta, debent satis superque refutare id omne, quod aduersus bonitatē Dei euomuerunt; & in omnibus conscientiis, in quibus aliqua superest religio, perpetuum tantarum blasphemiarum odium atq; horrorem infigere.

Confutatio per rationes certas & manifestas.

DOCT. Illud profecto verum: sed præstat vlterius etiam progredi, atque firmissimis & apertissimis rationibus harum propositionum impietatem refellere: Dei aut omnipotentis summam innocentiam & sanctitatem defendere: tum ad Scripturæ testimonia veniemus. Primo itaq; hanc rationē 1.
illis obijcio. A summa & infinita bonitate nihil nisi bonum potest procedere: vt ex arbore bona, fructus boni ac suaues, ex limpido fonte, puri riui; & si radix sancta est, sancti Matt. 7.
quoque & rami. Atqui Deus non solum na- Rom. 11.
tura ac Deitate sanctus est, sed & ipsa summa perfectaque sanctitas, bonitas, innocentia: &, vt inquit ad eum Augustinus, Credi- Manualis
mus te esse aliquid quo nihil magis aut me- c. 32.
lius cogitari possit, sicque summum bonum in quo sunt omnia bona: quare nulla prorsus possunt ab eo procedere crimina.

Secundo, omne peccatum hominē auer- 2.
tit & distrahit à sui creatoris amore, reuerētia & obeditione; conuertit autem ad creaturā modo prohibito, ac rectæ rationis terminos excedēte. Non adhærere Deo sic bonum est, vt auerti ab illo sit cadere, & in illum conuerti resurgere sit. Et de quibusdam peccatorib⁹ dicitur, *Euerterunt sensum suum,* Dan. 13.
& de-

& declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum, &c. Sed Deus omnipotens non potest auerti aut distrahi à seipso, vt nimio ac præpostero zelo conuertatur ad res creatas: ergo non potest cuiuscunque delicti auctor haberi.

3. Tertio omnis opifex ab arte quàm exercet nomen accipit; vt faber rectè appellatur, qui rebus fabrilibus operas suas impendit; agricola, qui agros colit; seditiosus, qui seditiones concitat; homicida, qui homines occidit; fur, qui furatur; tentator, qui tentat; fornicator vel adulter, qui stuprum ma-

1. Ioan. 3. tronis infert; & vt à coniugatis elicitur, *quicunque facit iustitiam, iustus est*; qui vero iniustitiam, iniustus. At vero, etiam ipsi cacodæmones horrerent Deum optimum & maximum palam dicere latronem, homicidam, perfidum, proditorem, &c. Caluinus igitur & qui eum sequuntur, acerbissime & intoleranter blasphemant, appellando eum *authorem ac opificem omnium peccatorum*, quæ sola eius permissione fiunt.

4. Quarto omne peccatum vel ab ignorantia, vel infirmitate, vel malitia, vel denique alterius suggestione ac tentatione procedit. Peccarunt enim Noe, Loth, & Paulus ex ignorantia: Dauid, Bethsabæa, Petrus, Magdalena infirmitate: cacodæmones malitia: primi parentes serpentis suggestione. Huiusmodi autem affectiones seu imperfectiones non possunt cadere in Deum nostrum, imo perfectionibus eius naturalibus omnino repugnant: itaque nec peccati minima suspicio.

5. Quinto, omnis caussa perfecta & absoluta nititur suos effectus reddere perfectos & absolutos: quemadmodum videmus industrios & ingenuos artifices omnem ingenij subtilitatem & dexteritatem adhibere, vt sua possint opera & complere & expolire. Sed nihil est Deo perfectius, nihil è contrario homine delinquente imperfectius, nihil denique peccato deformius ac turpius: non potest itaq; à tam sapiente, industrio, & perfecto artifice procedere.

6. Sexto, non potest Deus esse hypocrita, *vt*

Iacob. 1. *vir duplex, animo inconstans in omnibus viis suis*; aliud habens in pectore, aliud in ore; strictissime aliquid in ore ac oculis omnium prohibens, quod secreto ipse vel faceret, vel ad faciendum inclinaret atque impelleret. Sed omnes eius leges, omnia per Moysen mandata, omnes voces Prophetarum, omnes epistolæ Apostolorum, omnes con-

A ciones discipulorum eius, vetant peccata facere; peccatoribusque pœnas æternas acerbissimasque comminantur, ni mature resipuerint. Ergo luce meridiana clarius est, Deum nec dæmonibus, nec improbis hominibus peccata vel suadere, vel eos ad ea committenda impellere, tantum abest vt eadem in his tanquam præcipuus author operetur, vt ter quaterque ministri Hugnostici cum cæcis ductoribus suis Beza & Caluino comminiscuntur.

MIN. Tam valentes & firmæ videntur mihi sex istæ rationes, vt omnes superiores errores funditus euertant, diuinamque bo- Confutatio per Scripturas sacras

B nitatem ac integritatem plurimum in cordibus hominum astruant: & quicquid in contrarium obmurmurent vel adferant huius Caluiniani erroris patroni, his nunquam satisfacere poterunt. Tempus est vt aduersus hęreses istas, quę ex scripturis sacris disposuisti iam adferas, vt omnibus modis labefactentur & conuellantur. DOCT. Initio statim Bibliorum scribitur, *Vidit Deus* 1

cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Et benedixit cunctis operibus suis. Additque Moyses, *Dei* Gen. 1.

perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Deus Deut. 32

fidelis, & absque vlla iniquitate, iustus, & rectus. Psal. 144.

Dauid etiam canit: *Iustus Dominus in omnibus* Sap. 11.

C *viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Et Sapiens conuersione ad eum ait: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Atqui manifestum est peccata non esse valde bona, non esse benedicta, non esse perfecta, non esse sancta, non esse dilecta à Deo. Igitur eorum author esse nunquam potest.

E contrario autem palam testificantur 2.

Scripturæ, Deo summe inuisa esse omnia Sap. 14.

peccata, sic, vt iuxta Sapientem, *similiter odio* Psal. 5.

sint Deo impius & impietas eius. Et secundum Psal. 13. & 52.

Dauidem. *Deus est non volens iniquitatem. Odit omnes qui operantur iniquitatem, perdet omnes*

D *qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum & dolosum abominatur. Impii corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis. Odit obseruantes iniquitates superuacue. Diligit iustitiam, & odit iniquitatem.* Et hominum sapientissimus Salomon ait: *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius. Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas; pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.* Quonam igitur pacto Deus homines ad peccandum inclinaret aut Psal. 44. Prou. 6.

impelleret? Aut quomodo iniquis pciperet ea exercere, quæ toties sibi profitetur displiceret? Posset ne fieri vt ipse vel in peccantibus, vel per peccantes illa faceret, quæ tantopere abominatur? MIN Profecto nec id verisimile, nec credibile est; imo eum tãtum conniuere vnumquemque permittendo *in manibus consilij & arbitrii sui*. Et ea propter nec peccata decernit, nec ad peccandum destinat, nec peccata imperat, nec eorum author est, vt nebulones prædicant, & cum Caluino suo fabulantur.

Eccl.16. Deut.30.

3. DOCT. Imo contra omnem peccandi rationem strictissime iubet bonis operibus intentum habere animum, vtpote, *Dominum Deum nostrum diligere ex toto corde, ex tota anima, ex omni mente, & ex omnibus viribus: atque proximum sicut seipsum. Diem sabbati piis operibus sanctificare. Parentes omni officio colere:* magistratus vereri, Reges honorificare, æquales honore præuenire, inferiores non temnere, pascere famelicos, vestire nudos, hospites tecto colligere, visitare infirmos, soluere captiuos, mortuos terræ mandare, consolari pusillanimes, fractos & oppressos erigere, orare pro inimicis, maledicentibus benedicere, & benefacere his qui oderunt nos. Nulli malum pro malo reddere, & prouidere bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, &c. Cur igitur Satanæ maleficia decerneret, eiusdem malitiæ ac furori ad inuadendum seruos suos cooperaretur? Grassatoribus rapinas facere, homicidis cædem committere, lubricisque seipsos & alios fœde contaminare suggereret?

Exo.20. Deut.6.11. 19.& 30. Exod.22. Rom.13. 1.Pet.2. Matt.5.19. 25. Esa.35. 1.Thess.5. Rom.12.

4. Nonne etiam vetat seuere, deos habere alienos, eis simulacra fingere, idola colere, nouas religiones introducere, & nomen suum in vanum assumere? Nonne sunt hæc Diuina peccatorum interdicta, *Non occides, Non mœchaberis, Non falsum testimonium dices, Non furaberis, Non concupisces domum, non coniugem, non ancillam, non bouem, non asinum proximi tui? Aduenam non contristabis, neque affliges eum. Vidua & pupillo non nocebis. Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices. Non suscipies vocem mendacii. Non sequeris turbam ad faciendum malum. Non declinabis in iudicium pauperis. Insontem & iustum non occides: quia auersor impium. Peregrino molestus non eris? &c.* MIN. Reuera reformationis nostræ Authores dicentes Deum mortales impellere ad mala; præcipere prædari, necare; innocentes damnare & crucifigere, mentiri, seducere, incautos fallere, cætera vitia designare, faciunt Deum perfidum & fallacem, qui aliter loquitur quam fieri cupiat: insuper vafrum & inconstantem, qui hominum conscientias ancipites & dubias relinquere delectetur. Quæ omnia tam sunt absurda, & cum diuina bonitate atque integritate pugnantia, vt sola horum commemoratio mortalium corpora & animas horrore perfundat.

Exod.20. Deut.5. Matt.5. Rom.7. Ephes.6. Exod.22. Exod.23.

DOCT. Dum de falsis prophetis hæreticisque veteribus, qui se missos à Domino, & nihil quam purum ac putum verbum eius crepare gloriabantur, per veros prophetas loquitur, *Falso vaticinantur in nomine meo*, inquit, *non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos. Nolite audire verba prophetarum qui prophetant vobis, & decipiunt vos; visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. Non mittebam eos, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Non misi eos, & ipsi prophetant mendaciter in nomine meo, &c.* Cum ergò toties Deus se ignorare illos dicat, eorumque doctrinam ab ijsdem inuentam, & non cælitus reuelatam asserat: Caluinus certe eum mendacij flagitiose insimulat, affirmando, *Deum seductores immittere, errores eis inspirare, imo & ipsum tam per eos, quam per Satanam miseros homines in errorem adducere.* MIN. Enimuero clarum est, eum non mandasse Ægyptiacis magis, vt Moysi se opponerent; nec Baalis ministris, vt decem tribus excæcarent: nec Sadducæis, vt atheismo viam munirent; nec primis illis Christianorum hæresiarchis Nicolao Antiocheno, Simoni Mago, Ebioni, Cerintho, Hymenæo, Phileto, & alijs absque numero, præcepisse, vt fædissimis erroribus se vel alios conspurcarent. Quamobrem in Deum contumeliosus est Caluinus, summæque illius veritati & integritati multum detrahit, secreto quantumuis consilio eius tribuendo causam tantorum errorum. Insuper eidem infert iniuriam, cum scribit, dæmonem mendacij parentem, dum homines fascinat & illudit, *expresso Dei præcepto illud facere.* Cur enim idem Dominus diceret, *Salus tua ex me, sed perditio tua ex te, Israel*, si iucundissima essent ei hominum flagitia? Aut idem eadem in illis operaretur.

5.

Ierem.14. Ierem.23. Ierem.27. Ierem.29.

Exod.4. 3.Reg.18. Act.7.& 8. Iren.lib.1. Tertul. lib. præs. Epiph.

Osea 13.

DOCT. Tantum abest vt se furentis ac barbaræ crudelitatis, quam aduersus Israelitas Chaldæi exercuerunt, authorem exhibeat, & per consequens furta, direptiones, incendia, stupra, sacrilegia eorum sint opera illius,

6.

illius, ficut Ianus vester pronunciat; vt è contrario, sanctissimi Prophetæ solam peccatis humanis caussam referant. *Praeuaricati sunt inique* (aiunt) *iuxta vniuersas abominationes gentium, & polluerunt domum domini, quam sanctificauerat sibi in Ierusalem, &c. Et adduxit super eos regem Chaldæorum, & interfecit iuuenes eorum gladio. Non est misertus adolescentis, & virginis, & senis, nec decrepiti quidem.* Et Psaltes ait: *Sederunt in tenebris & vmbra mortis vincti in mendicitate & ferro, quia exacerbauerunt eloquia Dei, & consilium eius irritauerunt. Propter iniustitias enim suas humiliati sunt. Posuit terram fructiferam in salsuginem, à malitia habitantium in ea.* Alius quoque primo captiuos interrogat: *Quid est, Israel, quod in terra inimicorum tu es?* secundo autem respondet: *Dereliquisti fontem sapientiæ. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace super terram.* Alius denique omnium concaptiuorum nomine iliados malorum suorum caussam agnoscens & prædicans ait: *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, recessimus & declinauimus à mandatis tuis. Non obediuimus seruis tuis Prophetis, qui locuti sunt nomine tuo Regibus & Principibus nostris. Domine, nobis confusio faciei, quoniam omnes peccauimus, &c.* Quid in his verbis diuinorum Prophetarum animaduertis? quid obseruas? MIN. Captiuitatem Babylonicam certe, & cuncta mala, quæ hanc sunt comitata & sequuta, peccatis hominum imputari: & dominum vltionum propter illa populum suum Chaldæis castigandum quidem tradidisse: sed non audio, Deum authorem esse immanitatis, barbariei, summæque crudelitatis Chaldæorum, vti confinxit Caluinus. Peccata igitur siue barbarorum, siue Israelitarum malitiæ ipsorum deputantur: supplicia vero his debita à Deo inferuntur.

2. Paral. 36.
Psal. 106.
Baruch. 3.
Dan. 3.
Dan. 9.

7. DOCT. Recte sane, & iuxta antiquissimi acutissimique Theologi mentem scribentis: Nos separatis malis delicti & malis supplicij, malis culpæ & malis pœnæ, suum cuique parti definimus authorem. Malorum quidem peccati & culpæ, diabolum; malorum vero supplicij & pœnæ, Deum creatorem: vt illa pars malitiæ deputetur, ista iustitiæ, mala condenti iudicia (i. supplicia decernenti) aduersus mala delicta. Quibus hoc præclarum Augustini iudicium annectendũ videtur opportunum: Detestanda & abominanda opinio est, quæ Deum cuiusquam malæ voluntatis aut malæ actionis credit auctorem. Adulteria enim matronarum, &

Tertul. li. 2. adu. Marc.
Resp. ad artic. sibi falso impositos art. 10.

A corruptelas virginum non instruere nouit, sed damnare: nec disponere, sed punire. Et aliquanto post, idem ait: Nefas est Deo ascribere causas talium ruinarum, qui & si ex æterna scientia præcognitum habet, quid vniuscuiusq; meritis retributurus sit: nemini tamen per hoc quod falli non potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi.

Art. 13.

MIN. Præstat Patrum testimonia in aliud tempus differre, & ad scripturas redire. DOCT. Tantum quoque abest vt Deus nos vel ad peccandum impellat, vel etiam B supplicijs miserorum delectetur; vt aut mẽsura delictorum humanorum, aut execratione fœditateq; eorum de cælis vindictam reposcente, ipse vlturus quasi mœrens & inuitus exclamet. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Quibus ostendit se miserijs humanis, multo autem minus peccatis nullo pacto delectari. Frequenter se pastorem & patrem hominum dictitat. At, qui nam verus est pastor, cui dispergere, deglubere, ac mactare gregem arrideat? quis bonus pater, qui amantissimos liberos, ad nefaria scelera velit perducere, vt eos postea omnibus tormentis excruciet? C Si caput est militantis Ecclesiæ, sua cur prostitueret membra? Si sponsus animarum, earumque adeo Zelotes vt inclamat; quomodo illas ad fœdas cogitationes, prauosq; affectus inclinaret, emoueret, inflammaret? Si velit membra, corda, & corpora nostra sua dici & esse habitacula, vellet forsitan effusis concupiscentijs eadem contaminari, & criminibus execrandis profanari? 8.

Isaia. 1. Isa. 40. Ierem. 17. Ezech. 35 & 37 Isa. 63. & 64. Ierem. 2. Ierem. 3. Ose. 2. Cant. 4. & 5. Apoc. 18. 21. & 22. 1. Cor. 3. & 6.

Putaresne etiam, Filium Dei iussisse, vt oremus, *ne inducamur in tentationem, sed liberemur à malo* & maligno, si Pater inclinaret, vel etiam in nobis aliquid mali faceret? MIN. Nemini dubium est omnem malitiam ab D immundo & maligno spiritu procedere, à cuius insidijs & suggestionibus petimus liberari: nõ autem à cœlesti Patre, omnis sanctitatis & iustitiæ fonte vberrimo. Ideo Satanas dicitur *Spiritus immundus spiritus mẽdax, & parens mendacii*: Iudæi quoque eius libri, quod eius fraudem & malitiam imitarẽtur. Quare vniuersa vitia à tentationibus Satanicis procedunt, non autem à decretis cœlestibus: pręcipuum authorem habent principem tenebrarum, non sanctissimum Creatorem: & quisquis contrarium dicet, lucem tenebris offundet, vitam cum morte,

9. Mat. 6. Luc. 11.
Ioan. 8.

cœlum cum terra, virtutem cum vitio, Paradisum cum inferno, Deum benedictum in secula cum maledicto diabolo commiscebit.

10. DOCT. Idem rursum Filius Dei quasi digito commōstrans omnium peccatorum fontem ac originem, non arcanum Dei cōsilium, non secretam Patris sui voluntatem refert: sed affectus cordis corrupti atq; deprauati, inquiens: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, &c. Et hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Apostolus quoq; enumerando aliquot criminum species, vt sunt adulteria, impudicitia, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes: hæc omnia diserte appellat *opera carnis*, quæ spiritui resistit, & diuinæ legi aduersatur: nunquam vero, opera Dei, vt impij garriunt Hugnostici.

Mat. 15. Galat. 5.

11. *Iacob. 1.* Ad hæc, Iacobus frater Domini de internis tentationibus & diffusis cupiditatibus verba faciens, eas expresse prohibet dicere à Deo venire, vt Caluinianæ Theologiæ assertores faciūt: sed alium malorum nostrorum fontem indicans, ait: *Deus neminem tentat. Vnusquisque vero tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Concupiscentia autem cū conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum cōsummatum fuerit, generat mortem.* MIN. Manifestum est igitur peccata non admitti decreto, consilio, aut impulsu diuino, multo vero minus eorum authorem Deum esse, qui nec cæcitatem cordium nostrorū procurat: nec ruinam.

12. DOCT. His addamus, si placet, Deum illos non reprobare vel perdere, sed benedicere ac seruare, qui mandatis suis obtemperant, consilia sequuntur, & pro viribus sanctissimæ voluntati suæ animos mentesque conformant. At vero authores superius enumeratorum peccatorum, iuxta Euangelicam & Apostolicam doctrinam, non seruantur, sed male pereunt. *Nam qui mala egerunt, ibunt in resurrectionem iudicii*, cum eis dicetur, *Discedite à me operarii iniquitatis. Ite maledicti in ignem aeternum. Qui talia agunt digni sunt morte: nec regnum Dei possidebunt.* Itaque scelera non possunt esse à Deo constituta vel decreta: multo minus opera eidem grata, vel à voluntate eius profecta. MIN. Id efficit profecto vt nunquam animus conquiescat, & potissimum cum audio Caluinum de ho-

Mat. 7. 12. Marc. 3. Io. 5. 7. 9. Mat. 25. Rom. 2. 2. Cor. 6. 15.

A micidijs, expilationibus, crudelitate prædonum & Satanæ agentem, ista effutire verba: *Satan & scelesti latrones ministri fuerunt, Deus author. Sic placuit Deo, Deus hoc opus suum pronūciet. Deus præcipuus est author, Satan tantum minister.*

Inst. li. 1. c. 18. §. 1.

13. DOCT. Ecquo nam pacto tot scelerum & offendiculorum author esset, qui magno animo execratur hominem scandali authorem? Execratur hypocritas, qui hominibus cæteris regnum Dei intercludunt, qui domos viduarum destruunt, dilapidant, subuertunt? Execratur proditorem, cuius perfidia filius hominis tradendus erat in manus B peccatorum? Quibus argumentis posset facilius ostendere eiusmodi crimina sibi displicere, ac prorsus intentioni & voluntati suæ repugnare, quam criminum authoribus tanta authoritate & grauitate diuinoq; ore maledicendo, & horrenda mala in eos ventura prædicendo? Si eos qui praua dispargunt scandala, eos dico qui vel perdito consilio, vel malæ vitæ exemplo alios ad peccandum alliciunt, Dei Filius adeo tragicis maledictis insectatur: vtrum sibi gratulari Satanas poterit, aut scelesti latrones adblandiri; cum in desperationem & blasphemiam Iobum tentarunt perducere? MIN. C Equidem puto authorem defecatæ religionis nostræ dæmoni mancipatum, omnem tunc cum sensu communi rationem posuisse, cum tam absona in lucem emisit. Sunt etiam improbissimi, & à diuino Spiritu spreti & derelicti, qui tam absurdam & sceleratam amplectuntur sententiam.

Mat. 18. 23. 26. Mat. 18.

14. DOCT. Finis rursum ac scopus aduentus Domini nostri in carnem prædictas hæreses fortissime conuellet. Missus siquidem à Patre, venit *vt contereret caput serpentis dissolueret opera diaboli: principem huius mundi eiiceret foras: fortem armatum de præsidio ac munitione sua depelleret: destrueret eum qui habebat mortis imperium, diabolum*: Venit vt in eo, & per eum D *benedicerentur omnes gentes: venit vt deleret iniquitatem, & sempiternam iustitiam constitueret: venit vt tolleret peccata mundi: venit quærere & saluum facere quod perierat*: venit vt imperium peccati, mortis, inferni, & diaboli peccatis nostris subnixum dissiparet. MIN. Ergo impossibile est Deum peccata nostra arcano consilio suo decreuisse, mundum in errorem induxisse, imo & peccatorum præcipuum authorem esse: alioqui nec Deus Pater veritati ac synceritati studuisset, sed (quod omnino absit) turpissimo menda-

Genes. 3. 12. & 26. 1. Ioan. 3. Ioan. 12. Luca 11. Heb. 2. Dan. 9. Mat. 1. & 26. Io. 1. & 20. Mat. 9. Luca 11.

mendacio perfusus sordescere: nec Filius salutem hominum absoluisset: nec Spiritus sanctus nos quotidie sanctificaret: nec veritatis assertores essent Prophetæ & Apostoli. Quinimo, si Deus (vt Caluino placet) præcipuus author esset omnium, quæ solent à Satana, scelestis latronibus, ac pseudoprophetis improbissime machinari, regnū diaboli constabiliret, non destrueret; & tyrannidem eius supra genus humanum augeret atque comprobaret, non tolleret. Si omnia quæ diaboli crudelissime contra pios exercent, à Deo Patre ordinata, destinata, & imperata essent, Filius eius tot dæmones humanis corporibus non eiecisset, nec arma quibus eiicerentur Ecclesiæ suæ pastoribus suppeditasset: nec ad dissoluenda opera eorum in mundo apparuisset.

Matth. 9. *Luc.* 10. *Marc.* 16. *Luca* 11. 1. *Ioan.* 3.

15. Præterea, nobiscum fatentur sectarii vestri, Iesum Christum iustissimum ac æquissimum venturum esse iudicem viuorum & mortuorum, *qui reddet vnicuique iuxta opera sua, siue bona, siue mala.* Si vero prauæ cogitationes & cupiditates, blasphemiæ, errores, furta, latrocinia, proditiones, immanitates, aliaque nefanda opera tenebrarum essent à Deo ordinata, immissa, vel etiam (vt Melanthon & Bucerus blaterant) *ipsiusmet Dei opera,* quo pacto illa iuste coarguere, damnare, punire posset? Quis iudex æqui amans & tenax prehensionem, vincula, tormenta, secures, aut cruces, contra homicidæ gladium consignabit, vt ipsum homicidam liberum dimittat & illæsum? An non potius ille plecti debet, qui damni ac iniuriæ præcipuus author est, nō autem instrumentum, quo illud ipsum effectum est? Omnes porro impios vestri Præceptores aiunt in impietatibus sitis admittendis, *tantum esse Dei ministros & instrumenta, & vt securis aut gladius in manu homicida. Deum vero præcipuum authorem:* itaque scelestos omnes iustificant, vt Deum velut reum criminentur & damnent. *Quomodo Deus iudicabit hunc mundum,* ait Paulus, si apud eum iniquitas: & peccatorum, iniquitatumque præcipuus est author? MIN. Proculdubio quicunque delictorum humanorum Deo præcipuam causam tribuit, eidem ius & authoritatem iusti iudicis adimit; sua eum exuit iustitia & æquitate, sede maiestatis suæ deturbat; futurum iudicium cum atheis pernegat; & his omnibus sese opponit, quæ verbo Dei de paradiso & inferis credenda proponuntur. Quocirca firmissime credo, & nullatenus dubito, quod sicut *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum; sic omne peccatum, omnem mentis excæcationem, omne prauum desiderium,* exilire à cacodæmone tenebrarum principe; ac proinde peccata iuste dici *opera tenebrarum.* Ex quibus sequitur, eum qui scripsit, *Deum peccatorum esse præcipuum authorem, Satanam vero & improbos tantum ministros.* pessimam totius mundi blasphemiam commisisse, & deterrimum virus acerbitatis suæ in SS. dominum Deum suum damnabiliter euomuisse.

Matth. 25. *Ioan.* 5. *Actor.* 1. & 10. 2. *Tim.* 4. *Psalm.* 61. *Rom.* 2. *Apoc.* 2. *Rom.* 3. *Iacob.* 1. *Rom.* 13.

DOCT. Vis vt ex sanctorum vetustissimis monumentis longius persequar, ac euincam Caluinum, Bezam, alios superiorum errorum Prædicantes, his in rebus discipulos esse, impurissimi & ab Apostolis maledicti Simonis Magi, deinde Marcionis, Manichæi, Priscilliani, quos propter hoc portentosum dogma vetus & Catholica damnauit Ecclesia? Vis comprobem Hugnoticos vestros, per hanc, & plurimas similes impietates sacrosanctum Euangelium Christi, in spurcissimum detorquere ac deformare maledicti Mahometis Alchoranum? Vis sanctissimorum veterum Ecclesiæ pastorum & doctorum amplissimis testimoniis ostendam, quomodo cuncti constanter decertarunt, & magnopere prædictas hæreses exorientes restinxerunt, semperque defenderunt, Deum nullo modo malorum culpæ cogitandum vel dicendum esse authorem? MINIST. Sane gauderem, & fructum (scio) amplissimum ex his referrem: sed quia multa alia restant examinanda, si vnam tantum & alteram, de qua Caluinus gloriatur, obiectionem dissolueris: huic quæstioni finem imponemus. 16.

Triumphum primo sibi amplissimum repromittit ex hac Salomonis sententia. *Vniuersa propter semetipsum facit Dominus, impium quoque ad diem malum.* DOCT. Ex Caluini charissimo interprete Melanthone, ad hanc illius obiectionem respondeo, Salomonem non dicere, Deum efficere impietatem in hominibus: sed pœnas improborum testificari de prouidentia, quasi dicat, Quia mali retrahuntur ad pœnam, necesse est esse in Deo Prouidentiam & iustitiam. Ideo verbum *facit,* referendum est ad pœnam, vt sit sensus: Impium qui propria voluntate peccat, facit, id est, ordinat Deus ad pœnam. Nam Deus nequaquam est causa impietatis; sed postquā impius propria voluntate peccauit, 17. Obiectio.

Prou. 16. *Melanth. in Prou.*

cauit, ordinat eum Deus ad pœnam, quæ A
reuelabitur in die iudicii; pœna autem est illustre testimonium iustitiæ Dei. Vniuersaliter enim comitantur pœnæ delicta. Ita prouidentiam esse affirmat, quia bona ordinari à Deo manifestum est. Deinde, & pœnas esse à Deo certum est. Est igitur prouidentia. Hactenus Melanthon aduersus Caluinianos.

18. *Isaiæ 45. Amos 3.* MINIST. Gloriatur insuper, quod scribatur: *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc.* Et iterum: *Si clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet? Si erit malum in ciuitate quod* B
Dominus non fecit? DOCT. Si tibi ac Comministris non arriserit solutio superius laudata ex Tertulliano, quæ etiam Augustin. & omnibus Christianis postea placuit; illa nimirum Prophetarum oracula intelligenda esse, de malis pœnarum & suppliciorum, non autem delictorum & culparum: sectarum hodiernarũ parentem Martinum Lutherum loquentem exaudi. *Lucem & tenebras*, inquit, *allegorice accipio, pro successu & calamitate. Quasi dicat, si petitis pacem, & liberationem, postulate eam à me. Sin metuitis calamitatem, me timete. Ego enim vtrumque creo. Est necessaria hæc iactatio potentiæ contra scandalum* C
infirmitatis. *Luth. in Isa. & Amos.* Quod etiam apud Amos dicitur, idem de futura captiuitate, incendio vrbis, ac insigni persecutione, id est, grauissimis aduersis interpretatur: sicque ex Luthero & Lutheranis habes dissoluta Caluinianorum potissima fundamenta.

19. *Aug. epist. 105. in Ps. 71. q. 18. in Iosue: & l. de præd. & gra. c. 4. L. 20. ciuit. c. 18.* MINIST. Postremum Caluini, Bezæ, & omnium symmistarum præsidium est in his scripturis, quibus dicitur, *Deum indurasse cor Pharaonis, quosdam tradidisse in reprobum sensum, & immisisse spiritum erroris vt homines crederent mendacio.* DOCT. Ad hæc Marcionistarum & Manichæorum vetustate iam obsoleta & detrita argumenta, iam ante D
mille & ducentos annos magnus Aurelius August. sigillatim respondit: Deum indurare & excæcare, non immittendo peruicaciam aut cæcitatem, sed non impertiendo misericordiam & gratiam. Immittere porro dicitur operationem erroris, quando Diabolum permittit facere ista, iusto suo iudicio; quamuis faciat ille iniquo malignoq; consilio. Consensit & Hiero. scribens. Deũ dici indurare, non quo erroris causa sit & duritiæ, sed quo illius patientia nostram expectantis salutem, dum non corripit delinquentes, causa erroris duritiæque videatur. *Com. in c. 63. Isaiæ.*

MINIST. Quoniam cætera eorum argumenta parui certe aut nullius sunt momenti, prætermittenda censeo; ideoque finem hodierno colloquio per preces imponamus. 20. ORATIO. DOCT. Corporibus nostris in terram depressis, mentibus autem in cælum elatis, te humillime adoramus & inuocamus, Deum immortalem, Deum immutabilem, Deum veritatem & vitam, Deum fidelem in omnibus verbis, & sanctum in omnibus operibus suis, Deum principium & finem omnium, Deum qui ante constitutionem mundi quosdam elegisti, & prædestinasti ad gratiam & gloriam, alios reliquisti in manu consilii sui, ambulare vias non bonas, sed post peccata sua. Nos ô Pater luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, summæ pietatis tuæ oculo benignus miseros respice, illumina vultum tuum super nos, & miserere nostri. Da cordi nostro de præteritis delictis pœnitentiam, spiritui contritionem, ori confessionem, animo remissionem, conscientiæ gratiã, & de futuris studiosam cautelam. Extingue desideria carnis, & accende ignem tui amoris. Expelle spiritum superbiæ, & concede thesaurum humilitatis. Da solidam fidem, confirma spem, auge charitatem. Da vt per summam gratiam tuam, & condigna fidei opera, ad vitam te miserante, perueniamus æternam: vt ibi videntes gloriam tuam sicuti est, adoremus maiestatem tuam, suspiciamus bonitatem, veneremur summam sanctitatem & integritatem, & cum omnibus electis & beatis dicamus; Gloria Patri, qui creauit nos; gloria Filio, qui redemit nos; gloria Spiritui S. qui sanctificauit nos; gloria summæ & indiuiduæ Trinitati, cuius imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

***

LIBER

LIBER TERTIVS,

QVO EXAMINANTVR, SIMVLQVE REFELLVNTVR, VIGINTI ET QVATVOR ERRORES HVGNOSTICORVM ADVERſus conſubſtantialem & coæternum Dei Filium: ac primo de PERSONÆ illius ratione & finitione.

CAPVT I.

MINISTER.

Cicero. PRæclare, meo iudicio, dictum eſt à docto quodam homine: Platonis cœnam non ſolum in præſentia, ſed etiam poſtero die eſſe iucundam. Nam diuinus ille Philoſophus res vtiles, doctas, & graues cum ſuis familiaribus quotidie cœnando tractabat, quibus eos & ſapientiores reddebat & meliores: ac idcirco ſuauiſsimis delitiis illis allecti & imbuti, iterum atq; iterum deſiderabant iiſdem animos ſuos reficere ac recreare. Idem mihi accidit ex ſuperiorum dierum iucunda & vtili, quæ mihi tecum interceſsit, conſuetudine: ita namque me exhilauerit, vt nihil mihi vnquam contingat iucundius, quam tecum familiariſsime colloqui, de his quæ ad religionem ſpectant, præſertim quomodo & in quibus Caluinus eiuſque diſcipuli contra ſanctiſsimam Trinitatem turpiſsime lapſi ſunt. Audiui enim ab Auguſtino: nuſlibi errari periculoſius, nihil inquiri difficilius, nihil autem inueniri vtilius, quam in ſanctiſsimæ Trinitatis myſterio. *Auguſtin. lib. 1. Trin. c. 3. Pſal. 123.* DOCT. *Adiutorium igitur noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.* Age & audi, quomodo qui de Eccleſiæ repurgatione, & verbi diuini quaſi poſtliminio reſtituta luce inter vos maxime gloriantur, IESV CHRISTI vnigeniti Filii Dei & domini noſtri perſonam, diuinitatem, humanitatem, ſapientiam, officia & admiranda opera plus tetris erroribus pro viribus ſuis deformant, & improbiſsime exagitant. MIN. Sexaginta, bone Deus! toto corpore contremiſco, & erectis auribus adſto, quando illis tot & tam abſurda obiici ſubaudio Religioſo iuraméto te nunc tantum compello, ne quid illis imponas, ſed A ſingula ſincere & ordine recenſeas, vt tandem cognita, legitimeque comprobata eorum malitia, videamus an non aliqua te fefellerit opinio. DOCT. Primus eorum error conſiſtit in illius hypoſtaſis ſeu PERSONÆ manca abſurdaque definitione. *Cal. Inſt. l. 1. c. 13. §. 6. Com. in Io. & lib. de Act. Serueti.* Volunt enim *eam eſſe ſimplicem quandam proprietatem, animo conceptam, qua in diuina eſſentia reſideat & ſubſiſtat.*

MIN. Id ab his non poteſt inficiari, cum iam ſuperioribus dieb⁹ idipſum tribus Caluini productis teſtimoniis manifeſtiſsimum effeceris. *Confut. 1. Sup. pag. 25. 26. 27.* Id quoque ex Bezæ, Danæi, Marlorati, Galaſii, Scheckii, & Mornæi libellis, B idem occinentibus, curioſis indagatoribus ſatis ſit compertũ & exploratum: & ita certiſsimũ euadat, omnes qui in illius Apoſtoli Geneuani verba iurarunt, eodẽ cœno infectos ac oblitos eſſe. Verum vt tunc dicebã, Author ille ſibi repugnat & contradicit, cũ longe aliter aliis in locis Perſonam Filii Dei deſcribit, & Seruetũ ſic alloquitur: *Nunquã obtinebis hunc articulũ, quod Verbum Dei nõ ſemper fuerit hypoſtaſis diſtincta, & altera natura qua ſubſiſtebat in Eſſentia Dei.* *Li. Gall. de Actu Serueti p. 74. 144. 225. 250.* Damnat poſtea eundẽ Seruetũ, *propterea quod nomine perſonæ, ſubſtantiã in Deo exiſtentem non intelligeret.* Scribit C etiã poſtmodum: *vocabulum perſonæ ſignificare ſubſtantiam occultam.* Et adhuc vlterius, *cenſet hypoſtaſes iure ſubiecta nominari, quorum vnumquodq; ſuam retinet proprietatem.* Tametſi autẽ ſint in his multa errata, nihilominus ex illis iſta confici poſſunt in rem præſentem argumenta. Perſona Filii Dei, ait Caluinus, natura eſt ſemper in eſſentia diuina ſubſiſtens. Sed nulla proprietas, nulla diſpoſitio, nulla reſidentia, nulla relatio eſt natura ſubſiſtens in Deo. Ergo Filii perſona nõ eſt quædã proprietas

prietas aut residentia in Deo. Deinde, Seruetus hæresis crimine damnatus est ab eodem, quod personæ vocabulo substantiam in Deo existentem nõ intellexerit. Sed Caluinus eodem vocabulo nihil aliud significari definit quam proprietatem & relationem, quæ ex se & formaliter (vt in Scholis dicimus) non est substantia vel natura. In eandem ergo Caluinus cum Serueto hæresin recidit. Postremo, hypostases secundum eundem Caluinum subiecta sunt, quorum vnumquodque suam retinet proprietatem. Sed inter subiectũ & proprietatem ea semper est distinctio, quod nunquam subiectum dicitur sua proprietas, nec proprietas suum subiectum. Ergo nunquam vere dici potest, personam Filii esse proprietatem. De his argumentis quid tibi videatur dicas aperte & lubenter quæso. DOCT. Vis dicam? MIN. Sane. DOCT. Peritus dialecticus es, qui tam paucis maximas res complecteris; tamque acutis, veris, & firmis argumentis errorem Hugnosticum penitus labefactas, & mancam erroneamque personæ Filii Dei definitionem Caluinicam propriis armis sic perite retundis, vt his nunquã sese expedire valeant. Qua de re tuæ sinceritati, subtilitati, & pietati plurimum congratulor.

2. MIN. Sine ergo me vno & altero argumento rursum Caluinianam premere & conuellere finitionem. *Persona*, inquit, *sunt proprietates distinctæ in Deo.* Ergo tot sunt personæ, quot proprietates; quoniam de quibuscunque finitio, aut ratio substantiæ dicitur, de illis quoque affirmatur definitum. At, vt superius etiam euincebas, in sola Patris persona tres reperire licet proprietates, in Filio duas, Spiritus quoque sanctus sua gaudet proprietate. Igitur aut in Deo sex personæ constituendæ sunt, quod ab omni fide & Religione Christiana abhorret: aut certe quod verissimum est, Caluinus imperite simul & nefarie aberrat in Personæ Filii Dei tradenda ratione.

3. Præterea, proprietates cum essentia constituunt personas. Personæ autem seu hypostases sunt constitutæ, non constituentes. Adhæc, personæ sunt ex se & in ratione personæ res absolutæ: proprietates sunt ad aliquid, seu relationes. Insuper, duæ personæ diuinæ producunt tertiam, id est, Spiritum sanctum: tres simul personæ vnica voluntate & prouidentia mundum hunc creant, regunt, atque iudicant. Hæc vero proprietatibus ac relationibus ex se simpliciterq; minime conueniunt. Ergo impium est Personæ totam rationem ad simplicem proprietatem, relationem, aut imaginariam quandam residentiam restringere. Ac per consequens, persona Filii Dei est quid aliud formaliter quam simplex relatio residens in essentia diuina. Atque hæc mea contra impietatem præceptoris, pro veritate & pietate argumenta. DOCT. Tecum ex animo gaudeo, quod tam acute simul & apposite de his rebus sane obscuris, ac difficillimis, in gloriã Dei disseras, ac si multis annis in puluere Sorbonico esses versatus, & Theologiam Scholasticam & docendo & discendo totam ebibisses. Atq; vtinam plurimos gregis tui comperire liceret, qui hanc disserendi ac docendi magistram non tam temere aspernarentur ac despicerent: Equidem confido, quod Caluiniana sophismata, Bezanasque fallacias & conclusiunculas facilius detegerent, euitarent, refellerent, propriæque & multorum aliorum saluti melius consulerent. Sed ad præsentem disputationem redeo.

Certe enim Theologastri Geneuani in hac personæ finitione, insana Trismegisti, Plotini, Iamblici, Porphyrii & quorundam aliorum Platonicorum somnia de λόγῳ turpiter instaurant. Admittebant enim illi facile caput Ioannis primum, vt Augustinus testis est, vsque ad illum locum, *Verbum caro factũ est:* sed quæcunq; illic referuntur de λόγῳ, id est, coæterni Filii Dei persona, non de persona proprie dicta dici volebant: sed tantum de quadam proprietate aut perfectione quæ in Deo resideret. Quam sententiam secuti Samosateniani, Noetiani, Sabelliani, & Priscillianistæ, à perfecta veraq; Trinitatis fide ac confessione, sibi & aliis fuerunt exitio. Sic & nouissimo tempore Seruetus hanc impietatem ex inferorũ gurgite retrahens, & ipse negauit assignatam à veteribus Catholicis Personæ Filii germanam rationem, vt per hanc vocem quandam solũ dispositionem, quales sunt in Deo proprietates & relationes, significatam contenderet. Horum itaque vestigiis Ministri insistentes, eandem cum illis infamiæ notam incurrunt. 4.

Lib. 7. confess. cap. 7. Ioan. 1.

MINIST. Tenacius memoriæ inhærebit propria Personæ finitio, si eam nõ graueris adhuc semel repetere. DOCT. Boetius ac Richardus Victorinus hanc designant: Persona est rationalis naturæ incommunicabilis subsistentia. Sicque Pater diuinus est proprie

Li. de duabus natur. Lib. 4. de Trin. c. 24.

proprie persona suis proprietatibus cõstans, & ab aliis secreta: sic Filius, eodemque modo Spiritus sanctus. Et in rebus creatis, Michael, Gabriel, Raphael proprie ac distinctæ sunt personæ, quoniam quilibet eorũ constat hac natura Angelica, & ab alio quocunque distinguitur proprietate sua. Abraham, Isaac, Iacob tres sunt personæ humanæ, quoniam natura singulari & proprietate sua conflatæ subsistunt, & ab aliis secernuntur. Hæc porro vocis finitio, non nupera est, sed ab antiquissimis Theologis, Iustino Martyre, Athanasio magno, Basilio item magno, aliisque veteris Ecclesiæ pastoribus, verboque diuino desumpta, vt superius satis docuimus. MIN. Quantum etiam ad me spectat, submisse ac constanter profiteor, ea omnia credere de sanctissima Filii Dei persona, quæ vetus constituit & definiuit Ecclesia, nec volo deinceps erroribus implicari nouitiorum ministrorum. Quocirca toto pectore precor dominum, eam mihi aliquando impertiri gratiam, vt eum sicuti est videam facie ad faciem, quod fidei præmium erit amplissimum. Ad aliud properemus.

L. de sancta & coessentiali Trin. Ora. in Euan. de sanctiss. Dei par. Li. aduers. Eunom.

FILII DEI HYPOSTASIN NON esse primum ac per se simpliciter æternam essentialemq; Dei Patris sapientiam: aut voluntatem: aduersus secundum ac tertium Caluinianorum errorem.

CAPVT II.

DOCTOR.

IN his quoque aberrant vestri, quod personam Filii, ipsam esse Patris sapientiam & voluntatem definiant. Caluinus namque nisus describere, quid sit ὁ λόγος ille, quem Euangelista docet fuisse in principio apud Deum, scribit: *Quod Sermonem vocat Filium Dei, hac mihi simplex videtur ratio, quia primum æterna sit Dei sapientia & voluntas.* MIN. Ait profecto, & id quidem recte: quandoquidem in multis scripturis Filius sapiẽtia nuncupetur, & Paulus diserte Christum appellet *Dei virtutem & sapientiam.* DOCT. Non diffiteor aliquos interpretes adscribere Filio Dei, quod in Psalmis, Prouerbiis, Sapientia, & Ecclesiastico multoties dicitur de sapientia Dei: verum hæc ad sapientiam ingenitam, & Patri, Filio, ac Spiritui sancto essentialem & communem, magis quam ad genitam & productam, quæ Filio tribuitur, doctiorum consensu & iudicio sunt referenda. Deinde, cum idem Filius à Paulo dicitur *Dei virtus & sapientia*, non definitur eius hypostasis diuina: sed referuntur multiplices diuinæ sapientiæ & miserationis effectus, quos per vniuersum orbem Christus sua incarnatione, humilitate, prædicationum & miraculorum efficacia, passione, morte, resurrectione, & in cœlos ascensione cunctis hominibus patefecit. Sed nunquam in sacris literis comperies τὸν λόγον, id est, Verbum ac æternam Filii Dei PERSONAM proprie ac simpliciter per æternam Dei sapientiam aut voluntatem definiri: quemadmodum vester ille Rabbi definire aggressus est, communia essentialiaque tribus diuinis personis pronunciata, cum notionalibus, singularibus, proprietatibus, hypostasibusque aut ignorantia, aut flagitiosa malitia permiscens atque confundens. Quid tu ad hæc? Respond. quid cunctaris?

In 1. c. Io. v. 1. Idem asseruit in synod. Lausanẽsi.

1. Cor. 1. Psal. 103. Prou. 8. 9. Sap. 7. 8. Eccles. 1.

MINIST. Manum herbamque victrici veritati porrigo. Non recordor me id vnquam legisse, aut reperisse. Et quod maius est, Ioannes VVigandus & Matthæus Iudex ministri Germani, qui omnia Messiæ nomina in veteri testamento contenta diligentissime collegerunt, inter quinquaginta tria ibidem inuenta, huius omnino non meminerunt: sed neque ipsi quoque Centuriatores inter octoginta & quinque, quæ tam ex quatuor Euangelistis, quam ex aliorum Apostolorũ scriptis compilarunt. DOCT. Cum igitur nulla huius dogmatis in expresso puroque Dei verbo fiat mentio, nihil autem secundum Topica vestra, credendum, aut docendum sit, nisi in ipso expresso Dei verbo contentum: quid de Caluinica, quam tractamus, sententia iudicas? quid censes? MINIST. Eam dico nec audiendam, nec admittendam: sed vt fermentum Pharisaicum fugiendam. Planta est quam non plantauit Pater cœlestis, itaque eradicetur, & ab omnibus exsibiletur & explodatur.

Cõfutatio 1. Syntagm. c. de Messia.

Cent. 1. l. 1. 2.

Matth. 15. 16.

2\. Sed & cum magis ac magis de illa sententia cogito, eius impietatem acutius conspicio ac deprehendo. Etenim hypostasin seu PERSONAM filii cum sapientia aut voluntate Patris confundere, est Iudaismum, Gentilismum, Sabellianismum, & Mahometismum impie instaurare. Nam sapientia & voluntas diuina sic est tribus personis communis, vt & separatim de vnaquaque, & coniunctim de illis vere recteque affirmetur. Pater est enim diuina sapientia, & volun-

voluntas, Filius sapientia & voluntas, Spiritus sapientia & voluntas: Pater Filius & Spiritus sic vna eademque diuina sapientia & voluntas æterna, infinita & immutabilis, & hi tres sunt vnus Deus, vna mens, vna substantia. Sed qui affirmaret Filium esse Patrem, Filium esse Spiritum: aut Filium eundem esse cum Patre & Spiritu, tres personas in vnam misceret cum Iudæis, Sabellianis, & aliis hæreticis. Igitur Caluinus dicendo personam Filii esse hanc voluntatem & sapientiam Dei tribus communem ac essentialem, post impios illos, & ipse impie veram Trinitatis personarum rationem confundit.

3 DOCT. Plurimum arridet, quod tam aperte & ingenue, id quod verum est fatearis, & quod falsum coarguas & reprobes. Etenim fidei Catholicæ Symbolum, in certa capita à sapientissimo doctore Athanasio digestum, melius de hac re sentire nos edocet, dum ita refert: *Neq; confundentes personas, neq; substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. Filius à patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.* Cum itaque non sint confundendæ aut miscendæ personæ, Filii persona non est imprimis ipsa diuina sapientia aut voluntas Patris: sed persona à Patre reapse distincta, eidem tamen consubstantialis atque coæterna.

Athan.

4. Insuper, cũ vere & proprie Pater Filium ab æterno generet, Filius quoq; vere & proprie genitus sit à Patre; Persona Filii non potest dici voluntas vel sapientia Patris, cum voluntas & sapientia illa communis tribus nullo modo generetur aut producatur. Scite etenim scripsit Augustinus, In Patre nihil genitum aut productum est: in Filio autem nihil nisi genitum ac productum. Contendit etiam alibi, inter generantem & generatum necessario constituendam esse distinctionem realem, quoniam nihil seipsum dicitur gignere. Sed voluntas & sapientia Patris, non est reipsa distincta à Patre: sed re & essentia eadem cum illo. Non potest igitur hæc voluntas ac sapientia esse Persona Filii, vt perperam sensit Geneuanus minister.

Augustin.

5. Audi quoque quid Farelistis & Caluinianis, in publica synodo Lausanensi Filii hypostasin cum æterna essentialique Sapientia Dei confundentibus; palam obiecerit Petrus Carolus. Si sapientiam illam, quam fatemini, non constituitis aliam ex substantia Patris genitam personam, nonnihil Samo- A satenis veteribus applauditis. Paulus Samosatenfis ratus se primum Ioannis de Verbo Dei sensum inuenisse, docebat per Verbum intelligi æternum illud Dei consiliũ ac propositum (vos sapientiam perpetuam apud Deum residentem appellatis) de futura salute generis humani, quod definito tempore executioni mandatum, à Ioanne *caro factum* dicitur: cui vestra confessio videtur astipulari. Platonici quoque post Trismegistum, sicut & vos, in Deo verbum ponebant, non personam quidem genitam, sed rationem idealem, per quam Deus omnia condiderat. Seruetus, cuius dogma latenter introducere nitimini, B cum renouat impium errorem Samosateni, negat Verbum intelligi personam in hoc loco, *In principio erat Verbum.* Hactenus ille. MIN. Et iure profecto, quoniam si cum Caluinianis dixerimus VERBVM, seu Filium ipsam formaliter esse æternam Dei sapientiã aut voluntatem ingenitam, qua nouit & disponit omnia, nihil magnificentius supra Trismegisti, Platonis, Zenonis, Porphyrii, Plotini, Iamblici delirationes de Filii Dei vera genitaque hypostasi sentiemus: insuper, & cum Sabellianis, Noetianis, Samosatenianis; qui Sapientiam & Voluntatem æternam in Deo residentem esse nunquam sunt inficiati, nullo C negotio conciliabimur.

Refut. blasf. Farellist.

Ioan. 1.

Verum, mallem Scripturis sacris ageremus. DOCT. Et hoc in promptu est. Illæ namque docent, Filium Dei vere conceptũ & natum de Maria Virgine: eundemque diserte contestantur à discipulo proditũ, venditum, & traditum: à Iudæis captum, vinctum, consputum & damnatum: à Gentibus illusum, flagellatum, crucifixum & interemptum: postea de cruce depositum, vnctum, ac sepultum. At quis vnquam aut scribere aut prædicare ausus est, æternam Dei essentialemque voluntatem simul & ingenitam sapientiam conceptam, natam, ligno D suffixam & mortuam? MIN. Nemo sane, nisi forte id suspicati sint veteres illi hæretici, qui Patrispassiani & Sabelliani à veteribus sunt appellati: quorum impietatem Caluinus necesse est imitetur ac instauret, si personam Filii, voluntatem & sapientiam Patris vocitare nõ desierit. Superiora quidem voluntate Patris decreta, & tandem peracta esse nullus contradixerit, ipsomet, attestante Filio, *Initio libri scriptum est, vt faciam voluntatem tuã, &c. in qua voluntate sanctificati sumus:* vnde & passurus aiebat: *Si non potest transire calix*

6. Isa. 7. Matth. 1. Luc. 1. Ioan. 1. Matth. 26. Io. 18. 19.

Augustin. tract. de 5. hæres. c. 1.

Heb. 10.

Matth. 26.

calix iste nisi bibam illum, fiat voluntas tua: sed quod voluntas Patris, quæ est eadem prorsus cum eodem Patre, supradicta omnia subierit, nemo sanæ mentis credet vnquam aut docebit.

7. Io 4. 5. 6. DOCT. In Euangelio idem Filius Dei non raro profitetur, se venisse, *vt faceret voluntatem Patris qui miserat illum: suum cibum esse vt faceret voluntatem patris sui: se non quærere voluntatem suam, sed voluntatem patris: voluntatem patris esse, vt omnis qui in ipsum crederet, haberet vitam æternam*: sed nunquam dixisse constat, ego sum voluntas patris, voluntas aut sapientia patris est mea persona. MIN. Imo vero toties repetens se facere voluntatem patris, satis innuit eandem à seipso quodammodo distinctam esse.

8. Rom. 1. 8. Gal. 4. Ephes. 1. Heb. 2. 12. 13. DOCT. Præterea, Paulus frequenter scribit, Deum patrem misisse Filium suum in similitudinem carnis peccati: Filium Dei natum esse ex semine Dauid secundum carnem: Filium Dei natum ex muliere: Patrem Filio suo non pepercisse, sed pro nobis eum tradidisse: sed nunquam dixit, nedum cogitauit, Patrem misisse voluntatem suam, vt pro nobis incarnaretur vel pateretur. Cæteris quoque Apostolis sæpe in ore est *voluntas & sapientia Dei Patris*: verum, nunquam eâ vsurpant pro filii persona, nunquam cômiscent eam cû aliqua hypostasi; nunquam aiunt, filium esse illam voluntatem aut sapientiam. MIN. Ex his facile percipio, quod nimia facilitate & credulitate decepti turpissime labimur, dum obcæcatum sequimur ductorem, qui nos secum in foueam præcipitat, & innumeris erroribus miserabiliter inuoluit. Et dum vbique personat nihil docendum, minusq; credendum, quod non in sacris libris contineatur, ausus tamen fuerit hypostasin filii Dei citra, contraque omnem scripturam, confundere cum patris voluntate & sapientia. Sed quoniam ista iam satis dilucida sunt, videamus alia.

QVOD FILIVS DEI A SEIPSO DIuinam essentiam ac naturam non habeat, sed à Patre: aduersus quartam & quintam hæresin.

CAPVT III.

DOCTOR.

FAllitur rursum turpissime, atque fallit alios Caluinus, contendens Filium Dei essentiam ac naturam diuinam habere à seipso, & non à Patre. MIN. Hæc præcipua A sunt fidei Christianæ mysteria, ideoque magna fide & pietate tractanda. DOCT. Postquam ille quibusdam scriptoribus Ecclesiasticis imposuit, *quod tradiderint Filium à seipso & diuinitatem & essentiam habere*, tandem cô- Inst. l. 1. c 8. §. 19. 23 cludit: *Ergo cum de filio sine patris respectu simpliciter loquimur, bene & proprie ipsum à se esse asserimus*. Et postea: *Cum ponatur nomen Iehoua* (vbi filii fit mentio) *sequitur deitatis respectu ex seipso esse*. Et paulo post vehementi interrogatione idem asseuerans ait: *Quomodo creator qui omnibus esse dat, non erit ex seipso, sed essentiam aliunde mutuabitur?* Alibi quoque In c. 1. Io. v. 9. sibi similis ait: *Christus, vtpote lux æterna, fulgo-* B *rem sibi ingenitum habet, non aliunde accitum*. MIN. Hæc tam clara & manifesta sunt, vt nullam excusationem nullamque purgationem admittant. Hincque factum puto, vt Ref. blasp. Farelistar. Petrus Caroli primus Neocastri minister referat Farelistas & Caluinianos in synodo Lausanensi palam defendisse, *Christum à seipso semper habuisse vt Deus esset*. Item in synodo Bernensi cum vrgerentur, in hac sententia perstitisse: *Quatenus Deus æternus est, à seipso semper extitisse, sic argumentati: Deus à seipso est, ergo Christus quatenus Deus à seipso est*. In hanc porro sententiam secum perduxit Bernen- C ses ac Tigurinos, vt patet ex eorum aduersus Valentinum Gentilem scriptionibus, Bezam libro de vnitate essentiæ, Gallasium, Pag. 233. Musculum, & Iosiam Simlerum, vt ex huius libro tertio de Trinitate: pluresque alios suarum impietatum ministros: quos scripto aduersus Genebrardum Lambertus Danæus defendere conatur.

Côfutatio 1. Quantû porro ad me spectat, contrarium omnino censeo, vel ipsomet Caluino sibiipsi côtradicente ac ibidem scribente: *Essentiam* Inst. l. 1. c. 8. §. 23. 25. *totam à patre filio esse cômunicatam, ac filiû esse sapientiam genitam: Patremq; principiû ac fontem esse deitatis*: quæ penitus falsa essent, si filius à D seipso haberet deitatem. Apertius quoq; id confirmat scribens in c. 6. Ioan. *Scimus Chri-* Vers. 57. *sto non esse insolens, patri adscribere quicquid in se habet diuinû*. Atqui nô fi[illegible]e, sed vere atq; ex animo attribuit: ergo [illegible]ceptû illi refert. Et si idem dominus labi nequaquâ potest, eidemq; per omnia & in omnibus credendû sit, vt par est: si nemini item licet de eius doctrinæ veritate dubitare, quisq; Christianorû sibi persuadeat necesse est, filiû Dei à patre suâ æterna generatione accepisse diuinitatem ac essentiam. DOCT. Vides quomodo Caluinus in summis rebus sibi repugnet, proprioq; seipsum côdemnet iudicio,

vt fert omnium hæreticorum natura? Animaduerte etiam quam lubrica & periculosa sit minus peritis librorum eius lectio.

2. MIN. Sine me adhuc ex illo contra illum agere. Scribit idem ille: *IESVS nominatur vnicus filius Dei patris, quoniam natura solus eius filius est.* Rursumque idem ait: *Cum nomen filij solum Iesu Christo conueniat, bene sequitur, eum natura esse filiũ, non adoptione: quam ob rem æterna Christi diuinitas sub filij nomine cõtinetur.* DOCT. Ex verbis eius sic ratiocinor. Si filius Dei natura filius est, vt nemo Christianorum ambigit, vere naturam ac essentiam diuinam habet à patre, non à seipso. Alioqui verus ac vnicus Dei filius secundum naturam nõ esset: qui error est Iudæorum, Ebionitarum, Turcarum, & omnium Mahometanorum. Si æterna quoq; Christi diuinitas sub filii nomine continetur, certe filio data & communicata fuit per æternam emanationem à Patre: sicq; Deus verus est, & vnicus idemque Deus à Patre & cum Patre, non à seipso.

In c. 3. Io. v. 6. — *In c. 20. v. 31.*

3. MIN. Idem & in libro de Actis Serueti apertius sibi contradicit, his verbis: *Vt respectu humana natura Christus filius Dauid nominatur, ita respectu diuinitatis filius Dei est.* Et postea: *Fides nostra est, quod is qui semper æternum Dei verbum existit, Filius Dei est secundum diuinitatem, & filius hominis secundum humanitatem.* Et eundem Seruetum sic aggreditur: *Cogeris fateri, suam à Patre naturã* (Christum) *habere propter quam Filius Dei est.* Ex quibus verbis sic possum argumentari. Si diuinitatem habet à patre, non habet à seipso, sed ab eodem patre: quod alibi negas iniquissime. Et quoniam non habet à seipso naturam humanam, sed à Dauide per varios generationum ac successionum gradus vsque ad Mariam Virginem, ac icciro vere & proprie dicitur filius Dauid: ita & naturam seu essentiam diuinam à se non habet, sed à Patre ab æterno & in æternum producente: alioqui haud quaquam verus & natura dicendus esset Fi[illegible] Dei. Itaque *non bene & proprie*, sed ma[illegible] & impie loqueris dicens, *Filium esse à se, aut ex se ipso respectu diuinitatis:* cum omnino sit à patre, vt nouissimis verbis tuis iam dilucide euicimus. DOCT. Macte virtute, insignem lauream ex impio præceptore melior discipulus tibi præparas.

P. in Gallic. 61. 71.

4. MINIST. Condiscipulus Beza totius Caluinicæ scholæ nomine proclamat: *Credimus Iesum Christum quantum ad diuinam naturam attinet, vnicum patris esse filium, sine ma-* A *tre ab æterno genitum, non factum.* DOCT. Si filius est iuxta diuinam naturam, vt vere est, sequitur eum secundum eam genitum esse: & per consequens, manifestum est eum diuinitatis respectu esse non à se, sed à Patre ineffabili æternoque modo generante & producente.

Confess. punct. 3. art. 1.

MINIST. Symmistes Iosias Simlerus eodem quẽ supra citasti libro tertio de Trinitate, sibi & Caluino repugnans scribit: *Ab æterno, ac ineffabili generatione, Deitas seu natura vel essentia Dei Patris Filio tota & ex integro communicata est: ideoque ille est verus & naturalis Filius Dei, & verus naturaque Deus.* Et i- B dem postea: *Eadem illa Patris essentia ab æterno, filio communicata est.* Cum ergo omnis deitas per generationem communicetur filio, ac proinde verus & naturalis sit Dei filius, adeoque per naturam Deus: sequitur Caluinum & comministros negando antecedens, negare & cõsequens: id quod summa est inter Christianos blasphemia. Nec dubito tam absurdos errores nunc à Satana excogitari, & per hos ministros disseminari, vt sanctissimum Trinitatis mysterium, diuinitatisque summam vnitatem paulatim obscuret, sensim deleat, & nouissimis istis temporibus præcipuum fidei Christianæ C subuertat fundamentum. 5.

Denique, Caluino argumenta, iisdẽ verbis concepta obiicio, quæ Petrus Carolus quondam Symmistes eius, in Lausanensi synodo aduersus eum de hac re disceptans, obiecit. His enim illum cum asseclis suis cõuenit: Nos hic apertam vobis detegemus & contradictionem & hæresin. Ecce dicitis: Verbum genitum ex patre ante secula. Istud recte quidem. Mox subiungitis: Christum semper à seipso habuisse, vt esset. Hoc reprehensione dignũ est, & contradicit priori. Nam si genitus est ex patre, quomodo à seipso habet esse? An non habet esse ab eo, à D quo genitus est? Si vero à seipso est, quomodo genitus est? Et post pauca idem subiicit: Manifestũ est, inquit Augustinus, quod Filius habet alium de quo sit, & cui Filius sit. Omnis enim filius de patre est, quod est: & patri filius est. Nullus autem pater de filio est, quod est: sed filio pater est. Et ideo rectius dicemus Christum esse Deum, quia genitus est à patre Deo: quam è conuerso, genitum quia Deus sit. Blasphemas ergo Caluine, cũ dicis Christum, quatenus Deus est, à seipso esse. Hoc certe Christus ipse horruisset dicere: quippe qui confessus est,

6. *Refut. blasf. Farelistarum.* — *L. 2. de Tri. c. 1.*

Ioan.16. est, *Se exiuisse à Patre. Et ego scio eum* (inquit) *quia ab ipso sum*, *Ioan.7.* Alibi quoque dicit: *Sicut pater habet vitam à semetipso: sic dedit & filio vitam habere in semetipso.* *Ioan.5.* En audis datam à patre vitam: ergo essentiam. Nam vita & essentia modis omnibus in Deo sunt idem. Non ergo à seipso habuit, vt esset. Quod clare docet Augustinus: *L.1. de Tri. c.12.* *Pater* (inquiens) *dedit filio vitam habere in semetipso*, cum genuit filium incommutabilem vitam, quod est vita æterna. Hęc ille. Præterea, si filius habet esse à semetipso, & pater etiam habet esse à semetipso: Patrē vero & filium duos esse monstrauimus, quorum vnus non est alius: duo erunt primi, quorum vnus ab alio non est. Ex quo sequeretur etiam filium non esse consubstantialem patri, si non esset de substantia patris. Quæ omnia absurda sunt, nedum impia. Hactenus Petri Caroli pro Catholicę sententiæ defensione argumenta: quæ idcirco in hunc locum congero, quod à nullo adhuc Caluiniano soluta fuerint, nec vnquam, vt arbitror, soluentur.

7. DOCT. Quod veritatem tam liber[illegible]teris, te maxime diligo: & quod alienis [illegible]dibus infici minime pateris, plurimum te facio. Nam reuera præcipuum Christianæ fidei fundamentum, in symbolis comprehensum, est constanter credere, filium Dei esse Deum verū æternumq; ex natura substantiaq; diuina patris ab æterno genitum: verum præterea hominem, in tempore ex ipsa sanctissimæ Deiparæ humana substantia creatum. Id sancte ac docte exprimit Athanasius dicens: *Athan.* *Deus est ex substantia patris ante secula genitus, & homo est ex substantia matris in seculo natus.* Recte igitur iudicasti his Caluinianis erroribus ædificiū Christianæ religionis subrui, vt filius perditionis, qui propediem reuelabitur, eam vniuerso mūdo facilius diruat & perdat. Optime quoq; probasti, eos vnius & solius veri Dei vnitatē disrumpere, quandoquidem ex Tertulliano, Hilario & Athanasio verissime dictum sit, eos qui tres diuinas personas à seipsis dicunt, tres ingenitos, tresque deos fabricare. Sic autem tribus dijs nefarie excogitatis & constitutis, vnum ac solum verum de suo solio diuellunt atque deturbant. MIN. Sane quidem. Nam verus Deus aut solus est, aut non est: quoniam duo, aut tres, aut quatuor, aut plures dij veri esse non possunt: proinde impium ac nefarium est aliter tantum suspicari, quam fides Catholica hactenus seruauit & docuit.

A DOCT. Scias quoq; velim, huius erroris authores seipsos iam prodidisse ac perdidisse. 8. *Cal. Inst. l. 4. c. 9. § 8. Beza in Confess. Francis. exhibit. 1502. ar. 5.* Nam polliciti sunt se nunquam improbaturos id quod quatuor prima Oecumenica statuerunt Concilia, Nicenum, Ephesinum, Chalcedonense, & Constantinopolitanum, quæq; puram & veram Scripturarum interpretationem continere fatētur. Credituros insuper receperunt se quicquid de sanctiss. Trinit. personarum, de harum emanationibus, & proprietatibus, de vnitate & simplicitate essentiæ ac deitatis earundem hypostaseon, tam ab ijsdem Concilijs, quam à sanctis patribus Athanasio, Hilario, Basilio, B Nazianzeno, Cyrillo, Epiphanio, Ambrosio, Augustino, Leone, Fulgentio constituta & decreta fuerant: se denique vniuersas hæreses reiecturos, quas isti damnauerant & reiecerant. Constat vero hos omnes tam ex verbo Dei, quam ex doctrina & traditione maiorum docuisse, solum patrem essentiam ac deitatem habere à seipso, Filium autem non à seipso, sed à Patre per æternam emanationem. Præterea, patres illos eodem animo anathemate damnasse Samosatenianos, Sabellianos, Arrianos, Eunomianos, Nestorianos, Fotinianos, aliaq; hæreticorum mōstra, qui ante Caluinum eundem errorem C excogitarunt. Facile est igitur colligere, hos omnes à Deo reprobatos, à Concilijs damnatos, & à Patribus proscriptos, vt libera eorum fert sententia, & proprium contestatur iudicium. MIN. Vellem aliquam reperire Epitomen, quæ horum Patrum sententias, & decreta Conciliorum comprehenderet. DOCT. Hæc satis diligenter & copiose citantur & explicantur, tertio libro Appendicis contra hæreses, Lutetiæ excusæ cū libris R. P. Alphonsi à Castro 1578. MIN. Certe cum primum aliquid otij nactus fuero, studiose perlegam, ac spero fructum cōsequi non modicum, vt fidem & honorem, D quo sanctissimam complector Trinitatem, magis ac magis confirmem. Ad ea quæ supersunt, pergamus quæso.

QVOD FILIVS INEFFABILITER ET ab æterno, vere tamen de PATRIS ESSENTIA ET SVBSTANTIA SIT GENITVS: *aduersus sextam hæresin.*

CAPVT IV.

DOCTOR.

SEquens vestrorum error veluti ramus à trunco, sic ab alio præcedente procedit. Dum

Dum enim Filium Dei à seipso, & non à Patre, diuinam essentiam suam habere volunt, in hunc alium errorem incidunt, nimirum, *quod non sit ex Patris substantia seu natura diuina genitus seu productus.* MIN. Id sane consequitur. DOCT. Huius itaque erroris labem secutus Caluinus, in frequenti ministrorum conuentu Lausanæ, illum symboli versiculum irridere non pertimuit, qui Iesum Christum *lumen de lumine, Deum verum de Deo vero esse perdocet & canit.* Idem rursus & illud ex Athanasij symbolo superbe reiecit, quo dicitur de eodem Filio: *Deus est ex substantia Patris ante secula genitus, &c.* Eodem rursum errore sese inuoluit libro contra Valentinum Gentilem, & Exhortatione ad Polonos: adeo vt Andreas Volanus, & Gregorius Pauli, vterque gente Polonus, scribant, prouinciæ suæ Trinitarios se iactare, nihil contra sanctam Trinitatem, aut Filij diuinitatem tenere, quod non è libris Caluini, Bezæ, & aliorum Geneuensium exhauserint. Atque hæc eorum opinio, quæ an tibi arrideat, nunc patefacito.

Pet. Carolus Refutat. Farelistarum.

Confutatio 1.

MIN. Minime placet, primo quod in eo dissentiunt articulo. Nam minister Viretus, quem Beza tanti fecit, vt ne exceptis quidem Apostolis aut discipulis, de illo scripserit: *Vireto nemo fatur dulcius,* talem execratus est errorem, & hanc Christianam edidit confessionem: *Credimus, & confitemur Deum patrem veluti fontem & omnis diuinitatis originem.* Et postea: *Confitemur* (inquit) *Iesum Christum eius Filium Dominum nostrum, tanquam illius veram imaginem, splendorem, & characterem, natum ex propria illius essentia, sicuti suos Sol emittit radios, &c.* DOCT. Equidem nemo posset apertius Caluino se obijcere. Nam si Deus Pater origo est diuinitatis, illud est ratione Filij qui generatur, & Spiritus qui producitur. Et si filius à propria patris essentia natus est, necesse profecto erit eum reuerenter confitendum & prædicandum esse, lumen de lumine, & Deum verum de Deo vero.

In Iconibus.

L. 1. de orig. erroris, c. 1.

2\. MIN. Idem quoque in Instructione Christiana prædicat: *Scire debes Iesum Christum esse Filium Dei quantum ad diuinitatem, quod à Patre genitus sit ab æterno: & eandem cum eo habeat essentiam.* Et paulo post: *Vt enim pueri ex patrum suorum propria substantia geniti naturam habent humanam, & hominis cum patre denominationem: ita Iesus Christus est verus Deus, vera imago patris, ex propria eiusdem natura & substantia repræsentando Patrem, vt verus & naturalis filius, ea generatione quæ conuenit diuinitati incorruptibili, immateriali, & omnibus creaturis incomprehensibili.* Mox sequitur: *Eam ob rem dicitur in confessione symboli Niceni: Credo, etiam in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Antiqui Patres à quibus compositum accepimus hoc symbolum ita locuti sunt, cum expresso sacræ scripturæ testimonio.* Hactenus Petrus Viretus in sinu & schola Caluini nobiscum enutritus. DOCT. Certe vel in hoc saltem præceptore melior, quod symboli Niceni articulum, de quo agitur, reuerenter amplectitur, quem ille impudenter reiecit. Deinde, agnoscit huius articuli sensum expressis scripturis diuinis innixum: ac proinde Caluinum aduersus scripturas hac in re aberrasse. Postremo, tam aperte confitens filium genitum ex ipsa substantia & diuina essentia Patris, nostræ fidei Catholicæ subscribit, & præceptorem impietatis damnat.

Instruct. Christian. Ex Gall. ad verbum Latine reddimus.

MIN. Sed quid? Nonne etiam idem Caluinus aduersus semetipsum insurgit, dicens, vt paulo supra ex eo citabamus, *Christum attribuere Patri suo quicquid habet diuinitas? Hoc respectu Deum esse, quod suam habeat à patre diuinitatem? Eiusdem diuinitatem sub nomine Filii contineri?* Nihil sane aliud mihi videtur aut Catholica vestra confessio comprehendere, aut symbolum Nicenum canere, quam quod Christus Filius Dei nominetur: non quod à seipso sit Deus, sed quod à Patre coæterno & consubstantiali omnem Deitatem acceperit æterna & ineffabili generatione. Atque ita manet Caluinianus error propriis tam authoris quam symmistarum armis confossus & prostratus. 3.

In c. 6. Io.

DOCT. Manifestissima sunt hæc omnia. Quibus addi potest, illum hoc errore nefarios Arrianos, Eunomianos, Samosatenianos, Fotinianos ab inferis retrahere, & in Christianorum magnam perniciem resuscitare, vt iterum coniunctis secum dextris pernegent Iesum esse naturalem & consubstantialem Dei Filium. MIN. De vno quoque istorum dicentem te audire percupio. DOCT. Sanctissimi & antiquissimi Patres Latini Fulgentius, Idacius, Augustinus ac Vigilius Martyr; hisque partim æquales, partim superiores Cyrillus, Nazianzenus, Epiphanius & Athanasius Patres Græci, dum vno animo pro consubstantiali Trinitate aduersus Arrianos decertant, illis obiiciunt 4.

ciunt atque impingunt, quod dicerent, *Filium non esse de propria patris æterni substantia, & diuinitate genitum & productum.* At idem sustinet Caluinus symboli Niceni articulum subsannans atque reijciens: itaque hac in re turpissime ei conuenit cum Arrianis. Alibi vero cum gregalibus protestatur se damnare cunctas eas hæreses, quas dicti Patres impugnant & detestantur: manet igitur rursum proprio iudicio condemnatus.

5. *L.1.thesau. L.15.de Tri. L.2.3.4. aduer. Euno. Niceph. L.11.cap.11.* MIN. Sed quid illi commune cum Eunomianis? DOCT. Cyrillus Alexandrinus, Augustinus, & Basilius magnus, Eunomium vituperant, quod diceret *Filium Dei ex substantia patris non esse genitum.* At illud ipsum Hugnostici cum suo authore concinunt: ideoq; ex symbolis Niceni Concilij & Athanasij, vt dictum est, particulas contemnunt. Iccirco huius hæretici elephantia discriminati constat esse discipulos, quos in impio parente antiqua damnauit Ecclesia, etiam antequam lucis huius vsura fruerentur. MIN. Mori prius acerbissima morte millies efflagitarem, quam Arrianum vel Eunomianum errorem amplecti.

6. DOCT. Veteres rursus Samosatenianos & Nestorianos Patres eiusdem coarguunt erroris. Nec solum, verum etiam Hilarius affirmat illum esse impietatis Iudęorum, insaniæq; gentilium propugnatorem ac ministrum, qui negat Patrem esse in Filio, & Filiũ in patre, absoluta natiuitate & generatione diuinitatis filij per Patrem, secundum id quod scriptum est, *Ego sum in patre, & pater in me est.* Et iterum: *Omnia patris mea sunt.* MIN. *Ioan.14.* Equidem Iudæi nolunt credere Deum patrem ab æterno genuisse filium ex propria essentia & diuinitate: gentiles autem id ridiculum & impossibile clamitant: & ea propter negare non possum Caluinum his in rebus illorum impietati consentire.

7. Quibus autem scripturis nituntur veteres, vt doceant filium de ipsa patris essentia & natura diuina genitum? DOCT. Vniuersis illis, quibus vocatur *Pater domini nostri Iesu Christi*; & quibus vicissim idem dominus noster Iesus censetur esse *verus Dei patris filius.* Etenim omnis vera generatio (vt etiam viderunt Philosophi) fit in substantia, & terminatur ad substantiam: alioqui non esset generatio, sed tantum quædam alteratio, & accidentium transmutatio, quæ in Deum omnino cadere non potest. Necesse est igitur Geneuanum antistitem aut innumera Scripturarum testimonia vna litura delere, A aut pœnitendo nobiscum credere ac confiteri filium esse de substantia & ex substantia patris genitum.

8. *Psal.109. Matt.22. Hebr.1.10.* Dauid autem in primis quadam antropopathia Deum patrem laudat his verbis filiũ suum alloquentem: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Vteri nomine, diuinam essentiam & naturam plane proprieq; significans. MIN. At nostri Marotus, Beza, Caluinus, Bucerus, Musculus non sic interpretantur. DOCT. Nihil ad pios verosque Christianos: quibus satis esse debet, quod Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Hilarius, Vigilius Martyr, B viri in Ecclesia Latina maximi nominis: insuper, Theodoretus, Cyrillus vterque, Nicenus, Nazianzenus, Basilius, Epiphanius, Athanasius Magnus Græci Doctores, & pietate, doctrina, antiquitateq; suspiciendi, mira conspiratione consentientibus animis ita locum Dauidis intelligendum crediderunt & prædicauerunt. Quibusnam quæso te, sese coniungere, quos sequi tutius est? MIN. Vni Hieronymo assentiri malim, quam quingẽtos Marotos aut Bezas imitari: & vnicum Augustinum vel Athanasium libenter anteponam decem millibus Caluinorum vel Zuingliorum. Equidem non dubito Spiritum C mentibus illorum veterum sanctorum illuxisse: de his autem neotericis, & secum & cum alijs tam sæpe confligentibus, valde sum anceps & dubius.

9. *L.1.p.24.* DOCT. His adde Iosiæ Simleri hominis Zuingliani testimonium: quo hunc Dauidis locum à Latinis sic recte tralatum & intellectum docet, quoniam ita Gręce illum ediderunt Septuaginta sanctæ tunc synagogæ sancti viri; deinde, Aquila, Symmachus, Theodotio viri nõ Catholici; quinta & sexta denique editio. Addit demum Diuum Hilarium libro 12. de Trinitate, Athanasium Oratione contra Arrianos, Ambrosium libro D primo de fide, & Augustinum in expositione Dauidici versiculi, proprie & sanctissime interpretari de sanctissima filij Dei generatione, quem Pater de sua producit essentia, modo spiritali, immutabili, & incomprehensibili. Hæc ille, & recte.

10. *Ioan.1.* Cum enim iterum scriptum sit ab Apostolo eodemq; Euangelista: *Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à patre,* Filij inquam vnigeniti, qui semper est in sinu patris, ille à filijs adoptionis manifeste secernitur, asseriturque ex substantia & natura Patris vere genitus: cum alij non nisi in natura creata & redempta per gratiam sint regenerati. Prætermissi

mul-

innumera alia sanctarum scripturarum testimonia, vt hæc solum tria iuxta sanctorum interpretationem in præsentiarũ adducerẽ.

11. Resp. ad obiectiones Arrian. Vnius tantum Fulgentij quædam testimonia subijciã. Respondens obiectionibus Arrianorum, cum quibus hac in re conueniũt Caluiniani, scribit: Nos idcirco filium Dei de patris substantia natum credimus & fatemur, quoniam quicquid substantia Dei nõ est, non possumus vt Deum vel adorare, vel colere, &c. *Et productis in hanc rem multis scripturis, concludit*. Ecce de substantia patris extitisse filium non solum rationabiliter credimus: verum etiam testimonijs approbamus, Scriptura dicente, *Qui diligit genitorem, diligit eum qui natus est ex eo.* (1. Ioan. 5.)

12. Deinde, acutissimo isto Dilemmate Arrianorum errorem, qui nunc est etiam Caluinianorum, coarguit; & sententiam Catholicam confirmat. Hi vero qui Filium de Patris substantia natum denegant, debent ...iq; dicere, Vnde arbitrentur Filium extitisse. Vtrum de nihilo, an de aliquo? Si de nihilo extitit, creatura dicendus est, non Creator. Si autem de aliquo dicatur, sic etiam idipsum Deus fecit, vnde Filium genuit. An forte coæternum aliquid existimatur, vnde genitus filius creditur? Manichæorum error hac assertione firmatur.

13. Hinc ad Apostolorum testimonia rediẽs Fulgentius subdit. Beatus Apostolus sciens Filium ex patris essentia verum Deum genitum, & ob hoc cum patre vnum dominũ Deum, nec immemor præcepti Dominici, quo prohibemur duobus dominis deseruire: (Mat. 6.) Domino Christo sicut vero Deo, præcepit seruiendum, quem æqualiter cum patre nouerat honorandum, ipso domino dicente, *Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant patrem*. (Ioan. 5.) Quem verum Deum Ioannes Apost. ipso in se domino loquente testatur dicens: *Vt simus in vero Filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus, & vita æterna*. (1. Ioan. vlt.) Quocirca veræ fidei tenenda est regula, qua Dei Filius de Patris substantia, ineffabiliter, sine initio natus creditur.

14. L. 3. ad Trasimundum. Idem denique tribus libris ad Trasimundum hæc fusius & Scripturis & varijs ratiocinationibus confirmans, tandem concludit: Credimus igitur Dei Filium, ante omne prorsus initium, de Patris substantia genitum, Deum de Deo, dominum de domino: non ex nihilo, quia de Patre: non nuncupatiuum, quia nomen habet ex veritate naturæ: non ex alia aliqua natura, quia non aliquid fuit coæternum Deo, vnde origo Filio præstaretur: nec posteriorem, nec minorem, sed Patri prorsus æqualem, &c. Cætera veterum Theologorum testimonia in Appendice aduersus hæreses copiose pertractauimus. Ad alia propero.

QVOD IESV CHRISTI DOMINI NOstri DIVINITAS *non minus esset infinite bona, potens, misericors, sapiens, & beneficia nobis mortalibus, quam est, etiam si eius humanitati non esset coniuncta: contra septimum errorem.*

CAPVT V.

DOCTOR.

Omnium, qui vnquam fuerunt, hæreticorum impietatem, meo iudicio, in hoc exuperauit Beza, quod quantum in se fuit, diuinitatem Christi omnibus spoliauit ornamentis atque perfectionibus cum scripsit, *eam ab humanitate assumpta seiunctam nihil nobis profuturam*. (Conf. punct. 3. ar. 22.) MIN. Nonne eam oportuit naturam superinduere humanam, vt prophetias adimpleret, ac redemptionis nostræ ministerium conficeret? DOCT. Credimus, simulque docemus expediuisse Redemptorem verum esse hominem, vt mortem pro nobis obiret: itemq; verum Deum vt de illa deuicta triumpharet: verum, dicere diuinam illam maiestatem solam, qualis fuit ab æterno vsq; ad ipsam in Maria Virgine incarnationem, nihil hominibus prodesse, nullam vtilitatem vel fructum adferre, quod facit Beza, inaudita & execranda est blasphemia. Si quid in Caluini scriptis legeris, quod huic impietati aduersetur, dic, vt magistri propria sententia lepidus ille discipulus possit facilius coerceri.

Confutatio.

1. MINIST. In Institutione sua assentitur antiquissimus doctoribus, *in eo quod docuerunt filium Dei veteribus Patriarchis & Prophetis sese obiecisse, vt hos in fide & spe ventura redemptionis contineret: paulatimq; assuefaceret illos ad credendum, quod vere carnem humanam esset aliquando suscepturus, & inter mortales acturus*. (Lib. 1. c. 14. li. 2. c. 9. & li. 1. c. 13. §. 10.) DOCT. Ergo Beza multum studuit, vt nihil inde saperet, quippe qui diuinitatem filij ab humanitate tunc adhuc separatam, nihil mundo prodesse scripsit.

2. MIN. Idem quoq; asserit, *Filium solum vt Deum inspirare cunctis creaturis vitam, vires, & mentem: quod nũquam sic mundo abfuit, quin deberent homines radiis luminis eius expergefacti, ad eum oculos erigere: quod omnes patres ab ipso mũdi initio,* (In c. 1. Io. v. 1. 10. 16.)

initio, à Iesu Christo exhausta & accepta tenent omnia: quod non solum Iesus Christus vt Deus, nobis omnia quæ possidemus elargitur, sed etiam pater eadē bona illi erogauit, vt ad nos eorum fructus efflueret, &c. DOCT. Si filius vt Deus, dat vitā omni creaturæ, & semper radios suos in nos effudit, Patriarchis tot beneficia contulit, quo posset fieri modo eū esse inutilē, vt Geneuano nutritus pabulo rudit asinus? Vitam omni creaturæ datam, pro nihilo reputat? Diuini luminis radios in mortales effusos, hic ganeo parui facit? Apagete cum impuris Epicureis & atheis.

3. *In cap. 1. Mat. v. 3. & c. 8. v. 38.* MIN. Scribit insuper præceptor ille communis, *Dominum Iesum mediatoris partes semper tenuisse, vel etiam à principio mundi vsque ad nostra tempora.* Et postea inquit: *Habebat virtutem cælestem & diuinam, cuius sensus ab origine mundi, ad omnia secula dimanauit.* DOCT. Est ergo Beza impudentissimus, & maxima suffusus cōtumelia erga filium Dei, cum veluti ex Titanum genere nouus quidam surculus conculcat eius diuinam maiestatē, eam prædicando hominibus inutilem: aut certe fingit eum Deum desidiosum, & rerum nostrarum minime solicitum, qui atheismi sunt ita horrendi, vt etiam reprobi ac dæmones fremerent, si audirent.

4. Sed præter hæc omnia, plusquam belluina ignorātia, vel potius diabolica malitia est, sentire, docere, scribere, Dei potentissimi omnium Creatoris bonitatem, liberalitatem, misericordiam, & in genus humanum summam beneuolentiam Creatoris, ita pendere ab homine ex terra condito, vt sine eo nihil boni possit efficere, sine eo peccata non possit remittere; sine eo non possit saluare; sine eo nihil penitus hominib. ꝓdesse valeat.

5. MIN. Equidem mollis, languidus, ac eneruatus ille Geneuensis secundus Apostolus, Filiū Dei maxima afficit cōtumelia, qui de eo eiusmodi verba faciat, qui ante q̄ homo fieret, cum Patre & S. Spiritu vniuersa condidit ex nihilo, Adæ suam impressit imaginem; Angelos suos suorūq; disposuit ministros, Abelem sanctificauit, Enochum sine morte ex hoc mundo transtulit, Noe seruauit in arca, Isaac eripuit è gladio, Ioseph consolatus est in aduersis, Moysi apparuit, Hebraico populo legē dedit, Dauidi peccatum remisit, & vt paucis dicā, cūcta ea fecit, quæ & Deus Pater fecisse refertur: quandoquidem vt vnica est ei cum Patre voluntas, vnicaq; potentia, ita & vnica amborum, imo & trium operatio. Quocirca is vere diaboli- co est obcæcatus contagio, & insana plenus audacia, qui hæc nihil reputat, dicens: *Filii Dei æternam, ac infinite potentem, infinite misericordem diuinitatem sine carne sua nihil posse nobis prodesse.* Me puderet tam manifestam impietatem pluribus argumentis persequi: alium potius discutiamus articulum.

Ioan. 1. Gen. 1. 3. 4. Psal. 32. 102. Gen. 7. 15. 22. Exod. 3. 19. Heb. 11. Psal. 90.

A B C D

FILIVM DEI NON HABERE ALIAM NATVRAM, *aut distinctam substantiam diuinam à Patre: sed prorsus numero eandem: contra errorem octauum.*

CAPVT VI.

DOCTOR.

QVi causæ vestræ dux & signifer fuit, eo dementiæ prolapsus est, vt defenderet filium Dei à Patre suo diuersam habere naturam & substantiam. MIN. Mirum mihi videtur vnde istud colligere potes. DOCT. Minime mirum tibi debet videri, me istud concludere ex eius Lib. de actis Serueti Gallico sermone edito Geneuæ, in 4. apud Ioan. Crispinum 1554. in cuius pag. 249. & 250. alta & clara voce pronunciat, *Le Fils est conforme au Pere, comme ayant substance distincte.* Quod Latine dicitur: *Filius est conformis Patri, vt habens substantiam distinctam ab eo.* Supra vero *Pag. 219.* sustinet *distingui realiter idem esse, ac rem aliquam ab alia separare*: ex quibus euidenter consequitur, Caluinum vestrum Filio Dei tribuere substātiam à Patre suo diuersam & separatā. Deinde, in eodem libro docet, *hypostasin significare naturam ac substantiam occultam & residentem in Deo.* *Pag. 74. 144. 225.* At vero filius secundum hypostasin est alius à Patre. Igitur iuxta Caluinianos, aliam habet à Patre naturam & substantiam. His adde, quod eum reputant *secundam causam à Patre: secundum tantum honoris ac imperii gradum obtinere: eundemque vt Deus est, Patri fore aliquando subiectum*: Beza denique scribit, *illum secundum Deitatem precari*: quæ profecto vera esse non possunt, si eiusdem prorsus esset cum Patre substantiæ atque naturæ.

MIN. Hæc adeo manifesta sunt, vt demēs esset, qui negaret. *Confutat. 1.* Tātum vero abest vt probem, vt ea detester ex animo, sitq; paratus per proprium authorem refellere. Is n. eodem in libro accusat Seruetum, *quod dixerit, tres esse in Deo essentias*, id iuste recteq; appellando, *rem ab omnibus execrandam, ita nimirum simplicem, & indiuisibilem Dei essentiam in tres partes dissecare.* Quibus verbis apparet, Calui-

num in hac re non fuisse meliorem Serueto, A cum in Patre & Filio duas substantias ac essentias similiter constituit, vt ille tres in tribus esse confingebat.

D O C T. Frustra igitur perfidus ille postea exclamat, *Se nunquam consensurum in Serueti carnificina, dissecando Dei substantiam & vnicam naturam*: quoniam ex supradictis verbis contrarium apertum est. Sed ita consueuit ille in alijs reprehendere, id ipsum quod docet & sustinet.

2. M I N. Patere me istius erroris, ex suo authore, persequi refutationem. Idem rursum *In c.1 Io. v.1.* alibi scribit: *Ne quis de diuina Christi essentia scrupulus maneat: Ioannes clare asserit esse Deum. Iam cum vnicus sit Deus, Christum eiusdem esse cũ Patre essentia, & tamen in aliquo differre sequitur. Quod autem ad essentiæ vnitatem spectat: nimia fuit Arrii improbitas, qui ne æternam Christi diuinitatem fateri cogeretur, fictitium nescio quem Deum esse garriebat. Nos autem cum audimus Sermonem fuisse Deum, quid est quod de æterna illius essentia amplius moueamus controuersiam?* D O C T. Profecto, si vna eademque essentia, natura, seu substantia (nam omnia hęc idem in diuinis authoribus Latinis significant) est in Patre & Filio, vt nemo Christianus dubitare debet, optimus quisque rerum æstimator cõfitebitur, illos non habere distinctam substantiam aut essentiam, vt Caluinus alibi confinxit. Quod si pergant eius discipuli Filio distinctam à Patre substantiam tribuere, æque vt Arriani insanient, nouum quendam Deum sibi priuatim effingentes.

3 M I N. Seipsum adhuc pergit proprijs testimonijs coarguere atque damnare, scribens *Lib.1.c.13. §.23.* in Institutione, *Qui notā distinctionis in essentia diuina ponunt, manifeste in nihilum redigunt veram Christi Deitatem, eoq; modo infeliciter essen-* *§.19.21.22* *tiam Dei lacerant.* Pauloq; supra agnoscit: *Ecclesiasticos scriptores fateri Personas diuinas sine vlla differentia vnam & eandem habere essentiam: & quod ex sacris scripturis probarunt essentiam ad Patrem, Filium & Spiritum S. pertinentem esse omnino simplicem, singularem, & indiuisibilem.* D O C T. Reuera suis se verbis condemnat seruus nequam. Etenim si quis vnquam veram filij diuinitatem ad nihilum redegit, distinguendo realiter essentiam eius à Patris essentia, vnicus fuit Caluinus. Si quis secet, rescindat, & laceret miserandum in modũ diuinam substantiam, ipsemet carnifex est. Si scripturarum, veterumq; Patrum hostis est, qui notam discretionis in essentia constituit, monstrum est illud miserrimum.

M I N. Sic est profecto. Sed super hæc, Viretus sub ferula Caluini condiscipulus erro- 4 *Instit. Gal. Pag.6..* rem præceptoris nobiscum detestãdo, profitetur: *cum esse improbissimũ qui habet aliquam in Deo fiduciam, nisi credat Iesum Christum sic esse Deum eiusdem cum Patre essentiæ & potentiæ:* Mox quoque subiicit: *Ostendo manifeste vt in essentia vnius Dei & diuinitatis agnosco & confiteor Patrem Filium & Spiritum S. tres esse personas in vna eademq; diuinitate & substantia, &c.* Et iterum: *Licet distinctio personarum in essentia* *Pag.67.* *Dei reperiatur, tamen essentia non separatur, sed semper remanet vnitas perfecta & integra.* Et ad- *Pag.674.* huc postea: *Non est fidei nostræ exigua confirma-* B *tio, de diuina Iesu Christi natura certiores fieri, quod verus Deus est verus Dei Filius, eiusdem cum patre essentiæ & substantiæ. Nullam habet salutis suæ fiduciam, qui talem eum esse nõ credit & agnoscit.* Audis Viretum semel & iterum confitẽtem & asserentem filium esse eiusdem substantiæ cum Patre, atq; eandem habere cum illo Deitatis naturam. D O C T. Audio, simulq; vim veritatis mirabilem suspicio, qua factum est, vt discipuli Caluiniani pro eius maiestate, aduersus præceptoris nefariam sententiam decertent: & vt de asina Balaam dicitur, *Sessoris sui corrigant insaniam*, & Prophetæ sui prohibeant insipientiã. His a. nunc *Num.22.* C subiiciam Propheticas & Apostolicas scri- *23.2.Pet.2.* pturas, quæ omnino confirment Patrem & Filium vnius ac eiusdem esse naturæ atque substantiæ. M I N. Non est necesse, quoniam *Pag.47.* iam affatim id supra factum est, cum aduer- *48.* sus Salustium & Bezam, diuinam triplicantes & realiter distinguentes essentiam disseruimus. Quasdam solum Ecclesiæ veteris Patrumq; decreta proferas, & satis mihi erit.

D O C T. Maximum concilium Nicenum 5. aduersus Arrianos definitur, *credendum Filiũ esse consubstantialem patri.* Igitur damnauit dicentes eum habere substantiam distinctam ab eo: quod Caluinus facit. Magnus Athan. D in alio fidei nostræ symbolo canit de Trinitate: *Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.* Atque hæc est fides totius priscæ Ecclesiæ Orientis, qua damnatur Geneuanorum perfidia, substantiam personarum reipsa diuidentium.

Africanæ porro Ecclesiæ præclarum lu- 6. men Augustinus protestatur: Credimus, te- *Li.11. ciu. c.24.* nemus, & fideliter prædicamus, quod Pater genuerit Verbum, vnus vnum, æternus coæternum: & quod Spiritus S. simul Patris & filij sit Spiritus, & ipse consubstantialis am- *Conc.1. in* bobus. *Et rursus idem*: In fide Catholica con- *Psal.68.*

tra

tra venena hæreticorum sic ædificamus, vt A dicamus Patrem & Filium & Spiritum sanctum vnius substantiæ esse. Quid est vnius substantiæ? &c. Eo quod Deus est, hoc ipso substantia est. Et quia eiusdem substantiæ filius, proculdubio & Deus. *Et post pauca*: In diuinis tanta est substantiæ societas, vt æqualitatem admittat, pluralitatem non admittat: *Alibi rursum idē scribit*: Catholica fide credi Patrem, Filium & Spiritum sanctum vnum Deum, vnius substantiæ Trinitatem, inseparabiliter, æqualiter, non commixtione confusam, non distinctione separatam, &c. Audin? Filium esse Patri consubstantialem? Fidem Catholicam profiteri eiusdem esse cū B Patre substantiæ? Deitatem idem esse quod substantia? Substantiæ diuinæ tantam esse societatem & vnitatem, vt distinctionem, aut pluralitatem non admittat? MIN. Percipio, & alta mente repono, quam procul à fide priscæ Ecclesię, pietateque omnium beatorum patrum Caluinus recedens; multos secum in tenebras interiores pertrahat. Tātum aliquod Occidentalis Ecclesiæ proferas testimonium, & sat mihi erit.

Tract. de eo quod dictum est, Ego sum qui sum.

7. DOCT. Eximius Mediolanensis Ecclesię præsul Ambrosius, illos graui disputatione refellit, qui Filium Patri quidem similem, sed non vnius substantiæ cum Patre dictitabant. C Alio rursum loco, hanc totius Christianismi fidē esse protestatur, quam à maioribus (inquit) aduersus Sabellianos & Arrianos ita traditam tenemus, vt Patrem Deum, & Filium eius vnigenitum, & Spiritum sanctum veneremur, hanc Trinitatem vnius esse substantiæ, maiestatis, & diuinitatis. *Iterumque ait*: Eos qui dicunt Filium ex alia (quam Patris) substantia vel ousia esse, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia. MINIST. Hæc mihi satis superque faciunt: video enim non solum Caluinum suam ipsius impietatem coarguere, & discipulos eius hanc ipsam quoque damnare: sed D & totius veteris Ecclesiæ persuasionem esse, Filium Dei nec aliam, nec distinctam substantiam, prout substantia à Græcorum *ousia*, & non ab *hypostasei* deducitur, prorsus habere: quare alia de re sermonem instituamus.

L. de D. incar. sac. c. 10.

Epist. 40.

Lib. 1. de fide, c. 9.

FILIVM DEI AEQVE PRIMAM AC *præcipuam vitæ atque salutis humanæ* CAVSAM *esse, atque esse Patri: aduersus nonam hæresin.*

CAPVT VII.

DOCTOR.

Eiusdem Filij Dei maiestatem & gloriam diuinam eo vsque extenuant ac depriment, vt ei duntaxat secundum à Patre locum & gradum causæ nostræ vitæ ac salutis ęternæ relinquant: vt eundē in cuiusdā serui, ministri, & vicarij ordinem cogant. MIN. Vix mihi persuadeo eos illucusque dementiæ peruenisse. DOCT. Hæc sunt vestri hæresiarchæ verba, *Quia Deus Pater, penes quem residet vita, procul à nobis distat, Christus quasi medius statuitur, qui est secunda vitæ causa, vt inde ad nos vsque perueniat.* Et ne quis excusando dicat eum de sola eius humanitate loqui, paucis antea lineis scribit: *Hoc elogium esse Filii Dei in carne manifestati.* Eundem quoque in serui ordinem redigens, rursum scribit: *Illum ab intimis secretis Patri fuisse.* Et iterum apertius alibi: *Christum amplectere seruum Patris.* Iterumque: *Christus se ministrum duntaxat statuit, qui nihil nisi Dei virtute gesserit.* Et ne quis putet ista Caluino imprudenter excidisse, attendat eum in peius proficientem, rursus scribere: *Filius metaphorice dicitur sedere ad dexteram Patris, ratione secundi vel proximi gradus quē obtinet ille vicarius Dei.* Rursumq; : *Dicitur Christus sedere ad dexteram Patris, quia secundum quasi honoris & imperii locum obtinet.* Hæc ille; ex quibus animaduertis Filij Dei summam ac infinitam maiestatem sic obscurari & deprimi, vt ei duntaxat serui, ac vicarij locus apud Patrem, & solius secundæ causæ vitæ nostræ gradus vix assignetur.

In ca. 6. Io. v. 57.

In ca. 1. Io. v. 18. In c. 6. v. 55. & in c. 17. v. 12.

In c. 22. Mat. v. 44. In c. 26. v. 64. & in c. 16. Marc. v. 19.

MIN. Prorsus ita esse vt scribis, mihi persuades. Atque vt nihil te celem, hæc omnia, longeque adhuc deteriora me legisse recordor apud Caluinum: sed nolebam verenda præceptoris detegere. Deinde, isthæc humanæ naturæ Christi tribuenda esse credebam. DOCT. Sane si hanc per se solam spectauerimus, huic non male conueniūt; quoniam propagata est ex semine Patriarcharum, in vtero autem Virginis ex Spiritu sancto concreta, atque inde nata. Vt sic autem animo concepta, non tantum *formam serui præ se tulit*, verum etiam dicitur *opprobrium hominum, abiectio plebis, vermis non homo*. vir

Confut. 1.

Phil. 2.

Psal. 21.

Isa. 53.

à Deo percussus & humiliatus,&c. Sed conspicis A
hæresiarcham de Christo loqui vt Saluator
est, vtque cum Patre diuino comparatus: atque cum sic mente conceptum, loco scribæ, cubicularij serui, vicarij tantum haberi: & in secundum duntaxat honoris, imperij, atque potentiæ, à Caluino substerni: quare excusari non potest, quin acerbissime Filij Dei maiestati detrahat.

2. MIN. Nolo etiam hominem excusare, cum è contrario & credam, & probare valeam certissimum ac verissimum esse, quod in fidei nostræ articulis de illo traditur: *AEqualis est Patri secundum diuinitatem.* Item
Athan. *Patris & Filij & Spiritus S. vna est diuinitas, æqualis gloria, & coæterna maiestas. Qualis Pater talis Filius, talis Spiritus sanctus. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.* Cum igitur Filius sit omnino Patri æqualis, habeatque eandem diuinitatem, æqualem gloriam, & coæternam maiestatem, nec sit vlla ratione Patre minor aut posterior; Caluinicum propositum præcipuis Christianæ fidei articulis ex professo repugnat, & Filij Dei potestatem, gloriam, ac imperium non parum imminuit. DOCT. Recte sane concludis, atque sic credendum esse manifestum est, nisi velimus æternis gehennæ Flammis C
cruciari. Sed perge tuo laudabili more hanc hæresin proprio authoris testimonio diuellere.

3. MINIST. Author suo se confodit gladio
In c. 1. Io. v. 18. dum scribit, *Arrianos rabie correptos, qui quidem putauerunt Iesum Christum non fuisse æqualem Patri, ac si in vna & eadem simplici Dei essentia, aliqua posset inæqualitas reperiri.* DOCT. Furit ergo ipsemet, qui tam audacter in ea diuersas vitæ assignat causas, dispares honoris gradus, varios ordines & locos imperij atque honoris.

4. Scribit rursum Institut. lib. 1. cap. 13. §. 24.
Gen. 1. *Quos alloquitur Pater, dicens: Faciamus hominem* D
ad imaginem & similitudinem nostram, certum est fuisse increatos: nihil vero increatum, excepto ipso Deo, & quidem vno. Nunc ergo nisi concedat Patris, Filii, & Spiritus communem fuisse creandi potestatem, & communem iubendi imperium, sequetur Deum non intus secum ita loquutum esse, sed direxisse ad alios extraneos opifices sermonem suũ. DOCT. Si communis est creandi & imperandi potestas, non sunt certe diuersi gradus aut ordines causarum: sed vna & summa tantum causa.

5. MIN. Tum eius successor spectabilis Beza inquit. *Personæ diuinæ sunt coessentiales, & coæternæ, sine proprietatum confusione, aut vlla inæqualitate, vt Ecclesia sacris exposuit scripturis contra Sabellium, Samosatenum, Arrium & Nestorium, quorum errores ex animo detestamur.* Confess. c. 1. art. 2. & punct. 3. a 1 Addit etiam paulo post. *Credimus Iesum Christum secundum naturam diuinam esse vnicum Patris Filium, coæternum, consubstantialem, & in omnibus, & per omnia Deo Patri æqualem.* Ex his autem huiusmodi elicio conclusiones. Cum Pater & Filius sint vna essentia absque vlla inæqualitate, imo in omnibus & per omnia æquales: improbissimus profecto Caluin[us], qui vnum vult in primis, alterum in secun-
B dis tantum consistere. Regem alterum, scribam illum: principem hunc, legatum illum: magistrum hunc, illum seruum: illum præfectum seu Curatum, hunc vicarium. Illi primum honoris & imperij locum tribuit, huic solummodo secundum relinquit. DOCTOR. Tam certa sunt hæc omnia, vt omni sensu careret, qui his aliquo pacto resisteret: quare hæresis Caluinica remanet victa, damnata, nec non propria authoris sententia confutata, quam etiam refellunt successores eius ac discipuli.

MIN. Iam testimonia scripturæ, in quibus 6.
æqualitas Patris & Filij declaratur, proferas
C velim. DOCT. Ioannes in primis alta voce
significat: *In principio erat Verbum, & Verbum* Ioan. 1.
erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Atqui si esset aliquo gradu Patre inferior, aut Deus non esset, aut duo dij essent, maior videlicet & minor. Id autem cogitare infandum est sacrilegium.

Idem rursum Euangelista vocat Filium, 7.
seu Verbum, rerum omnium authorem: *Om-* Ioan. 1.
nia, inquiens, *per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ.* MINIST. In hunc locum fatetur Caluinus,
D *Christum esse lumen, quod per se & ex se illucet, & totum irradiat mundum, ita vt nulla sit alia causa vel origo splendoris.* DOCT. Tanto melius, nam ex his seipsum coarguit. Quia si Filius author est vitæ, creator vniuersi, vnicum lumen mortalium, quod ex se & per se reluceat, Geneuanus iste obcæcatur nimium dum in ordine secundarum causarum eum collocando deprimit.

Addit beatus Ioannes de eodem Verbo, 8.
seu Filio Dei: *Dedit potestatem filios Dei fieri his* Ioan. 1.
qui credunt in nomine eius. Habet itaque cum Patre eandem adoptandi potestatem. Sed nostram hanc fidem adhuc clarius confirmat,

mat, & Hugnosticam infidelitatem subuertit his verbis: *Qui credit in Filium, non iudicatur. Qui credit in Filium habet vitam æternam. Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed, ira Dei manet super eum.* Ex his enim manifestum est, Filium nullo pacto minorem esse Patre, cum æqualiter in vtroq; nostra fides & spes reponi debeat. A

Ioan.3.

9. Eandem rursum imperij & potestatis æqualitatem inter Patrem & Filium copiose his verbis confirmat: *Vt Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. Quicunq; videt Filium, & credit in eum, habebit vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* B Et Simon Petrus eadem fide qua & nos præditi sumus, longe ante nos dixit. *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. Nos credimus & cognouimus quia tu es Filius Dei viui.* Etenim vniuersa hæc Euangelij decreta satis euidenter demonstrant Filium non esse Patris tantum ministrum, non seruum, non vicarium, vt præfracte garrit hæresiarcha: sed omnino illi æqualem, cum in omnibus & per omnia cum Patre eandem habeat vitæ nobis elargiendæ, resuscitandi, glorificandi & saluandi potestatem.

Ioan.5.6.

10. Adhuc multo dilucidius inquit: *Ego sum* C *pastor bonus. Ego sum ostium ouium, per me si quis introierit, saluabitur. Ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Animã meam pono pro ouib. meis. Ego vitam æternam do eis. Et non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea, &c.* Dic obsecro, vtrum quis minister, scriba, vel seruus tam libere & audacter hæc auderet polliceri? MIN. Nequaquã: id enim est summi Principis: nec certe potuisset Filius Dei accuratius sese prædicare æqualem Patri in potentia, bonitate, sapiẽtia, iustitia, ac in humanum genus beneuolentia, quam dicendo, *Do vitam æternam.* Iterumq; adiiciens, *Ego & pater vnum sumus.* Licet enim Caluinus id interpre- D tetur de vnitate consensionis & concordiæ, vt sic tam veterib. quam nouis Arrianis gratificetur: nunquam tñ negare poterit, quo minus Filius Dei sit *resurrectio, via, veritas, & vita:* nunquã negare poterit, nos baptizari æquali potestate ac iure in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti: nunquam negare poterit Filium in forma Dei, non rapina arbitratum se esse æqualem Deo: ac proinde nec seruum, nec vicarium, nec secundum à Patre locum honoris & imperij habere: sed eundem cum Patre primum ac potissimum.

Ioan.10. — Ioan.10. — Ioan.14. — Matth.28. — Philip.2.

11. DOC. Quinetiam quatenus Filius hominis est, *Pater dedit ei potestatem iudicium facere, peccata remittere, quos voluerit viuificare,* mortuos ad vitam reuocare, denique omnia dedit illi Pater in manus, adeo vt confidenter dicat, *Omnia quæ habet Pater mea sunt, data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Quocirca improbissimum est Hugnosticorum sacrilegium, cum tantum constituere ministrum, causam vitæ secundam, secundam potentiam ei affingere, talemq; eidem authoritatem tribuere, qualem emendicatus quidam vicarius haberet à parœco. MIN. Reuera Caluinus hac in re perbelle conuenit cum Ebionitis, Samosatenianis, Arrianis, & aliis veteribus maiestatis coæterni Filij Dei hostib. qui tantundem libenter Christo tribuebant. Nec admodum dissentit à Turcis, Persis, Mauris, Tartaris, cæterisque Mahometanis, qui non minorem ei dignitatem vltro sponteq; adscribere nihil verentur. Itaq; pudore suffusus doleo, tam abominandas impietates sub repurgatæ Ecclesiæ pallio in dies seminari & operiri. Ad aliud quæso te properemus.

Ioan.5.13. — Luc.5. — Matth.10. — Matth.28.

NATVRAM DIVINAM ET HVMANAM *sic in Christo coniunctas esse, vt* VNICA SIT TANTVM HYPOSTASIS *seu persona: aduersus 10. & 11. hæresin.*

CAPVT VIII.

DOCTOR.

DVces ac signiferi vestri nefarie dilacerant, & in duas personas separant vnicam & indiuisibilem hypostasin Domini Iesu Christi. MIN. Id ab his fieri nequaquam potest. DOCT. Dic, cur non? MIN. Nestorij errorem, quem abominantur, renouarent. DOC. Si manifeste probauero, non vis mecum idipsum reprobare? MIN. Sane quidẽ. DOCT. Atqui eos tribus modis iam eius erroris conuictos teneo. Primo, quod Caluin* verbo tantum Nestorianos accusando, incidit in eorum hæresin scribendo: *Inepte admodum hæc loquendi formula vsurpatur, Destruite templum hoc, &c. ad tollendam in Iesu Christo personarum vnitatem.* Qui diceret vnitatem naturarum, plures naturas agnosceret: igitur Caluinus dicens *vnitatem personarum in Christo* plurali numero, nõ vnicam, sed duas saltem in eo esse confingit. MIN. His non possum repugnare. DOCT. Adhuc apertius suã declarat hæresin in Institutione, vbi pro

Com. Gal. lic. in c. 2. Ioa. Genes. 1553. pag. 109. linea 6. & 7.

L.1.c.13.§. summo se gerēs Theologo, ait *se velle de Chri-* A
9.23.24. *sto differere quatenus est persona diuina, nec adhuc mediatoris attingere personam*: qua garrulitate duplicem in eo constituit personam, vnam diuinam, alteram mediatoris. Est postea scribit: *Respondeo Christum esse Dei Filium, quia Sermo est à Patre ante secula genitus: nondum enim de mediatoris persona nobis sermo est*: Et iterū: *Christus filius Dei vocatur non tantum quatenus ante secula genitus ex Patre fuit, æternus Sermo; sed quia mediatoris suscepit personam, &c.* Sic.n.secundo & tertio distinguendo personam mediatoris, id est humanam, à verbo seu persona æterna Filij Dei, in oculis & ore omniū duas in Christo personas cōstituit. MIN. Oporteret B eum nauiter impudentē qui negaret. DOC. Audisti etiam quemadmodum definiendo vocabulum personæ, modo vult esse aliquā proprietatem residentem, modo naturam vel substantiam: at vero certissimum est in Christo esse duas substantias & naturas, multas etiam proprietates: igitur perspicuum est Caluinum Iesum Christum vnicum Dominum nostrum in personarū pluralitatem diuidere. MIN. Tam dilucide & apposite colligis, vt cōtra sentire nec quicquam valeam. DOCT. Beza in eodem sese volutans cœno,
Opusc.Gen. ad Brentij argumenta respondens ait: *In*
1570.pag. *Christo duæ sunt vniones hypostaticæ, vna inter cor-* C
513.638. *pus & animam, dum sibi personaliter iunguntur:*
& 39. *altera inter Verbum & hominem vt simul conueniunt ad vnum constituendum Christum.* De hoc reprehensus à Iacobo Andrea altero Germaniæ ministro, non resipuit; sed profecit in peius, respondens, *vere corpus & animam personaliter coniungi, & personam constituere humanam.* Non posset autem negare aliunde Filium Dei ante incarnationem fuisse veram hypostasin ac personam diuinám: sequitur itaque quod in Christo ponit & personam diuinam, & personam humanam, sicq; duas cum Nestorianis personas. Inde factum est vt in Colloquio Montpelgartensi, ad obie- D ctum sibi Alcoranismum & Nestorianismū, palam responderit: *Nestorianismum se ferre posse, non autem Alcoranismum.*

Confut. MIN. Nec huic errori subscribam, sed o-
1. mni ratione refellam atque detestabor. Primum quia sibi contradicunt, & instar latronum mutuo sese accusant & damnant. Nam
Confe.fid. Beza in Confessione fidei *contestatur se toto*
p.1.art.2. *animo improbare Nestorij impias hæreses.* Hic autem propterea quod Iesum Christū in duas
Niceph.l. personas secernebat, à ducentis Patribus in
14.c.38. Conc. Ephesino anathemate primum percussus fuit; deinde à Theodosio imperatore extra fines Rom. Imp. in exiliū pulsus; vbi in insania perseuerans, corpora demū & anima vt Dathan & Core contigerat, terræ hiatu ab inferis correptus est. DOC. Hoc vtinam *Num.16.* serio secum recogitent Bezani & Caluiniani, desinantq; aliquando furores huius Satanæ mancipij reparare. Num quoque Caluinus secum dissidet ipse?

MIN. Multum per omnem modum. Ete- 2.
nim super hæc verba, *Verbum caro factum est,* *In c.1.Ioa.*
sic commentatur: *In hoc articulo nos seruare oportet, vnitatem personæ non impedire quo minus naturæ distinctæ maneant.* Et rursum: *Propter vnitatem personæ,* inquit, *illud satis frequens, vt id quod proprium est vni naturæ solius filij Dei, ad aliam transferantur.* DOCT. Huiusmodi est SS. Patrum & Conciliorum sententia aduersus Nestorium decreta, quare Caluinus eius imitator alibi factus, remanet proprio iudicio condemnatus.

MIN. Ille rursum in hunc Ioannis versicu- 3.
lum, *Hoc vos scandalizat,* tradit, *propterea quod* *In c.6.Ioa.*
duæ in Christo naturæ vnam tantum constituunt personam, non est noua illi loquendi forma, vni tribuere quod proprium est alteri. Et in illam D. *In c.20.Io.*
Thomæ ad IESVM exclamationem, *Dominus meus, & Deus meus,* ait: *Hic videtur vnitas personæ in Christo Iesu expressa, quando vnus & idem Iesus Christus vocatur Deus & Dominus.* DOCT. Errat igitur ipse & turpissime & improbissime, rursusque in errorem inducit eos, qui dictis suis fidem adhibentes, aliam personā Mediatoris comminiscuntur ab æterna Filij Dei persona: & vnicum Dominum in duas personas distrahunt.

His quoq; addamus, inter fidei Catholi- 4.
cæ articulos relatum esse in symbolis, quæ etiam à Hugnosticis admittuntur, *Credo in v-* *Symb. Nic.*
num Dominum Iesum Christum Filium Dei vnige- *Symb.*
nitum, Credo in Iesum Christum Filium eius vni- *Apos.*
cum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria Virgine. Deinde in Athana- *Symb.*
sij symbolo, ita dilucide vt nihil amplius de- *Atha.*
siderari possit illud ipsum explicatur: *Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus non conuersione Diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitate personæ.* Ad illustrandum vero tantisper hoc diuinum prorsus mysterium, eo vtitur exemplo. *Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, sic Deus & homo vnus est Christus.*

MIN. Hæc certissima firmissima, & clarissima sunt Christianæ Religionis fundamenta: sed

ta: sed ad hanc fidem magis ac magis propagandam, hæreticum vero mendacium confutandum, non erit alienum aliquos proferre scripturæ locos. DOC. Angelus dicens ad Virginem, *Concipies in vtero & paries Filium. Hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur. Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Elizabetha quoq; exclamans, *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* satis superq; probant vnũ & eundem esse Filium Dei & Filiũ Virginis: & quod ipsa Mater est Verbi Dei simul & hominis in vno eodemq; supposito. Etenim si duplex esset in Christo persona, altera Filij Dei, altera vero (vt Caluinus Nestorizans ait) mediatoris; proculdubio duos Filios, duos magnos, duos sanctos, & duos Dominos Diuinus nuncius, & Spiritu sancto afflata vetula prædicassent: vnicum autem & solum Filium Altissimi ex Virgine natum, vnicum sanctum, vnicum magnum, & vnicum Dominum asserentes, cunctos in diuersas hypostases illum distrahentes, ab omni pietate alienos esse demonstrant. Nouerat Apostol. duas in Domino IESV naturas seu substantias minime confusas, Diuinam scilicet ac humanam: attamen de eo semper loquitur tanquam de vnica hypostali & persona, nunquam diuidit, nunquã hæretico more lacerat. *Factus est filius Dei*, inquiens, *ex semine Dauid secundum carnem. Misit Deus filium suũ factum ex muliere, factum sub lege. Cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Vbique etiam inculcat vnum Christum, vnum Dominum, & eundem crucifixum: Iudæos Dominum gloriæ crucifixisse, &c. Ex quibus patet Nestorianos veteres in Caluinianis hodie renatos, non esse à Deo missos; nec eo Spiritu afflatos, qui Paulum legauit & inspirauit: sed à principe tenebrarum excitatos, vt propediem venturo magno Antichristo viam parent ac muniant.

5. Luc. 1.

6. Rom. 1. Galat. 4. Philip. 2. 2. Cor. 4. 1. Cor. 2.

7. 1. Ioa. 3.

MIN. Id sane verissimum, quoniam Dominus IESVS per vnice dilectum sibi discipulum clara & alta voce pronunciat: *Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est. Et hic est Antichristus.* Vere autem soluit Iesum, qui dissoluta vnitione hypostatica in duas personas, duos filios, duosque dominos vnicum illum mediatorem Dei & hominum, cum Nestorianis & Bezanis separat, atq; damnabiliter soluit. Hanc autem hæresin aliquot Patrum sententiis refelle, & Catholicum dogma tantum confirma.

8. Hieron. in

DOCT. Magnus Hieronymus in illum Apostoli locum, *Idem est qui ascendit super omnes cælos, &c.* docet illo cõfutari Photinum ac Ebionem, qui Christi diuinitatem denegarunt; tum etiam Nestorium, qui errore furioso diuidebat filium Dei & filium hominis in duas personas. Eandem rursum hæresin sua premit censura, cum his Euangelistæ verbis, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*: tum his Diui Pauli, *qui erat æqualis Deo, semetipsum exinaniuit, &c.* MIN. Manifesta res est, quod de eo loquitur Apostolus veluti de vnico Filio atque Domino, & vnicam tantum gerente personam.

c. 4. Ephes. Quæst. 9. ad Hedib. Ioan. 1. Philip. 2.

9. L. de hæres.

DOCT. Augustinus quoque eundem Nestorium & sequaces refert in numerum hæreticorum, quos tota reprobauit Christianorum Ecclesia, eo quod inquit, omnem salutis nostræ causam abolere conatus est, quo Verbum Dei sic hominem suscipere dignatum est in vtero Virginis, vt vna persona fieret Dei & hominis, propterea sic singulariter & mirabiliter natus, mortuus etiam pro peccatis nostris, cum ea quæ non rapuerat, solueret, Deus homo à mortuis resurgens ascendit in cælum.

10. Ser. de Nat. Serm. … Ieiun.

MIN. Sed quid Romani Episcopi de his rebus aliquando decreuerint, velim nunc à te rescire. DOCT. Ex vnico sane maximo Leone facile disces. Is æque Nestorium improbat, Christum in duas personas diuidentem, & Eutichem impia commixtione duas in eo naturas confundentem. Ait quoque: fides Catholica, quæ omnibus resistit erroribus, etiam simul istas impietates refutat, damnans Nestorium diuina ab homine diuidentem, detestans Eutychem in diuinis humana vacuantem. Idem quoque Epistola ad Iulianum Episcopum, asserit Iesum nunquam fore inter Deum & homines mediatorem idoneum, nisi Deus & homo simul & personaliter fuisset. Denique in Epistola ad Leonem Imperat. Nestorium huius erroris authorem damnat, vt rabidam insaniam, & contrariam doctrinæ ac fidei Christianæ molientem.

MIN. Addas tantum nomina & locos aliorum antiquorũ, qui eandem hæresin confutauerunt & damnauerunt. DOC. Gelasius & ipse summus Apostolicæ Ecclesiæ Pontifex, librũ edidit de duab. in Christo naturis, in vnica persona. Theodoretus libro quarto compendij hæreticarum fabularum. Ioannes Cassianus lib. de incarnatione Verbi. Damascenus libro 3. de fide orthodoxa, cap. 2. & 3. & libro de hæresibus. Edidit quoque Arnobius Romanus ante mille & centum annos

annos Conflictum cum Serapione de duabus in Christo naturis in vnica persona, quo grauiter simul & acute rem istam pertractat. MIN. Apud quem prostat Conflictus iste? DOCT. Nondum prodiit in lucem: sed nostra opera ex vetustissimo exemplari ex scripto, & annotato, breui, si Deus dederit, typis excusus cunctis Latinis communicabitur.

SVPREMAM ADORATIONEM deberi Christo Domino, etiam quatenus Deus & Homo est: contra 12. & 13. haeresin.

Capvt IX.

DOCTOR.

CAluinianorum nouus error est in eo, quod personam Domini nostri Iesu Christi cum duab. substantiis ac naturis suis consideratam omni religiosa adoratione & diuino cultu spoliant: ne (vt comminiscuntur) creaturam aut elementum adorent pro Creatore. MIN. In libris Caluini isthæc me legisse non memini. DOCT. Fateor quidem illum cautius in hac re se gessisse, quam discipuli fecerint: sed nihilo religiosius. MINIS. Tuam igitur accusationem instituas prius in discipulos: deinde quid præceptor censuerit, dispiciemus.

DOCT. Lambertus Danæus primum in Belgium, deinde in Vasconiam à Geneuanis missus, in hæc verba prorupit: *Quoniam caro Christi etiam in vnione, vera caro est, vt vere creatura: ideo nunquam religioso cultu adoranda est.* Nec his contentus, eandem ingeminat hæresin scribendo: *Qui ad ipsam carnem Christi suā adorationem aut inuocationem dirigit, is ex ipsius Dei ore maledictus est.* MIN. O monstrum horrendum, dignius vocari damnatus, quam Danæus: quoniam hacce grauiorem damnati nō possent euomere blasphemiam. DOC. Quidā exigui quidē nominis, sed magni veneni sator, Ioannes Sturmius Strasburgensiū scholarum rector, eadem ibi pro viribus semina sparsit quanta potuit industria. Tertius præterea Caluini discipulus, Petrus Richerus nomine, ab eodem Caluino missus in Americam 1557. præsente Nicolao Vvillagagnone regio ibidem Præfecto, publice concionatus est, & sua postmodum obsignauit manu, coram Francisco Alberico notario publico 1559. Maij 14. *Non esse adorandum Christum in carne humana, ne terrenum adoretur elementum.* Addebat postea: *Permissum est hunc vt Deum, non vt hominem adorare.* His adiungo Bezam & Musculum, qui nomine Geneuanorum & Bernensium ad colloquium Montpelgartense missi, Iacobo Andreæ blasphemias istas Danæi exprobranti, responderunt, *se Danæum nolle damnare: qui si præsens esset*, aiebant, *haberet quid pro se responderet.* Habes igitur quid Rabbini vestri quinque discipuli de proposito articulo sentiant atque doceant.

Apologia de adora. carnis Do. nostri.

Exam. lib. Kemnitij.

Epist. apol. cont. Iac. Andream.

Quid autem aliud Caluinum voluisse censes, cum ait (vt nuper audisti) Dominum nostrum Iesum Christum, *duntaxat esse Patris ministrum, seruum, vicarium, scribam, vitæ secundam causam, & secundum tantum honoris locum post Patrem obtinere*, nisi vt eum omni religioso cultu & adoratione spoliaret? Et Satanam per eum contra Filium Dei hominum redemptorem & iudicem, hanc proditionem machinari, vel ab eo tempore quo suū componeret Catechismum, scribendo, *quod solum adoret Patrem, in nomine Filij?* MINIS. Id proculdubio verum est. Nolo etiam reticere, mihi semper displicuisse, quod vbicunq; potest, adorationem Deo & homini Christo à viris bonis factam imminuit, extenuat, impedit. Enimuero in Harmonia sua scribit, *Magos nec adorasse nec agnouisse Christum vt verum Deum: sed tantum ei vt magni cuiusdam Regis filio suum obtulisse obsequium.* Nec pertimescit dicere Centurionem, qui cum vehementiore adorabat fide, *Diuinitatis eius fuisse ignarum, proinde non adorasse vt verum Deum: sed tantum apprehendisse potestatem diuinam, quæ in eius relucebat miraculis.* Et vbi Euangelista scribit, Iairum principem synagogæ Christum adorasse, *ait eum altero tantum genu flexo salutasse, vt Prophetis fieri consueuerat: nec vllum honorem diuinum eidem exhibuisse.* Rursum, vbi Ioannes scribit cæcum natum, sed iam illuminatum, Iesum adorasse, sic inepte ait: *Adorationis verbo nihil aliud Euangelista significat, nisi quod genu demisso, vel alio quodam signo indicauit honorem, obsequium, & alia beneuolentiæ signa alteri exhibenda.* DOC. Istud profecto imminuere est, & infando sacrilegio surripere supremam adorationem, quam vnico Filio Dei debebat & exhibebat.

Cal. in Harmonia.

Ioan. 9.

Sed quos putas fructus iam pepererunt isthæc Caluinica aduersus cultum Christi maledicta seminaria? MIN. Quos nosti ne tardes aperire. DOCT. His Caluinicis sententiis subnixus Franciscus Dauid in Transsyluania minister, publice concionatur & scriptis

Confut. 1.

scriptis diuulgat, Christum absolute nec adorandum nec inuocandum. Alciatus eius collega, hanc impietatem pro viribus locupletat & spargit. Franken è societate patrum Iesuitarum apostata, in Hungaria & Polonia vocibus & libellis incredibiles blasphemias exhalans, eundem Dominum nostrum omni diuinitate spoliat, Ebiôniticam insaniã renouat, & aliquo modo colendum aut inuocandum esse pernegat. MIN. O singularem hominis improbitatem! ô scelus! ô satanicum vere organum! Vel hæc sola profecto ex Caluiniano fermento nata amaritudo amarissima, ad impietatem eius refellendam, & Christi supremum cultum docendum & propagandum sufficere deberet. DOCT. Præstat nihilominus hæresin illam primo, vt hactenus factitatum est, propriis authorum testimoniis refellere, deinde apertis scripturis, Patrumque sanctissimis decretis eandem penitus opprimere.

2. MIN. Caluinus certe præfatione Institutionis, ait, se suosq; vna cum omni fidelium populo adorare verum Deum & Dominum Iesum Christum, eo plane modo, quo eum viri boni semper adorarunt, his verbis: *Deum viuum & Christum Dominum cum omni fidelium populo colimus & adoramus, qualiter semper ab omnibus piis adoratus est.* DOCT. Quorsum igitur alio in loco secundum tantum honoris eidem assignat gradum? Quorsum profitetur se *solum Patrem* adorare? Quorsum exclusiua particula, Filium summo cultu priuat? Sed perge eum irretire, & suis implicare laqueis.

3. Pag. 9. & 205. MINIST. In libro de actis Serueti scribit: *Se rogasse Seruetum lata iam in eum mortis sententia, vt ad veniam à Filio Dei impetrandam se totum conuerteret, quem suis deliramentis extenuauerat: sed ex eius ore nullam æterni Filij Dei potuit vnquam extrahere inuocationem.* Alibi vero sæpissime dicit, Inuocare aliquem argumentum esse in eum fidei, atque supremi cultus: itaque istud exigens à Serueto, satis docebat Christum suppliciter colendum & adorandum esse: quod hæresi suorum manifeste aduersatur, & orthodoxam sententiam confirmat.

4. In c. 2. Luc. v. 12. Semetipsum adhuc apertius condemnat scribens in Harmonia, *Nullum quantumuis cõtemptibile signum obscurare apud nos eius (Christi) gloriam debet, quin saltem humiliter eum adoremus. Pastores minime offendit stabulum quominus salutem petant à Christo.*

DOCT. At hic præsertim Christi apparebat carnis infirmitas ac infantilis imbecillitas. Hunc autem Filium in carne & cum carne assumpta adorabant (vt vel inuitus hostis fatetur) sancti pastores. Igitur extrema refertus est malitia cum pro virili Magos, Centurionem, cæcum illuminatum, Iairum, & quosuis alios impedit, quominus eum vt Deum viuum & verum adorent. Vereq; damnatus Danæus minister, prohibens eum cum carne demisse colendum esse.

5. In c. 28. Matth. MIN. Scribit etiam in eodem libro, Christum sedere ad dexteram Patris, & suum in cælo & in terra tenere principatum, cui summa datur potentia, *vt coram eo omne genu flectatur.* Et paulo post adhuc manifestius suam suorumque impugnans perfidiam, explicansque locum scripturæ vbi refertur, Apostolos Dominum gloriose in cælos ascendentem adorasse, *non vt magistrum suum*, inquit, *aut Prophetam, imo vt verum Messiam, regem gloriæ, & totius mundi iudicem adorauerunt.* DOCT. Atqui non ascendit nisi secundum carnem assumptam, non est Messias & seruator sine carne, non iudicabit mundum nisi cum carne: eum igitur & cum carne, & in carne positum, & Apostoli adorauerunt, & cunctos adorare decet.

6. In c. 11. Io. MIN. Alio etiam loco scribit, Deum Patrem sic vere in persona Christi Filij sui agnosci ac venerari, *vt ei omnia deferantur, quæ sibi postulat deferri*: & propterea Turcas & Iudæos frustra sibi persuadere Deo gratum se cultum offerre, cum à Iesu Christo eius Filio animum habent alienum. Ex quibus omnibus sic aduersus hanc hæresin ratiocinor atque concludo. Omnis potestas Christo homini data est in cælo & in terra: igitur & omnis cultus religiosus, cum supremum dominium sit adorationis potior ratio. Homini Christo omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum, idq; pro sua authoritate Deo præcipiente, & scribente Apostolo: igitur, degentibus in inferis sunt hac in re deteriores Caluiniani, omnem cultum ei detrahentes: Deoq; Patri immorigeri, & Filio eius contumeliosi. Sancti apostoli eum submissis animis adorarunt, vt verum Messiam & mundi iudicem: igitur & nos omnes coram ipso procidere, & qua possumus adoratione salutem & gratiam oportet ab ipso implorare. Atque hæc mea fides & religio, quicquid contra nugigeruli blaterent ministri. Tu quid tibi videatur pronuncia.

7. DOCT. Pie facis atque religiose: nec Christiani nomen meretur, qui aliter faxit, vt iam firmissimis testimoniis & rationibus compro-

probabo. Primum, vniuersæ docent scriptu- A
ræ, confitentur omnes populi, nec ipsi dæmones opinor, audent negare, illum cum omni fide ac spe adorandum esse, qui natura verus & æternus est Deus omnipotens. At prophetæ, Apostoli, Euangelistæ, Sancti omnes fatentur talem esse Iesum Christum etiam cum assumpta carne: quinetiam vi miraculorũ eius coacti spiritus maligni, Iudæi, satellites, latrones idipsum claris vocib. personant. Quapropter necesse est vt ei etiam in carne & cum carne posito, cultum religiosum & supremam deferant adorationem.

8. Secundo, cum vnus & idem sit omnino B
natura, Deitate, voluntate, potestate, sapientia, maiestate Deo Patri coæternus, consubstantialis, & per omnia æqualis, vt etiam Hugnosticorum libera & spontanea est confessio: consentaneum & plane necessarium est eum perinde ac Patrem venerari & obser-
Ioan.10. uare. Ait enim. *Ego & Pater vnum sumus. Omnia quæ habet Pater, mea sunt.*

9. Tertio, idem Pater cum summa authori-
Psal.2. tate expresse de Filio suo iubet: *Osc[u]lamini Filium:* seu vt alij vertunt, adorate pure, *nequan-*
Psal.96. *do irascatur, & pereatis de via iusta.* Et alibi: *Ado-*
Heb.1. *rate eum omnes Angeli eius. Adorabunt in conspe-* C
Ps.21.44. *ctu eius omnes familiæ gentium. Ipse est Dominus*
71.94.95. *Deus tuus, & adorabunt eum. Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes magnificabunt eum, omnes gentes seruient ei. Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ. Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Nam isthæc omnia scripturę testimonia veteres de Christo Deo & homine, atque supremo cultu ei debito ac exhibendo interpretati sunt. Hunc autem cunctis gentibus, populis, Regibus terræ, imo & Angelis cælestibus præcipit Deus Pater deferre vnigenito Filio suo: igitur Deo ipsi in faciem resistunt, qui idipsum D
facere cum Danæo, Richero, aut Caluino prohibent.

10. Quarto, grauissima, Deoq; probata huius Christianæ adorationis exempla nobis proposita sunt in sanctis pastoribus, qui relictis gregibus properarunt Christi adorare in-
Luc.2. fantiam. Deinde in fœlicissimis Magis, qui
Matth.2. cum muneribus ad sacram speluncam accedentes *procidentes adorauerũt eum.* Sed & Cen-
Matt.8.15. turione, & muliere Chananæa, quorum fidẽ
Luc.8.
Matth.20. Christus laudauit & probauit, qui in carne,
Matth.14. & cum carne summum ei honorem detule-
28. runt. Insuper, princeps synagogæ, mater fi-
Mar.5. lio um Zebedæi, cæci, leprosi, claudi, paralytici ab eo curati, sanctæ fœminæ à sepulcro redeuntes, beatissimi Apostoli conscendentem in cælos Deum hominem conspicientes, adorantes, factis nos edocuerunt, quem illi honorem afferre debeamus.

Quinto, facile ac in promptu est, per breui 11.
omnium præcipuarum honoris atque adorationis Deo Patri debitæ causarum enumeratione probare, eam quoque Filio eius IesuChristo Deo & homini omnino deberi. MIN. Quoniam eximiam & maio[re]m quam crederes ex ea percepturus sum delectationem, eam quæso te, nunc explices. DOCT. Primus diuini obsequij articulus est, in eum tota mente credere, vt Apostolus passim loquitur. *Nam qui credit in illum, non confundetur.* Rom.10.
Accedentem ad Deum, oportet credere, &c. fidem Heb.11.
autem collocare in Christum Deum ac ho- Ioan.1.
minem omnibus fere noui testamenti pagi- Ioan.6.
nis iubemur: veluti, *Dedit potestatem filios Dei* Ioan.14.
fieri his qui credunt in nomine eius. Qui credit in eum non peribit, sed habebit vitam æternam. Creditis in Deum, & in me credite. Laudantur Petrus, Martha, Cœcus, Apostoli, quod in eum crediderint.

Secundus est, totam spem salutis nostræ 12.
in diuinæ misericordiæ thesauro reponere. Psal.90.
Nam beati omnes qui sperant in eo. *Quoniã* Isa.11.
in me sperauit, ait Dominus, *liberabo eum, prote-* Genes.49.
gam eum, &c. De Messia Deo & homine cla- Ephes.1.
mant Prophetæ & Apostoli: *In eum gentes spe-* 1.Cor.15.
rabunt. Et ipse erit expectatio gentium. Nos qui primi sperauimus in Christo, erimus in laudem gloriæ eius. Si tantum in hac vita in Christo sperantes essemus miserabiliores essemus omnib. hominibus, &c.

Tertius est, Deum toto corde, tota anima, 13.
ex omni mente, & ex omnibus viribus suis diligere. Hoc enim est primum & maximum legis mandatum, in Euangelio probatum & confirmatum. Christus autem Deus & homo dicit: *Qui amat patrem aut matrem plusquam* Matth.10.
me, non est me dignus. Ter petit à Petro, *Diligis* Ioan.21.
me plus his? Exclamat quoque Paulus: *Si quis* 1.Cor.16.
non amat Dominum Iesum Christum, sit anathema, maranatha.

Quartus est, eius obaudiendo mandatis, 14.
expectare, cum omni fiducia mercedem cælestem, quam repromisit. At Christus homo pollicetur, *Qui audit verba mea, & facit ea, assi-* Matth.7.
milabitur viro sapienti qui ædificauit domum suam Ioan.8.10.
supra petram &c. Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum. Oues meæ vocem meam audiunt, &c. & vitam æternam do eis.

Quintus est, magno timore ac tremore 15.
minas cęlestes reformidare, & horrenda Dei sum-

[redacted]

Luc.12. summi iudicia pertimescere. *Timete*, inquit, A
eum qui potest corpus & animam mittere in ge-
Ps.2. *hennam. Ita dico, hunc timete.* Dauid autem de
Christo loquitur in hunc modum. *Seruite Do-*
mino in timore, & exultate ei cum tremore, ne ira-
scatur, & pereatis de via iusta.

16. Sextus est, ad Dei gloriam, laudem, & honorem referre cuncta quæ in nobis conspici ac inesse possunt virtutes aut perfectiones.
Matth.5. Christus quoque ait, *Beati eritis cum maledixerint vobis homines, persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, pro-*
Act.5. *pter me: Gaudete, & exultate, &c.* Apostoli ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine eius contume- B liam pati. Non vult Paulus alia in re gloriari,
Gal.6. nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, cuius stigmata in corpore suo portabat.

17. Septimus consistit in agnoscendo eum fontem esse vberrimum & inexhaustum omnium bonorum spiritalium & corporaliũ, communium & singularium, quæ singulis locis ac momẽtis adueniunt: eidemq́; quantum maximas poterimus gratias pro illis referre. Scriptum est autem de Iesu Christo
Ioan.1. Domino nostro: *Omnia per ipsum facta sunt. In*
Coloss.1. *ipso condita sunt vniuersa in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia.* Refert quoque Ioannes se vidisse beatos omnes coram agno prostratos C cum cytharis & phialis plenis odoramentorum, cantantes: *Dignus es Domine, aperire li-*
Apoc.5. *brum, & soluere signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Addit etiam se vidisse millia millium Angelorum dicentium voce magna, *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, fortitudinem, honorem, gloriam, &c.*

18. Octauus est, ex infinitæ maiestatis, potestatis, ac gloriæ eius contemplatione simul & admiratione, in nostræ paupertatis, imbecillitatis ac infimæ conditionis agnitionem descendere: ac omni demissione animi, & quãtum poterimus externis viribus atque riti- D bus nos, nostraq́; omnia eidem vti supremo Domino demittere atq; submitetre. *Loquar*
Gen.18. *ad Dominum*, aiebat pater fidei nostræ, *cum sim puluis & cinis, &c.* Atqui (vt nuper dicebamus) & Angeli de cælo, & Magi ab Oriente, & Pastores à Bethlehem, & Martha à Bethania, & Apostoli à Iudæa Iesu Christo Deo & homini, etiam in carne adhuc mortali degenti, seipsos demiserunt, &c.

19. Nonus est, alacri, spontanea, totaq́; voluntate omnem famulatum ac obsequẽtissimũ seruitium illi deferre, quo seruus deuinctus est Domino, opus opifici, filius patri, & creatura suo Creatori. Sic aũt beati Angeli Chri- Matth.4.
sto homini, post quadragesimale ieiunium esurienti, ministrauerunt: Apostoli pro magnificentissimo & gloriosissimo honoris titulo appellant se *seruos Iesu Christi.* Quin & vni Apoc. 19. & 22.
eorum dixit Angelus, *Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu.*

Decimus est, quando in publicis iudiciis 20.
atque magistratuum tribunalibus verum di- Deu.6. 10.
cere per maiestatem & reuerentiam eius adiurati, nomen eius non in vanum, sed in veri testimonium ac iudicium assumimus. In le- Exod.23.
ge etenim scriptum est: *Iurabis per nomen Dei* Rom.9.
tui. Et Paulus ait: Omnis controuersiæ finem Heb.6.
esse huiusmodi iuramentum. Idem vero 2.Tim.4.
hocce adorationis officium Christo sæpe tribuit, per eum iurans, & alios per eundem sanctissime adiurans.

Vndecimus est, quando publicam pro- 21.
fessionem religionis eius suscipientes, Sa- Matth.28.
cramentis ab eo institutis initiamur, aut iu- Clemens.
stificamur. Sic autem æque baptizamur in Dionys.
nomine Iesu atque in nomine Patris: & ba- Tertull.
ptizati vnctione chrismatis confirmamur, Cyprian.
& absoluimur à peccatis, &c. quibus ritibus Christum Deum hominem & palam & vbique adoramus.

Duodecimus est, eum cum omni fide in- 22.
uocare tanquam omnipotentem Creatorem, beneuolentissimum Redemptorem, Fortissimum seruatorem, ac omnium bonorum fontem & largitorem amplissimum. Ad id enim officium nos dulcissimis promissionibus inuitat, dicendo per Prophe- Ps.49.
tam: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, &c.* inuocationem autem Christi mox fusius sumus asserturi. MIN. Nihil certius est quam hos duodecim articulos comprehendere officia viri Christiani erga Deum, simulque vera esse effecta fidei ac obsequij, Deo vero debiti: & eadem ipsa quoque deberi Christo Deo & homini: quare eodem cultu & honore adorandus est, quo Deus Pater omnium rerum conditor potentissimus. Dic nunc de eius inuocatione.

CHRISTVM DEVM ET HOMINEM à cunctis suppliciter INVOCANDVM *esse: contra 14. & 15. errorem.*

CAPVT X.

DOCTOR.

AVdisti nuper Lambertum Danæum Caluinicæ perfidiæ ministrum autumantem,

num in hac re non fuisse meliorem Serueto, A cum in Patre & Filio duas substantias ac essentias similiter constituit, vt ille tres in tribus esse confingebat.

DOCT. Frustra igitur perfidus ille postea exclamat, *Se nunquam consensurum in Serueti carnificina, dissecando Dei substantiam & vnicam naturam*: quoniam ex supradictis verbis contrarium apertum est. Sed ita consueuit ille in alijs reprehendere, id ipsum quod docet & sustinet.

2. *In c.1 Io. v.1.* MIN. Patere me istius erroris, ex suo authore, persequi refutationem. Idem rursum alibi scribit: *Ne quis de diuina Christi essentia scrupulus maneat: Ioannes clare asserit esse Deum. Iam cum vnicus sit Deus, Christum eiusdem esse cũ Patre essentia, & tamen in aliquo differre sequitur. Quod autem ad essentiæ vnitatem spectat: nimia fuit Arrii improbitas, qui ne æternam Christi diuinitatem fateri cogeretur, fictitium nescio quem Deum esse garriebat. Nos autem cum audimus Sermonem fuisse Deum, quid est quod de æterna illius essentia amplius moueamus controuersiam?* DOCT. Profecto, si vna eademque essentia, natura, seu substantia (nam omnia hęc idem in diuinis authoribus Latinis significant) est in Patre & Filio, vt nemo Christianus dubitare debet, optimus quisque rerum æstimator cõfitebitur, illos non habere distinctam substantiam aut essentiam, vt Caluinus alibi confinxit. Quod si pergant eius discipuli Filio distinctam à Patre substantiam tribuere, æque vt Arriani insanient, nouum quendam Deum sibi priuatim effingentes.

3 MIN. Seipsum adhuc pergit proprijs testimonijs coarguere atque damnare, scribens
Lib.1.c.13. §.23. in Institutione, *Qui notã distinctionis in essentia diuina ponunt, manifeste in nihilum redigunt veram Christi Deitatem, eoq; modo infeliciter essen-*
§ 19.21.22 *tiam Dei lacerant.* Pauloq; supra agnoscit: *Ecclesiasticos scriptores fateri Personas diuinas sine vlla differentia vnam & eandem habere essentiam: & quod ex sacris scripturis probarunt essentiam ad Patrem, Filium & Spiritum S. pertinentem esse omnino simplicem, singularem, & indiuisibilem.* DOCT. Reuera suis se verbis condemnat seruus nequam. Etenim si quis vnquam veram filij diuinitatem ad nihilum redegit, distinguendo realiter essentiam eius à Patris essentia, vnicus fuit Caluinus. Si quis secet, rescindat, & laceret miserandum in modũ diuinam substantiam, ipsemet carnifex est. Si scripturarum, veterumq; Patrum hostis est, qui notam discretionis in essentia constituit, monstrum est illud miserrimum.

4. *In[illegible]* A MIN. Sic est profecto. Sed super hæc, Viretus sub ferula Caluini condiscipulus errorem præceptoris nobiscum detestãdo, profitetur: *eum esse improbissimũ qui habet aliquam in Deo fiduciam, nisi credat Iesum Christum suum esse Deum eiusdem cum Patre essentiæ & potentiæ:* Mox quoque subiicit: *Ostendo manifeste vt in essentia vnius Dei & diuinitatis agnosco & confiteor Patrem Filium & Spiritum S. tres esse personas in vna eademq; diuinitate & substantia, &c.* Et iterum: *Licet distinctio personarum in essentia* *Pag.6*[illegible] *Dei reperiatur, tamen essentia non separatur, sed semper remanet vnitas perfecta & integra.* Et ad- *Pag.6*[illegible]*4.* huc postea: *Non est fidei nostræ exigua confirma-* B *tio, de diuina Iesu Christi natura certiores fieri, quod verus Deus est. verus Dei Filius, eiusdem cum patre essentia & substantia. Nullam habet salutis suæ fiduciam, qui talem eum esse nõ credit & agnoscit.* Audis Viretum semel & iterum confitẽtem & asserentem filium esse eiusdem substantiæ cum Patre, atq; eandem habere cum illo Deitatis naturam. DOCT. Audio, simulq; vim veritatis mirabilem suspicio, qua factum est, vt discipuli Caluiniani pro eius maiestate, aduersus præceptoris nefariam sententiam decertent: & vt de asina Balaam dicitur, *Sessoris sui corrigant insaniam*, & Prophetæ sui prohibeant insipientiã. His a.nunc *Num.22.* C subiiciam Propheticas & Apostolicas scri- *23.2.Pet.2* pturas, quæ omnino confirment Patrem & Filium vnius ac eiusdem esse naturæ atque substantiæ. MIN. Non est necesse, quoniam *Pag.47.* iam affatim id supra factum est, cum aduer- *48.* sus Salustium & Bezam, diuinam triplicantes & realiter distinguentes essentiam differuimus. Quasdam solum Ecclesiæ veteris Patrumq; decreta proferas, & satis mihi erit.

DOCT. Maximum concilium Nicenum *5.* aduersus Arrianos definitur, *credendum Filiũ esse consubstantialem patri.* Igitur damnauit dicentes eum habere substantiam distinctam ab eo: quod Caluinus facit. Magnus Athan. D in alio fidei nostræ symbolo canit de Trinitate: *Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.* Atque hæc est fides totius priscæ Ecclesiæ Orientis, qua damnatur Geneuanorum perfidia, substantiam personarum reipsa diuidentium.

Africanæ porro Ecclesiæ præclarum lu- *6.* men Augustinus protestatur: Credimus, te- *Li.11. ciu.* nemus, & fideliter prædicamus, quod Pater *c.24.* genuerit Verbum, vnus vnum, æternus coæternum: & quod Spiritus S. simul Patris & filij sit Spiritus, & ipse consubstantialis am- *Conc.1. in* bobus. *Et rursus idem*: In fide Catholica con- *Psal.68.*

tra

tra venena hæreticorum sic ædificamus, vt A
dicamus Patrem & Filium & Spiritum sanctum vnius substantiæ esse. Quid est vnius substantiæ? &c. Eo quod Deus est, hoc ipso substantia est. Et quia eiusdem substantiæ filius, proculdubio & Deus. *Et post pauca:* In diuinis tanta est substantiæ societas, vt æqualitatem admittat, pluralitatem non admittat:
Tract. de eo quod dictum est, Ego sum qui sum. *Alibi rursum idē scribit:* Catholica fide credi Patrem, Filium & Spiritum sanctum vnum Deum, vnius substantiæ Trinitatem, inseparabiliter, æqualiter, non commixtione confusam, non distinctione separatam, &c. Audin? Filium esse Patri consubstantialem? Fidem Catholicam profiteri eiusdem esse cū B
Patre substantiæ? Deitatem idem esse quod substantia? Substantiæ diuinæ tantam esse societatem & vnitatem, vt distinctionem, aut pluralitatem non admittat? MIN. Percipio, & alta mente repono, quam procul à fide priscæ Ecclesiæ, pietateque omnium beatorum patrum Caluinus recedens; multos secum in tenebras interiores pertrahat. Tātum aliquod Occidentalis Ecclesiæ proferas testimonium, & sat mihi erit.

7. *L. de D. incar. sac. c. 10.* DOCT. Eximius Mediolanensis Ecclesiæ præsul Ambrosius, illos graui disputatione refellit, qui Filium Patri quidem similem, sed non vnius substantiæ cum Patre dictitabant. C Alio rursum loco, hanc totius Christianismi fidē esse protestatur, quam à maioribus (inquit) aduersus Sabellianos & Arrianos
Epist. 40. ita traditam tenemus, vt Patrem Deum, & Filium eius vnigenitum, & Spiritum sanctum veneremur, hanc Trinitatem vnius esse substantiæ, maiestatis, & diuinitatis. *Iterumque ait:*
Lib. 1. de fide, c. 9. Eos qui dicunt Filium ex alia (quam Patris) substantia vel ousia esse, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia. MINIST. Hæc mihi satis superque faciunt: video enim non solum Caluinum suam ipsius impietatem coarguere, & discipulos eius hanc ipsam quoque damnare: sed D
& totius veteris Ecclesiæ persuasionem esse, Filium Dei nec aliam, nec distinctam substantiam, prout substantia à Græcorum οὐσία, & non ab ὑπόστασις deducitur, prorsus habere: quare alia de re sermonem instituamus.

FILIVM DEI AEQVE PRIMAM AC præcipuam vitæ atque salutis humanæ CAVSAM esse, atque est Pater: aduersus nonam hæresin.

CAPVT VII.

DOCTOR.

Eiusdem Filij Dei maiestatem & gloriam diuinam eo vsque extenuant ac depriment, vt ei duntaxat secundum à Patre locum & gradum causæ nostræ vitæ ac salutis ęternæ relinquant: vt eundē in cuiusdā serui, ministri, & vicarij ordinem cogant. MIN. Vix mihi persuadeo eos illucusque dementiæ peruenisse. DOCT. Hæc sunt vestri hæresiarchæ verba, *Quia Deus Pater, penes quem residet vita, procul à nobis distat, Christus quasi medius statuitur, qui est secunda vitæ causa, vt inde ad nos vsque perueniat.* *In ca. 6. Io. v. 57.* Et ne quis excusando dicat eum de sola eius humanitate loqui, paucis antea lineis scribit: *Hoc elogium esse Filii Dei in carne manifestati.* Eundem quoque in serui ordinem redigens, rursum scribit: *Illum ab intimis secretis Patri fuisse.* Et iterum apertius alibi: *Christum amplectere seruum Patris.* Iterumque: *Christus se ministrum duntaxat statuit, qui nihil nisi Dei virtute gesserit.* *In ca. 1. Io. v. 18. In c. 6. v. 55. & in c. 17. v. 12.* Et ne quis putet ista Caluino imprudenter excidisse, attendat eum in peius proficientem, rursus scribere: *Filius metaphorice dicitur sedere ad dexteram Patris, ratione secundi vel proximi gradus quē obtinet ille vicarius Dei.* Rursumq; : *Dicitur Christus sedere ad dexteram Patris, quia secundum quasi honoris & imperii locum obtinet.* *In c. 22. Mat. v. 44. In c. 26. v. 64. & in c. 16. Marc. v. 19.* Hæc ille; ex quibus animaduertis Filij Dei summam ac infinitam maiestatem sic obscurari & deprimi, vt ei duntaxat serui, ac vicarij locus apud Patrem, & solius secundæ causæ vitæ nostræ gradus vix assignetur.

Confut. 1. MIN. Prorsus ita esse vt scribis, mihi persuades. Atque vt nihil te celem, hæc omnia, longeque adhuc deteriora me legisse recordor apud Caluinum: sed nolebam verenda præceptoris detegere. Deinde, isthæc humanæ naturæ Christi tribuenda esse credebam. DOCT. Sane si hanc per se solam spectauerimus, huic non male conueniūt; quoniam propagata est ex semine Patriarcharum, in vtero autem Virginis ex Spiritu sancto concreta, atque inde nata. Vt sic autem animo concepta, non tantum *formam serui præ se tulit*, verum etiam dicitur *opprobrium hominum, abiectio plebis, vermis non homo. vir* *Phil. 2. Psal. 21. Isa. 53.*

à Deo percussus & humiliatus, &c. Sed conspicis hæresiarcham de Christo loqui vt Saluator est, vtque cum Patre diuino comparatus: atque cum sic mente conceptum, loco scribæ, cubicularij serui, vicarij tantum haberi: & in secundum duntaxat honoris, imperij, atque potentiæ, à Caluino substerni: quare excusari non potest, quin acerbissime Filij Dei maiestati detrahat.

2. MIN. Nolo etiam hominem excusare, cum è contrario & credam, & probare valeam certissimum ac verissimum esse, quod in fidei nostræ articulis de illo traditur: *AEqualis est Patri secundum diuinitatem.* Item *Patris & Filii & Spiritus S. vna est diuinitas, aqualis gloria, & coaterna maiestas. Qualis Pater talis Filius, talis Spiritus sanctus. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed tota tres persona coaterna sibi sunt & coaquales.* Cum igitur Filius sit omnino Patri æqualis, habeatque eandem diuinitatem, ęqualem gloriam, & coæternam maiestatem, nec sit vlla ratione Patre minor aut posterior; Caluinicum propositum præcipuis Christianæ fidei articulis ex professo repugnat, & Filij Dei potestatem, gloriam, ac imperium non parum imminuit. DOCT. Recte sane concludis, atque sic credendum esse manifestum est, nisi velimus æternis gehennæ Flammis cruciari. Sed perge tuo laudabili more hanc hæresin proprio authoris testimonio diuellere.

Athan.

3. MINIST. Author suo se confodit gladio dum scribit, *Arrianos rabie correptos, qui quidem putauerunt Iesum Christum non fuisse aqualem Patri, acsi in vna & eadem simplici Dei essentia, aliqua posset inaqualitas reperiri.* DOCT. Furit ergo ipsemet, qui tam audacter in ea diuersas vitæ assignat causas, dispares honoris gradus, varios ordines & locos imperij atque honoris.

In c. 1. Io. v. 18.

4. Scribit rursum Institut. lib. 1. cap. 13. §. 24. *Quos alloquitur Pater, dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, certum est fuisse increatos: nihil vero increatum, excepto ipso Deo, & quidem vno. Nunc ergo nisi concedat Patris, Filii, & Spiritus communem fuisse creandi potestatem, & commune iubendi imperium, sequetur Deum non intus secum ita loquutum esse, sed direxisse ad alios extraneos opifices sermonem suũ.* DOCT. Si communis est creandi & imperandi potestas, non sunt certe diuersi gradus aut ordines causarum: sed vna & summa tantum causa.

Gen. 1.

5. MIN. Tum eius successor spectabilis Beza inquit. *Persona diuina sunt coessentiales, & coaterna, sine proprietatum confusione, aut vlla inaqualitate, vt Ecclesia sacris exposuit scripturis contra Sabellium, Samosatenum, Arrium & Nestorium, quorum errores ex animo detestamur.* Addit etiam paulo post. *Credimus Iesum Christum secundum naturam diuinam esse vnicum Patris Filium, coaternum, consubstantialem, & in omnibus, & per omnia Deo Patri aqualem.* Ex his autem huiusmodi elicio conclusiones. Cum Pater & Filius sint vna essentia absque vlla inæqualitate, imo in omnibus & per omnia æquales: improbissimus profecto Caluin', qui vnum vult in primis, alterum in secundis tantum consistere. Regem alterum, scribam illum: principem hunc, legatum illum. magistrum hunc, illum seruum: illum præfectum seu Curatum, hunc vicarium. Illi primum honoris & imperij locum tribuit, huic solummodo secundum relinquit. DOCTOR. Tam certa sunt hæc omnia, vt omni sensu careret, qui his aliquo pacto resisteret: quare hæresis Caluinica remanet victa, damnata, nec non propria authoris sententia confutata, quam etiam refellunt successores eius ac discipuli.

Confess. 1. art. 2. & punct. 3

6. MIN. Iam testimonia scripturæ, in quibus æqualitas Patris & Filij declaratur, proferas velim. DOCT. Ioannes in primis alta voce significat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Atqui si esset aliquo gradu Patre inferior, aut Deus non esset, aut duo dij essent, maior videlicet & minor. Id autem cogitare infandum est sacrilegium.

Ioan. 1.

7. Idem rursum Euangelista vocat Filium, seu Verbum, rerum omnium authorem: *Omnia*, inquiens, *per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Erat lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ.* MINIST. In hunc locum fatetur Caluinus, *Christum esse lumen, quod per se & ex se illucet, & totum irradiat mundum, ita vt nulla sit alia causa vel origo splendoris.* DOCT. Tanto melius, nam ex his seipsum coarguit. Quia si Filius author est vitæ, creator vniuersi, vnicum lumen mortalium, quod ex se & per se reluceat, Geneuanus iste obcæcatur nimium dum in ordine secundarum causarum eum collocando deprimit.

Ioan. 1.

8. Addit beatus Ioannes de eodem Verbo, seu Filio Dei: *Dedit potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius.* Habet itaque cum Patre eandem adoptandi potestatem. Sed nostram hanc fidem adhuc clarius confirmat,

Ioan. 1.

mat, & Hugnosticam infidelitatem subuertit his verbis: *Qui credit in Filium, non iudicatur. Qui credit in Filium habet vitam æternam. Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed, ira Dei manet super eum.* Ex his enim manifestum est, Filium nullo pacto minorem esse Patre, cum æqualiter in vtroq; nostra fides & spes reponi debeat. A

Ioan. 3.

9. Eandem rursum imperij & potestatis æqualitatem inter Patrem & Filium copiose his verbis confirmat: *Vt Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. Quicunq; videt Filium, & credit in eum, habebit vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Et Simon Petrus eadem fide qua & nos præditi sumus, longe ante nos dixit. *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. Nos credimus & cognouimus quia tu es Filius Dei viui.* Etenim vniuersa hæc Euangelij decreta satis euidenter demonstrant Filium non esse Patris tantum ministrum, non seruum, non vicarium, vt præfracte garrit hæresiarcha: sed omnino illi æqualem, cum in omnibus & per omnia cum Patre eandem habeat vitæ nobis elargiendæ, resuscitandi, glorificandi & saluandi potestatem. B

Ioan. 5. 6.

10. Adhuc multo dilucidius inquit: *Ego sum pastor bonus. Ego sum ostium ouium, per me si quis introierit, saluabitur. Ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Animã meam pono pro ouib. meis. Ego vitam æternam do eis. Et non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea, &c.* Dic obsecro, vtrum quis minister, scriba, vel seruus tam libere & audacter hæc auderet polliceri? MIN. Nequaquã: id enim est summi Principis: nec certe potuisset Filius Dei accuratius sese prædicare æqualem Patri in potentia, bonitate, sapiẽtia, iustitia, ac in humanum genus beneuolentia, quam dicendo, *Do vitam æternam.* Iterumq; adiiciens, *Ego & pater vnum sumus.* Licet enim Caluinus id interpretetur de vnitate consensionis & concordiæ, vt sic tam veterib. quam nouis Arrianis gratificetur: nunquam tñ negare poterit, quo minus Filius Dei sit *resurrectio, via, veritas, & vita:* nunquã negare poterit, nos baptizari æquali potestate ac iure in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti: nunquam negare poterit Filium in forma Dei, non rapina arbitratum se esse æqualem Deo: ac proinde nec seruum, nec vicarium, nec secundum à Patre locum honoris & imperij habere: sed eundem cum Patre primum ac potissimum. C D

Ioan. 10. Ioan. 10. Ioan. 14. Matth. 28. Philip. 2.

DOC. Quinetiam quatenus Filius hominis est, *Pater dedit ei potestatem iudicium facere, peccata remittere, quos voluerit viuificare*, mortuos ad vitam reuocare, denique omnia dedit illi Pater in manus, adeo vt confidenter dicat, *Omnia quæ habet Pater mea sunt, data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Quocirca improbissimum est Hugnosticorum sacrilegium, eum tantum constituere ministrum, causam vitæ secundam, secundam potentiam ei affingere, talemq; eidem authoritatem tribuere, qualem emendicatus quidam vicarius haberet à parœco. MIN. Reuera Caluinus hac in re perbelle conuenit cum Ebioniтis, Samosatenianis, Arrianis, & aliis veteribus maiestatis coæterni Filij Dei hostib. qui tantundem libenter Christo tribuebant. Nec admodum dissentit à Turcis, Persis, Mauris, Tartaris, cæterisque Mahometanis, qui non minorem ei dignitatem vltro sponteq; adscribere nihil verentur. Itaq; pudore suffusus doleo, tam abominandas impietates sub repurgatæ Ecclesiæ pallio in dies seminari & operiri. Ad aliud quæso te properemus.

11. Ioan. 5. 13. Luc. 5. Matth. 10. Matth. 28.

NATVRAM DIVINAM ET HVMAnam sic in Christo coniunctas esse, vt VNICA SIT TANTVM HYPOSTASIS *seu persona: aduersus 10. & 11. hæresin.*

CAPVT VIII.

DOCTOR.

DVces ac signiferi vestri nefarie dilacerant, & in duas personas separant vnicam & indiuisibilem hypostasin Domini Iesu Christi. MIN. Id ab his fieri nequaquam potest. DOCT. Dic, cur non? MIN. Nestorij errorem, quem abominantur, renouarent. DOC. Si manifeste probauero, non vis mecum idipsum reprobare? MIN. Sane quidẽ. DOCT. Atqui eos tribus modis iam eius erroris conuictos teneo. Primo, quod Caluinus verbo tantum Nestorianos accusando, incidit in eorum hæresin scribendo: *Inepte admodum hæc loquendi formula vsurpatur, Destruite templum hoc, &c. ad tollendam in Iesu Christo personarum vnitatem.* Qui diceret vnitatem naturarum, plures naturas agnosceret: igitur Caluinus dicens *vnitatem personarum in Christo* plurali numero, nõ vnicam, sed duas saltem in eo esse confingit. MIN. His non possum repugnare. DOCT. Adhuc apertius suã declarat hæresin in Institutione, vbi pro

Com. Gal. lic. in c. 2. Ioa. Geneu. 1553. pag. 109. linea 6. & 7.

L.1.c.13.§. 9.13.14. summo se gerẽs Theologo, ait *se velle de Christo disserere quatenus est persona diuina, nec adhuc mediatoris attingere personam*: qua garrulitate duplicem in eo constituit personam, vnam diuinam, alteram mediatoris. Est postea scribit: *Respondeo Christum esse Dei Filium, quia Sermo est à Patre ante secula genitus: nondum enim de mediatoris persona nobis sermo est*: Et iterũ: *Christus filius Dei vocatur non tantum quatenus ante secula genitus ex Patre fuit, æternus Sermo; sed quia mediatoris suscepit personam, &c.* Sic.n.secundo & tertio distinguendo personam mediatoris, id est humanam, à verbo seu persona æterna Filij Dei, in oculis & ore omniũ duas in Christo personas cõstituit. MIN. Oporteret eum nauiter impudentẽ qui negaret. DOC. Audisti etiam quemadmodum definiendo vocabulum personæ, modo vult esse aliquã proprietatem residentem, modo naturam vel substantiam: at vero certissimum est in Christo esse duas substantias & naturas, multas etiam proprietates: igitur perspicuum est Caluinum Iesum Christum vnicum Dominum nostrum in personarũ pluralitatem diuidere. MIN. Tam dilucide & apposite colligis, vt cõtra sentire nec quicquam valeam. DOCT. Beza in eodem sese volutans cœno, ad Brentij argumenta respondens ait: *In Christo duæ sunt vniones hypostaticæ, vna inter corpus & animam, dum sibi personaliter iunguntur: altera inter Verbum & hominem vt simul conueniunt ad vnum constituendum Christum.* De hoc reprehensus à Iacobo Andrea altero Germaniæ ministro, non resipuit: sed profecit in peius, respondens, *vere corpus & animam personaliter coniungi, & personam constituere humanam.* Non posset autem negare aliunde Filium Dei ante incarnationem fuisse veram hypostasin ac personam diuinám: sequitur itaque quod in Christo ponit & personam diuinam, & personam humanam, sicq; duas cum Nestorianis personas. Inde factum est vt in Colloquio Montpelgartensi, ad obiectum sibi Alcoranismum & Nestorianismũ, palam responderit: *Nestorianismum se ferre posse, non autem Alcoranismum.*

Opusc. Gen. 1570. pag. 513. 638. & 39.

Confut. 1. MIN. Nec huic errori subscribam, sed omni ratione refellam atque detestabor. Primum quia sibi contradicunt, & instar latronum mutuo sese accusant & damnant. Nam Beza in Confessione fidei *contestatur se toto animo improbare Nestorij impias hæreses.* Hic autem propterea quod Iesum Christũ in duas personas secernebat, à ducentis Patribus in Conc. Ephesino anathemate primum per-

Confes. fid. p.1. art.2.

Niceph. l. 14. c.38.

A B C D

cussus fuit; deinde à Theodosio imperatore extra fines Rom. Imp. in exiliũ pulsus; vbi in insania perseuerans, corpora demũ & anima vt Dathan & Core contigerat, terræ hiatu ab inferis correptus est. DOC. Hoc vtinam serio secum recogitent Bezani & Caluiniani, desinantq; aliquando furores huius Satanæ mancipij reparare. Num quoque Caluinus secum dissidet ipse? Num. 16.

2. MIN. Multum per omnem modum. Etenim super hæc verba, *Verbum caro factum est*, sic commentatur: *In hoc articulo nos seruare oportet, vnitatem personæ non impedire quo minus naturæ distinctæ maneant.* Et rursum: *Propter vnitatem personæ*, inquit, *illud satis frequens, vt id quod proprium est vni naturæ solius filij Dei, ad aliam transferantur.* DOCT. Huiusmodi est SS. Patrum & Conciliorum sententia aduersus Nestorium decreta, quare Caluinus eius imitator alibi factus, remanet proprio iudicio condemnatus. In c.1. Ioa.

3. MIN. Ille rursum in hunc Ioannis versiculum, *Hoc vos scandalizat*, tradit, *propterea quod duæ in Christo naturæ vnam tantum constituunt personam, non est noua illi loquendi forma, vni tribuere quod proprium est alteri.* Et in illam D. Thomæ ad IESVM exclamationem, *Dominus meus, & Deus meus*, ait: *Hic videtur vnitas personæ in Christo Iesu expressa, quando vnus & idem Iesus Christus vocatur Deus & Dominus.* DOCT. Errat igitur ipse & turpissime & improbissime, rursusque in errorem inducit eos, qui dictis suis fidem adhibentes, aliam personã Mediatoris comminiscuntur ab æterna Filij Dei persona: & vnicum Dominum in duas personas distrahunt. In c. 6. Ioa. In c.20. Io.

4. His quoq; addamus, inter fidei Catholicæ articulos relatum esse in symbolis, quæ etiam à Hugnosticis admittuntur, *Credo in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei vnigenitum, Credo in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria Virgine.* Deinde in Athanasij symbolo, ita dilucide vt nihil amplius desiderari possit illud ipsum explicatur: *Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus non conuersione Diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitate personæ.* Ad illustrandum vero tantisper hoc diuinum profusus mysterium, eo vtitur exemplo. *Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, sic Deus & homo vnus est Christus.* Symb. Nic. Symb. Apos. Symb. Atha.

MIN. Hæc certissima firmissima, & clarissima sunt Christianæ Religionis fundamenta: sed

ta: sed ad hanc fidem magis ac magis propagandam, hæreticum vero mendacium confutandum, non erit alienum aliquos proferre scripturæ locos. DOC. Angelus dicens ad Virginem, *Concipies in vtero & paries Filium, Hic erit magnus, & Filius altißimi vocabitur. Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Elizabetha quoq; exclamans, *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* satis superq; probant vnũ & eundem esse Filium Dei & Filiũ Virginis: & quod ipsa Mater est Verbi Dei simul & hominis in vno eodemq; supposito. Etenim si duplex esset in Christo persona, altera Filij Dei, altera vero (vt Caluinus Nestorizans ait) mediatoris; proculdubio duos Filios, duos magnos, duos sanctos, & duos Dominos Diuinus nuncius, & Spiritu sancto afflata vetula prædicassent: vnicum autem & solum Filium Altissimi ex Virgine natum, vnicum sanctum, vnicum magnum, & vnicum Dominum asserentes, cunctos in diuersas hypostases illum distrahentes, ab omni pietate alienos esse demonstrant. Nouerat Apostol. duas in Domino IESV naturas seu substantias minime confusas, Diuinam scilicet ac humanam: attamen de eo semper loquitur tanquam de vnica hypostasi & persona, nunquam diuidit, nunquã hæretico more lacerat. *Factus est filius Dei,* inquiens, *ex semine Dauid secundum carnem. Misit Deus filium suũ factum ex muliere, factum sub lege. Cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Vbique etiam inculcat vnum Christum, vnum Dominum, & eundem crucifixum: Iudæos Dominum gloriæ crucifixisse, &c. Ex quibus patet Nestorianos veteres in Caluinianis hodie renatos, non esse à Deo missos; nec eo Spiritu afflatos, qui Paulum legauit & inspirauit: sed à principe tenebrarum excitatos, vt propediem venturo magno Antichristo viam parent ac muniant.

5. Luc. 1.

6. Rom. 1. Galat. 4. Philip. 2. 2. Cor. 4. 1. Cor. 2.

7. MIN. Id sane verissimum, quoniam Dominus IESVS per vnice dilectum sibi discipulum clara & alta voce pronunciat: *Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est. Et hic est Antichristus.* Vere autem soluit Iesum, qui dissoluta vnitione hypostatica in duas personas, duos filios, duosque dominos vnicum illum mediatorem Dei & hominum, cum Nestorianis & Bezanis separat, atq; damnabiliter soluit. Hanc autem hæresin aliquot Patrum sententiis refelle, & Catholicum dogma tantum confirma.

1. Ioa. 3.

8. DOCT. Magnus Hieronymus in illum Apostoli locum, *Idem est qui ascendit super omnes cælos, &c.* docet illo cõfutari Photinum ac Ebionem, qui Christi diuinitatem denegarunt; tum etiam Nestorium, qui errore furioso diuidebat filium Dei & filium hominis in duas personas. Eandem rursum hæresin sua premit censura, cum his Euangelistæ verbis, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis:* tum his Diui Pauli, *qui erat æqualis Deo, semetipsum exinaniuit, &c.* MIN. Manifesta res est, quod de eo loquitur Apostolus veluti de vnico Filio atque Domino, & vnicam tantum gerente personam.

Hieron. in c. 4. Ephes. Quæst. 9. ad Hedib. Ioan. 1. Philip. 2.

9. DOCT. Augustinus quoque eundem Nestorium & sequaces refert in numerum hæreticorum, quos tota reprobauit Christianorum Ecclesia, eo quod inquit, omnem salutis nostræ causam abolere conatus est, quo Verbum Dei sic hominem suscipere dignatum est in vtero Virginis, vt vna persona fieret Dei & hominis, propterea sic singulariter & mirabiliter natus, mortuus etiam pro peccatis nostris, cum ea quæ non rapuerat, solueret, Deus homo à mortuis resurgens ascendit in cælum.

L. de hæres.

10. MIN. Sed quid Romani Episcopi de his rebus aliquando decreuerint, velim nunc à te rescire. DOCT. Ex vnico sane maximo Leone facile disces. Is æque Nestorium improbat, Christum in duas personas diuidentem, & Eutichem impia commixtione duas in eo naturas confundentem. Ait quoque: fides Catholica, quæ omnibus resistit erroribus, etiam simul istas impietates refutat, damnans Nestorium diuina ab homine diuidentem, detestans Eutychem in diuinis humana vacuantem. Idem quoque Epistola ad Iulianum Episcopum, asserit Iesum nunquam fore inter Deum & homines mediatorem idoneum, nisi Deus & homo simul & personaliter fuisset. Denique in Epistola ad Leonem Imperat. Nestorium huius erroris authorem damnat, vt rabidam insaniam, & contrariam doctrinæ ac fidei Christianæ molientem.

Ser. de Nat. Serm. … Ieiun.

MIN. Addas tantum nomina & locos aliorum antiquorũ, qui eandem hæresin confutauerunt & damnauerunt. DOC. Gelasius & ipse summus Apostolicæ Ecclesiæ Pontifex, librũ edidit de duab. in Christo naturis, in vnica persona. Theodoretus libro quarto compendij hæreticarum fabularum. Ioannes Cassianus lib. de incarnatione Verbi. Damascenus libro 3. de fide orthodoxa, cap. 2. & 3. & libro de hæresibus. Edidit quoque Arnobius Romanus ante mille & centum annos

annos Conflictum cum Serapione de duabus in Christo naturis in vnica persona, quo grauiter simul & acute rem istam pertractat. MIN. Apud quem prostat Conflictus iste? DOCT. Nondum prodiit in lucem: sed nostra opera ex vetustissimo exemplari exscripto, & annotato, breui, si Deus dederit, typis excusus cunctis Latinis communicabitur.

SVPREMAM ADORATIONEM Deberi Christo Domino, etiam quatenus Deus & Homo est: contra 12. & 13. hæresin.

Capvt IX.

DOCTOR.

CAluinianorum nouus error est in eo, quod personam Domini nostri Iesu Christi cum duab. substantiis ac naturis suis consideratam omni religiosa adoratione & diuino cultu spoliant: ne (vt comminiscuntur) creaturam aut elementum adorent pro Creatore. MIN. In libris Caluini isthæc me legisse non memini. DOCT. Fateor quidem illum cautius in hac re se gessisse, quam discipuli fecerint: sed nihilo religiosius. MINIS. Tuam igitur accusationem instituas prius in discipulos: deinde quid præceptor censuerit, dispiciemus.

DOCT. Lambertus Danæus primum in Belgium, deinde in Vasconiam à Geneuanis missus, in hæc verba prorupit: *Quoniam caro Christi etiam in vnione, vera caro est, vt vere creatura: ideo nunquam religioso cultu adoranda est.* Nec his contentus, eandem ingeminat hæresin scribendo: *Qui ad ipsam carnem Christi suā adorationem aut inuocationem dirigit, is ex ipsius Dei ore maledictus est.* MIN. O monstrum horrendum, dignius vocari damnatus, quam Danæus: quoniam hacce grauiorem damnati nō possent euomere blasphemiam. DOC. Quidā exigui quidē nominis, sed magni veneni sator, Ioannes Sturmius Strasburgensiū scholarum rector, eadem ibi pro viribus semina sparsit quanta potuit industria. Tertius præterea Caluini discipulus, Petrus Richerus nomine, ab eodem Caluino missus in Americam 1557. præsente Nicolao Vvillagagnone regio ibidem Præfecto, publice concionatus est, & sua postmodum obsignauit manu, coram Francisco Alberico notario publico 1559. Maij 14. *Non esse adorandum Christum in carne humana, ne terrenum adoretur elementum.* Addebat postea: *Permissum est hunc vt Deum, non vt hominem adorare.* His adiungo Bezam & Musculum, qui nomine Geneuanorum & Bernensium ad colloquium Montpelgartense missi, Iacobo Andreæ blasphemias istas Danæi exprobranti, responderunt, *se Danæum nolle damnare: qui si præsens esset*, aiebant, *haberet quid pro se responderet.* Habes igitur quid Rabbini vestri quinque discipuli de proposito articulo sentiant atque doceant.

Apologia de adora. carnis Do. nostri.
Exam. lib. Kemnitij.
Epist. apol. cont. Iac. Andream.

Quid autem aliud Caluinum voluisse censes, cum ait (vt nuper audisti) Dominum nostrum Iesum Christum, *duntaxat esse Patris ministrum, seruum, vicarium, scribam, vitæ secundam causam, & secundum tantum honoris locum post Patrem obtinere*, nisi vt eum omni religioso cultu & adoratione spoliaret? Et Satanam per eum contra Filium Dei hominum redemptorem & iudicem, hanc proditionem machinari, vel ab eo tempore quo suū componeret Catechismum, scribendo, *quod solum adoret Patrem, in nomine Filij?* MINIS. Id proculdubio verum est. Nolo etiam reticere, mihi semper displicuisse, quod vbicunq; potest, adorationem Deo & homini Christo à viris bonis factam imminuit, extenuat, impedit. Enimuero in Harmonia sua scribit, *Magos nec adorasse nec agnouisse Christum vt verum Deum: sed tantum ei vt magni cuiusdam Regis filio suum obtulisse obsequium.* Nec pertimescit dicere Centurionem, qui cum vehementiore adorabat fide, *Diuinitatis eius fuisse ignarum, proinde non adorasse vt verum Deum: sed tantum apprehendisse potestatem diuinam, quæ in eius relucebat miraculis.* Et vbi Euangelista scribit, Iairum principem synagogæ Christum adorasse, *ait eum altero tantum genu flexo salutasse, vt Prophetis fieri consueuerat: nec vllum honorem diuinum eidem exhibuisse.* Rursum, vbi Ioannes scribit cæcum natum, sed iam illuminatum, Iesum adorasse, sic inepte ait: *Adorationis verbo nihil aliud Euangelista significat, nisi quod genu demisso, vel alio quodam signo indicauit honorem, obsequium, & alia beneuolentiæ signa alteri exhibenda.* DOC. Istud profecto imminuere est, & infando sacrilegio surripere supremam adorationem, quam vnico Filio Dei debebat & exhibebat.

Cal. in Harmonia
Ioan. 9.

Sed quos putas fructus iam pepererunt isthæc Caluinica aduersus cultum Christi maledicta seminaria? MIN. Quos nostine tardes aperire. DOCT. His Caluinicis sententiis subnixus Franciscus Dauid in Transsyluania minister, publice concionatur & scriptis

Confut. I.

scriptis diuulgat, Christum absolute nec ad- A orandum nec inuocandum. Alciatus eius collega, hanc impietatem pro viribus locupletat & spargit. Franken è societate patrum Iesuitarum apostata, in Hungaria & Polonia vocibus & libellis incredibiles blasphemias exhalans, eundem Dominum nostrum omni diuinitate spoliat, Ebioniticam insaniā renouat, & aliquo modo colendum aut inuocandum esse pernegat. MIN. O singularem hominis improbitatem! ô scelus! ô satanicum vere organum! Vel hæc sola profecto ex Caluiniano fermento nata amaritudo amarissima, ad impietatem eius refellen- B dam, & Christi supremum cultum docendum & propagandum sufficere deberet. DOCT. Præstat nihilominus hæresin illam primo, vt hactenus factitatum est, propriis authorum testimoniis refellere, deinde apertis scripturis, Patrumque sanctissimis de-

2. cretis eandem penitus opprimere. MIN. Caluinus certe præfatione Institutionis, ait, se suosq; vna cum omni fidelium populo adorare verum Deum & Dominum Iesum Christum, eo plane modo, quo eum viri boni semper adorarunt, his verbis: *Deum viuum & Christum Dominum cum omni fidelium populo co-* C *limus & adoramus, qualiter semper ab omnibus piis adoratus est.* DOCT. Quorsum igitur alio in loco secundum tantum honoris eidem assignat gradum? Quorsum profitetur se *solum Patrem* adorare? Quorsum exclusiua particula, Filium summo cultu priuat? Sed perge eum irretire, & suis implicare laqueis.

3. MINIST. In libro de actis Serueti scribit:
Pag. 9. & 205. *Se rogasse Seruetum lata iam in eum mortis sententia, vt ad veniam à Filio Dei impetrandam se totum conuerteret, quem suis deliramentis extenuauerat: sed ex eius ore nullam æterni Filij Dei potuit vnquam extrahere inuocationem.* Alibi vero D sæpissime dicit, Inuocare aliquem argumentum esse in eum fidei, atque supremi cultus: itaque istud exigens à Serueto, satis docebat Christum suppliciter colendum & adorandum esse: quod hæresi suorum manifeste aduersatur, & orthodoxam sententiam confirmat.

4. Semetipsum adhuc apertius condemnat
In c. 2. Luc. v. 12. scribens in Harmonia, *Nullum quantumuis cōtemptibile signum obscurare apud nos eius (Christi) gloriam debet, quin saltem humiliter eum adoremus. Pastores minime offendit stabulum quominus salutem petant à Christo.*

DOCT. At hic præsertim Christi apparebat carnis infirmitas ac infantilis imbecillitas. Hunc autem Filium in carne & cum carne assumpta adorabant (vt vel inuitus hostis fatetur) sancti pastores. Igitur extrema refertus est malitia cum pro virili Magos, Centurionem, cæcum illuminatum, Iairum, & quosuis alios impedit, quominus eum vt Deum viuum & verum adorent. Vereq; damnatus Danæus minister, prohibens eum cum carne demisse colendum esse.

MIN. Scribit etiam in eodem libro, Chri- 5.
stum sedere ad dexteram Patris, & suum in In c. 28.
cælo & in terra tenere principatum, cui sum- Matth.
ma datur potentia, *vt coram eo omne genu flectatur.* Et paulo post adhuc manifestius suam suorumque impugnans perfidiam, explicansque locum scripturæ vbi refertur, Apostolos Dominum gloriose in cælos ascendentem adorasse, *non vt magistrum suum,* inquit, *aut Prophetam, imo vt verum Messiam, regem gloriæ, & totius mundi iudicem adorauerunt.* DOCT. Atqui non ascendit nisi secundum carnem assumptam, non est Messias & seruator sine carne, non iudicabit mundum nisi cum carne: eum igitur & cum carne, & in carne positum, & Apostoli adorauerunt, & cunctos adorare decet.

MIN. Alio etiam loco scribit, Deum Pa- 6.
trem sic velle in persona Christi Filij sui agnosci ac venerari, *vt ei omnia deferantur, quæ* In c. 11. Io.
sibi postulat deferri: & propterea Turcas & Iudæos frustra sibi persuadere Deo gratum se cultum offerre, cum à Iesu Christo eius Filio animum habent alienum. Ex quibus omnibus sic aduersus hanc hæresin ratiocinor atque concludo. Omnis potestas Christo homini data est in cælo & in terra: igitur & omnis cultus religiosus, cum supremum dominium sit adorationis potior ratio. Homini Christo omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum, idq; pro sua authoritate Deo præcipiente, & scribente Apostolo: igitur, degentibus in inferis sunt hac in re deteriores Caluiniani, omnem cultum ei detrahentes: Deoq; Patri immorigeri, & Filio eius contumeliosi. Sancti apostoli eum submissis animis adorarunt, vt verum Messiam & mundi iudicem: igitur & nos omnes coram ipso procidere, & qua possumus adoratione salutem & gratiam oportet ab ipso implorare. Atque hæc mea fides & religio, quicquid contra nugigeruli blaterent ministri. Tu quid tibi videatur pronuncia.

DOCT. Pie facis atque religiose: nec Chri- 7.
stiani nomen meretur, qui aliter faxit, vt iam firmissimis testimoniis & rationibus compro-

probabo. Primum, vniuerſæ docent ſcriptu- A ræ, confitentur omnes populi, nec ipſi dæmones opinor, audent negare, illum cum omni fide ac ſpe adorandum eſſe, qui natura verus & æternus eſt Deus omnipotens. At prophetæ, Apoſtoli, Euangeliſtæ, Sancti omnes fatentur talem eſſe Ieſum Chriſtum etiam cum aſſumpta carne: quinetiam vi miraculorũ eius coacti ſpiritus maligni, Iudæi, ſatellites, latrones idipſum claris vocib. perſonant. Quapropter neceſſe eſt vt ei etiam in carne & cum carne poſito, cultum religioſum & ſupremam deferant adorationem.

8. Secundo, cum vnus & idem ſit omnino B natura, Deitate, voluntate, poteſtate, ſapientia, maieſtate Deo Patri coæternus, conſubſtantialis, & per omnia æqualis, vt etiam Hugnoſticorum libera & ſpontanea eſt confeſſio: conſentaneum & plane neceſſarium eſt eum perinde ac Patrem venerari & obſer-

Ioan.10. uare. Ait enim. *Ego & Pater vnum ſumus. Omnia quæ habet Pater, mea ſunt.*

9. Tertio, idem Pater cum ſumma authori-

Pſal.2. tate expreſſe de Filio ſuo iubet: *Oſculamini Filium:* ſeu vt alij vertunt, adorate pure, *nequan-*

Pſal.96. *do iraſcatur, & pereatis de via iuſta.* Et alibi: *Ado-*

Heb.1. *rate eum omnes Angeli eius. Adorabunt in conſpe-* C

Pſ.21.44. *ctu eius omnes familiæ gentium. Ipſe eſt Dominus*

71.94.95. *Deus tuus, & adorabunt eum. Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes magnificabunt eum, omnes gentes ſeruient ei. Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ. Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.* Nam iſthæc omnia ſcripturę teſtimonia veteres de Chriſto Deo & homine, atque ſupremo cultu ei debito ac exhibendo interpretati ſunt. Hunc autem cunctis gentibus, populis, Regibus terræ, imo & Angelis cæleſtibus præcipit Deus Pater deferre vnigenito Filio ſuo: igitur Deo ipſi in faciem reſiſtunt, qui idipſum D facere cum Danæo, Richero, aut Caluino prohibent.

10. Quarto, grauiſsima, Deoq́ probata huius Chriſtianæ adorationis exempla nobis propoſita ſunt in ſanctis paſtoribus, qui relictis gregibus properarunt Chriſti adorare in-

Luc.2. fantiam. Deinde in fœliciſsimis Magis, qui

Matth.2. cum muneribus ad ſacram ſpeluncam accedentes *procidentes adorauerũt eum.* Sed & Cen-

Matt.8.15. turione, & muliere Chananæa, quorum fidẽ

Luc.8. Chriſtus laudauit & probauit, qui in carne,

Matth.20. & cum carne ſummum ei honorem detule-

Matth.14. runt. Inſuper, princeps ſynagogæ, mater fi-

28. lio um Zebedæi, cæci, leproſi, claudi, para-

Mar.5. lytici ab eo curati, ſanctæ fœminæ à ſepulcro redeuntes, beatiſsimi Apoſtoli conſcendentem in cælos Deum hominem conſpicientes, adorantes, factis nos edocuerunt, quem illi honorem afferre debeamus.

Quinto, facile ac in promptu eſt, perbreuï 11. omnium præcipuarum honoris atque adorationis Deo Patri debitæ cauſarum enumeratione probare, eam quoque Filio eius Ieſu Chriſto Deo & homini omnino deberi. MIN. Quoniam eximiam & maiorem quam crederes ex ea percepturus ſum delectationem, eam quæſo te, nunc explices. DOCT. Primus diuini obſequij articulus eſt, in eum tota mente credere, vt Apoſtolus paſsim loquitur. *Nam qui credit in illum, non confundetur.* Rom.10. *Accedentem ad Deum, oportet credere, &c.* fidem Heb.11. autem collocare in Chriſtum Deum ac ho- Ioan.1. minem omnibus fere noui teſtamenti pagi- Ioan.6. nis iubemur: veluti, *Dedit poteſtatem filios Dei* Ioan.14. *fieri his qui credunt in nomine eius. Qui credit in eum non peribit, ſed habebit vitam æternam. Creditis in Deum, & in me credite.* Laudantur Petrus, Martha, Cœcus, Apoſtoli, quod in eum crediderint.

Secundus eſt, totam ſpem ſalutis noſtræ 12. in diuinæ miſericordiæ theſauro reponere. Pſal.90. Nam beati omnes qui ſperant in eo. *Quoniã* Iſa.11. *in me ſperauit,* ait Dominus, *liberabo eum, protegam eum, &c.* De Meſsia Deo & homine cla- Geneſ.49. mant Prophetæ & Apoſtoli: *In eum gentes ſpe-* Epheſ.1. *rabunt. Et ipſe erit expectatio gentium. Nos qui primi ſperauimus in Chriſto, erimus in laudem gloriæ eius. Si tantum in hac vita in Chriſto ſperantes eſſemus miſerabiliores eſſemus omnib. hominibus, &c.* 1.Cor.15.

Tertius eſt, Deum toto corde, tota anima, 13. ex omni mente, & ex omnibus viribus ſuis diligere. Hoc enim eſt primum & maximum legis mandatum, in Euangelio probatum & confirmatum. Chriſtus autem Deus & homo dicit: *Qui amat patrem aut matrem pluſquam* Matth.10. *me, non eſt me dignus.* Ter petit à Petro, *Diligis* Ioan.21. *me plus his?* Exclamat quoque Paulus: *Si quis* 1.Cor.16. *non amat Dominum Ieſum Chriſtum, ſit anathema, maranatha.*

Quartus eſt, eius obaudiendo mandatis, 14. expectare, cum omni fiducia mercedem cæleſtem, quam repromiſit. At Chriſtus homo pollicetur, *Qui audit verba mea, & facit ea, aſsi-* Matth.7. *milabitur viro ſapienti qui ædificauit domum ſuam* Ioan.8.10. *ſupra petram &c. Amen, amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum. Oues meæ vocem meam audiunt, &c. & vitam æternam do eis.*

Quintus eſt, magno timore ac tremore 15. minas cęleſtes reformidare, & horrenda Dei ſum-

Luc.12. summi iudicia pertimescere. *Timete*, inquit, A *eum qui potest corpus & animam mittere in gehennam. Ita dico, hunc timete.* Dauid autem de
Psal.2. Christo loquitur in hunc modum. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, ne irascatur, & pereatis de via iusta.*

16. Sextus est, ad Dei gloriam, laudem, & honorem referre cunctas quæ in nobis conspici ac inesse possunt virtutes aut perfectiones.
Matth.5. Christus quoque ait, *Beati eritis cum maledixerint vobis homines, persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me: Gaudete, & exultate, &c.* Apostoli ibant
Act.5. gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine eius contumeliam pati. B Non vult Paulus alia in re gloriari,
Gal.6. nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, cuius stigmata in corpore suo portabat.

17. Septimus consistit in agnoscendo eum fontem esse vberrimum & inexhaustum omnium bonorum spiritalium & corporaliũ, communium & singularium, quæ singulis locis ac momẽtis adueniunt: eidemq; quantum maximas poterimus gratias pro illis referre. Scriptum est autem de Iesu Christo
Ioan.1. Domino nostro: *Omnia per ipsum facta sunt. In*
Coloss.1. *ipso condita sunt vniuersa in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia.* Refert quoque Ioannes se vidisse beatos omnes coram agno prostratos C cum cytharis & phialis plenis odoramentorum, cantantes:
Apoc.5. *Dignus es Domine, aperire librum, & soluere signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Addit etiam se vidisse millia millium Angelorum dicentium voce magna, *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, fortitudinem, honorem, gloriam, &c.*

18. Octauus est, ex infinitæ maiestatis, potestatis, ac gloriæ eius contemplatione simul & admiratione, in nostræ paupertatis, imbecillitatis ac infimæ conditionis agnitionem descendere: ac omni demissione animi, & quãtum poterimus externis viribus atque ritibus nos, nostraq; omnia eidem vti supremo D Domino demittere atq; submitetre. *Loquar*
Gen.18. *ad Dominum*, aiebat pater fidei nostræ, *cum sim pulnis & cinis, &c.* Atqui (vt nuper dicebamus) & Angeli de cælo, & Magi ab Oriente, & Pastores à Bethlehem, & Martha à Bethania, & Apostoli à Iudæa Iesu Christo Deo & homini, etiam in carne adhuc mortali degenti, seipsos demiserunt, &c.

19. Nonus est, alacri, spontanea, totaq; voluntate omnem famulatum ac obsequẽtissimũ seruitium illi deferre, quo seruus deuinctus est Domino, opus opifici, filius patri, & creatura suo Creatori. Sic aũt beati Angeli Christo homini, post quadragesimale ieiunium Matth.4.
esurienti, ministrauerunt: Apostoli pro magnificentissimo & gloriosissimo honoris titulo appellant se *seruos Iesu Christi.* Quin & vni eorum dixit Angelus, *Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu.* Apoc. 19. & 22.

Decimus est, quando in publicis iudiciis 20.
atque magistratuum tribunalibus verum dicere per maiestatem & reuerentiam eius adiurati, nomen eius non in vanum, sed in veri testimonium ac iudicium assumimus. In lege etenim scriptum est: *Iurabis per nomen Dei tui.* Et Paulus ait: Omnis controuersiæ finem esse huiusmodi iuramentum. Idem vero hocce adorationis officium Christo sæpe tribuit, per eum iurans, & alios per eundem sanctissime adiurans. Deu.6.10. Exod.23. Rom.9. Heb.6. 2.Tim.4.

Vndecimus est, quando publicam pro- 21.
fessionem religionis eius suscipientes, Sacramentis ab eo institutis initiamur, aut iustificamur. Sic autem æque baptizamur in nomine Iesu atque in nomine Patris: & baptizati vnctione chrismatis confirmamur, & absoluimur à peccatis, &c. quibus ritibus Christum Deum hominem & palam & vbique adoramus. Matth.28. Clemens. Dionys. Tertull. Cyprian.

Duodecimus est, eum cum omni fide in- 22.
uocare tanquam omnipotentem Creatorem, beneuolentissimum Redemptorem, Fortissimum seruatorem, ac omnium bonorum fontem & largitorem amplissimum. Ad id enim officium nos dulcissimis promissionibus inuitat, dicendo per Prophetam: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, &c.* Ps.49.
inuocationem autem Christi mox fusius sumus asserturi. MIN. Nihil certius est quam hos duodecim articulos comprehendere officia viri Christiani erga Deum, simulque vera esse effecta fidei ac obsequij, Deo vero debiti: & eadem ipsa quoque deberi Christo Deo & homini: quare eodem cultu & honore adorandus est, quo Deus Pater omnium rerum conditor potentissimus. Dic nunc de eius inuocatione.

CHRISTVM DEVM ET HOMINEM *à cunctis suppliciter* INVOCANDVM *esse: contra 14. & 15. errorem.*

CAPVT X.

DOCTOR.

AVdisti nuper Lambertum Danæum Caluinicæ perfidiæ ministrum autu-

 mantem,

Exa. l. Kemnitii. Apolog. adu. Iacob. Andr. mantem, *eum Dei ore maledictum, qui ad ipsam carnem Christi, etiam vt Filio Dei hypostatice coniuncta est, inuocationem dirigit*. Alter eiusdem farinæ Petrus Richerus in Americam sub Vvilagagnone missus, ibi & verbis prædicauit, & coram Notariis chartis dedit, & obsignauit chirographo, *Eum qui dixerit Iesum Christum necessario orandum & inuocandum, hæreticum esse*. Addebat, *Per Christum quidem orandum esse Patrem, sed Filium nunquam inuocandum, ne humanitati eius honos haberetur*. MINIS. Horrendum plane scelus: sed illud fortasse, noster Beza, aliique ministri obiurgauerunt & damnauerunt. DOCT. Imo vero probauerunt & commendauerunt, dum authorem, *Virum spectandæ pietatis & doctrinæ appellauerunt*. Magna quoque est coniectura, omnes eo inquinari cœno, quoniam in cunctis catechismis, precibus publicis, nec non in centum & quinquaginta priuatis orationibus, quas suis adiunxerunt Psalmis, harum ne vnam aut minimam quidem, dirigere voluerunt ad eundem Dominum nostrum Iesum Christum. Dic sodes, huiusmodi impietatem propugnare.

Beza in Iconibus.

Confut. 1. MINIS. Nequaquam profecto, sed constanter & fortiter refellere, idque propriis Caluinianorum libris, vt nobilior appareat victoria. Caluinus quippe libro de actis Serueti, fatetur, *quod in hac baptizandi formula, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Filius Dei manifeste inuocatur*. Atqui huiusmodi verbis vtendi in administratione huius Sacramenti expressum ac diuinum habemus præceptum: necesse est ergo Hugnosticos aut suum abnegare Baptismum, aut fateri filij Dei, & hominis inuocationem à Deo præceptam esse. DOCT. Perspicua sane & firma ratiocinatio, quam nunquam poterunt euadere.

Pag. 251. Matth. 28. Marc. 16.

2. MIN. Sine me rem istam persequi. In eodem libro Caluinus reprehendit Seruetum, *quod ne in extremo quidem mortis articulo, voluerit æternum Dei Filium inuocare: minus etiam ab eodem veniam delictorum petere*. Ex quibus colligo, Danæum, Richerum, & alios Geneuanæ fidei præcones nō minus esse hac in re hæreticos, quam fuit Seruetus: ideoque etiam Caluini suffragiis, dignos qui suppositis flammis torreant, quibus vere miserum Seruetum consumpserunt; nisi velint suos improbare ministros, qui Serueticam insaniam imitantur.

Pag. 205.

3. Idem rursum Caluinus suorum errorem damnans, & Christi hominis inuocationem asserens, scribit: *Quum se Deus nobis per solum Christum patefaciat, hinc etiam cōsequitur, omnia à Christo petenda esse*. Et ne quis ad solam Deitatem eius hoc pertinere cauilletur: ecce iidem Author alibi contestatur, *Pastores Bethlehemiticos ab eodem Christo infante petiisse salutem*. Nec inficiatur piam Ierosolymorum iuuentutem identidem fecisse acclamatione ista publica, *Osanna*, id est, obsecro salua, *excelsis*. Oportet ergo aut Danæum cum Richero, & Christi gloriæ, & salutis humanæ hostes infestissimos esse, qui Christum cum carne & in carne positum inuocare prohibent; aut certe ipsummet Caluinum illam ipsam inuocationem prædicantem, ac manifestis Scripturis suadentem, hominem impium, atque (vt loquuntur) proprio Dei viuentis ore maledictum censere.

In c. 1. Ioa. v. 18. In c. 2. Luc. In cap. 21. Matth.

4. Caluinus insuper, in sua Institutione, non semel admittit omnium ferme Patrum antiquorum sententiam esse, Filium Dei sub variis Angelorum & hominum formis, olim Patriarchis & Prophetis frequenter apparuisse. Constat autem eos omni summissione & coluisse & inuocasse eum, qui se eisdem manifestabat: consequens est igitur nos eorum vestigiis adhærentes, Christum hominem & colere, & religiose inuocare oportere.

L. 1. c. 13. § 14. L. 2. c. 9.

5. Fatetur iterum, Diuum Paulum orare, omnia sibi elargiri bona per Dominum Iesum. *Merito* (inquit) *illi Inde fertur honor qui non solum paternæ benignitatis erga nos minister ac dispensator est, sed qui cum Patre omnia operatur*. Et alibi rursum, *Obseruate*, inquit, *Paulum dicere Christum à fidelibus inuocari: ex quo probatur eius Diuinitas, quod inuocatio est testis diuini obsequij*. Et postea. *Totus baptismi effectus pendet ex eo, quod nomen Christi in eo inuocatur*. Quid his aduersus Danæi ac Richeri blasphemias apertius dici potest? Si cum Patre omnia largitur & dispensat, nonne sicut Pater, & ipse inuocandus est? Item; si Paulo doctore, à fidelibus inuocatur sane infideles sunt habendi, qui eius inuocationi se opponunt. Quod si etiam ex hac Christi inuocatione probatur eius Diuinitas; hostes proculdubio sunt Diuinitatis eius, qui hanc prohibent. Effectum denique Baptismi magno sacrilegio tollunt Danæus, Richerus, authores Catechismi, & precum Psalmis adiunctarum, Christi Iesu, omnem inuocationem conuellentes; si suasore Caluino, totus effectus eius pendet ex eo quod nomen Christi in eo inuocatur.

In c. 1. ad Rom. In cap. 1. prim. ad Cor.

His

6. His subijcio certissimas & euidentissimas A Scripturas, quibus præcipimur eum audire ac suspicere, vt verum intercessorem, aduocatum, & mediatorem inter Deum & homines. Sic enim illum Paulus appellat: adseritque eundem semper interpellare pro nobis. Et Ioannes ait: *Habemus aduocatum apud Patrem, Iesum Christum.* Atque ideo ille pollicebatur, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite & accipietis. In nomine meo petetis.* Ex quib. efficitur, nos ad ipsum confugere debere, illi omnia nostra cōmittere negotia, ac eundē supplices exorare, vt sua nos seruet pietate, Patri reconciliet, & tandem aliquando ad vitam perducat æternam. Atque hæc sunt quæ ex illorum codicibus, & aliunde aduersus hanc hæresin depromere possim: scio te paratum & Scripturarum firmissimis exemplis ac testimonijs munitum huc accessisse, has igitur propone, auditor beneuolus assideo.

1.Tim. 2. Heb. 8. 9. 12. 1.Ioan. 2. Ioan. 14. 15. & 16.

7. DOCT. Sacra disertissime memorant Euangelia, Christum cum carne & in carne sua hic adhuc degentem saluberrime interpellatum & inuocatum fuisse à Centurione pro puero suo, à Chananæa & principe synagogæ pro filiabus, à patre lunatici pro filio, à Petro pro socru, ab Apostolis nunc vt fidem eis adaugeret, mox vt in mari periclitantes C saluaret, à Martha vt Lazarum suscitaret, à Magdalena vt sibi peccata condonaret. Eūdem quoq; multi rogauerunt & obsecrauerunt cæci, leprosi, paralytici, hydropici, qui omnes id statim adepti sunt, quod ab hoc incarnato Filio Dei efflagitarūt: quæ omnia satis perspicue afferunt & manifestant, quid nobis in cunctis calamitatibus sit agendū, & ad quem in necessitatibus nostris sit confugiēdum. MIN. Pro certo Christus omnes illos procul à se ablegasset, vel coarguisset superstitionis, si solum Patrem inuocandum censuisset: & proinde tot pedibus suis prostratos ac supplices exaudiens & seruans, satis pate- D fecit Deo Patri gratissimam esse Filij etiam in carne positi feruētem & demissam inuocationem. Abeant igitur cū perfidis Iudæis, Scribis, & Pharisæis, in malam crucem viri nefarij, qui huic mediatoris nostri interpellationi obstrepunt: nos autem cum superioribus beatissimis hominibus, ad eum tota fide confugiamus, inuocemus, & exclamemus, *Iesu fili Dauid, miserere nostri.*

8. DOCT. An non etiam ad sui inuocationem, quatenus homo est ac Filius hominis, mulierem Samaritidem palā inuitabat, dicens: *Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam?* Quod & continuo nō inutiliter præstitit, dicens: *Domine da mihi hanc aquam.* Nec tandem fraudata est à desiderio suo, quando conuersa ad Dominum, cæteris etiam popularibus suis viam ad Christum latissimam aperuit. MIN. Caluinus profecto hoc argumento conuictum ac superatum se sentiens, veritati cedit, atque discipulorum suorum impietatem damnans Commentarijs in hunc locum ait: *His verbis testatur Christus, si ad ipsum dirigantur vota nostra, minime irrita fore. Et certe sine hac fiducia prorsus frigeret* B *petendi studium. Verum, vbi ad se venientib. Christus occurrit, atque ad omnes sanandos paratus est, iam non est pigritia vel cessationi locus.* Ioan. 4. v. 10.

DOCT. Sed quid vnquam vel excogitare, vel etiam demurmurare poterūt belluli Reformatores vestri, aduersus clarissimam & fructuosissimam pœnitentis in cruce latronis interpellationem? An non Dominum Iesum in propria persona, & cum carne aduersus mortis angustias colluctantem, planissime inuocat, dicens: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum?* An non etiam deprecationem illam Filius Dei & hominis, vt acceptam, sanctam, & piam protinus exaudiuit, respondens illi: *Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in Paradiso?* 9. Luc. 23.

Auderent ne etiam solum intra dentes aliquos efflare susurros, ad vituperandum B. protomartyrem Stephanum qui tanto cum affectu, in ipso mortis articulo suam Domino Iesu, quem in carne cernebat stantem à dextris virtutis Dei, commendat animam? Ab eodem quoque tanta charitate postulat, vt ijs qui eum tetris calumnijs vexatum, & falsis testimonijs diffamatum, omni crudelitate lapidabant & opprimebant, clemens ignoscat? MIN. Certe, quid aduersus ista obgannire possint, non video: atque ob id non dubito ipsum Danæum proprio ipsius Dei ore maledictum esse, qui Christum cum carne assumpta non inuocandum esse censuerit. 10. Actor. 7.

DOCT. Enimuero nisi vidisset idem Filius Dei necessarium esse mortales omnes ad se hominem factum confugere, non eos his amantissimis verbis inuitasset & allexisset: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Nec tā sedulo sæpeq; pro nobis precatus fuisset in montibus, in cœna, in cruce; noctu, sero & clarissima luce. MIN. Credo istud verū perinde ac ipsū Euāgeliū. 11. Matt. 11.

12. DOCT. Neque bono pastori se similem, A
Ioan.10. imo & verum bonumque pastorem esse dixisset, neque se ostium ouium pronunciasset, quo in ouile quisque ingredi debet; nisi necessarium duxisset, suis nos egere interpellationibus ac precibus, vt ad Patrem accederemus.

13. Quod alta mente considerans Apostolus, in principio ac fine omnium ferme Epistolarum, his ad quos scribit exoptat gratiam, pacem, & misericordiam non solum *à Deo Patre, sed etiam à Domino nostro Iesu Christo.*

14. Et quam ob rem Ananias tam grauiter
Act.9. coram Domino conquestus esset, Saulum in vincula coniecisse, & crudeliter vexasse B omnes qui inuocabant nomē Christi, si iuxta Richerum, Danæum, & Hugnosticos, nō liceret Filium Dei inuocare? Non esset pium ad eum quatenus homo est, preces nostras
Act.19. dirigere? Aut quis filijs Scenæ ostendisset, dæmones è corporibus humanis expellere in nomine Iesu, nisi id Paulum & alios Apostolicos viros factitantes conspexissent?

15. Nonne & ad eundem Ecclesiæ sponsum suspirans & anhelans clamat sponsa: *Veni*
Apoc.22. *Domine Iesu?* MIN. Tot tantisque Scripturis aliquot addas veterum Theologorum preces ad eundem Dominum Iesum, & nihil vlterius hac in re à te requiram.

16. DOCT. Quoniam scio te Augustini pietate summaque doctrina delectari, en tibi eius ad Christum Deum & hominem feruens
Manual. c.12. supplicatio: Pulcherrime Iesu Christe, rogo te per illam sacratissimam effusionem pretiosi sanguinis tui, quo redempti sumus, da mihi cordis contritionem, & lacrymarum fontem, præcipue dum preces & orationes tibi offero, &c. Dum sacris altaribus licet indignus assisto, cupiens tibi offerre illud mirabile & cæleste sacrificium, omni reuerentia dignum, quod tu Domine, instituisti, & offerre præcepisti in commemorationem
Luc.22. 1. Cor.11. tuæ charitatis, &c. Dulcis Christe, bone Iesu, D accende me, illumina & sanctifica vas tuum, &c. Et postea, sic Patrem Filij confidentia conuenit: In ipso securus respiro qui sedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis.
Cap.13. In ipso confisus ad te peruenire desidero, in quo iam resurreximus & reuiximus, iam in cælum conscendimus, & in cælestibus considemus. MINISTER. Ex alio eiusdem libro quædam rursus laudes, & sat mihi erit.

17. DOCT. His feruentissimis verbis eun-
Solilo q.c.2. dem Filium hominis alloquitur: O Domine Iesu, accipe spiritum meum: vita mea, suscipe animam meam. Gaudium meum attrahe spiritum meū: dulcis cibus meus, comedam te: caput meum, dirige me: lumen oculorum meorum, illumina me, &c. Et idem iterum sic precatur: Opus manuum tuarum Cap.2. Domine, ne despicias, sed vulnera manuum tuarum precor vt aspicias. Ecce in manibus tuis descripsisti me: lege ipsam scripturam, & salua me. En ad te suspiro, creatura tua; creator es, recrea me. En ad te clamo, factura tua; vita es, viuifica me. En ad te respicio, tuū plasma: plasmator es, restaura me. Parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei, &c. Tu es medicus, tu lux, tu vita, Iesu Nazarene, miserere mei: Fili Dauid, miserere mei, fons misericordiæ, &c. MIN. Hic finis esto, vt de alio capite dicamus.

SANCTISSIMVM NOMEN DOMINE IESV debito honore ac religioso cultu venerandum esse: contra 16. hæresin Hugnosticam.

CAPVT XI.

DOCTOR.

C GEneuani, & qui horum sentētiam complectuntur omnes, admodum ingrati sunt, & minus quam par est religiosi erga Redemptorem & iudicem totius huius mūdi: quando vel caput suum aperire, vel genu flectere audacissime recusant, si forte sanctum & venerabile nomen IESV audierint pronunciari. Nec tanto maiestatis eius contemptu contenti, furiose despumant, & plurimas euomunt iniurias aduersus eos, qui cum audiunt, honorem deferunt ei, quem intelligunt sibi verbis illis repræsentari. MINISTER. Equidem si contingat id nomen in nostris concionibus aut Cœnis recitari, nihil plus mouemur, quam si Cain, Pharaonem, Iudam, Satanam, aut totius orbis impura verba diceremus. Et si accidat, (vt sæpius expertus sum) aliquem ex veteri consuetudine, huic aliquid honoris deferre, statim ab omnibus coarguitur & deridetur, vti superstitiosus, ignarus, insulsus, dignus cucula, hypocrita, adhuc semipapista & idololatra. Atque hoc plane didicimus ab Authore sectæ Caluino. Nam hic strigosus, bouinatorque ore improbus duro Satanam reboans, ait: *Discant pii lectores, Sorbonicos sophistas cum tortis suis speculationibus detestari, &c.* In cap.2. Phil.v.6. *Plusquam ridiculi sunt Sorbonici sophistæ, qui ex* pra-

præsenti loco, Vt in nomine IESV *omne genu flectatur, &c. genu flectendum esse colligunt, quoties nomen Iesu pronunciatur: quasi vox esset magica, quæ totam in sono vim haberet inclusam.* Hæc ille, nimis fateor superbe atque contumeliose: verum à te peto, velisne huius nominis literas, syllabas, aut certe sonum coli debere?

Confut. 1. DOCT. Minime: sed adorando & inuocando eum, qui his signatur & repræsentatur mentibus, æquissimum esse tum assurgere, ac externis signis indicare, quomodo eidem afficiamur, cum nominatur. Vestros autem id superbissime contemnentes, & contumeliosissime prohibentes, citius Iu- B daicam impietatem, quam Christianam veteremq; sanctorum pietatem, iure contendimus resipere, D. scribente Hieronymo, *L.3.com.in Isaiam.* suo seculo Christianos à Iudæis, vel hac nota cognitos & secretos fuisse, quod nũquam genua flecterent audito Iesu nomine: Christiani vero vel ea demitterent, caput aperirent, vel inclinarent. Ideoque hæresiarcha vester dignior est lachrymis, quam risu, qui cœtus vestros in sacrilegum Filij Dei contemptum adducit, & in cæcam Iudæorum perfidiam pertrahit.

2. MIN. Non possum satis mirari quomodo sese primum hac in re fefellerit, deinde nos C in eundem errorem adduxerit: quando secum ipse pugnans Rabbinos Hebræorum *In c.1. Luc. v.31.* coarguit, *quod negabant nomen Iesu venerandum, & cum timore profitendum, propter quod omne genu flectatur necesse est.* An non his verbis suis, seipsum Iudaica impietate condemnat? Diuinique Pauli sententia confirmat, nomẽ Iesu venerandum, & cum timore ac reuerentia profitendum. DOCT. Insuper, & sanctissimos Theologos, quos contemptim Sorbonicos & sophistas appellat, sanctissime & rectissime venerationem illius nominis ex diuinis scripturis colligere & adfirmare docet imprudentissime. D

3. MINIST. Addit etiam paulo post superiora verba: *Nomen Dei appellatur sanctum, quod supremum meretur honorem: & quoties huius nominis fit mentio, toties eius maiestas veneranda est.* *Matt.1.* Sacrum autem nomen Iesu Deum nostrum Saluatorem significat: quoties igitur prõnuntiatur, toties eius maiestas, quæ his verbis significatur & suggeritur, submissis animis est adoranda. DOCT. Vnde etiam conficitur, Hugnosticos plane obcæcatos, & à debito Dei cultu longissime distractos esse, cum negligunt ad hoc venerandum nomen duras ceruices flectere, vel superba capita tantisper inclinare, vt Filio Dei honorem impendant.

MIN. Addit rursum. *Ita nobis reputanda est in hoc nomine Iesu diuina Christi maiestas, vt reuerentiam apud nos obtineat, quæ vnico & æterno Deo debetur.* 4. *In cap.1. Mat.v.23.* Si ergo in nomine Iesu Christi diuina reputanda est maiestas, Hugnostici certe illius sunt nequissimi contemptores, qui hoc nomen ne minimo quidem dignãtur honore. Si ei quoque deferenda est ea reuerentia, quæ vnico Deo debetur: procul dubio iidem impiissimi sunt, qui ad eius commemorationem ne genua quidem flectere volunt.

Explicans quoque verba, quibus Christus 5. territos Apostolos suos consolatus est, dicens: *Ego sum nolite timere*, *Io.6.v.20.* ait de illius diuino nomine: *Pii qui sibi agnoscunt* (Iesum) *propitiatorem esse datum, audito eius nomine, quod illis est certum & diuini amoris & suæ salutis pignus, quasi à morte in vitam excitati animos colligunt: & quasi serenum cælum hilares conspiciunt, quieti in terra resident; & omnium malorum victores, eius præsidium omnibus periculis opponunt.* *Li.1.c.2.* Et institutionis statim initio vltro fatetur, *Humanam mentem non posse Deum apprehendere, quin statim illi cultum exhibeat & obsequium.* DOCT. Atque venerando nomine Iesu non possumus *Isa 7.* non statim apprehendere Emanuelem, id est, nobiscum Deum hominem verum, ac nobis datum. Igitur omnem cultum ei debemus ac religiosum obsequium. Et si omnes qui de hoc diuino nomine quidpiam audiunt, animos reuocant, intelligentes suum propitiatorem his maxime significari syllabis, omnes id ipsum amplectuntur veluti pignus salutis & beatæ resurrectionis suæ, essent profecto brutis stupidiores, nisi quædam externa interioris fidei, amoris, ac beneuolentiæ signa exhiberent.

MINIS. Essent non dubito: & Geneuani 6. nullum eidem cultum exhibentes, innuunt se multo plus honoris & timoris Regibus terrenis impendere, quam cælesti ac summo benefactori: quando illorum titulis ac nominibus capita aperiunt; ad huius autem appellationem nec paululum flectere dignantur: sed tu age nunc Scripturis: hactenus enim satis ex ipsis contra ipsos certauimus.

DOCT. Mira in illis referuntur, q̃ huic no- *Matt.1.* mini conueniũt. Ac primum quidem quod *Luc.1.* non solũ illud Angeli mortalibus patefecerunt,

runt, sed etiam exposuerunt per hoc illum significari, qui cunctos homines saluaret, & à peccatis suis eximeret. MINIST. Sunt igitur omni salute indigni, qui pluris illud non faciunt, quam cum nomen belluæ audiuerint.

7. DOCT. Postquam Saluator suis promisit Luc. 10. Discipulis, *quod in nomine suo dæmonia eiicerent,* Marc. 16. *linguis loquerentur nouis, serpentes tollerent, & si mortiferum quid biberent, non eis noceret, super ægros manus imponerent & bene haberent:* statim in toto orbe hæc promissa suum consequuta sunt effectum. Nam Petrus in hoc nomine Iesu Christi, Act. 3. claudũ omnib. membris captum, statim dimisit alacrem atque liberum. Paulus in eodem nomine ex corpore Act. 16. mulieris pythonicum, id est, spiritum impurum ac malignum expulit. Apostoli omnes Marc. 16. per vniuersum mundum innumera fecerunt miracula, quibus manifestauerunt quam venerandum, potens, & pertimescendum esset admirabile nomen Iesu.

8. Quantæ porro authoritatis esset apud Deum Patrem in cælis, hoc idem nomen inuocatum in terris, ostendit idem Filius Dei cum ait: *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Si quid petieritis à Patre in nomi-* Io. 14. 15. 16 *ne meo dabitur vobis. Vsque non petistis quicquam in nomine meo, petite, & accipietis. In illo die in nomine meo petetis, &c.*

MIN. Hæc vere manifestant illud maximam habere authoritatem apud Patrem. & incredibiles fructus his super terram adferre, qui per illud inuocant, ipsumque religiose venerantur.

9. DOCT. Et quamuis in toto Bibliorum corpore nullam aliam comperiremus, sacri nominis Iesu honorandi probationem, præter hanc quæ à Diuo Paulo desumitur, nonne sufficeret ad omnem animam Christianam adducendam, vt illud veneraretur, & Philip. 2. pio animo complecteretur? *Quoniam*, inquit, *exinaniuit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur quoniam Dominus Iesus est in gloria Dei Patris.* MINIST. Eximiam sane testimonium, & adsertio tam aperta & valida, vt etiam Caluinus ex ea Rabbinos Iudæorum coarguat, & ex consequenti discipulos proprios damnet, quod hoc nomen Iesu non venerarentur. Sed præ his vellem audire quosdam veteres, qui Apostolicorum verborum sensa explicauerint.

DOCTOR. Ex illis probat Tertullianus 10. Iesum Christum in omnibus & per omnia L. adu. Iudæos. esse æqualem Patri, dignum similis gloriæ, & similis adorationis, vt æternus & consubstantialis eius Filius. Neque enim (ait) si non & Deus esset Christus, omne se in nomine eius genu flecteret. Adhuc vero apertius honorem huic nomini debitum comprobans scribit: In hunc modum Christi regnum & nomen vbique porrigitur, vbique creditur, ab omnibus Gentibus colitur, vbique regnat, vbique adoratur. MINIST. Sequitur ergo Caluinianos huius sacri nominis contemptores regnum Dei subuertere, & regiæ maiestati quam significat, pro virili sua repugnare. Perge porro.

DOCT. Præstantissimus Pontifex & mar- 11. tyr Cyprianus, hisdem verbis Apostoli, cõ- L. de bono patient. tendit Deum Patrem iubere Filium adorari eo quo solet modo venerari, cum illi tum diuinum nomen dederit, vt Angelus dixerit Ioanni, *Noli me adorare, sed Iesum adora.* Ser. de abl. pedum. Exclamat etiam alio in loco: Honor tuus, ô Deus, iudicium diligit, & æquum est vt omnis terra adoret te, & in nomine tuo omne genu flectatur.

Augustinus, illius sanctissimi Pontificis 12. iudicium sequutus, in eandem sententiam Lib. de assumpt. c. 3. scribit: Vocabulum Iesus gloriosum, omni ornatu, cultuque dignissimum, super omnia nomina elatum, non debuit ab hominibus imponi, nec ab his in mundum adferri, sed per digniorem excellentioremq; naturam, nimirum per Angelum, qui dixit Virgini: *Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Luc. 1.

Magnus Athanasius in vita S. Antonij te- 13. stis est, hũc sanctum virum cacodæmonum Athan. magnam horrendamq; cateruam procul à se abegisse, sanctissimi nominis Iesu huiusmodi prece, Iesus tuas funditus subruit vi- L. 4. c. 26. 27. res. Lactantius adfirmat, spiritus inquinatos ab hominibus excludi, tam nomine Iesu, quam signo passionis & mortis eius; id est, crucis consignatione. Iustinus martyr in nomine Iesu dæmones fugari docet, lõge for- Dialog. cũ Tryphone. tius quam Iesus Naue, id est, Iosue populos Chananæorum in huius rei typum superauerit, ceciderit, deleuerit.

Notant alij quidam Theologi Ioannem 14. dilectum Christi discipulũ tanto huius nominis amore ac reuerẽtia flagrasse, vt in singulis

gulis pene versiculis de præceptore agens, illud ipsum in Euangelio plusquam ducenties vicies repetens inculcauerit. Dulcissimaque prece idipsum appellans in fine Apocalypsis ait: *Veni Domine* Iesu. Paulum quoq; in Epistolis plusquam ducentis vicies Iesum nominans, eius memoriam ac honorem mentibus cunctorum altissime infigere conatur.

Serm. 13. in Cantica. MIN. Mirarer vehementer si Bernardus mellitissimis & ardentissimis concionibus suis huius quoque nominis & proprietates & vires non explicaret. DOCT. Paulo amplioribus verbis eius accipe quid de his senserit: Agnosco nomen quod in Isaia legi: *Seruos suos* (inquit) *vocabit nomine alio.* O nomen benedictum, ô oleum vsquequaque effusum. Quousque? de cælo in Iudæam, & inde in omnem terram excurrit: & de toto orbe clamat Ecclesia, *Oleum effusum nomen tuum.* Effusum plane quod non solum cælos, terrasque perfudit: sed aspersit & inferos, adeo *vt in nomine* Iesu *omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorũ, &c.* Oleum lucet, pascit, & vngit: fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem. Lux cibus, medicina. Sponsi nomen (Iesu) lucet prædicatum, pascit recogitatum, inuocatum lenit & vngit. Vnde putas in toto orbe tanta & tam subita fidei lux, nisi de prædicato Iesu? Hoc nomen coram Regibus, & gentibus; & filij Israel portare iussus est Apostolus, & portabat nomen tanquam lumen, & illuminabat. Et monstrabat omnibus lucernam super candelabrum, annuncians in omni loco Iesum, & hunc crucifixum. Lux ista perstrinxit omnium intuentium oculos, quando de ore Petri tanquam fulgur egrediens claudi vnius corporales plantas solidauit, multosque spiritualiter cæcos illuminauit, cum ait, In nomine Iesu Christi Nazareni, surge & ambula. Nec tantum lux est nomen Iesu, sed est & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æque mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus? virtutes roborat? vegetat mores bonos? castas fouet affectiones? Si scribas, non sapit nisi legero ibi Iesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Sed est & medicina. Tristatur aliquis nostrum? Veniat in cor Iesus, & inde saliat in os, & nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen? Currit insuper ad laqueum mortis desperando?

(Marginal notes: Isa. 65. — Cant. 1. — Philip. 2. — Act. 3.)

A Nonne si inuocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? &c. Nihil ita impetum iræ cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat liuoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, restringit libidinis flammam, sitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cum nomino Iesum, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, eundemque Deum omnipotentem, qui suo me & exemplo sanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia mihi sonant, cum insonuerit. Iesus. &c. MIN. Satis iam ex his dictum sit. Video enim hac in re & Gallum B hæresiarcham turpiter secum dissidentem, audio insuper sanctissimos Patres ex sacris literis comprobantes sanctissimum nomen Iesu dignum esse omni honore ac reuerentia: ea propter semper in posterum exultabo in Deo Iesu meo, & quicquid fecero in eius sacro nomine & laude faciam. Ad aliud vertatur oratio.

CHRISTVM SATIS POTENTEM FVISSE *ad suscitandum è mortuis corpus suum: aduersus 17. hæresin.*

CAPVT XII.

DOCTOR.

C CAluinus vester absurdum putat, *quod Christus sibi vendicet propriæ resurrectionis gloriam, cum passim* (ait) *Scriptura doceat, opus esse Dei Patris.* Et postea quoque scribit, *Paulum Deo Patri tribuere gloriam resurrectionis Christi, tanquam maioris momenti ad id probandum quod prætendit, quam si ipsimet Christo tribuisset.* Adeo vt his velit Christum non fuisse tantæ potestatis, vt seipsum excitaret à mortuis: idque solum Patrem præstare potuisse. MIN. Non te celabo id commune ac vulgatum esse inter Ministros, tam in priuatis colloquijs, quam publicis disputationibus & D concionibus. Nam cum aliquando Dieppæ, Neustriæ seu Normaniæ portu, degerem, & concionibus ministri Francisci à Sancto Paulo interessem, ille verba ista Pauli explicans: *Qui suscitauit à mortuis magnum pastorem nostrum Iesum*, palam asseruit, *Christum non potuisse seipsum à morte suscitare, atq; ideo necessarium fuisse, vt Pater ad id opus brachium virtutis suæ ostenderet.*

(Marginal notes: In cap. 2. Ioan. — In cap. 8. Rom. — 1563. — Heb. 13.)

Confutatio. 1. Verum ab hac sententia tanquam à blasphemia semper abhorruit, quoniam contumeliosa est infinitæ potentiæ atque virtuti

Q diuinæ,

Athan. diuinæ, quæ cum Patre eidem Christo omnino vna & communis est. Confitemur etenim in symbolo, *Omnipotens Pater, omnipotens Filius omnipotens Spiritus sanctus. Non tamen tres omnipotentes, sed vnus omnipotens. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, &c.* Si ergo Pater potuit Filium hominem reuocare in hanc lucem, idem & Filius potuit.

2. Deinde, supra multis & valentibus argumentis euicimus opera Trinitatis quæ ad res conditas spectant, penitus indiuisa & inseparabilia esse, quoniam in tribus diuinis personis eadem prorsus voluntas, eadem virtus, eadem mens & diuinitas. Igitur cum Pater suscitasse dicitur Filium à morte, eadem opera & Filius seipsum suscitasse credendum est, *Quæcunque*, inquit, *facit Pater, hæc & Filius similiter facit.* Ioan. 1.

3. In cap. 8. Rom. In c. 1. Rom. v. 4. Præterea, si aliqua in re sibi aduersatur Caluinus, in hac maxime. Nam statim post illa quæ superius citasti ex eo verbo, scribit: Christum *habuisse potestatem resurgendi.* Et paulo post. *Equidem Christus ex seipso resurrexit, propriaque virtute, sed vt consueuit attribuere Patri omnem quam habet diuinam virtutem, ita non improprie locutus est Apostolus dicendo, Deum suscitasse Christum per Spiritum suum.* DOCT. Non posset apertius secum dissidere, hic vere prædicans Christum non solum habuisse potestatem resurgendi, sed & propria virtute, adeoque à seipso resurrexisse: alibi vero indiguisse Patris auxilio, imo & omnem resurrectionis virtutem soli Patri tribuēdam. Sed perge Geneuanum Antistitem proprio iudicio coarguere.

4. Com. in c. 5. Ioan. Ioan. 2. 10. MIN. Rursum proprium errorem expugnans ait: *Porro diuina potentia ideo in Christi resurrectione eximie dicitur, quod suapte virtute resurrexit: vt testatus est aliquoties: Soluite templū hoc, & in triduo suscitabo illud. Nemo tollit animam meam à meipso, &c. Nam de morte victoriā non precario auxilio, sed cælestis Spiritus sui operatione adeptus est.* DOCT. Ergo cum Christus propria virtute surrexit, id soli Patri non est tribuendum. Si duplici Scripturæ testimonio vere & efficaciter id confirmatur à Caluino, mendaces & impij sunt Caluiniani discipuli, qui contradicunt. Si operatione cælestis Spiritus sui, & non alieno suffultus auxilio, in hanc vitam redijt, magna illum afficiunt iniuria, dum alibi garriunt idipsum præstare nequiuisse.

5. In c. 5. Ioa. MIN. Alio rursum loco sua persequitur pugnantia: *Omnis potestas Dei Patris* (inquiens)

A *ita est in Filio eius Iesu Christo, vt extra illum reperiri non valeat.* Deinde, mox confitetur *vocem Filij Dei magni esse momenti ad mortuos resuscitandos, quoniam ipse fons est vitæ quam sua voce super homines effundit: nec vita ab eo ad nos quotidie effluerei nisi causam & originem eius in seipso contineret.* Ex quibus verbis sic hæresin eius impugno. Christus habuit potestatem resurgendi, idque propria virtute, ergo intolleranda impietas est dicere eum non potuisse. Christus in seipso causam & originem vitæ habuit, ergo non indiguit brachio alieno.

DOCT. Hæc omnino vera. Insuper, si propria virtute non potuit seipsum excitare 6. Luc. 7. Luc. 8.
B à mortuis, nec filium viduæ ad portā Naim, Ioan. 11.
nec filiam Principis Synagogæ in ædibus paternis, nec Lazarum à Bethania, potestate sua in lucem istam reuocauit: nec populi iure mirantes benedicebant, quod Deus tantā potestatem dedisset hominibus: nec Dominus ipse recte admodum tanquam virtute magna præditus ex seipso iubebat: *Adolescēs, tibi dico, surge: Puella, surge; Lazare, veni foras.* Quod si iure proprio atque authoritate eis iussit vt surgerent: cur id non potuit in proprium corpus, quod in aliena? Manifestum & certum est itaq; quod sponte sua positam valuit recuperare vitam, qui alijs tanta potestate & maiestate restituit.
C

Accedit quod paulo ante prædicauerat: 7. Ioan. 5.
Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat: sic Filius quos vult viuificat. Et consueto iuramento idipsum adfirmans simul & amplificans subiicit: *Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nūc est, quando omnes qui in monumentis sunt audiēt vocem Filii Dei, & qui audierint viuent.* Et rationem subnectit. *Sicut enim Pater vitam habet in semetipso sic dedit & filio vitam habere in semetipso.* MINIST. Magnifica sane & sanctissima promissa, atque huic disputationi valde accommoda. Etenim si Filius quibuslibet vitam impertit, sicut & Pater, potuit eam sibi resumere. Et si ad eius iussionem omnes resurrecturi sunt de monumentis, multo magis sua virtute potuit propriam ex sepulcro viuentem educere carnem. Hæc denique tanta adseueratione iureiurando confirmans, omnium huic doctrinæ aduersantiū damnat perfidiam: simulq; aperit vnde sua nostraq; resurrectio procedat.

DOCT. Hac se vere præditum esse potestate rursum multoq; magis sequente capite docet his verbis: *Omnis qui videt Filium, & credit in eum, habet vitam æternam. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Et mox sequitur. 8. Ioan. 6.

Nemo

Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. MIN. Magna certe vis est in repetitione pronominis *Ego*: quoniam sibi ipsi declarat inesse hanc potestatem; itemq; illius futurũ effectum manifestat, repromittens se reipsa mortuos suscitaturum. Quocirca nimis certe aperta & impudens est impietas, dicere illum seipsum nequiuisse suscitare, qui tot hominum myriades tandem aliquando reuocaturus est ad vitam. Illum inquam, qui principem mortis diabolum tam gloriose vicit, qui inferos ipsos spoliauit, qui mortem ipsam occidit, qui captiuam duxit captiuitatem, qui omnem accepit potestatem in in cœlo, in terra, & in omnibus abyssis, adeo infirmum ac imbecillũ fuisse in exiguo Iudææ angulo, vt à mortuis seipsum non poterit exsoluere.

9. *Ioan.* 10. DOCT. Et vt altius mentibus humanis infigeret se hac munitum esse virtute, qua seipsum excitaret à mortuis, iterum dicit: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego ponam eam à meipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quibus, rogo te, verbis potuisset clarius patefacere se præditum esse potestate seipsũ suscitandi à mortuis, quam dicendo, *Iterum sumam animam meam? Potestatem habeo iterum sumendi animam meam?* An non eum ergo mendacij coarguunt vestri antistites, dicentes eum non potuisse?

10. *Ioan.* 11. Sed eundem rursum de hac potestate sua etiam in alijs suscitandis differentem exaudias. *Ego sum* (inquit) *resurrectio & vita. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet, Et omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.* Huiusq; potestatis illustrissimum & clarissimũm illico demonstraturus exemplum, petijt vbi positum esset Lazari iam cõputrescentis cadauer: quo eum venisset, & lapis superpositus monumento sublatus fuisset, voce magna Lazarum mortuum inclamauit, *Lazare, veni foras.* Et statim prodijt viuus & vegetus, qui fuerat mortuus. Vocat ergo quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Vides itaq; illos aduersus omnẽ fidem, aduersus omnem rationem, & aduersus Euãgelium manifeste pugnare, qui suscitandi assumptam humanitatem virtutem & gloriã domino nostro Iesu Christo adimunt.

11. MIN. Hęc profecto tam perspicua sunt, vt qui nõ viderit, à Satana plane sit obcæcatus. Nęc enim maior potestas requiritur ad reA uocandam in corpus mortuum animam, quam ad innumeram earum multitudinem quotidie creandam: aut educendum se ex tumulo viuum, quam ad peccata remittenda, veramq; iustitiam atq; gratiam impartiendam. Hæc porro vel inuiti fatentur omnes perfici à domino Iesu: necesse est igitur vt & ad corpus propr[ium] è morte & tumulo eruendum vim ei adesse confiteãtur. Sed de his hactenus, alia videamus.

DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRIstum in PROPRIA PERSONA *venturum esse ad iudicandum viuos & mortuos: contra hæresin* 18. 19. & 20.

B

CAPVT XIII

DOCTOR.

ABerrant etiam fœdissime vestri aduersus istum symboli fidei Christianæ de Christo articulum, *Venturus est iudicare viuos & mortuos*; adfirmantes eum non esse ad id venturum, sed patrem in persona filij. MIN. Quis tam nefaria protulit? DOCT. Caluinus incubauit, & minister Petrus Richerus, quem tantopere cõmendat in Iconibus suis Beza, exclusit. Ecce quæ de hoc scripsit Eques VVillagagnonus. *Cum Richerus in mentionẽ iudicii futuri incidisset, negauit Iesum Christum mortuos iudicaturum: sed patrem in eius per-* *L. ad artic. Calu. trad. cap.* 86.

C *sona. Neq; Filium fore qui apparebit in iudicio, sed patrem.* MIN. Sint hæc ita, Bezaq; authorem celebrarit: sed quid ad Caluinum? Quibus euincis rationibus hunc eum errorem in animo fouisse? DOCT. Primo quod communi sectæ Catechismo, vos ita Patris personam affari docet; *donec venias in persona filii iudicare viuos & mortuos.* Deinde, Commentarijs suis in hæc Domini verba, *Ego non iudico quemquam*, diui Augustini, Cyrilli, aliorumque Patrum interpretationem superbe reijciendo, ita ex proprio cerebro concludit, *Iesus Christus non iudicat, ergo non est iudex.* Præterea, audiuisti quẽadmodum Christum

D existimant *tantum ministrum, secretarium, & vicarium patris*: audies postea eosdem censentes eum *vt nos omnes ignarum, ac futuri iudicii diei inscium*: quare certissimum est huius hæresis Caluinum esse authorem. Patres huius vtrum tueri velis?

MIN. Absit vt tam sanctis ac disertis fidei nostræ capitibus, quæ in tribus religionis Christianæ symbolis aperte compreĥẽduntur, aliquando contradicã: imo vsq; ad extremum vitæ spiritum, si dominus dederit, cõstanter profitebor, q vt videntibus hominib. Christus homo ascẽdit in cœlũ, ita & cũ *Confutatio* 1. *Symbol.* *Act.* 1. 10.

corpore,

corpore, propriaque persona aspectabilis venietiudicare viuos & mortuos. Hoc enim & symbola canunt, & Euangelistæ testantur, & Apostoli personant, imo & Angeli de cœlo aduentantes magna adseueratione confirmant.

2. Inc. 8. Io. Quinetiam Caluinus suo se obstringens laqueo, alio in loco fatetur, *se agnoscere Iesum Christum gloria Regem, totiusque mundi iudicem.* Alibi, *quod tribunal conscendet, & sententiam feret.* Et rursum: *Pater constituit eum iudicem viuorum & mortuorum, quod Apostoli inter præcipuos Euangelij articulos semper reposuerunt.* Ex quibus concludo eum sacrosancto Euangelio plane resistere, & Apostolicæ doctrinæ nefarie seipsum obijcere, insuper & Christi personam de magnificentissimo solio suo deturbare, quando contrarium asserere nõ vereatur. DOCT. Ecquænam est Bezæ de hac re sententia?

3. Conf. punct. 6. MIN. Nunquam profecto asina Balaam domini ac sessoris sui amentiam & impietatem apertius coarguit, quam suum deridet & accusat in spiritu erroris patrem. Scribit enim: *Veniet è cœlo Iesus Christus in suo humano & visibili corpore, sed cum diuina maiestate. Tunc aderunt coram eo cuncti homines, iudicabit hos & illos.* Sed patris persona non assumpsit corpus humanum: igitur pater non est venturus iudex in persona filij: sed ipsemet filius in persona propria, quia simul Deus & homo est.

4. DOCT. Catholici verbo diuino freti profitentur trium quidem personarum actiones, quæ ad creaturas spectant, nullo modo separari: ac proinde hæ tres simul huic mundo æque finem imponent, æque mortuos suscitabunt, æque improbos sempiternis multabunt supplicijs, electosque sempiterna gloria cumulabunt. MIN. Quid ergo filius præter patrem & Spiritum faciet, vt solus iudex vniuersorum sit, & dicatur? DOCT. Quoniam is solus naturam humanam assumpsit, in eademque patiens & moriens nobis peccatorum condonationem, & vitam æternam promeruit; sibi vero ipsi proprij corporis glorificationẽ, totius mundi imperium, vt caput esset totius Ecclesiæ, Iudexque viuorum & mortuorum tandem gloriosissime appareret; in eadem denique forma humana, qua sententiam mortis ab homine iniquo suscepit, vltimam in omnes profert æquissimam vel æternæ mortis vel gloriæ sententiam. Hæc porro cum Patri aut Spiritui sancto scripturæ non tribuant,

A sed filio soli, solus vere dicitur Iudex, & vere iudicaturus est in propria persona viuos ac mortuos.

Istud porro Scripturarum testimonijs cõmunio. Ait enim idem filius: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant & patrem.* Et protinus adijcit: *Sicut enim pater habet vitã in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso: & dedit illi potestatem iudicium facere, quia filius hominis est.* An non ergo & Dei filio in faciem contradicit, & patris decretis sese opponit hæresiarcha, quando nititur illum de solio iudicij sui postremi deijcere. 5. Ioan. 5.

B Adhæc, istius iudicij forma in Euangelio sic ad viuum expressa est; *Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes. Et separabit eos, &c. Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt, Venite benedicti, &c. Et his qui à sinistris, Ite maledicti, &c.* MIN. Vere omnia tribuuntur filij solius personæ, non Patris aut Spiritus, quando dicitur venturus filius hominis, idemque sessurus super iudiciariam sedem, congregaturus, separaturus, dicturusque his & illis nouissimum æquissimumque decretum. Insuper, cum is qui iudicaturus adueniet, reipsa habiturus sit dexteram & sinistram, reipsaque dicturus illis, *Esuriui & dedistis mihi manducare*; istis è contrario, *Esuriui & non dedistis mihi manducare*; hæc porro soli personæ Filij conuenire possint, non Patri, aut Spiritui: solus profecto filius hominis in iudicio apparens, in singulos inquiret, & de singulis pronunciabit. 6. Mat. 25.

C

DOCT. Ille rursum ait: *Veniet filius hominis in gloria patris, cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuiq; iuxta opera sua.* Et quibusdam signis ac portentis quæ iudicium istud præcedent expositis, subnectit: *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum potestate magna & maiestate.* Quinetiam beati Angeli monuerunt Apostolos intuentes eum in cœlo euntem, *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis, sic veniet quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlũ.* *Hic Iesus*, inquiunt, non pater in forma senis, vt visus est Danieli: non Spiritus in specie columbæ, aut dispertitis linguis igneis, aut flatu vehementi, quemadmodum aliquoties seipsũ manifestauit; sed *hic Iesus*, hæc persona, quæ carnẽ assumpsit, quæ secundum carnem mortua, sepulta, resurrexit, & nunc ascendit in cœlos, *hic Iesus*, non alius veniet. Ad quid, nisi vt iudicet viuos & mortuos? 7. Mat. 16. 24. D Act. 1. Dan. 7. Mat. 3. Act. 1.

Petrus

8. Petrus summus Apostolorum propterea constanter prædicat, *Hic constitutus est à Deo patre iudex viuorum & mortuorum.* Paulus quoque adiurat Timotheum, veri pastoris integrum officium diligentissime exercere, per Christum Iesum qui venturus est iudicare viuos & mortuos. Et Ioannes dilucide prædicat, *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* MIN. Non est opus pluribus testimoniis tam apertum certumq; religionis fundamentum confirmare: cui enim isthæc non suffecerint, nec sexcenta alia satis essent. Aliud ergo caput persequamur.

Actor. 10. 2. Tim. 4. Apoc. 1.

CHRISTVM SECVNDVM DEITAtem *non orare pro nobis: sed potius nostras preces exaudire: aduersus 21. errorem.*

CAPVT XIV.

DOCTOR.

ERrant rursum & turpissime aduersus æternam summamque maiestatem Diuinam filii, quam ita deprimunt, vt audeant asserere eum pro nobis orare ac intercedere quatenus Deus est. MIN. Quis rerum Theologicarum tam ignarus, vt tam fœdũ excogitarit errorem? DOCT. Spectabilis vester Beza, vsus his verbis: *Itaque hoc posito, quod verissimum est, Christum etiam secundum deitatem, humana natura coniunctam, pro nobis apud patrem intercedere, non tamen inde sequitur, quod apud seipsum intercedat.* Si diceret, Iesum Christum qui Deus & homo est, pro nobis apud patrem intercedit, recte vereque diceret; quandoquidem Scriptura docet, eum esse mediatorem nostrum apud Patrem: eum assidere patri vt interpellet pro nobis: sacerdotium habere sempiternum: semperque viuere ad interpellandum pro nobis: atque hæc est Christiana Catholica doctrina. Sed dicere illum *quatenus Deus est, & secundum ipsam deitatem orare* apud Patrem, non modo falsum, sed & impium & deitati contumeliosum est.

L. quæst. & resp. pag. 33. & opusc. Lat. p. 675.

1. Ioan. 2. Rom. 8. Heb. 7. 1. Tim. 2.

MIN. Facile probabo Bezam hac in re Caluini sui præceptis repugnare. Scribit enim *intercessionem Christi esse mortis eius applicationem continuam, sic in salutem nostram exercendo efficacitatem & virtutem sacrificij sui.* Præterea scribit alibi: *Quia apparet ipse assidue cum morte & resurrectione sua, quæ vice sunt æternæ intercessionis, & viuæ orationis efficaciam habent, vt Patrem nobis concilient, atque exorabilem reddant, merito dicitur intercedere.* Atqui secun-

Confut. 1. In 1. epist. Io. c. 2. In c. 8. Ro. v. 34.

A dum humanitatem assumptam tantum & mortuus est, & resurrexit: secundum humanitatem solũ factus est sacrificiũ cruentum, atque in cruce immolatum pro peccatis totius mundi: Deitas enim per se non est capax istarum actionum, passionũ, & commutationum: igitur cum iuxta Caluinum, intercessio Christi sit tantum mortis ac sacrificij eius oblatio & applicatio, tantum intercedit secundum humanitatem, & non secundum deitatem.

Præterea, orare atque intercedere æque propria sunt sacrificantis officia, atque offerre hostias: & ideo in sacris, orationes nominantur puræ oblationes atque sacrificia: Sed Christus Iesus non sacrificat, nõ immolat, non immolatur nisi secundum humanitatem, non secundum deitatem. Igitur tantũmodo supplicat, rogat, & interpellat quatenus homo est, non quatenus Deus: vt vero Deus est, oblata sibi sacrificia & porrectas preces pro sua admittit gratia & misericordia. Atq; hæc mea contra Bezanam sententiam argumenta. DOCT. Valentissima sane, & quæ ex authoris sectæ fundamentis aperte demonstrant, Christum nequaquam secundum Deitatem patri pro nobis supplicare, sed iuxta solam humanitatem: atque C ita necesse est Hugnosticos pontificem suum Bezam aut maximæ accusare ignorantiæ, aut potius insignis aduersus Christum impietatis ac contumeliæ.

2. *Cal. in c. 5. Heb.*

B

His autem adiicio, & probo, quod tamen Beza tanquã rem absurdam negauit, nimirum quod si Christus secundum deitatem obsecrat, apud seipsum intercedat, atque sic cupiens euadere Scyllam, incidit in Charybdim. Intercessio omnis est apud aliquem. Ergo Christus sic intercedens, vel apud patrem, vel apud Spiritum, vel apud vtrunq; intercedit. MIN. Respondebit pro certo quod apud patrem intercedit. DOCT. Sed D de seipso & patre dixit, *Ego & pater vnum sumus.* Et de tribus dictum est; *Hi tres vnũ sunt.* Igitur si quatenus Deus est intercedat, vt vult Beza, intercedit apud seipsum; quod idem Beza negat. MIN. Si dixerit, personam diuinam filii vt distinctam à persona patris, apud eũ intercedere, quid obiicies? DOCT. Intercessionem opus esse voluntatis: vtriusque autem personæ est eadem omnino voluntas, eadem mens, eadem beneuolentia: igitur etiam sic intercederet apud semetipsum: quod iure absonum iudicat Beza. Sed cum voluntas humana, quæ in Christo distin-

3.

Ioan. 10. 1. Ioan 5.

distincta & impermixta semper manet, reipsa secernatur à voluntate diuina, recte per humanam dicitur intercedere apud diuinam. Atque sic semper erroris conuictus manet vester Theodorus, vt nihil commode istis posit respondere.

4. Adhæc, oportet idoneum intercessorem ac mediatorem ab his aliqua ex parte dissitum esse, quos in concordiam, amorem, & mutuam cōsensionem nititur reducere, docente Apostolo, *Mediatorem nō esse vnius, Deum vero vnum esse.* Dominus autem IESVS secundum deitatem nihil omnino differt à patre, cui est consubstantialis, coæternus & coæqualis. Igitur secundum deitatem non potest apud eum mediatoris aut intercessoris fungi officio. At vero secundum humanitatem tantum à patre distinguitur, quantum à suo Creatore differt creatura: & à nobis omnibus non solum conceptione, natali, vitæ ratione, resurrectione, ascensione, ad dexteram Patris consessione plurimum distat; sed & hypostatica cum Verbo, vnitione, ac innumerabilium Spiritus donorum infusione atque participatione. Igitur proprie mediator ac intercessor noster est apud patrem secundum assumptā humanitatem, non secundum deitatem. MIN. Hæc collectio tam solida manifestaque mihi videtur, vt omnino solui à quoquam hæretico non valeat.

Galat. 3.

5. DOCT. Rursum, sanctissimæ Trinitatis patris, & filii & Spiritus sancti opera ita sunt indiuisa & inseparabilia, ratione eiusdem essentiæ, voluntatis, atque potestatis; vt quicquid vna earum erga res conditas efficiat, omnes simul operentur. MIN. Hoc non inuite confitentur Musculus, Caluinus, Simlerus, Beza, & comministri. DOCT. At nullus vnquam vir prius ausus est dicere, Deum patrem pro nobis intercedere: consequens est igitur, nec filium secundum deitatem alicui supplicem esse.

6. Insuper, à te & cōministris quæro, Num creditis Iesu Christi voluntatem diuinam tantæ esse virtutis ac potentiæ, vt in consiliis ac studiis suis præpediri à quoquam nō possit. MIN. Credimus & confitemur, docente nos Apostolo: *Voluntati eius quis resistit?* Dicentibusque Prophetis, *Quæcunque voluit, fecit in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Iuxta voluntatem enim si a u facit tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ, & nō est qui resistat manui eius, & dicat ei, quare fecisti? DOCT. Voluntas autem quæ supplicat & precatur alterum, nec est omnipotens, nec semper quæcunq; vult operatur, alioqui studia atque vota sua alteri non explicaret, aut submisse commendaret, tanquam maiori & valentiori, vt ab eo iuuaretur & auxilium acciperet. Certum est igitur & manifestum, quod Christus nō precatur secundum deitatem & voluntatem æternam, sed duntaxat secundum humanam. MIN. Credo equidem Bezam duarum in Christo voluntatum distinctionem non animaduertisse aut credidisse, cum superior ei excidit error. DOCT. Ergo versabatur in erroribus Monothelitarum aut Eutychianorum, confundentium in Christo duas substantias, duasque voluntates, quæ vnitati tamen personæ illius nihil omnino repugnant. MIN. Tu miserum hominem sic vndique constringis, vt non videam quo pacto vinculis argumentorum tuorum posit exsolui.

Psal. 113.
Psal. 134.
Rom. 9.
Dan. 4.

DOCT. Apostolus paucis quidem, sed lectissimis & grauissimis verbis Bezanam impietatem refellens ait: *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Addendo, *homo Christus*, aperte indicat eū secundum humanitatem officio fungi mediatoris ac intercessoris nō secundum deitatem. Subnectendo etiam, quod *semetipsum dederit redemptionem pro omnibus*, in cruce videlicet, pretium redemptionis humanæ per sanguinem & mortem exoluendo, identidem clarius explicat atq; corroborat. 7. 1. Tim. 2.

Idē rursus scribendo Iesum esse ad dexteram Dei, ac interpellare pro nobis, ne quis cum Beza aberrans cogitaret id eum facere quatenus Deus est, paulo ante præmisit; *Christus Iesus qui mortuus est; imo qui & resurrexit:* significans dilucide eam intercessionē pertinere ad naturam capacem mortis & resurrectionis, id est, humanam, non ad diuinam, quæ morti non est obnoxia. 8. Rom. 8.

Iterumq; apertius idem adserit, scribens eundem Christum summum Pontificē nostrum *per proprium sanguinem introiuisse semel in sancta* loca, id est, in patris cœlestis conspectum, *æterna redemptione inuenta.* Quod aliquanto postea explanat his verbis: *Non enim in manufacta templa Iesus introiit* (vt Aaron & eius sortis sacrifici introibant) *sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Hic habes descriptum Mediatoris atque patroni nostri Christi Iesu officium. Is enim introiuit in conspectum patris, ibi perpetuo stat & 9. Heb. 9.

ſanguinem, per paſsionem & mortẽ, quam patri offert continuo pro nobis interpellans & ora... MIN. Sanguis porro effuſus, & oblatum corpus in ſacrificiũ ad humanam ſubſtantiam pertinent, non ad diuinam. Itaque intercedit ſolummodo ſecundum aſſumptam naturam humanam; non ſecundum diuinam, quæ illam aſſumpſit.

10. His tantum addas quædam veterum teſtimonia, & finem huic diſputationi imponemus. DOCT. Cyrillus adfirmando Chriſtum (quatenus homo eſt) eſſe quidem Epiſcopum; quatenus vero Deus eſt, ſuas excipere oblationes atq; ſacrificia, ſatis declarat eum preces offerre tantum vt homo, exaudire vero vt Deus. Nam orationes vera ſunt mentis ſacrificia.

Apol. cont. orient.

11. MIN. Ante omnia expetebam à te reſcire, quid de hac magnus ille Aurelius Auguſtinus ſenſerit. DOCT. Non alia fuit illius fides ac doctrina, vt ex eo liquet quod ad patrẽ ait: Vera morte carnis Chriſtus mortuus eſt pro nobis, qui te interpellat pro nobis. Et poſt longam doctamque de Mediatore diſquiſitionem, tandem colligit: Inquantum enim homo, intantum Mediator: inquantum autem Verbum, nõ medius qui æqualis eſt Deo. Et paulo poſt: Merito mihi ſpes valida in eo eſt, quod ſanabis omnes languores meos per eũ qui ſedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis, alioquin deſperarem, &c. MIN. Præclare profecto & pie. Perge adhuc te quæſo. DOCT. Scribit rurſum: IESVS vt homo mediator eſt Dei Patris & hominũ: nam vt Deus, eſt æqualis patri, hoc eſt, Deus cum Deo, & vnus cum patre & Spiritu ſancto, non mediator. Iterumque ait: Ieſus Chriſtus ſecundum formam Dei æqualis eſt patri: ſecundum formam ſerui mediator eſt Dei & hominum. Et rurſum. Secundum hominem Chriſtus & Rex, & ſacerdos effectus eſt, vt eſſet ad interpellandum pro nobis mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. Et adhuc alibi. Non per hoc mediator eſt, quod æqualis patri. Per hoc enim quantum pater, tantum & ipſe à nobis diſtat. Et quomodo erit medietas, vbi eadẽ diſtantia eſt? Ideo Apoſtolus non ait, Chriſtus Ieſus, ſed homo Chriſtus Ieſus, per hoc mediator quod homo. Alibi rurſum in hanc rem noſtram ſcribit: Vnde verus ille Mediator inquantum formam ſerui accipiens Mediator effectus Dei & hominum homo CHRIſtus

Lib. 9. conf. c. 4.

Lib. 10. conf. c. 43.

Li. 1. Trin. c. 7.

L. 1. de pec. orig. c. 28.

L. 10. de ciuit. c. 20.

ficium cum patre ſumat, cum quo & vnus Deus eſt: tamen, in forma ſerui ſacrificium maluit eſſe quam ſumere, ne vel hac occaſione quiſquam exiſtimaret cuilibet ſacrificandum eſſe creaturæ. Per hoc & ſacerdos eſt, ipſe offerens, ipſe & oblatio. Hactenus ille & ſanctiſsimus & doctiſsimus Theologus. Officium porro mediatoris eſt pro eis intercedere, quorũ partes tuetur, vt in gratiam reducat. Igitur ſecundum humanam naturam tantum Chriſtus intercedit, non ſecundum diuinam, Atque hæc non vnius tantum Auguſtini fides atque doctrina: ſed

B & Apoſtolorum & vniuerſæ prorſus Eccleſiæ.

MIN. Cũ hæc recitas, in mentem meam hoc vnum occurrit, quod paucis explicabo, & finem facio. Firmiſsime tenent noſtri antiſtites veram ac legitimam inuocationem ſpeciem eſſe cultus & adorationis eius quæ Deo debetur: quæ fieri non poteſt ſine fide & ſpe. Atqui non auderet Beza, vt opinor, dicere Chriſtum ſecundum deitatem adorare, quoniam ipſe eſt qui à cunctis Angelis & hominibus adoratur. Neque habere proprie fidem aut ſpem, cum ipſe ſit propter

C quem hæc dona nobis impertiuntur, eademque tantum ad hominum viatorum animos pertinent, nõ ad Chriſtum & Deum, & comprehenſorem. Itaque ſi ſecundum diuinitatem intercedit & orat, vt vult Beza; certe non eſt natura Deus æternus, & ſummo patri æqualis. Sicque fictitia, imaginariaque tantum deitate præditum eum Beza cum Arrianis confingeret; quod horrendam impietatem reſipit. 12.

DE ÆTERNA PERFECTAQVE IESV Filij Dei Diuinitate: aduerſus hæreſin 22. 23. 24.

D

CAPVT XV.

DOCTOR.

MAximis & firmiſsimis quatuor coniecturis ducor, vt exiſtimem Caluiniaanos veſtros aut æternam Ieſu Chriſti deitatem in corde ſuo negare, dicentes cum inſipiente, *Non eſt Deus:* aut ſaltem eis viam latiſsimam patefacere ac munire, qui tam nefariã impietatem volunt hoc nouiſsimo ſeculo inſtaurare. MIN. Has te quæſo, ne reticeas, ſed ordine recenſe, vt ſingulas expendamus. DOCT. Prima eſt, quod Caluinus ſuadeat *illũ habere diſtinctã ſubſtantiam à patre: eſſe tan-*

Maximis cõiecturis probatur Caluinianos ſentire cum Arrianis.

Prima.

esse tantum causam secundam vitæ: secundum tantum honoris ac imperij gradum obtinere: tantum ministrum, secretarium ac vicarium patris esse. Beza quoque prædicet: *eundem secundum deitatem precari, eius deitatem sine humanitate inutilem: nec potuisse à mortuis seipsum excitare.* Aliique istorum gregales nunc palam eructent, *eundem* (vt superius audisti) *personaliter nec adorandum nec inuocandum esse.* MIN. Equidem certe æqui rerum æstimatores facile iudicabunt horrendas hæreses istas aliunde non posse emanare, quam ab animis erga filii Dei æternam perfectamque diuinitatem male affectis: quandoquidem Ebionitæ, Samosateniani, Arriani, quinetiam Iudæi ac Mahometani eiusdē deitatis ex professo aduersarii, nec his deteriora, nec absurdiora cōtra eam effutiuerunt mendacia. DOCT. Ad hæc, scripsit Caluinus, *nomen Dei per antonomasiam acceptū, ad solum patrem pertinere:* igitur filio detrahit. Rursum, *Existimat filium etiam secundum quod Deus dicitur, post iudicium, patri fore subiectum:* negat ergo illius cum patre coæqualitatem & consubstantialitatem. Addit, *Eundem filium respectu personæ, Creatorem cœli & terræ non posse proprie appellari:* inficiatur ergo eum cum patre eandem habere voluntatem, potestatem, & operationem. Laudat denique Stanislaū Sarnicium ministrum Polonum, *quod in publica cum nouis Arrianis disputatione concessit, deinde typis euulgauit, filium ratione officij esse minorem patre etiam in natura diuina:* quæ fuit Arrianorum & aliorum hostium diuinitatis Christi vetus insania, vt est apud Athanasium & Hilarium fortissimos & felicissimos illius propugnatores. MIN. Tam fortis ac euidens mihi sane videtur hæc prima coniectura, vt constantis ac euidentis probationis locum obtinere possit.

Supra pag. 210. 223. 242. &c.

L. adu. Val. Gentil.

Inst. lib. 2. c. 14. §. 3.

L. adu. Val. Gentil.

Epist. ad Polon.

Secunda cōiectura.

DOCT. Secunda est, quod incredibili fraude & malitia vniuersos deprauāt & corrumpunt Scripturarū locos, quibus aduersus Arrianos eandem Christi diuinitatem veteres sanctique patres adseruerunt & cōfirmauerunt. Malunt enim pias germanasq; patrum interpretationes calumniari & reprobare, quam imitari: Hæreticorum autem impia & falsa glossemata laudare, probare, ac instaurare, vt his communiti noui Arriani audentius in publicum prodeant, & Christo Domino Deo nostro bellum inferant. MIN. Exemplis perspicuis & certis id tibi confirmandum est. DOCT. Hic Ioannis locus, *Ego & pater vnum sumus:* Catholicis

Ioan. 10.

A hactenus firmissimum propugnaculum fuit ad reprimendam furentem Arrianorū audaciam, simulque asserendam domini Iesu æternam, ac eandem cum patre deitatem. Atque in hanc rem locum illum Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Epiphanius, Cyrillus Patres Græci; deinde Hilarius, Ambrosius, Prudentius, Victorinus, Leo, Hieronymus, Augustinus Ecclesiæ Latinæ proceres: quinetiam trecenti decem & octo illi veteris & Apostolicæ fidei fortissimi assertores, qui ante mille & trecentos annos: in Nicenam synodum conuenerunt, & frequenter & pie recteque vsurparunt. MIN. B Quid? Caluinus ne tantæ luci tenebras suas offundit? DOCT. Ait, *omnes illos magnopere abusos esse huiusmodi loco: vt probarent filium patri consubstantialem esse, quod illic non agatur de vnitate substantiæ, sed solum de consensione voluntatis.* Idem & Beza tantundem iudicat & de hoc eiusdem Ioannis loco: *Hi tres vnum sunt*, autumantes, *hæc verba ad essentiæ vnitatem non referri, sed tantum ad voluntatis consensum, veluti si multæ chordæ, siue diuersi in organis calami in vnam harmoniam consentirent.* MIN. Hæc est vere diabolica audacia, qua tot antiquis, doctis sanctisq; pastoribus fidem detrahūnt: insuper, & nefaria religionis Chri- C stianæ proditione, Christianis arma surripiunt, vt his Arrianos præmuniant. DOCT. Rursum, quando beati Ecclesiæ doctores huic Arrianorum obiectioni *Pater maior me est*, responderunt; id verum esse quantum ad humanam naturam pertinet, Caluinus eos redarguit, dicens *huiusmodi solutionem esse frigidam, ineptam, ac dissentaneam; cum in eo loco* (inquit) *humanæ filij naturæ nulla fiat mentio.* MIN. Impie profecto à Christianis castris ad Arriana deficit. Tot enim importunæ patrum reprehensiones, & insanæ superbiæ signa sunt manifesta; & argumenta certissima quod Arrianorum magis quam D Catholicorum partibus fauerit.

1. Ioan. 5.

Ioan. 14.

DOCT. Tertia coniectura est, in eo quod Ministri vestri in Bibliis Gallicis, illustrem hunc Dauidis de Verbo incarnato locum, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, perpetuo ac perperam transferunt, Minuisti eum paulo minus à Deo. Et in cœnis ac cantilenis vestris semper occinitis, *Tu l'as fait tel, que plus il ne luy reste, fors estre Dieu.* Quod Latine sonat ad Verbum: *Talem effinxisti eum, vt nihil ei desit, nisi vt Deus sit.* Vno ergo in loco facitis eum de quo Propheta loquitur, vero Deo minorem: altero autem eundem

Tertia cōiectura.

Psal. 8.

dem

dem omni diuinitate spoliatis. MIN. Istud verum mihi videtur: quoniam Adamum illis verbis designari docent. Geneuani ministri. DOCT. Sed Paulus vas electionis, & Apostolus Iesu Christi, è contrario docet, eum locum de domino nostro Iesu Christo intelligendum: quem secundum carnis assumptionem pater minorem fecit Angelis: sed illæsa, sarta, tectaque manente summa illius deitate. Etenim vocis Elohim homonimiam, vna cum Septuaginta sanctis interpretibus, ad Angelos, non ad Deum, referendam esse satis docet. Hos secutus antiquissimus & acutissimus vir Tertullianus, decem operum suorum locis, cæterique patres orthodoxi tam Græci quam Latini, idem magna consensione probant. Quibus, amabo te, potius adhærebis? Aut quos putas melius Psalmi sensum retinuisse & expressisse? MIN. Nemini dubium, vnicum Paulum decem ministrorum Caluinicorum myriadibus anteponendum esse: & Septuaginta interpretes linguæ suæ Hebraicæ vim & proprietatem longe melius intellexisse, quam noui isti tyrones. Tum etiam pluris facio vnicum Tertullianum, quam centum Caluinos, Marotos, aut Bezas. Et sane quidem videtur idem noster Theodorus Beza in hac extrema senecta hunc Arrianicum errorem nostrorum horruisse, ac ideo quodam pacto resipiscere velle, quando in Psalmorum nouissima editione conuertit, *Tu fecisti eum paulisper subsidere infra Angelos.* Et in Paraphrasi: *Fecisti eum aliquantulo inferiorem Angelis.* Fatetur etiã in argumento Psalmi, *quod de æterno Dei Filio scribatur, qui nostram naturam humanã in vnitatem diuinæ personæ subuexit.* DOCT. Ex his porro sequitur, primum, vestros omnes Comministros Psalmi locum, nequiter peruertisse; & aduersus Spiritus sancti mentem Paulo & Patribus reuelatam male conuertisse, *minuisti eum paulo minus à Deo,* cum dicendum sit, ab Angelis. Deinde, illos etiamnum domini nostri Iesu Christi æternam negare diuinitatem, asseuerando eum omnia alia, præter diuinitatem, possidere: aut si diuinitate quadam potiatur, ea sit patris deitate & maiestate longe inferior. Istud porro quid aliud est, quam impia Arrianorum cantio? Quam tetras Alchoranistarum & Turcarum insanias, contra æternum Dei filium inuehere?

Heb. 2.

Quarta cõiectura. MINIST. Istud (eheu) nimium verum est, quãdo multi nostri gregis eiurato Christo, ac Euangelio eius, assumpta vero Mahometana circuncisione, quotidie ad Turcas deficiunt: de quibus non ita pridem scripsit Iacobus Andreas Tubingensis Academiæ Cancellarius ac Lutheranus minister: *Minime mirandum est ex Caluinianis in Polonia, Transsiluania, & Hungaria, aliisq; in locis, quamplurimos ad Arrianismum, quosdam etiam ad Mahometismum accessisse, quorum impietati hæc Caluiniana doctrina iter parat. Id autem per eos Caluinianos* (addit ille paulo post) *Satanas veluti per sua organa machinatur, vt omnem deleat fidem & cognitionem de domino Iesu Christo ex animis hominum, sicque tandem adimpleatur, quod ab eodem dictum est: Cum venerit filius hominis, putas quod fidem inueniet super terram?* Adserit quoque Andreas Volanus huius apostasiæ in Polonia testis oculatus, in sua aduersus Ebionitas & nouos Arrianos Parænesi: & Responsione ad obiectiones contra dictam Parænesin, improbissimos homines istos clara voce testificari, *se in Caluinianis & Bezanis scriptis Arrianismum didicisse: omnium insuper antiquorum patrum interpretationes audacter aspernari: Dominum Iesum denique non pluris facere, quam Dei patris ministrum, secretarium, & in terris aliquando vicarium:* aliasque aduersus diuinitatem eius ructare blasphemias, quas superius cõmemorasti. DOCT. Iam ne igitur vides, me vniuersum Caluinismum iure Arrianismi insimulare: & eius professores vt æternæ Christi diuinitatis aut manifestos, aut certe vt occultos hostes merito traducere? MIN. Neminem qui superiores coniecturas attente perpenderit, posse contradicere puto. Sed quænam tantis malis adhibenda remedia? DOCT. Interitum huiusmodi infelicium hominũ imprimis deplorare nos decet: deinde, firmissimis rationibus, testimoniis, editis olim miraculis, aliisque manifestis demonstrationibus hunc errorem refellere: & sanctam Catholicam, & Apostolicam doctrinam confirmare.

Præfat. refut. Apol. Dana.

Luc. 18.

Confut. I. Cõfes. fide. MIN. Sine igitur, vt ab Authorum contradictionibus more meo incipiam. Palam frequenter tam verbo quam scripto professi sunt Caluinus, Beza, & alii ministri, *sese de mysterio sanctissimæ Trinitatis, & personarum diuinitate sentire, credere, atque docere, quod Oecumenica Concilia, quod patres sancti, quodq; vetus Ecclesia docuerunt & decreuerunt.* Insuper, *se omnes tam hæreticos, quam hæreses eorum damnare, respuere, atque detestari, quos illi damnantes diris deuouerunt; nominatim vero Samosatenianos, Sabellianos, & Arrianos.* Sed Nicenum,

Antiochenum, Chalcedonense, Canstantinop. Ephesinum, aliaque vetera Concilia, cum sanctis Patribus, & Prisca Ecclesia, ex sacris literis, Apostolicisque traditionibus docuerunt, & statuerunt credendum, dominum Iesum esse natura Deum verum & viuum; Patri consubstantialem, & in omnibus coæternum & coæqualem: contra sentientes vero cunctis Christianorum sacris extrusos, multis iustisq; anathematibus cōfossos Satanæ manibus tradiderunt. Necesse est igitur, cunctos Hugnosticos supra nominatas Caluini Bezæque contra filii deitatem blasphemias coarguere & damnare: aut propriis etiam ipsorum iudiciis, cum veteribus hæreticis, grauissimis Ecclesiæ Christianæ anathematibus confossos & maledictos in æternum perire. DOCT. Lætor vehementer audiens te pie imprimis ac docte aduersus tetras fanaticasque hæreses differentem, & propriis hæreticorum iudiciis Catholica dogmata confirmantem. Perge porro, & eodem modo.

2. MIN. Spectabilis Beza in sua fidei Confessione profitetur, *se credere tres diuinas personas esse coessentiales & coæternas*: tum *Patrem, Filium & Spiritum sanctum vnum esse Deum inseparabilem.* Rursum: *Iesum Christum quantum ad diuinam naturam, esse patris vnicum filium coæternum, consubstantialem & æqualem eidem patri in omnibus & per omnia.* DOCT. Quare ergo in cunctis Hugnosticorum cœtibus canere permittit, *nihil ei deesse, nisi vt Deus sit?* Quare Caluini parentis sui non reprobat blasphemias, quibus ei *secundum tantum imperij & dignitatis gradum, vt vicario & secretario derelinquit?* Quare idem ipse tam impie ac nefarie confingit, *eum secundum diuinitatem patri supplicem esse?* Hæc enim manifestissime secum pugnant.

Punct. 1. ar. 2. punct. 2. art. 1. & punct. 3. art. 1.

3. MIN. Caluinus in Euangelium Ioannis, fatetur *Euangelistam statim ab initio æternam Iesu Christi diuinitatem proponere, vt intelligamus eum esse Deum in carne manifestatum.* Et ad hunc eiusdem Euangelii versum. Et Deus erat Verbum, ait: *Ne quis de diuina Christi essentia scrupulus maneat: clare asserit esse Deum. Iam quum vnicus sit Deus: Christum eiusdem esse cum patre essentia, & tamen in aliquo differre sequitur. Quod ad vnitatem essentiæ spectat, nimia fuit Arij improbitas, qui ne æternam Christi diuinitatem fateri cogeretur, fictitium nescio quem Deum esse garriebat. Nos autem quum audimus Sermonem fuisse Deum, quid est quod de æterna illius essentia amplius moueamus controuersiam?*

Com. in c. 1 Ioan.

A Explicans rursum Ioannis cap. 14. v. 10. ait: *Pater in Christo esse dicitur, quia in eo habitat plena diuinitas, & virtutem suam exerit. Christus vicissim dicitur esse in patre, quia diuina virtute se vnum cum illo esse ostendit.* DOCT. Hactenus recte, & contra superiores suas impietates, quibus eum dep[r]imit in secundum ordinem causæ, subsellia que secretarii, ministri, atque vicarii.

4. MIN. Dictum quoque fuit superioribus disputationibus, quemadmodum idem cōfitetur, *Filium semper extitisse Verbum Dei æternum: quodq; habeat à patre naturam per quam filius Dei est.* Insuper, *quomodo vocet Arrianos homines* B *impudentissimos, nolentes confiteri æternam Iesu Christi diuinitatē.* Scribit rursum, *antiquos patres sacris scripturis ostendisse patris & filii & Spiritus sancti esse omnino simplicem, singularem, & indiuisam essentiam. Talem nos debere domino Iesu cultum ac reuerentiam, qualis debetur vnico ac æterno Deo.* DOCT. Etiam hucusque bene ac pie. Huiusmodi enim est, semperque fuit Ecclesiæ Catholicæ fides atq; doctrina quæ expresso Dei verbo, Apostolicisq; traditionibus freta, Marotum, Bezam, & eiusdem furfuris nebulones damnat, quod suis nugis nugacissimis nugantur & cantillant, *Christo deesse quod Deus sit.* Caluinum quoque ipsum C in hæreticorum ac reproborum numero habet, eo quod non sit veritus, *Filio Dei aliam à patre tribuere substantiam; patreque minorem ac subiectum etiam in natura diuina*, cum Arrianis confingere.

5. MIN. Hæc sunt quæ ad manum ex Caluino contra Caluinum habebam: dic tu, quæ aduersus hanc impietatem parau eras. DOCT. Exordiar ab ouo: id est, primos diuinitatis Christi hostes recensebo, vt vel saltem tam improborum patrū infami origine vitiosior proles ista erubescat, confundatur, & redeat ad cor. Temporibus Apostolorum insurrexerunt aduersus Christi æternā deiD tatem Ebion, Cerinthus, Carpocras, & manipulares: sed Ioannes filius tonitrui rogatus ab Episcopo Asiæ, vt os eis obstrueret, tam alte clareq; suum intonuit, IN PRINCIPIO ERAT VERBVM, &c. Diuinam ac æternam illius adserens maiestatem, & cū patre vnitatem, vt bufones isti obmutescere, & in antra sua cum venenis sese recipere coacti fuerint.

Irenaeus. Tertull. Epiphan. Eusebius. Niceph. Theodoret.

6. Sublatis de terra in cœlum vniuersis Apostolis & discipulis, qui dominum Iesum, & miracula eius oculis viderant; suis rebus nō defuit Satanas omniū hæreseon parens, inuentis

uentis aliis suæ malitię organis; quibus superius venenum effunderet, bellumque aduersus filium Dei redintegraret. Suas ergo operas & linguas eidem locarunt Theodotus Bizantius, Artemon, Theodotion, & Paulus Samosatenus: quibus à sanctis Martyribus & Patribus fusis fugatisque, succenturiatæ sunt frequentes horrendæque copiæ Arrianorum, Macedonianorum, Eunomianorũ, & Fotinianorum. Sed & has summa vi virtuteque propulsarunt sanctißimi Ecclesiæ Pastores & Doctores, quando clypeo fidei & gladio verbi Dei muniti, eos de tetris erroribus & blasphemiis conuictos, damnatosque omni Christianorum communione procul esse iusserunt.

7. Tunc vero summa fide collecta, & piis omnibus proposita fuerunt præclara illa religionis Christianæ symbola, quibus profiterentur omnes se, *Credere in vnũ dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum. Ex patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem patri.* Et iterũ secundum alterum symbolum docetur: *Patris & filij vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.* Igitur summa Christianæ fidei est, quod Christus cũ Patre habet eandem substantiam & essentiam, non aliam: æqualem gloriam, non aliquo gradu minorem: & coæternã, non posteriorem aut nouam. MIN. Equidẽ huiusmodi probationes vehementer meam confirmant fidem & spem in dominum Iesum, debentque cunctis piis animis satis esse: sed vt magis ac magis eadem crescat & accendatur, eas quæso ex scripturis probationes adhibe, quas sanctißimi patres & Doctores in eandem rem priscis hæreticis obiecerunt, vt & neoterici eisdem conuincantur, & resipiscant.

8. DOCT. Probauerunt tres diuinas personas omnino easdem esse in substantia, potestate, sapientia, & bonitate, ex eo quod initio Bibliorum dicit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Itẽ post peccatum hominis, *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Vna vero ex his tribus personis est domin⁹ noster Iesus, Dei Patris filius: is igitur æternus Deus est creator & rector huius mundi, de quo etiam Euangelistarum Aquila scripsit: *Omnia per ipsum facta sunt.* Hos enim vtriusq; Testamenti insignes locos, Tertullianus, Praxææ, & Marcioni; Irenæus, veteribus Gnosticis; Athanasius, Epiphanius, & Fulgentius Arrianis hæreticis

Gen. 1. 3.

Ioan. 1.

A constanter opposuerunt. MIN. Et merito sane, quoniam vis creandi, quæ ei tribuitur, non potest non esse prorsus diuina. Illic autem de domino Iesu mentionem fieri satis indicant loci continuo subiecti, videlicet in Genesi, *Semen mulieris conteret caput tuum,* quod nonnisi de illo intelligi potest & debet. Et postea, *In ipso benedicentur omnes gentes,* quod Paulus docet per illum solum factum & adimpletum esse. Et in Euangelio, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à patre:* quæ omnia ad Iesum coæternum & consubstantialem eius filium duntaxat pertinent.

Gen. 3. 12.

Galat. 3.

Ioan. 1.

B DOCT. Beatus Iacob in eodem primo Bibliorum libro, de venturo Meßia his verbis vtitur, *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentiũ.* Hebræi illum vocant SILOCH, hoc est, felicitatis auctorem, in quem gentes omnem salutis suæ fiduciam ac spem sunt reposituræ. Ex quo euidenter sequitur, illum verũ ac viuum Deum esse: quandoquidem diuino ore maledicitur, qui confidit in homine, & ponit brachium suum carnem. 9.

Gen. 49

Ierem. 17.

In secundo etiam Bibliorum libro dicit Deus, *Ego sum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos coram me.* Sed Iudas ex duodecim Apostolis vnus manifeste prædicat hunc Deum fuisse dominum nostrum IESVM, qui hanc fecit liberationem. Igitur agnoscit eum verum ac æternum illum Deum esse, qui in veteri Testamento patribus sese tot portentis ac signis declarauit. MIN. Non video quid huic confirmationi obiici valeat, nisi vel propheta, vel Apostolus mendacii arguatur. 10.

C

Exod. 20.

DOCT. Idem rursum Deus dixit Moysi: *Vos vidistis quod de cœlo locutus sum vobis. Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis, &c.* Quem amabo, putas loqui? MIN. Equidem dominum IESVM, vt testatur D. Paulus scribens, *Non accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignẽ, & turbinem, & caliginem, & procellam, &c. sed ad testamenti noui mediatorem IESVM, & sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.* Proinde non est dubiũ quin Moyses IESVM crediderit, & adorauerit vt verum Deum Abraham, Isaac & Iacob, qui venturus est de cœlo iudex viuorum & mortuorum. DOCT. Recte plane, quoniam ita etiam senserunt & docuerunt Veteres propemodum vniuersi, nimirum, Dei filiũ priscis illis patribus, multifarie 11.

D

Heb. 12.

Clem.lib.5. const.c.21. Euseb. li.1. hist. cap.1. Cyrill. Ier. Cat.10. multisque modis apparuisse: vtpote Iustinus Martyr in Dialogo, & secunda pro Christianis Apologia: Irenæus lib. 4. c. 42. Tertullianus lib. aduersus Iudæos, c.9. & aduersus Marcionem lib.2.c.27.lib.2.c.36.& lib.3. c.6.& 9. & lib.5.c.19. & alii pleriq; tam Græci quam Latini.

12. MIN. Hi ex Moyse loci sufficiunt: alios Prophetas Christum Deum esse docentes audire cupio. DOCT. Quoniam prolixum forsan nimis esset cuncta quæ de Messiæ sempiterna deitate protulerunt, in medium adferre: tibi aliisque satis sit præcipuorum summa quædam perbreuis. *Psalm.2.* Dauid eum appellat Regem, quem Deus pater constituit super Sion, id est, Ecclesiam, filium Dei à patre genitum ex vtero, id est, eadem substantia atque deitate, terminos terræ possidentem, quique reget impios in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringet eos. Et ea propter hortatur Reges terræ, vt seruiant illi cum timore, & exultent cum tremore, nequando irascatur. Denique eos beatos prædicat, qui sperant in eo. MIN. Reuera *Actor.13. Heb.1.5. Apoc.2 9.* Petrus, Paulus, Ioannes summi Apostoli referunt ac docent hunc Psalmum spectare, ad retinendam Christi super omnia creata maximam excellentiam, multaque sane continet, quæ ad solum Deum pertinent.

13. DOCT. Idem Psaltes agens de diuina, *Psalm.8.* quam illi pater communicauit, potentia & gloria, *Coronasti eum,* inquit, *gloria & honore, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius.* MIN. Equidem Paulus duobus in locis, id filio Dei accommodat: & certe tanta nunquam Angelis communicata fuit gloria. DOCT. Postea vocat eundem Regem gloriæ, dominum fortem & potentem in prælio, ac dominum *Psalm.23.* exercituum: qui tituli ad Deũ verum Israelis, totiusq; mundi Creatorem proprie pertinent. Idem rursum de eodẽ domino no- *Psalm.44.* stro exclamat: *Sedes tua Deus in seculum seculi.* Et conuersus ad sponsam eius Ecclesiam, *Et concupiscet Rex* (inquit) *decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.* MIN. Certissimum est tam diuina encomia & nomina non esse attribuenda simplici *ministro, secretario, aut vicario Dei:* itaque filius Dei talis habendus non est, vt molitur Caluinus; sed velut vnus cum patre, eidemque æqualis & coæternus adorandus.

14. DOCT. Postquam autem consequenter etiam plusquam duodecies eundem appellauit Deum, & Deum omnipotentem, Deum A æternum, Deum Israelis, addit hæc verba, quæ Paulus docet ad ipsum Iesum Christum pertinere. *Currus Dei decem millia* (Angelorum) *lætantium, Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* *Psalm.67. Ephes.4.* Recitat denique hoc Dei patris præceptum datum Angelis de filio suo, *Adorent eum omnes Angeli. Adorate dominum omnes Angeli eius.* *Psal. 96. Heb.1.* Hos enim Psalmorum locos Paulus ad Christum refert, sicut & istum, in quo creatio rerum omnium ei tribuitur, *Tu fundasti terram, & opera manuum tuarum sunt cœli.* *Psal.101.* MIN. Vir ergo pessimus Caluinus, negans filium proprie vocari posse Creatorem cœli & terræ. B Atque hæc satis de Dauide, veniamus ad Euangelicum prophetam Isaiam.

15. DOCT. Quod is scribit, se vidisse dominum Deum sedentem super thronũ maiestatis, circumseptum Seraphinis, eius sanctitatem & gloriam decantantibus & venerantibus, attribuitur in Euangelio domino nostro Iesu Christo, quem nominauit Emmanuelem, i. nobiscum Deum, & Deum fortem nostrum, patrem æternum, ac principem pacis. *Isaia 6. Isaia 7. Isaia 9.* An hi possunt esse tituli alicuius ministri ac serui Dei, minoris patre, & cui superest vt sit Deus? MIN. Non sane, sed veri æterniq; Dei creatoris & rectoris mun- C di, qualis est hic de quo disserimus dominus Iesus Christus. DOCT. Postea disserens de præclaris illius facinoribus, eos qui turbato sunt animo sic alloquitur. *Confortamini, & nolite timere, ecce Deus vester veniet, dabit retributionem, & saluabit. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus, claudus; & aperta erit lingua mutorum.* *Isaia 35. Matth.11. Li.3. c.22. Li. de hum. Verbi. Lib.5. de mõst. c. 21. Lib.4. in Ie. c.28. Li. contr. 5. hæres.* MIN. Geneuani ministri in argumento Bibliorum Gallicorum, sponte fatentur, his verbis cõtineri quandam descriptionem earum mutationum, quæ sub regno Christi debebant contingere. DOCT. Etiam si id non faterentur, satis cuique esse deberet, eun- D dem filium Dei id sibi in Euangelio palam arrogare. Tum etiam Irenæum, Athanasiũ, Eusebium, Cyrillum, Augustinum, aliosque plurimos veteres sanctosque Theologos illud ipsum de æterna Christi deitate interpretatos esse.

16. MIN. Persequere quæso, huius Euangelici Prophetæ de Christo vero Deo nostro testimonia. DOCT. Prænunciato Præcursoris eius aduentu atque ministerio, affirmat eum clamaturum esse ad turbas: *Parate vias domini, rectas facite semitas Dei nostri:* *Isai. 40.* quod in domino Iesu perfectum & adimpletum fuisse

fuisse docent Euangelistæ; sicque docent A eum viuum verumq; Deum esse à Prophetis annunciatum, & prædicatū ab Apostolis.

17. Comemorans postea Dei Patris ad ipsum Filium suum promissa sub Cyri typo, ita de eo scribit: *Labor AEgypti, negotiatio AEthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt, & post te ambulabunt, vincti manicis pergēt, & te adorabunt, teq; deprecabuntur. Tantum in te est Deus, & non est Deus absq; te. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel, Saluator.* Et post pauca idem filius Dei inquit: *Nunquid non ego dominus, & non est vltra Deus absq; me? Deus iustus & Saluator non est præter me. Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ, quia ego Deus, &* B *non est alius. In memetipso iuraui, egredietur de ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.* (Isaiæ 45.)

(Philip. 2. Rom. 14.) MIN. Paulus certe omni fiducia profitetur, eum qui tam magnifice de sua deitate & maiestate loquitur, esse dominum Iesum, ante cuius tribunal nos omnes aliquando astare oportet, vt recipiat vnusquisq; iuxta opera sua: & ita certissimum ac euidentissimū est, & Prophetas & Apostolos eundem pro vno & vero, & viuo Deo cum Patre agnouisse, prædicasse, inuocasse, & adorasse.

18. Dic nunc de Ieremia, Baruch, alijsque sequentibus Prophetis. DOCT. Ieremias vocans eum, Dauidis germen iustum, verum hominem futurum agnoscit: dicens præterea, quod nominaretur IEHOVA, id est, dominus iustus noster, confitetur eum esse verum, æternum & omnipotentem Deum. Baruch scriba & nepos eius, de illo ait: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eū. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* (Ierem. 23. Baruc. 3.) MIN. Certe Bibliorum nostrorum Gallicæ annotationes volunt de domino Iesu hæc omnia dicta esse. DOCT. Potius dicendum est, Athanas. contra Apollinarem, Basi. D contra Eunomium, Nazianzenus lib. 4. de Theologia, Eusebius lib. 6. de Demonstratione, Cyrillus lib. 10. contra Iulianū, Chrysostomus oratione, Quod Christus Deus sit, Theodoretus commentarijs in hunc locū, cuncti Ecclesiæ Orientis sanctissimi pastores & Doctores: ex Latinis vero, Tertullianus lib. aduersus Praxeam, Cyprianus lib. 1. contra Iudæos, Hilarius lib. 5. de Trinitate, Ambros. lib. 1. de fide, August. lib. 9. de Ciuit. c. 33. Dixi Baruch lib. inter sacros connumerātes, ex superioribus illius testimonijs, Iesu Christi domini nostri æternam diuinitatem aduersus Iudæos, hæreticos, & vniuersos illius hostes confidenter adfirmant.

19. MIN. Perge ad reliquos sequentes prophetas. DOCT. Daniel prædixit, regnum Messiæ fore æternum, cæteraq; vi superaturum, eum appellat filium Dei: subijcit eidem omnē populum, tribum, & linguam: vocat eundem peccatorum expiatorem, iustitiæ sempiternæ authorem, sanctum sanctorum: ex quibus consequitur, quod sit Deus æternus & verus. Osee commemorando hæc Dei Patris promissa, *Domui Iudæ miserebor, & saluabo eos in domino Deo suo*, id est in Christo, palam agnoscit & confitetur, eundem esse verum Deum Israelis, & omnium electorū: quiq; postea dicit se esse Deum, qui eduxit eos de Ægypto; vnicumq; Saluatorem, qui è manu mortis, & morsu inferi mundum esset liberaturus. Quis enim tot tantaq; præstare posset, præter vnum omnipotentis patris omnipotentem & consubstantialem filium. (Dan. 2. 4. 7. 9. Osee 1. Osee 12. Osee 13.)

20. Ioel refert eundem promisisse, *Ego dominus Deus vester, & non est amplius. Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabūt filij vestri & filiæ vestræ, &c.* quod D. Lucas aperte declarat dominum Iesum perfecisse, C cum super Apostolos, primosq; Christianos dona visibilia & inuisibilia immisit, decimo post ascensum suum in cœlos die. Michæas vocandas in Ecclesiam Christi gentes prædicens, ait eas dicturas esse: *Venite, ascendamus ad montem domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos de vijs suis, & ibimus in semitis eius:* MIN. Profecto discipuli Caluini in suis Biblijs Gallicis fatentur, Prophetam illic vaticinari de regno Iesu spirituali. DOCT. Improbant ergo damnantq; præceptoris nefarios errores, quibus ei *distinctam a patre substantiam tribuit, secundum tantum honoris ac imperij gradum concedit.* Sed redeo ad eundem prophetam, nominantem eundem filium Dei, Ducem, & Dominatorem Israel, cuius egressus sit ab initio, & à diebus æternitatis: quod ad eundem dominum nostrum Iesum Christum spectare confirmat Euangelista. (Ioel. 2. Act. 2. Ioan. 7. Mich. 4. Mich. 5. Matt. 2.)

21. Zacharias sæpenumero eundem vocat, dominum exercituum, qui habitaturus sit in medio hominum: vultq; omnem creaturam silere ante faciem eius. Quæ verba diuus Ambrosius, postea Augustinus, & ante vtrumq; Eusebius Cæsariensis ad æternam Iesu Christi diuinitatem sancte sciteq; retulerunt. Idem quoq; asserit illum esse domi- (Zach. 13. 4. 9. 11. L. 2. de fide. L. 20. ciui. c. ult. L. 5. dem. c. 25.)

minum, qui Satanam increpat, & qui Ierusalem elegit. MIN. Equidem Geneuani id posse intelligi de Christo etiam confitentur.
L.5.de monst. c. 27. DOCT. Sed his omnibus modis potiores Eusebius, Hieronymus, Theodoretus,
In comme. Theophylactus, diuus quoq. Remigius ante plurimos annos de Iesu æterna deitate sũt interpretati. Malachias item Propheta sic de Christo vero Deo Patrem loquentem inducit:
Mal. 3. Mat. 11. Marc. 1. *Statim veniet ad templum sanctum suum dominator dominus, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis:* quibus veri Dei veris epithetis & titulis Christum nostrum iure honorat. Hoc autem testimonio vtitur Athanasius ad confirmandam eius aduersus Arrianos cum patre substantiam, libro de communi essentia diuinitatis: & ante eum hi duo Latini Patres, Cyprianus libro contra Iudæos, & Tertullianus libr. 4. contra Marcionem, & libro contra Iudæos eũdem locum ad eandem rem comprobandam vsurparunt. Vides itaq; quanta confidentia & consensione veteres Patriarchæ & Prophetæ crediderint, scripserint & prædicauerint hunc Dei filium Christum esse Deum verum & vnum, Deum æternum, Deum Israelis, & eiusdem cum patre suo potentiæ, gloriæ, ac prorsus diuinæ maiestatis. MIN. Absit vt de hoc præcipuo religionis Christianæ capite quicquam dubitem; vel vllis vnquam hominum suasionibus: aut etiam tormentis ab hac fide recedam: sed renascentes Ebionitarum & Arrianorum hæreses cupio multis argumentis explosas, ac omnino extinctas esse: ac ideo percupio vt qua breuitate & claritate veteris Testamenti de deitate Christi testimonia percurristi, eandem quoq; ex singulis noui Testamenti libris confirmes.

22. DOCT. Per me non stabit quominus pio desiderio tuo satis fiat. Igitur in baptismo & transfiguratione domini nostri Iesu, Deus Pater his omnes nos commonuit vocibus.
Matt. 3. 17. *Hic est filius meus dilectus, &c.* Itaq; qui talem eum non credit, non recipit, non colit, Deo viuenti fidem detrahit. Interrogatus quoque Petrus quid ipse cum socijs de illo existimarent, intrepide pro se & condiscipulis respondit,
Matt. 16. *Tu es Christus filius Dei viui.* Dominus eam confessionem probans ait: *Caro & sanguis non reuelabit tibi, sed pater meus qui est in cœlis.* MIN. Ecce diuina cœlestiaque verba, quibus talem nobis pater declarat esse filium suum, qualem vult credamus & honoremus. Sed perge porro.

23. DOCT. Marcus refert dominum à Pon-A tifice examinatum & adiuratum, vtrum esset Filius Dei benedicti? libere & aperte respondisse, *Ego sum.* Qui ergo ita credere noluerit, & filium mendacij arguet, & in vultũ eius cum impijs Iudæis deridendo conspuet. Mar. 14. In Luca quoque dicitur angelus Gabriel Virgini confirmasse, quod Sanctus Domini, & Filius altissimi vocaretur, is qui Spiritu sancto agente de ea nasciturus erat. Luc. 1. Hæc porro nomina non sunt inania aut vana: significant igitur eum esse vere Deum Patriq; consubstantialem coæternum, & coæqualẽ, non alterius substantiæ, aut minoris gradus imperij ac gloriæ, vt impie garrit Caluinus.

B Præ cæteris autem Ioannes magnificentius intonat. 24. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, &c.* Ioan. 1. His enim verbis denotat filium personam æternam esse, sua proprietate à Patre distinctam, eidem tamen patri consubstantialem & coæternam, quæ eadem cum illo potestate mundum creauit atq; moderatur. Ille rursum coram Iudæis asseruit, *Antequam Abraham fieret, ego sum:* Ioan. 8. nimirum secundum deitatem, qua etiam ipsos cœlos & Angelos longe omnium præcedit, quippe qui sit sine vllius temporis aut durationis initio.
C Rursum etiam constanter affirmauit *Se & Patrem vnum esse*, Ioan. 10. quod prisci Ecclesiæ patres ad vnũ omnes ad vnitatem substantiæ ac naturę retulerunt; quicquid contra post Arrianos, & ipse plane arrianizans Caluinus obganniat. Quando in oratione sua precatur, *Clarifica me Pater, claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te,* Ioan. 17. paucis quidem, sed grauissimis & sanctissimis verbis Catholicam de sua diuinitate fidem confirmat, hæreses autem eidem contrarias penitus refellit.

Eundem rursum in Catholica Epistola nominat, 25. *Vitam æternam, quæ in principio erat cum Patre:* 1. Ioan. 1. 2. 3. 4. 5.
D censet eos negare patrem, qui filium eius abnegant: docet insuper, filium Dei apparuisse in carne, vt dissolueret opera diaboli: adfirmat deniq; Patrem, Verbum, & Spiritum sanctum, tres personas vnum esse, nimirum in essentia, deitate, & omnimoda maiestate. Videns quam certa, quam præclara, quam aperta sint Euangelistarum de Christi æterna diuinitate atque maiestate testimonia? MIN. Potiora sane nemo desiderare posset. Quædam solummodo ex Paulinis Epistolis subnectas, vt disputationem citius claudamus.

DOCT.

26. Rom.1.2.9. DOCT. Initio statim epistolæ suæ ad Romanos profitetur, dominum Iesum se verum Deum Deique Filium omnipotentem declarasse per resurrectionē suam ex mortuis. Postea vocat eum *iusti iudicij Deum*. Deinde affirmat eum esse *Deum super omnia benedictum in secula*. Phil.2. In Epistola ad Philippenses refert eum *fine vlla rapina arbitratum esse se æqualem Deo, & in forma Dei esse*. MIN. Magnifica & eximia certe verba, quæ & omnem conscientiam de Christi Deitate erudiunt atq; corroborant, cunctam vero hæresin aduersam refellunt & damnant.

27. DOCT. Accedunt deniq; miracula, quæ fecit, omnem creatam vim exuperantia, quibus satis superq; confirmauit se diuina omnino substantia & virtute præditum esse. Nam aliquoties solo nutu, alias verbo solo aut tactu cæcos illuminauit, leprosos mundauit, claudos sanauit, mutis vocem reddidit, hydropisi aut paralysi affectos in pristinam valetudinem restituit, malignos spiritus profligauit, siccis vestigijs super aquas ambulauit, procellis imperauit, latentes in animis cogitationes hominum declarauit, futura contingentia prædixit, peccata remisit, sacramenta efficacissima instituit, Spiritū sanctum dedit hominibus, mortuos ad vitā reuocauit, & ab angelis denique impensum obsequium & cultum suo iure admisit atq; recepit. MIN. Hactenus satis confirmata est Christi domini æterna, patriq; consubstantialis diuinitas, æqualis gloria, coæternaque maiestas. Hanc enim corde credo, oreque confiteor, & coram omnibus viuentibus, eo duce, profitebor, eidemque supplex procidens cum Apostolo Thoma dicam, Ioan.20. *dominus meus, & Deus meus*: cumque fidelissima Chananæa rogo & obsecro, Matt.15. *Fili Dauid, miserere mei*. Iam si placet, aliam ineamus disputationem. DOCT. Hæc hodie sufficiant. Nam de rebus magni momenti copiose satis disseruimus, nimirum de filij Dei hypostasi, quod deitatem à patre acceptam possideat, cumque eodem sit vna simplexq; salutis humanæ caussa, vnica etiam in duplici substantia hypostasis, in qua à cunctis inuocari & adorari debeat; deniq; quod venturus sit hic filius Dei & hominis iudicare viuos & mortuos: & vere natura Deus Patri & Spiritui sancto consubstantialis atq; coæternus sal-

A uator hominum, &c. MIN. Fundas igitur ad Deum preces, reliqua in crastinum diem expectabo.

DOCT. Domine Iesu Christe, Fili Dei ORATIO. Ioan.1. viui, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, qui in principio eras Verbum apud Patrem, vita & lux hominum, te toto corde, tota anima, totaq; mente adoramus, & supplices inuocamus: fac nos in hac fide quotidie proficere, spem quoque confirma, charitatem in mentibus nostris adauge, qua syncero totoq; pectore te diligamus propter te, amicos & proximos in te, inimicos propter te. Fac nos domine, B de virtute in virtutem proficere tantisper, donec videamus te dominum & Deum nostrum in cœlesti supernaque Sion ciuitate. Catuli mensæ tuæ adsumus, ne micas gratiæ Matt.15. Matt.11. Luc.11. decidentes ab eadem nobis deneges: opera manuum tuarum sumus, ne nos ergo despicias: familiæ tuæ, id est, Ecclesiæ filij sumus, qui à te petimus panem, lapides ne proiicias: efflagitamus piscem, serpentem ne porrigas: è paterna manu tua ouum cupimus accipere, eius loco non dabis scorpionem. Caput nostrum te fatemur, membra igitur mystici corporis tui ne dissipes. Ephes.4.5. Tu rex clementissimus, gementium ergo sub- C ditorum tuorum voces ad te perueniant. Tu os de ossibus nostris, & caro de carne nostra, abiectos igitur consanguineos & affines tuos ne asperneris ac derelinquas. Nemo enim carnem suam odio habuit, immo eam fouet & nutrit. Tu noster mysticus Ioseph, Gen.37.50. quem Deus communis parens ad fratres suos visendos immisit. Verum equidem fatemur, quod te pro dignitate nec excepimus, nec coluimus, nec audiuimus, in hisq; grauissime deliquimus: sed cum lachrymis tibi nunc procidentes rogamus & obsecramus, ne sis memor iniuriæ ciuium tuorum, non secundum peccata nostra facias nobis, sed obsecramus vt obliuiscaris scele- D ris fratrum tuorum, seruis patris tui dimitte omnem iniquitatem. Spiritus quem misisti in corda nostra, iam in his ad te clamat, Ab- Rom.8. Gal.4. Heb.12. ba, Pater: iamque de tua ineffabili miseratione confidentes ad thronum gratiæ tuæ accedimus, vt gratiam inueniamus, & misericordiam consequamur in tempore opportuno. Amen.

LIBER

LIBER QVARTVS,

QVO TRIGINTA ET OCTO

CALVINIANORVM, ADVERSVS SANCTISSIMAM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI HVMANITAtem, errores dissoluuntur: ac primum de illius vtilitate atque præstantia.

CAPVT PRIMVM.

MINISTER.

EN vides me, Doctor optime, tanto discendæ veritatis, & profligandarum hæreseon flagrare desiderio, vt omnium aliarum rerum obliuio me rapiat, efficiatque vt hic primus adsim, quare iam disputationes superiores persequere, te quæso, & Caluinianorum errores aduersus Filium Dei, eundemque filium hominis palam facito; DOCT. Recepi me plus sexaginta eorum errata ventilare: quorum sedecim, quæ magis proprie diuinitati eius repugnant, iam expediuimus. Hodie triginta & duos illorum errores, quibus in humanitatem sanctissimam eius sunt palam iniuriosi ac contumeliosi, patefacere atque refellere decreui. In nomine domini procedamus.

Primum errorem imputo Bezæ, qui sanctissimam domini Iesu humanitatem tam parui facit, vt impudenter affirmet, *illam à diuinitate separatam nihil omnino profuturam esse.* MIN. Quid eum propterea carpere intendis? An non expediens ac necesse fuit, vt diuinitas cum humanitate in Christo copularetur, vt sic esset idoneus mediator ac redemptor hominum? DOCT. Oportuit plane, quoniam nec mortem subire nisi homo; nec eam vincere, vitamque cunctis cõferre potuisset nisi Deus fuisset. Sed hanc sanctissimam humanitatem eius per se consideratam, aut separatam à Verbo, eo vsque aspernari, vt dicatur prorsus inutilis ac infructuosa, prorsus absurdum, & impium esse constanter adfirmo, Quandoquidem nihilo minus aut contemptibilius nihil posit excogitari vel pronunciari.

Conf. pun. 3. art. 22.

Cõfutatio 1. Nam & si tantum fuisset homo, vt Iudæi

A sunt opinati, & plurimi postea hæresiarchæ prædicarunt, atque etiam Turcæ, Persæ, & Tartari perperam sentiunt; saltem tam sanctus ac fructuosus fuisset propheta, quam Moses, Dauid, Samuel, Elias, Isaias, Ieremias, Daniel, ac beatus Præcursor & Baptista. Atqui, nemini dubium, hos sanctissimos Dei seruos, & toti mundo vtilissimos, & cunctis mortalibus fructuosissimos fuisse, quippe qui diuinum cultum constanter promouerint, errores, vitiaque ex cordibus hominũ tum verbo, tum innocentissimæ conuersationis suæ exemplo funditus extirparint, pro peccatis aliorum sedulo orauerint & sacri-

B ficauerint, iram Dei à contribulibus suis nõ raro auerterint, atq; omnipotentem Deum tum viuendo tum moriendo glorificauerint. An non te quæso, perdita esset malitia & extrema cœcitas, asserere innumeros tot sanctorum labores, & his collata Spiritus sancti dona penitus fuisse inutilia? Cum ergo Virginis Filius tantundem saltem quam vnus eorum profuisset, inutilis esse non potuit.

MIN. Miror certe Bezam tanta sui obliuione teneri, vt id ausus sit cogitare. In suis 2.
enim personat libris, de se tantum meritum esse Caluinum, vt eum loco parentis ha-

C beat, Geneuanæ plurimum profuisse Ecclesiæ, vocans eum fidelem domini seruum, pastorem, peruigilem, prophetam optimũ, huius mundi solem, & omnibus antiquissimis Doctoribus ac Patribus, quamuis maxima floruerint doctrina, & vitæ innocentia anteponendum. Eo etiam vsq; illum effert, vt ne Apostolis quidẽ aut Prophetis exceptis, de illius libellis scribat; *Monumentis Caluini nihil* *In iconibus.*

nihil in sacris explicandis, neque iudiciosius, neque enucleatius, neq; magnificentius, à quoquam verbi diuini interprete adhuc scriptum fuit. Idem excæcatus & superbus Thraso adhuc impudẽtius de eodem occinit: *Caluino nemo docuit doctius.* Quorsum igitur identidem dicere ac scribere noluit de filio hominis, etiã si à diuina persona non fuisset assumptus? Vult ne homunciõẽ illum super thronum Dei suis humeris efferre eo modo quo filius perdi-
1. Theß. 2. tionis sese, vt præsignauit Apostolus, efferet? DOCT. Vides his eius verbis quomodo in eam ceciderit dementiam.

3. MIN. Insanus profecto est, ac dignus qui elleborum epotiat. Nam perspicuũ ac certum est, beatæ Mariæ filium tot saltem incredulos in Iudæa ad veri Dei agnitionem fidemq; perducere potuisse trium annorum
Ion. 3. 4. spatio, quot Niniuitarum Ionas in triduo ad
Luc. 3. meliorem vitæ frugem reduxit. Et si Ioan-
Mat 3. nes Zachariæ filius ab omni diuinitate secre-
Marc. 1. tus, intra breue temporis spatium tot publi-
Ioan. 1. canos & peccatores, tot Pharisæos ac sacerdotes, tot denique etiam milites meliora sapere fecit; an non Dominus Iesus Ioanne omnibus modis melior, maiorẽ quoque fructum regno Dei afferre potuisset? Verba, iterum dico, sunt hominis insani ac plane impij, tam excellentem Prophetam reputare inertem, vanum ac inutilem.

4. DOCT. Petrus sine vlla sibi hypostatice
Act. 2. 4. coniuncta diuinitate, tantum profuit hominibus, vt nunc tria hominum millia, mox etiam duo ad cognitionem veræ fidei, & sacri baptismatis regenerationem subeũdam perduxit: quisque etiam apud se cogitet, quantos adhuc per triginta & septem annos, quibus Iudæam, Asiam, & Europam peragrauit, veritatis luce perfuderit.

5. Vnicus etiam Paulus, deitatis expers, in
Ro. 15. 16. Arabia, in Asia, in Cypro, in Creta, in Thra-
Gal. 1. 2. cia, in Macedonia, in Achaia, in Italia, in Gallia, in Hispania tantum profuit, vt innumeris hominibus causam salutis æternæ attule-
Luc. 9. 10. rit. Cæteri duodecim Apostoli, septuaginta
1. Cor. 15. duo discipuli, quingenti fratres illi qui dõ-
Act. 2. minum rediuiuum in Galilæa viderunt, & Spiritus S. præclaris donis perfusi sunt; per totum orbem ad prædicandum Euangeliũ dispersi, quot veritatis luce collustrauerũt? Quot à peccatis soluerunt? Quot baptizarunt? Quot suis prædicationibus, suis miraculis, suis exemplis, velut ab Orco in viam salutis ac sempiternæ vitæ rationem perduxerunt? Est igitur prorsus incredibile, *Dominum, & si homo duntaxat fuisset, nihil*, vt Beza garrit, *mundo omnino profuturum fuisse.* MIN. Certe tam crassus ac impius est hic error, vt maiore confutatione non indigeat: alium potius expendamus.

CHRISTVS MIRABILITER NATVS est de matre Virgine: & hoc ad fidem Catholicam pertinet: contra errorem 2. & 3.

CAPVT II.

DOCTOR.

NItuntur in secũda hæresi sustinere, eandem domini nostri humanitatem non tam miraculose ex vtero beatissimæ Virginis Deiparæ exiuisse, quam in eo concepta fuerat: sed cum fractionibus, doloribus, ac immunditijs, quibus matrum omnium subiecta solet esse natura: quæque ex hominibus peccatoribus naturaliter concipiũt, & infantes peccatores naturaliter pariunt. MIN. Ecqui tam furiosæ ac præposteræ sentẽtiæ sunt authores? DOCT. Martinus Bucerus ex Dominicano nunc Caluinianus, mox Lutheranus, tertio quartoque maritus, deniq; Iudæus factus, primus hac ætate scripsit: *Maria lege communi peperit.* Nosti vero quam fœ- Li. de omni. da violentaque sit hæc communis lex, qua præsent. do- dictum est, *Multiplicabo ærumnas tuas, in dolore* mini. *paries filios. Mulier cum parit tristitiam habet &c.* Gen. 3. Eum sequutus Petrus Vermilius, & fidei Ca- Ioan. 16. tholicæ, & professionis monasticæ desertor comment. ait: *Quod virgo perpetuo manserit Maria, cum id* in c. 5. ad *sacræ literæ diserte non affirment, non recipiendum* Rom. *est inter ea quæ necessario credi debeant.* Postquã hi duo apparitores, & latratu trifauci Cerberi hanc impietatis ianuam patefecerunt; Beza multo audacius & impudẽtius aduersus beatiss. Deiparæ integritatem irruit, iurando & acclamando, *quod partes vteri Ma-* L. adu. Iac. *ria, quo tempore peperit, fuerunt diuulsæ.* Carolus Andr. Molinæus de foro rabula, suam quoq; huic negotio miscuit garrulitatem, dum scripsit, *Maria aperta fuit in Filii natiuitate. Filius natu-* In Harm. *raliter ruptis obicibus, & locis apertis exiuit.* Vides ergo qua impudentia sanctissimum & adorandum natiuitatis Dominicæ mysteriũ profani homines isti commaculare & impugnare nituntur; nihilo plus miraculi in eo admittentes, quam in natali Caini, Pharaonis, Herodis, Iudæ, aut cuiuscunque alterius miseri ac reprobi nebulonis.

MINIST. Ah! quid dicam, nescio: nam Confutat. mihi vox faucibus hæret. Tu igitur dic quæ 1.

aduersus hunc errorem parasti. DOCT. A Nituntur imprimis errorem veterum hæreticorum Auxentij, Iouiniani, Eluidij & Photini ex obliuionis tenebris in lucem reuocare. Hi etenim ob eandem hæresin à cõmunione Christianorum fuerunt resecati, disiecti, & in manus Satanæ traditi à sanctissimis & antiquissimis Ecclesiæ Pastorib. Doctoribus Ambrosio, Hieron. Augustino, Damascen. & Hildephonso. Illi ergo qui sordes huiusmodi sceleratorum hominum resorbent, vt eas iterum in concionibus suis euomant, debent cum istis eos anathemate damnari, & maledictis omnibus subiacere.

Ep. 81. lib. adu. Iouin. L. de hæres.

2. MIN. Sed quid tibi de Vermilio negante, *id in sacris literis adfirmari*, videtur? Hoc enim non parum me mouet. DOCT. Immerito sane, primo quoniã ratiocinatio huiusmodi, quæ puris negationibus constat, nihil omnino efficit. Deinde, etiam si aperte scripturæ ad id affirmandum deessent, cuius pio & Christiano viro satis esse debent constantissimæ Apostolorum Traditiones, quas non minus quam scriptas eorum Epistol. tenere atque seruare iubemur. Insuper, sacrorum Conciliorum, Petri successorum, ac sanctorum Patrum consona firmaq; decreta: quibus de perpetua Virginis integritate, atque C intemerata in partu & post partum virginitate credenda, retinenda, atque prædicanda sanctissime constitutum & traditum est: contrarium vero vel opinari, vel docere, tanquam nefariam hæresin damnatum & prohibitum.

2. Thes. 2. 3

3. MIN. Recte quidem: interea tamen si id Scripturis quibusdam fulciretur, longe rectius ac firmius esset. DOCT. Nec id à nobis vltra desiderabis. Nam diserte constanterque de virginali conceptu ac partu Isaias scripsit: *Ecce, Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*: quæ verba ne D veteres quidem Iudæorum Rabbini (vt est apud Galatinum) nec recentes hæresiarchæ inficiantur ad Domini nostri Iesu ex vtero beatiss. Mariæ natiuit. pertinere: prout etiam in Euãgelio manifeste comprobatur. MIN. Equidem verbis Propheticis palam declaratur, tam conceptum quam natale Messiæ fore plane miraculosum, & matrẽ eius semper virginem, etiam in partu & post partum inuiolatam esse futuram. Ille igitur Spiritui sancto, qui locutus est per Prophetas, resistit atque contradicit, quicunque affirmat matrem illius effractis Dominum Iesum peperisse visceribus.

Isa. 7. Mat. 1.

DOCT. Eodem fere tempore, Daniel designauit hanc miram natiuitatem *per lapidem abscissum de monte sine manibus*, vti hũc locum interpretati sunt Iustinus, Irenæus, Cyprian. Hypolitus omnes fortissimi & doctissimi martyres: insuper beatissimi confessores & pastores Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, Cyrillus. MIN. Certe etiam Lutherus interpretationem probat eorum, qui per montem volunt significatam fuisse Mariam Virginem, à qua Christus citra viri adminiculum natus est. 4.

Dan. 2. Dial. c. l. c. 28. Com. in Dan.

DOCT. Rursum, mirandum ex Virgine B inuiolata partum Christi affirmauerunt patres ex eo, quod per Ezechielem dixerit Dominus: *Porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniã Dominus Deus Israel ingressus est per eam, & erit clausa.* Ait enim de hac Virgine Hieronymus. Hæc est porta Orientalis, semper clausa & lucida, operiens in se, vel ex se proferens sancta sanctorum. MIN. Equidem cum toties confirmet dominus hanc virginalem portam clausam remanere, omnibus modis increpandi sunt Molinæus & Beza, qui in ea fracturam effingunt ad extrahendum violenter æternum Dei filium in ea conceptum. 5.

Ezech. 44. Epist. ad Pammachium.

Aberrant enim plurimum, cum viam vi sibi patefacere coactum esse arbitrantur eũ, qui ex nihilo Angelos condidit, qui è limo terræ corpus Adæ conformauit, ex costa Euam nullo labore composuit: quiq; sua virtute adfuit Moysi, vt virgam in serpentem, aquas in sanguinem, & lucem in densissimas tenebras conuerteret. Qui potuit tot populi Israelitici turmas per medios fluctus siccis vestigijs perducere, non potuit clauso Matris vtero in hunc mundum exire? Qui Danielem ex faucibus leonum eripuit, tres cognatos eius è flammis illæsos extraxit: qui Ionam in ventre ceti incolumẽ seruauit, & alia absque numero miracula mundo edidit, plane valuit singulari miraculo ex Matris vtero erumpere. 6.

Gen. 2. Exod. 3. 4 &c. Dan. 3. 6. 14. Ion. 1. 2. 3.

DOCT. His addere potes, quod in eodem corpore super aquas ambulauit, quadraginta dies & noctes sine vllo cibo aut potu traduxit, veluti sol in monte refulsit, tumuli sui lapidem penetrauit, ianuis clausis intrauit ad discipulos suos, & super omnes cœlos liber ascendit: in quibus omnibus miraculis maior non exigitur potestas, quam in exeũdo ex integro clausoque Virginis matris vtero. Proinde eadem constantia debemus mirabilem domini nostri ex Matre natiuitatem 7.

Mat. 4. 14. 17. 2. Ioan. 20.

tem credere, qua reliqua confitemur vera & certa esse miracula.

8\. Præterea, non est difficilius Deo efficere, vt Virgo integra pariat, quam vt eadem intacta concipiat. Hoc igitur cum beatiss. Mariæ Deiparæ cōcesserit, & illud procul omni dubio non negauit. Ad hæc, partus matrum nostrarum dolores, sordes, & inquinamenta, supplicia sunt peccatorum, & immundorum complexuum. Non fuisset ergo rationi consentaneum tam diuinam, cœlestem, puramque filij Dei in Maria conceptionem subiectam esse impuris ac communibus parientium mulierum contumelijs.

9\. Accedit, fidei Christianæ in symbolo Apostolorum traditæ apertus iste articulus, in quo Christi plane mirabilis ortus his verbis credendus traditur: *Conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria virgine:* quo non tantum profiteri iubemur hanc puram inuiolatamq; fuisse Virginem dum concepit, verum etiam dum feliciter peperit.

10\. MINIS. Antiquorum patrum adde tantum fidem & iudicium, vt finem huic negotio imponamus. DOCT. Augustinus & Damasc. in catalogum hæreticorum referūt Heluidium, quod (vt de Vermilio audisti) diceret Mariam Deiparam non perpetuo virginem permansisse. Ambrosius quoque aduersus Iouinianum constanter defendit, etiam post partum, permanētem S. Mariæ virginitatem. Idem rursum Ambrosius omni constantia docet Mariam inter omnes virgines solam peperisse, ex eoq; istud confirmat; quod minus fuit Christum hominem resurgere, quam Virginem parturire. At nemo dubitat Christum à mortuis resurrexisse: constat igitur Mariam salua virginitate peperisse. Postmodum etiam hoc ipsum ex prophetia Ezechielis corroborans, scribit: Bona porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur. Transiuit per eam Christus, sed non aperuit. Est porta ventris, sed nō omnis clausa semper: verum vna sola potuit manere clausa, per quam sine dispendio claustrorum genitalium, Virginis partus exiuit, &c. Porta ergo clausa virginitas est, & hortus clausus virginitas, & fons signatus virginitas. Hieronymus autem in eandem sententiam scribit. Hortus cōclusus, fons signatus. Quod clausum est atq; signatum, similitudinē habet Matris Domini, Matris & Virginis. Vnde & in sepulchro Saluatoris nouo, nec ante, nec postea quisquam positus est, & tamen hæc Virgo perpetua multarū est mater virginum. Et idem rursum: Pulchre quidam portam clausam, per quam solus dominus ingreditur, Mariam virginem intelligunt, quæ ante partum & post partum Virgo permansit.

To. 6. hæres. 84. *Lib. 1. de nup. & cōcupis. c. 5. & li. 1. con. 2. epist. Pelag. c. 2.* *L. inst. vir. c. 5.* *Cap. 8.* *Cant. 4.* *L. 1. contra Iouin. c. 17.* *In c. 44. Ezech.*

11\. Sed & huic disputationi aptum atq; conueniens erit, quod Cyrillus Ierosolymitanus Ethnicis atq; Iudæis, lōge ante Caluinianos Virginem illæsam parere impossibile esse garrientibus, constanter obiecit. Ac Ethnicis primum ex receptis apud eos opponit: Qui dicitis, iectos lapides in homines mutari, quomodo Virginem parere posse negatis? Qui ex Iouis cerebro natam filiam fabulamini, quomodo ex vtero virginali nasci aliquem impossibile dicitis esse? Qui de femore Iouis prognatum falso esse dicitis Bacchum, cur nostram veritatem reijcitis? Vt opportune Græcos redarguas, hæc attulimus ex eorum fabulis. *Catech. 12.*

12\. Illis vero qui sunt de Circuncisione sit occurrens, perquire. Vtrum est difficilius, senem & sterilem, muliebribus iam deficientibus parere, aut iuuenem Virginem generare? Sterilis erat Sara, & præter naturā peperit. Igitur cum & sterilem, & virginē parere sit præter naturam; aut vtrunq; nega, aut vtrunq; concede. Quomodo Moysi manus sicut nix alba apparuit, & rursus statim albedine illa destituta est? O Iudæi, vtrum difficilius est virginem parere, aut virgam in animal mutari? De virga oculi pullularunt, & de vtero Virginis puer non nascetur, Deo volente? Qui Aaronis virgæ, propter typicū summum sacerdotem, præter naturam fructum tulit, nunquid Virgini vt verum sacerdotem summum pareret, hoc non conferret? Eua ab initio de quo nata est? Accipiamus aliud longe maius. Puluerem terræ hominem fieri, hoc multo mirabilius. Nonne Deus accepit puluerem de terra, & creauit Adam, creaturam admirandam? Quid igitur? lutum quidem in oculum mutatur, & Virgo non generabit? MIN. Hæc plusquam satis sunt: ad aliud properemus. *Gen. 18.* *Rom. 9.* *Exod. 3.* *Exd. 4. 7.* *Num. 17.* *Gen. 1. 2.*

DE MIRABILI VIRTVTE, POTEstate, ac efficacia homini Christo à Deo concessa & tradita: contra quartum errorem.

CAPVT III.

DOCTOR.

ERrant etiam Vestri in eo, quod sacram domini nostri humanitatē omni virtu-

te ac potestate exeunt, nihiloque plus energiæ, virtutis ac efficaciæ eidem, etiam cum diuinitate coniunctæ relinquunt, quam alicui meatui, per quem aqua in hortū deflueret; aut fistulæ, per quam ventus euadit. MINIS. Quis tam absurda & periculosa similia
In c.11. Mat. v.27 connectit? DOCTOR. Caluinus ita scribens: *Et si salus nostra apud Deum semper abscondita fuit, Christus tamen canalis est, per quem ad nos defluit.* MIN. Certe non simplex est error, quia & Christum à Deitate alienum fingit, & inepta simulque impia comparatione canalis, nihil virtutis aut potentiæ eidem tribuit. DOCT. Eosdem errores longius persequendo ait: *Pater in eum contulit, quod tanquam per canalem ad nos manaret.* Et rursum: *Sicut æternus Dei sermo fons vitæ est, ita caro eius veluti canalis, vitam, quæ intrinseca in diuinitate residet, ad nos diffundit.* Quid censes de tam ingenioso canalium & meatuum fabricatore.

In c.1. Io. v.16. in c. 6. v.51.

Coniut. 1. MIN. Præcipuum Christianæ religionis caput deridendum & exsibilandum proponit Iudæis, Mahometanis, Ebionitis & Samosatenianis, qui Dominum Iesum solum hominem existimantes, eundem pernegant esse verum iustitiæ, sanctificationis, vitæque spiritalis ac cælestis fontem atq; authorem. Nam Caluinus nihilo plus ei tribuendo quam canali, per quem aqua influit, in eandem inciditamentiam: cum canalis nec sit fons, nec scaturigo vnde fluat aqua, nec vllum irrigandi ac fœcundandi agros effectum habeat: sed tantum sinat otiosissime per se effluere, quod aliunde procedit, & alio transmittitur.

2. Tum sibi repugnando scribit, *Primum omnium è scripturis docemur, Christum ab initio viuificum illud Patris Verbum fuisse, vitæ fontem & originem vnde omnia vt viuerent semper acceperunt. Quare Ioannes nunc sermonem vitæ nuncupat, nunc in ipso vitam fuisse scribit, significans illum etiam tum in creaturas omnes influentem, vim spirādi ac viuendi eis instillasse* Et ne de sola eius Deitate dictum putes subijcit: *Quin & ipsam in qua residet carnem viuificam nobis reddit, vt eius participatione ad immortalitatem pascamur, Ego sum (inquit) panis vitæ, qui de cælo descendi. Et, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Quibus verbis docet nos, non modo se vitam esse quatenus sermo Dei est æternus, qui è cælo ad nos descendit, sed descendendo vim istam in carnem, quam induit, diffudisse: vt inde ad nos vitæ communicatio promanaret.* DOCTOR. Profecto Caluinus Christum hominem vt canalem vitæ tantum confingens, scripturis turpissime repugnat, si hæ illum viuificum Patris Verbum, vitæ fontem, & originem, & sermonem vitæ recte (vt nullatenus ambigendum est) definiunt. Et si eius caro adeo viuifica est, vt huius participatione ad immortalitatē pascamur, imo & ipsa sit vita nostra, vt hic confitetur: certe cum tubo, meatu, aut quodam canali, per quem solummodo vita effluat, inepte simulq; impie ab eodem hæretico alibi comparatur.

L.4. Inst. c. 17. § 8. Ioan. 1. Ioan 6.

MIN. Rursum idem subijcit: *Caro Christi iure viuifica dicitur, quæ vitæ plenitudine perfusa est, quam ad nos transmitteret. In quem sensum illud Christi dictum cum Cyrillo interpretor. Sicut Pater vitam habet in semetipso, ita & Filio dedit vitam habere in semetipso. Illic enim proprie de suis dotibus disserit, non quas ab initio apud Patrem possidebat, sed quibus ornatus fuit in ea ipsa carne, in qua apparuit; proinde in sua quoque humanitate vitæ plenitudinem habitare ostendit, &c.* Et paulo post: *Christi caro instar fontis est diuitis & inexhausti, quæ vitam à diuinitate in seipsam scaturientem ad nos transfundit.* DOCTOR. Vere seipsum damnat & expugnat his sententijs suis Geneuanus hæresiarcha: quoniam si caro Christi est instar fontis inexhausti, iam non est instar canalis. Si vitæ nostræ scaturigo est, si caro eius viuifica, si plenitudo vitæ in eius habitat humanitate, profecto non per eam vt per canalem aut fistulam defluit: imo vero & in ea intime residet, & ex eadem omnino haurienda est. 3. § 9.

Sed iam accedo ad scripturas superiori errori contarias. Euangelista pleno ore decantat, hunc incarnatum Dei Filium eum esse, *Per quem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Tam magnifica ac diuina possunt ne de simplici canali aut fistula prædicari? MINIS. Minime certe: hincq; cogitur canalium ille bellus architectus scribere: *Sermonem Dei non modo fontem vitæ fuisse creaturis omnibus, vt esse inciperent quæ nondum erant; sed viuifica eius virtute fieri vt in statu suo maneant. Nisi enim continua eius inspiratio mundum vegetet, necesse erit quæcunque vigent protinus decidere, aut in nihilum redigi.* Quibus sane apertissime sibi repugnat, & insulsas canalium suorum similitudines refellit. Nam si fons est vitæ, non est tantum fistula, per quam in nos trāseat. Et si viuifica

Ioan. 1. In c.1. Io. v. 4.

eius

eius virtute cuncta in statu suo etiam nunc permaneant, certe longe excellentior est canali, qui nihil ex se præbet ad emanandum.

5. DOCT. Scribit rursum de Verbo incarnato Ioannes; *Potestatem dedit filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Et sequitur: *Vidimus gloriam eius quasi gloriam vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Num hoc est, amabo, aliquid præter stillicidium, aut impotentem canalem esse, à quo solus mutuo accipiendus est transitus? MIN. Ita sane agnoscere & fateri compellitur Ianus noster, & comparationum fistularum suarum reprobare

In c.1. Io. vers.14. ineptias, scribendo. *Christum hic declarari inexhaustum gratiæ & veritatis fontem reipsa esse.* Et continuo: *Plenitudo gratiæ in Christo fons ille est, vnde nos omnes haurire oportet:* quibus verbis fistulæ Caluinicæ plane confringuntur, & canales in fumos euanescunt.

6. DOCTOR. Dum promittit Samaritanæ daturum se aquam viuam, quæ non modo sitim extingueret, sed & fons esset, prosiliens in vitam æternam; num aliud se esse docet, quam stillicidium? Deinde, Deo Patri sese æqualem prædicans, *Pater meus vsque*

Ioan. 4. *modo operatur, & ego operor:* addensque, *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, & maiora his demonstrabit opera, vt & vos miremini? Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat, &c.* nunquid non se authorem & originẽ omnium bonorum esse palam affirmat? MIN. Fatetur etiam in hunc locum Caluinus, *Christum sese*

In c.5. v.21 26. & 31. *authorem vitæ prædicare.* Deinde, *quod ipse sit fons vitæ, & eam in homines effundat. Neque enim nobis ex eius ore proflueret vita, nisi penes ipsum esset eius causa & origo. Vitam in sua carne positam esse docet, vt inde hauriatur.*

7. DOCT. Sed ne tandem effugiat, respondens hæc omnia debere intelligi de sola Domini diuinitate, nota diligenter vim, pondusque verborum eius cum carnem suam

Ioan. 6. opponit Mannæ Hebræorum. *Patres vestri* (inquit) *manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est autem panis qui de cælo descendit, vt si quis ex ipso manducet non moriatur, sed habeat vitam æternam. Ego sum Panis viuus, qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* MINIS. Promissa dulcissima, plenaque ingentis piorum consolationis. Iudæi in suo manna non inuenerunt nisi ventris pabulum, quo se ad breuissimum tempus resarcire potuerunt; sed in carne Christi fideles vitam, resurrectionem, & vitam immortalem æternamque reperiunt: ac proinde vere dicitur, & reipsa est, panis viuus, panis vitæ, panis viuificans in æternum. DOCT. Ecquid ad hæc vester nouus Apostolus? MINIST. Omnes suos canales, meatus, tubos, ac fistulas oblitus, dicit: *Quia vis illa arcana conferendæ vitæ ad diuinam eius essentiam referri poterat, descendit ad secundum gradum, ac vitam illam in sua carne positam esse docet, vt inde hauriatur. Mirificum sane Dei consilium, quod in ea carne, vbi sola prius mortis materia erat, vitam nobis proposuerit.* In c.6. Io. v.51. DOCT. Ergo caro Christi non est simplex canalis, sed fons vitæ, cum hæc vita in ipsa residet, ex eademque sit exhaurienda. Atque sic ex hoste veritatis veritas ipsa prorumpens, de falsitate triumphat.

8. Sed iisdem Scripturis eum adhuc vrgeo. Audiens Dominus Iudæos de doctrina sua murmurantes, alta voce, sacroque iureiurando affirmauit eos morti esse adiudicandos, qui vitam æternam in sua carne quærere recusarent. *Amen, amen dico vobis, Nisi manducaueritis carnem filij hominis,* inquiens, *& biberitis eius sanguinem, nõ habebitis vitam in vobis.* Ioan. 6. Et postmodum ait: *Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitã æternã: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Quid igitur Caluinianis superesse potest, qui hanc carnẽ vitæ fontem, & tam procul à Cæna sua submouent, quam est summum cælum à centro terræ: & præsentem nihilo plus faciunt, quam tubum, aut vilem inanemque canalem, quam mors prima & secunda? MIN. Equidem si ægri oblata sibi à medicis remedia fuerint longe aspernati, digni sunt animas exhalare; tantundem existimandum est de improbis, & perditis, qui pro viribus oblatam sibi in carne Dominica vitam procul à se conantur repellere. Quod & idem Ianus tandem agnoscit, & se suosque damnans ait: *Christus æternum exitium denuntiat* In c.6. Io. *omnibus, qui vitam à carne sua petere recusauerint.* v.53. *Ac si diceret; Si caro mea vobis contemptui est, scitote non aliam vobis spem vitæ restare. Contemnite me, vt libet, propter humilem & abiectum carnis meæ conspectum: tamen inclusa est in contemptibili hac carne vita: quasi vos priuatis, non alibi reperietis quod vos viuificet.* Et post pauca. *Confirmat* Vers.54. *carne sua & sanguine animas pasci non aliter quam corpus potu & cibo sustinetur. Ergo sicut testatus est omnibus, qui vitam alibi quam in carne sua quærunt, nihil residuum esse præter mortem: ita nunc pios ad bonam spem animat, dum vitam illis in eadem carne promittit.* DOCT. Desinat ergo

deinceps auditoribus suis fumos vendere: A & discipulos suos vento, fistulis, canalibus, stillicidiis, & meatibus refarcire. Sed & ipsi à tam improbo plano delusi, cessent insanire: & ad communionem Ecclesiæ Catholicæ redeant, vbi vere consecratur, offertur, distribuitur, & sub accidentibus (vt fides locum habeat, ratioque constet veri Sacramenti) panis & vini, vere sumitur vera viuaque caro Domini nostri Iesu Christi, totius vitæ ac salutis nostræ fons & scaturigo.

9. Quod & rursum confirmans Dominus
Ioan.6. ait: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Qui* B *manducat me, viuet propter me. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* MINIS. Hic certe victum se superatumque sentiens Caluinus herbam dexteramque victrici veritati porrigit, scribens: *Tunc vitam in Christo inuenies, si vitæ materiam quæras in eius carne. Præposteri sunt interpretes, qui animas à Christi carne abducunt.* Et postea: *Plusquam absurdum est, carnem Christi mortuam, & spiritu vacuam imaginari.* DOCT. His enim manifeste declaratur, carnem Christi non esse instar canalis aut tubi emortuam, sed vere cibum in vitam æternam viuificantem: neque cum stillicidio aut fistula prorsus inani & absona comparandam, sed è contrario plenam diuinitatis, virtutis, & gratiæ: quam his distribuit, qui digne eandem recipiunt. Et vt animæ nostræ in his diuinis promissis, tanquam in tranquillo portu omnino quiescerent, statim declarat se à Deo Patre omnem recepisse vitæ conferendæ potestatem, dicens. *Sicut misit me viuens Pater, ita viuo propter Patrem. Et qui manducat me, & ipse viuet propter me.*

In c.6.Io. v.55.

Vers.56.

MIN. Equidem mihi satis est hoc vnum Iesu Christi verbum, quod auide complector, & vnice retineo. DOCT. Non ergo persequar vlterius, quo pacto solo tactu viuificantis carnis suæ cæcos illuminauit, leprosos mundauit, mortuos suscitauit, his ostendendo humanitatem suam plenam esse vitæ ac virtutis, imo & ipsam esse salutis humanæ causam efficacissimam: proindeque non nisi impie posse cum fistulis & canalibus conferri. MIN. De alio capite dicamus.

ANIMAM DOMINI NOSTRI IESV Christi perfecte BEATAM ET GLORIOSAM *fuisse à primo instanti creationis & infusionis suæ: ac proinde nec* FIDEM, *nec* SPEM *habuisse, aduersus 5. 6. & 7. Caluinianorum errores.*

CAPVT IV.

DOCTOR.

IPsa sanctarum rerum connexio me cogit Caluinianos de tribus simul accusare erroribus: qui licet inter se distincti sint, ita tamen à seipsis dependent, vt difficillimum esset eosdem diuisim singillatimque discutere. MIN. Primum ergo deprome, tum statim iudicabo quinam alij ab eo dependeant. DOCT. Volunt animam Domini nostri Iesu Christi parem nobiscum habuisse Fidem virtutem Theologicam, qua in hac mortali vita electi omnes in Dei rerumque æternarum (quæ nondum videntur) cognitionem feruntur.

MINIST. Id sane multis in locis & docet & inculcat noster Caluinus, vtpote cum de tentationibus Christi differens ait: *Colligimus Satanam recte aggressum fuisse Christi fidem,* C *vt ea extincta, ad illicita impelleret.* Et de eodem Christo patiente ait: *Sic tactum fuisse eius carnis sensum, vt fides illæsa & incolumis maneret.* Et postea rursum: *Quanquam sensus carnis exitium apprehenderet, fixam tamen stetisse fidem in eius corde.* Et mox subiicit: *Simul fide retinuit Deum sibi esse propitium.* Et illico: *Clypeo fidei repellit illam, quæ se ex opposito ingerebat derelictionis speciem. Denique in hoc diro cruciatu, illæsa fuit eius fides:* Et post pauca rursum scribit: *Quamuis duriter concussus esset violentis tentationibus, fidem tamen suam minime fuisse concussam testatus est.* His enim manifestum est Caluinum talem fidem animo Christi tribuere, qualem D alij sancti viri in tormentis pro Dei gloria susceptis habuerunt.

In 4.cap. Matt. v.3.
In 26. c.v. 39.
In 27. ver. 46.
Vers. 50.

DOCT. Num etiam conspicis ex his consequi, illum Spem quoque eidem affingere? MIN. Idipsum manifeste præstat, non ita multo postea scribens: *Christus dolores suos & curas in Dei sinum exonerat, & in spe promissionum quiescit.* Deinde, alibi etiam Fidem cum ipsa Spe confundens ait: *Fidem Dei habere tantundem valet, atque certo sibi promittere, & expectare à Deo quicquid opus fuerit.* Et paulo post: *Fides,* inquit, *est certitudo in Dei bonitatem recumbens,*

In cap.27. Math.v. 50.
In cap 21. Mat. v.21.

cumbens, quæ dubitationem non admittit. His omnino succinit Beza, confessionis suæ puncto quarto, art. 5. & 20. DOCT. Tametsi in his sententiis tot fere sint errata quot verba: ex iisdem tantum nunc obseruo, Caluinianos non solum Fidem, sed & Spem, vt virtutes sunt Theologicæ viatoribus necessariæ, plane adscribere Domini nostri Iesu Christi fœlicissimæ animæ.

MINIST. Quid tum? DOCT. Euidentissima consecutione ex his dependet, *Animam Christi nequaquam dilucida visione & fruitione Essentiæ diuinæ beatam fuisse ab instanti creationis ac infusionis suæ in corpus:* qui error impius, ac B scripturis, diuinisque Theologis contrarius est, vt facile commonstrabo. MIN. Quomodo id efficis? DOCT. Quod fides & spes iuxta Apostolum, sint de his rebus diuinis, quæ nondum videantur aut possideantur: ergo si anima Christi fidem & spem habuit ab initio, nec Deum clare vidit, nec eo frui potuit: quapropter nec beata fuit. MIN. Iam intelligo, mihique videtur consecutio ista confirmari posse ex his Apostoli verbis, *Prophetiæ euacuabuntur, linguæ cessabunt, scientia destruetur, & omnia quæ sunt ex parte, cum id venerit quod est perfectum:* At fides & spes sunt ex C parte. Igitur nec istæ stare possunt cum aperta Dei visione ac fruitione; nec Dei perfecta & beatifica visio cum illis. Referentem quoque quendam audiui ex Augustino; In vita beata, fides quare sit necessaria, cum iam animus videat? Spes, quia iam tenet.

1.Cor.13.

Tom.1. li.1. soliloq. c.7.

Confut. 1. Mihi autem videtur has tres sententias Caluinicas per verba eiusdem facile coargui atque damnari posse. Ait enim de Christo: *Deum semper præsentem intuitus est.* Igitur nec fide eum velut absentem apprehendebat, nec spe veluti futurum præstolabatur, D sed ipso præsente, animo fruebatur. Nam & ipse alibi fatetur. *Nos sperare quæ non apparent.* Deinde ait: *Spem futuri esse boni, non præsentis; & hanc cum certa possessione nunquam esse coniunctam.* Denique. *Proprium spei est, futuris & absentibus bonis intentam esse.* Cum ergo Christus Deum præsentem intueretur atque possideret, nihil ei cum fide aut spe commune fuit, cum beatus foret.

Com. in ca. Matth. 17.

In ca. 8. ad Rom.

2. DOCT. His adde, Filium Dei vnigenitum tam arcte intimeque sibi hominem ex corpore & anima constantem copulasse, vt nulla strictior, nulla maior dici possit coniunctio. MIN. Ita enim docet Ioannes dicens, *Verbum caro factum est:* Et Paulus: *Misit Deus Filium suum natum ex muliere.* Angelus quoque Deiparæ nunciauit, *Concipies & paries filium Altissimi.* Certum quoque est hanc esse summam & arctissimam vnionem, quando ex varia duplicique natura constat vnica persona, vnicus Dei ac Virginis Filius, vnicus Dominus redemptor & iudex viuorum & mortuorum; quemadmodum superius disputatum fuit aduersus veteres & nouos Nestorianos. DOCT. Constat insuper hanc Filij Dei cum homine coniunctionem longe arctiorem atque perfectiorem ea, qua beatorum animæ, aut Spiritus Angelici cum diuina Essentia in gloria cælesti copulantur. Nam ista vnitio fit tantum per gratiæ & gloriæ communicationem, idque inter res in infinitum distantes: illa vero quæ inter filium Dei & hominem assumptum intercedit copula, seu vnio hypostatica, fit per realem vtriusque naturæ, ac proprietatum communicationem in summam personæ vnitionem atq; coniunctionem. Cum ergo anima Christi à principio conditionis suæ & deinceps, semper ita coniuncta fuerit diuinitati; necesse est agnoscere, credere, atq; profiteri eam præsenti Dei visione atq; fruitione perpetuo gauisam atq; lætatã esse. Enimuero si Michael, Gabriel, Raphael, & reliqui Angeli dum hic versantur nobiscum in terris, sine vlla cum Deo personali coniunctione semper vident faciem Patris qui in cœlis est; multo magis sentiendum ac credendum est Christi animam cum eius diuinitate personaliter copulatam, eam continuo beatifice vidisse. MIN. Animus meus, sic est hac probatione conuictus, vt eos pro Iudæis, Turcis, Nestorianis, aliisq; incarnationis Dominicæ hostib. infestissimis deinceps habiturus sim, qui contra senserint vel dixerint.

Ioan.1. Galat.4. Luc.1.

Matth. 28.

DOCT. Sunt adhuc multa in primo Diui Ioannis capite, quæ hæreses Caluinianas cõuellant, dogmata vero Catholica corroborent, vt cum scribit: *Vidimus gloriam eius, gloriã quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.* Nam bis repetitum *gloriæ* verbum significat gloriam omnino plenam atque perfectam: Quomodo autem fuisset plena & perfecta, nisi clare perspicueque diuinam maiestatem conspexisset, eademque secundum animam fruitus esset? Aut quo pacto digna aptaque Vnigenito Patris, si obscuritate fidei mansisset inuoluta? MIN. Perspicuũ sane est Christi animam omnẽ ab initio gratiæ & veritatis, ac proinde etiam gloriæ plenitudinem accepisse, non obscuritatem fidei, nõ longanimitatem 3.

Ioan.1.

mitatem spei instar aliorum viatorum, cum id tam expressum Apostoli testimonium doceat.

Quod & Caluinus videtur etiam agnouisse, cum scribit: *Sequitur Dei maiestatem non fuisse (in Christo) exinanitam, quamuis carne circundata esset. Latuit quidem sub carnis humilitate, sed ita tamen vt fulgorem suum emitteret.* Quis autem præcipuus iste fulgor, aut in quos emissus, nisi præsertim in animam humanam, quam sibi tam intime copulauerat?

In c.1. Ioan. vers.14.

4. DOCT. Additur continuo: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* MIN. Geneuani profecto hac sententia superati fatentur, *Omnem gratiarum abundantiam Christo datam fuisse, & ita omnibus modis perfectam, vt non possit exhauriri.* Atqui non esset ita perfecta, nisi clara Dei visione & secura fruitione donata fuisset beatissima illius anima. DOCT. Scribitur adhuc paulo post. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Quomodo perfecte pleneque diuinam nobis gloriam & maiestatem Christus enarrare potuit, si non perfecte pleneque conspexit? An non testis oculatus decem auritis præfertur? Aut quo pacto diuinitas per hominem Christum nobis patefacta est, si non ab eodem prius perfecte agnita & contemplata fuit? Aut quomodo hic Vnigenitus fuit, est, & erit perpetuo in sinu Patris, si non clare ab eo cernitur? MIN. Certe cum alibi dicatur Christus venisse, vt testimonium perhiberet veritati: veritas autem ista sit perfecta Dei Patris agnitio: dicatque idem de seipso, *Pater, manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi:* consequens est, vt secundum animam, Diuinam maiestatem prius viderit, vt & perpetuo eandem clare intuetur. Et qui aliter senserit, eidem vnigenito Filio Dei in faciem contradicat necesse est.

Ioan.1. Ioan.1. Ioan.17.

5. DOCT. Rursum ait idem Euangelista: *Patrem non vidit quisquam, nisi is qui est à Deo: hic vidit Patrem.* MINIS. Certe nemo Christianus negabit Christum longe excellentiore ac puriore modo vidisse Deum, quam vel Iacobus, vel Moses, vel Elias, vel Paulus, vel quisquam mortalium conspexerit: vidit igitur illum non per ænigma fidei, sed facie ad faciem sicuti est.

Ioan.6.

6. Hoc postmodum toties confirmat, quoties de Patris consortio gloriatur, dicens: *Solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater. Qui me misit, mecum est: & non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. Filius manet in domo in æternum. Ego quod vidi apud Patrem loquor. Est Pater qui glorificat me quem vos dicitis, quia Deus noster est.* Addit rursum: *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Credite quia ego in Patre, & Pater in me est. Parabo vobis locum, vt vbi ego sum, & vos sitis.* Et ad Philippum: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Pater in me manens, ipse facit opera. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?* Et ad ipsum Patrem conuersus ait: *Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* MINIST. Enimuero tam arcta coniunctio, tam sancta consuetudo, tamque diuina cum Patre familiaritas, totiesque confirmata & prædicata necessitudo, sine eiusdem perspicua visione ac fruitione stare non potest. Illa vero omnia ad Christi humanitatem referenda esse, vel illud satis indicat, quod ait, *Animam meam pono pro ouibus meis.* Denique, etiam Caluinus in Comment. superiora testimonia ad hominem assumptum refert: quo se suosque errores multo magis coarguit.

Ioan.8. Ioan.10. Ioan.14. Ioan.17.

7. DOCT. Sunt quoque dilucida & certa hæc verba Christi de animæ suæ beatitudine atque gloria, *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo.* Hæc enim ad humanitatem suam omnino pertinere docet particula ista, *Filius hominis.* Quomodo vero dicit se esse tum in cœlo, cum in terra conuersaretur & loqueretur; nisi quod animo ita Deitatem contueretur, ac eadem frueretur, ac si cælos iamiam incoleret? MINIS. Caluinus sane fatetur hæc à Christo *non dici respectu Diuinitatis suæ*, ergo humanitatis. Deinde hic nomine cæli, *non fieri loci mentionem, sed conditione tantum discerni Christum à reliquis hominibus, quia hæres sit regni Dei, à quo totum genus humanum exulat.* DOCT. Ex ore suo sese iudicat seruus nequam. Etenim si conditio ista, qua discernit Christus seipsum à reliquis, in eo consistit, quod ipse esset in cælo, & tanquam hæres regni Dei esset in cælo; profecto illic erat secundum animam tantum, non secundum corpus: eratque hæres regni Dei beatissima illius visione atque fruitione; ad quam cæteri vt exules adhuc per fidem, spem, & charitatem suspirant & anhelant.

Ioan.3. In c.3. Ioan. vers.13.

8. Insuper, si ea qua decet attentione ac fide expendere voluerimus, quam diuino ac plane infinito amore Pater sanctissimam Christi animam semper fuerit prosequutus, haud difficile credemus illam à primo momento creationis & infusionis suæ in corpus, beatissimam

ſimam atque glorioſiſsimam fuiſſe. MIN. A
Nemini dubium Patrem complecti eam be-
neuolentia incredibili ac ineffabili: alioqui
toties è cœlo demiſſum in his terris non re-
Matth. 3. ſonuiſſet iſtud oraculum: *Hic eſt Filius meus*
& 17. *dilectus, in quo mihi bene complacui:* Sed & Filius
hunc Patris in ſpiritum ſuum ineffabilem a-
Ioan. 3. morem frequenter expoſuit, dicens: *Pater*
Ioan. 5. *diligit Filium, & omnia dedit ei in manus. Pater*
Ioan. 10. *diligit Filium, & demõſtrat ei quæcunq; facit. Pro-*
Ioan. 17. *pterea diligit me Pater, quod animam meam pono*
pro ouibus meis. Pater dilexiſti me ante conſtitutio-
nem mundi. Pater iuſte mundus te non cognouit,
ego autem te cognoui. Atqui ſummus amor non B
1. Cor. 13. poteſt ſine ſummo effectu conſiſtere, cum
charitas nunquam ſit otioſa. Summus autẽ
effectus infinite amantis eſt ſeipſum clare ex-
hibere ad videndum & fruendum ei, quem
amore complectitur. Igitur certum ac indu-
bitatum eſt, Deum Patrem animæ Chriſti,
quam tantopere charam habuit, tametſi ad-
huc corpore mortali concluſam, diuinam
maieſtatem & gloriam communicaſſe, etiam
à primo conditionis eius momento.

9. MIN. Hæc ratiocinatio firmiſsimis ac e-
uidentiſsimis verbi diuini teſtimoniis nixa,
ad aliam quoq; contemplandam me prouo- C
cat & impellit. Ea eſt, quod hanc Chriſti ani-
mam corporis ſociam & formam Deus ita
dilexit, vt iam ab initio ſuper eam requieſce-
Iſa. 11. re fecerit Spiritum ſapientiæ & intellectus,
Heb. 1. Spiritum conſilij & fortitudinis, Spiritum
Pſal. 44. ſcientiæ & timoris: vnxeritq; eandem oleo
Coloſſ. 1. 2. lætitiæ præ omnibus conſortibus ſuis: volue-
Ioan. 3. rit in illa omnem plenitudinem diuinitatis
1. Cor. 12. inhabitare: in ea deniq; abſconditi teneren-
Epheſ. 4. tur omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ di-
uinæ. Rurſum, dederit illi Spiritum S. non in
menſura (vt Paulus docet ſingulis aliis electis
diſtribuit) ſed in tanta copia, vt ex eiuſdem
plenitudine cuncti hauriamus. Quare con- D
cludo non eſſe veriſimile, Patrem animam
Filij ſui tandiu priuaſſe gloria beatorum An-
Matth. 18. gelorum ſemper videntium faciem ſuam
tam in cælis, quam vbiq; terrarum degant:
alioqui membra fœliciora eſſent ſuo capite,
oues ſuo paſtore, diſcipuli præceptore, & mi-
lites ſuo Rege & Imperatore.

10. DOCT. Sed quæſo te, vndenam proceſ-
ſerunt tot dotes ſubtilitatis, agilitatis, & cla-
Matth. 14. ritatis in corpus Dominicum, quando ipſe
& 17. ſicco veſtigio ſuper vndas ambulauit, in nu-
Luc. 4. bes lucidas elatus ſicut Sol reluxit, & hoſti-
Ioan. 8. bus ſe impalpabilem, inuiſibilem & incom-
prehenſibilem præbuit? Vnde (inquam) tot
in corpore adhuc mortali & patibili perfe-
ctiones ac dotes, niſi à perfecta beatæ animæ
in eodem adhuc manentis gloria? MIN. Ita
ſane credo, nec aliter Deo duce, ſentiam aut
prædicabo. Sed conſenſum Theologorum
in hanc quæſtionis ſolutionem ac definitio-
nem requiro.

DOC. Si de Scholaſticis agatur, nemo eo- 11.
rum eſt, qui non ita credat, doceat, & quantis
poteſt argumentorum momentis idipſum
aſſeueret; cum tertium Sentẽtiarum librum
ſuis diſputationibus excutiunt ac explicant.
Sin de mediæ ætatis Patribus mentio fiat,
certe vnus eorum ante multa ſecula de Chri- *Rich. à S*
ſto homine ſcripſit? Quod nos expectamus *Vict. l.* 2. *de*
in conſummatione, illi datum eſt in ſua con- *Emma. c.*
ceptione. Damaſcen. quoque ſcribit; Chri- 22. *Li.* 3. *or-*
ſtum à primo ſuæ carnis ortu omnibus pror- *tho. fidei,*
ſus ſapientiæ gratiæq; opib. affluxiſſe. MIN. *c.* 22.
Hæc quidem confirmant animum meum,
vt qui ſciam hos Theologos non nouum
dogma effinxiſſe: ſed quod à Patribus didi-
cerunt retinuiſſe ac corroboraſſe. Verum,
illorum præſertim teſtimonium & conſen-
ſum à te requiro, qui proximos à Chriſto
quadringentos annos in Eccleſia floruerunt.

DOCT. Græcorum ne fidem poſtulas, an 12.
Latinorum? MIN. Vtrorumque: nam ean-
dem doctrinam eos coluiſſe non dubito.
DOC. Auguſtinus igitur definite ait: Homi- *L.* 4. *de cõ.*
nem, cuius ſuſceptione Verbum caro fa- *Euãg. c.* 10.
ctum eſt, hac maxime proprietate à cæteris
diſtaſſe, qua in lucem liquidiſsimam ſubli-
miter animus fertur, vbi Trinitatis æqualitas
& incommutabilitas videri poteſt. Et idem *L.* 83. *quæſt.*
alibi: Animam renatam videre quidem Do- 65.
minum, ſed per ſpeculum & in ænigmate:
hominem vero quem Sapientia diuina ge-
ſtabat, nihil ignoraſſe, nec linteis implicatum
fuiſſe, vt eum aliquid lateret. Et rurſum ex- *Com. in*
ponens hunc Pſalmiſtæ verſum, *Beatus quem* *Pſal.* 64.
elegiſti & aſſumſiſti, &c. Fortiter contendit,
hunc beatum non eſſe alium, quam homi-
nem aſſumptum à Verbo, qui conſortio di-
uinitatis vere beatus effectus ſit. Et qui Augu-
ſtinum Chriſto peperit Ambroſius, ſcribit: *Ep.* 46.
Chriſtus erat humiliatus in forma ſerui, ſed *quæſt ad*
idem in gloria Dei Patris. Erat opprobrium *Irene.*
hominum, ſed idem maieſtas Domini. Non *Philip.* 2.
habebat ſpeciem neque decorem, ſed habe- *Pſal.* 21.
bat plenitudinem diuinitatis, &c. Cum eſſet *Iſa.* 53.
in forma ſerui humiliatus, erat tamen in Dei
gloria. Nec aliter ſenſit Hieronymus ſcri-
bens, Nos per hæc Iſaiæ verba, *Vt ſciat repro-* *Com in ca.*
bare malum, &c. Noſſe debere, infantiam hu- 7. *Iſaiæ.*

mani corporis Christi nihil præiudicasse di- A uinæ eiusdem sapientiæ, &c.

13. MIN. Totidem mihi ex Græcia testes aduoca, & mihi factum satis putabo. DOCT. Chrysostomus ergo in primis prodeat, huiusmodi ferens testimonium: Dominus & Rex, & regis Filius, nobis longe maiora (quam Moses & Prophetæ) contulit, qui cum Patre semper est, & semper eum intuetur. Nazianzenus constanter ait: Dominus ab initio, gratia, sapientiaque absolutus erat. Eusebius denique explicans hunc locum Psalmi: *Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre*, adfirmat Christi animam, in vtero Virgi- B nis adhuc quidem latentem, Deum tamen semper vidisse. MINIST. Quæ iam à principio tibi sancte pollicitus sum, constanter seruabo, nimirum, eodem cum Sanctis Patribus sensu sacras scripturas intelligens, simul eadem de fide Christiana dogmata, quæ aduersus hæreticos docuerint, docebo, & toto pectore amplexabor. Cum itaque illos audiam Christi animæ omnem scientiam, omnem gratiam, omnemq; gloriam etiam ab initio ortus sui vno consensu tribuere, idem perpetuo & ipse credam, & alios docebo. Superest, vt ostendas eandem C Christi animam Fide ac Spe non indiguisse, aduersus Caluinum, id multoties (vt audisti) asserentem.

Hom. 14. in Ioan.
Orat. in S. Basilium.
Lib. 10. demonst. Euang. c. vlt.

CHRISTVM FIDEM AC SPEM NON *habuisse: sed apertam Dei visionem & fruitionem aduersus 8. & 9. errorem.*

CAPVT V.

DOCTOR.

Confut. 1. VT his, qui in clarissima Solis luce versantur, non est opus lucerna; & qui vberrimo fonte potiuntur, non egent confe- D ctatione riuulorum; ita & animæ beatæ, quę sine vllo impedimento faciem Dei contemplantur, eademq; secura possessione fruuntur, obscuritate fidei non egent, vt eam agnoscant: nec Spei longa expectatione, vt possideant. Fides enim authore Apostolo, est rerum non apparentium; & Spes, rerum futurarum, quæ nondum habentur, sed per patientiam expectantur. Sequitur ergo in anima Domini nostri Iesu nec Fidem extitisse, sed apertam diuinitatis contemplationẽ: neque Spem, sed beatam perpetuamque rerum diuinarum possessionem atque fruitionem.

Hebr. 11. Rom. 8. 1. Tim. 5. 1. Petr. 1. Philip. 3. Tit. 2. Heb. 10. 11.

Tum etiam hæ virtutes Theologicæ Fides & Spes non possunt magis consistere aut manere absque obiectis suis, quam aliæ virtutes quæ morales aut Philosophicæ nuncupantur. Atqui præcipuum Fidei nostræ obiectum est Deus nondum clare visus; Spei vero idem, nondum in hæreditate & possessione acceptus aut exhibitus. Cum itaq; (vti superius docuimus) beata Christi anima Deum perspicue viderit & possederit à primo creationis & infusionis suæ momento; Fidem & Spem non habuit, quæ ex parte (id est, multum imperfectæ & obscuræ) sunt: sed perfectam Dei visionem atque fruitionem, quæ præstantissima est Sanctorum fœlicitas. 2.

1. Cor. 13.

MIN. Auerem magnum illum August. de his audire dicentem. DOCT. Ait ille: Est autem Fides, credere quod nondum vides: cuius Fidei merces est illud videre quod credis. Atqui superius eum audisti asserentem, Hominem à Verbo assumptum in hoc ab aliis distasse, quod in lucem eam liquidissimam, vbi Trinitas videtur, sublimiter animo ferretur: igitur Fidei obscuritatem non habuit, sed perspicuam Dei contemplationem. 3.

Ser. 27. de verb. Apost. Li. 4. de con. Euan. c. 10.

Idem rursum ait: Tunc est fides, quando expectatur in spe, quod in re nondum videtur. Et paulo post: Præmium Fidei nobis visio seruatur, de qua Ioannes: *Cum apparuerit* (inquit) *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Idem vero, vt supra dictum est, adfirmat, hominem assumptum nihil ignorasse, nec vllis Fidei linteis implicatum fuisse, vt eum aliquid lateret: imo beatum effectum in sua per Verbum assumptione. Igitur nulla Fidei vmbra contectus, nullaq; Spei rerum diuinarum operosa molesta-ve expectatione secundum animam implicitus fuit. 4.

Li. 13. c. init. c. 4. & lib. 22. c. 29. 1. Ioan. 3.

Idem iterum Augustinus scribit: Modo non videntes tamen quia credimus, videre merebimur, atq; ad speciem nos per fidem deductos esse gaudebimus. Neque enim iam Fides erit, qua credantur quæ non videntur: sed species qua videantur, quæ credebantur. Hæc ille, quibus vides Fidem à beatis & comprehensoribus longe remoueri, per superuenientem apertam Dei visionem, quam Christum habuisse iam asseruimus. 5.

Lib. 14. de Trin. c. 2.

Idem denique (si tamen tibi factum satis existimas) perspicue scribit: Cum animæ Deum intelligere contigerit, fides, spes, charitas necessaria sunt. In vita autem beata, Fides quare sit necessaria, cum iam animus videat? 6.

Lib. 1. Soliloq. c. 7. to. 1.

deat? Spes, quia iam tenet? Charitati vero nō A solum nihil detrahitur, sed additur ēt plurimum, &c. Christi vero animus, vt probauimus, vitam semper beatam & fœlicē in mortali & patibili carne perpetuo vixit: igitur nec fide ad videndum Deum, nec Spe ad expectandum indiguit, cum eundem perspicue videret atq; teneret. Hæccine tibi satis sunt?

7. 1.Cor.5. MIN. Equidem, dum admonitus ab Augustino, altius mecum recogito Apostolum scribere, *Per fidem ambulamus, non per speciem:* video illum Fidem absolute visioni diuinæ veluti omnino contrariam opponere. Di-
1.Cor.13. cendo præterea, *Cum venerit quod perfectum* B *est*, id est, cum diuina visione fruemur, *quod ex parte est*, nimirum speculum Fidei, *euacuabitur*: satis profecto manifestatum est, omnem animam videntem Deum Fide amplius non indigere.

8. Rom.8. DOCT. Eadem prorsus est apud eum de Spe doctrina, quando scribit, *Spes autem quæ videtur, non est Spes. Nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.* Copiose vero demonstrauimus animam Christi Deum sibi præsentissimum perfecte continuoque vidisse. consequutio igitur certa & parens est, quod C Fide & Spe omnino carere debuerit. Sicque tres assumpti à Caluino errores satis refutati & conuulsi manent.

9. Obiectiones soluuntur. Si quas habes his probationibus obiectiones proponendas, ne reticeas quæso. MIN. Tres sunt quæ mihi negotium facessunt. Prima, quonam pacto anima Christi potuerit esse capax tristitiæ, ægritudinum, & dolorum quos reuera pertulit, si clara Dei visione frueretur: Constat enim summam lætitiam, quæ ex Dei aperta visione atque fruitione oritur, summæ tristitiæ omnino esse contrariam: contraria vero in eodem subiecto non D posse simul & semel remanere. DOCT. Licet in eiusmodi mysteriis debeamus omni fide & reuerentia potius diuinam potentiam adorare, quam vanas & futiles sensuum nostrorum imagines; attamen etiam ipsa natura docente, nouimus illas passiones non sibi penitus fuisse contrarias aut repugnantes, tum quia non eandem subiecti, id est, animæ partem afficiebant; tum quia ex diuersis obiectis, causisque procedebant, variosque respectus habent. MIN. Id tibi apertius latiusque explicandum est. DOC. Theologi ac Philosophi eximio consensu duas portiones, seu mauis, partes animæ spirituales considerant; supremam, quæ in rebus diuinis & cælestibus tota occupantur: & secundum istam adfirmant animam Redemptoris perfecte beatam & gloriosam fuisse. Secundam vero seu inferiorem animæ portionem docent, eam esse, quæ circa corpus & passiones eius regendas, moderandasq; tota versatur: atq; secundum hanc partem eandem numero animam Christi omnes ægritudines & angustias tolerasse, quæ à sanctis Apostolis & Euangelistis referuntur. MIN. Satis scite hoc quidem. Sed quomodo summam tristitiam summamq; lætitiam ex diuersis obiectis causisq; profectas esse dicas, non satis intelligo. DOCT. Summa animæ Christi lætitia, ex perspicua Dei visione ac permanente fruitione ortum habebat: ægritudo autem & tristitia summa, de qua palam conquestus est; ex tormentis & vulneribus afflicti corporis, cui intime copulata erat, proficiscebatur. Quocirca hæ duæ passiones cum eam inter se non haberent repugnantiam, quam inter vere contraria Philosophi constituunt, potuerunt sane in eandem animam concurrere.

MINIST. Secunda obiectio mea est de 10.
Fide, quam Scriptura videtur passim Domi- Isai.11.
no Iesu tribuere. Dicit enim Isaias, *Erit fides cinctorium renum eius.* DOCT. Grata-ne tibi erit Beatorum Hieronymi ac Cyrilli interpretatio? MIN. Quare non? Meliorem enim non possem efflagitare. DOCT. Per fidem renes Messiæ præcingentem, fideles ille intelligit, quales fuerunt imprimis Apostoli ac discipuli, qui eum feruenter & constanter velut ouiculæ pastorem suum, & dilecti liberi parentem humanissimum circumplexi sunt. Iste vero, non πίστιν id est, fidem: sed ἀλήθειαν, hoc est, veritatem, nimirum doctrinæ Euangelicæ, Christi cingulum interpretatur. Quod si tertiam cupis interpretationē, & responsionem, cum Scholasticis aio, Fidem illic non sumi pro assensu intellectus, sed pro fidelitate, id est, constantia & veritate promissorum obseruanda, quæ in Christo fuit maxima & perfectissima.

MIN. Tertia obiectio est de Spe, quæ multis in locis Christo aperte tribuitur: veluti
cū de eo in Psalmis canitur, *Caro mea requie* Psal.15.
scet in spe. Tu es spes mea, ab vberibus matris mea. In Psal.21.
te Domine speraui. Iudæi quoq; improperaue- Psal.30.
runt ei: *Sperauit in Deo, liberet eum nunc de ma-* Matth.2.
nibus nostris, &c. DOCT. Si tibi respondero post Bucerum & Caluinum hos psalmorum locos intelligendos esse de Dauide, non autem de Domino nostro IESV Christo,

quid contra obiicies? MIN. Hoc esse nimiū Iudaizare, & Spiritum sanctum, qui per antiquos & Sanctos Patres hæc ad Christum pertinere docuit, grauiafficere contumelia. DOCT. Recte sane. Sed Patres per verbum *sperandi*, intellexerunt non gloriæ essentialis, quæ ad animam spectat: sed corporis Christi glorificationis, & nominis eiusdem exaltationis firmam & constantem expectationē, quæ tantum ad spem moralem seu confidentiam pertinet; vt illa ad Spem, quæ vere Theologica virtus est & appellatur. Nam hæc ad Deum resque diuinas tendit duntaxat, vt illa ad res corporeas & accidentariam gloriam.

MIN. Summo Dei beneficio, de propositis articulis quid tenere debeam nunc certo scio: alia si libet, aggrediamur.

CHRISTVM HOMINEM TANTA AB initio repletum fuisse gratia Diuinæ abundantia & plenitudine, vt in hac crescere per illius augmentum non potuerit: aduersus 10. 11. & 12. errorem Hugnosticum.

CAPVT VI.

DOCTOR.

MIrum quantis modis Sathanas Christi Domini dignitatem & præstantiam per Caluinum vestrum imminuere conatus sit. De his superius iam plura, nunc porro audies, quomodo summam gratiam illam, quam donante Spiritu sancto, ab initio conceptionis suæ cōsequutus est, adeo extenuare atq; deprimere nitatur, vt dicat eam temporis progressu maiorem & auctiorem factam. Verba illius sunt: *Vna cum ætate creuerunt etiam (in Christo) animi dotes.* Et post pauca: *Pro ætatis ratione, & modo Christus secundum humanam naturam gratuitis Spiritus donis auctus est:* quasi vero non omnibus etiam ab initio donatus fuisset. Attingens rursum baptismū Christi, & Spiritus S. in eo descensum, addit: *Christum quatenus hominem, tunc redditum fuisse suæ vocationis certiorem, ob idq; noua Spiritus virtute indutum extitisse:* ac si antea nec omni virtute præditus, nec de sua vocatione satis certus atq; securus fuisset. Nec his contentus iterum dicit, eum cum egressus est è Iordane, *tunc vberiore Spiritus gratia & virtute fuisse instructum, vt fortior ad pugnas obeundas foret:* velut antea minus fortis ac potens, præ Spiritus gratiæ defectu extitisset. Quid tu ad hæc?

[Margin: In c. 2. Luc. v. 40. — In ca. 3. Mat. v. 16. — In c. 4. Luc. v. 1.]

MIN. Non credo vera esse, quæ aduersus plenitudinem gratiæ Mediatoris nostri in citatis à te locis effutit: quandoquidem alibi contraria docet & sustinet, nimirum, *Christum* etiam ante baptismum, *Spiritum sanctum (qui nunquam suis donis spoliatur) in se residendem habuisse, & singulari eius gratia vsque ad miraculum excelluisse.* Itaque & summa, quæque adaugeri tempore non posset, gratia Spiritus sancti instructus & munitus est. Iterumque alibi superiores suos errores coarguens scribit: *Christus Spiritus plenitudine solus donatus est, vt testis ac legatus esset nostræ cum Deo reconciliationis.* Cum itaque tam aperte secum pugnet, & supra dictos errores manifeste condemnet; cur non & ego damnabo?

[Margin: Confut. 1. — In cap. 3. Mat. v. 16. — In c. 4. Luc. v. 17.]

DOCT. Optimo sane iure id facis, cum etiam huiusmodi imminutio gratiæ Christo collatæ passim damnetur à Prophetis & Apostolis asserentibus è contrario, illum fuisse vnctum oleo lætitiæ, id est, cunctis diuini Spiritus donis, præ omnibus participib. suis. Hinc enim magnus Athanasius Sermone secundo aduersus Arrianos, fortissime contendit, oleum illud sanctificationem eam designare, qua Verbum homo factum seipsum abundantissime sanctificauit; quoniā ipse est qui dat & accipit Spiritum: dat vt Verbum, accipit vt homo. Bernardus quoque recte iudicat, oleo lætitiæ significari septem Spiritus sancti dona, quibus Messiam complendum esse Isaias etiam prædixit.

[Margin: Psal. 44. — Heb. 1. — Athanas. — Ser. 16. in Cant.]

MIN. Manifestissima profecto est ista Prophetæ Euangelici prædictio de Christo: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus sapientiæ & pietatis & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Nam vbi tanta plenitudo & abundantia gratiarum semper resedit, non potuit defectus earum per varios nouosque accessus instaurari. DOCT. Certe Irenæus Martyr, & Tertullianus ante mille & trecentos annos, præclarum istud vaticinium de vniuersitate spiritualium charismatum, quæ in solum Christum competebant; & vberrima spiritualis gratiæ pulchritudine, qua semper ornatus fuit, pie ac eleganter sunt interpretati.

[Margin: 2. Isa. 11. — Lib. 3. c. 19. L. adu. Iud. & l. 3. adu. Marcienē.]

His addendum & hoc Ioannis illustrissimum testimonium. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Quod grauiter expendens Augustinus ait, Dominus Deus non solum Spiritum sanctum dedit vt Deus, sed etiam accepit vt homo, & propterea est plenus gratia, quia vnxit eum

[Margin: 4. Ioan. 1.]

eum Deus Spiritu sancto, id est, dono gratiæ. MINIST. Caluinus profecto tam dilucido & firmo argumento quasi se victum fatetur, cum ibidem scribit: *Inexhaustum gratiæ & veritatis fontem Christus reipsa se esse testatur Plenitudo enim gratiæ in Christo, fons ille est vnde nos omnes haurire oportet. Complementum omnium quæ ad spirituale Dei regnum pertinent in se habuit.* DOCTOR. Vnde ergo crescere potuerunt in eo animi dotes? Vbi gratuitorum donorum Spiritus augmenta? Vnde noua virtus, aut vberior gratia? Etenim si gratia animo eius collata est, quæ vere Filio Dei vnigenito congruebat, si plenus omnino gratiæ & veritatis, imo & si gratiæ inexhaustum est pelagus, non potuit certe aliquibus nouis accessionibus adaugeri.

In cap.1.Io. v.14.

5. Ioan. 1. Nec prætermittenda est beatissimi Præcursoris ista de gratia Christo homini collata testificatio. *De plenitudine eius nos oẽs accepimus, & gratiam pro gratia.* His enim cunctos homines velut bonorum spiritualium inopes, ad diuinarum gratiarum inexhaustum thesaurum inuitat, vt inde quicquid defuerit affatim desumamus. MINIST. Caluinus certe hic iterum sese damnat atque iugulat, dum scribit: *Bonorum omnium affluentiam (Christus) in se continet. Horum omnium copia nobis in eo exposita fuit. Quicquid est bonorum, Deus in ipso solo residere voluit. Christi plenitudo sic numeris omnibus perfecta est, vt sensuri simus vere inexhaustum esse fontem.* DOCTOR. Certe si vera omnium bonorum abundantia, si copia exposita cunctis, si quicquid est bonorum spiritualiũ, si gratiæ plenitudo numeris omnibus absoluta in ipso fuit, idque ab initio, vt testificantur Prophetæ cum Euangelistis; nulla accessione noua potuerunt hæc dona eius crescere aut cumulari.

Isa.11. Luc.1.

6. Ioan.3. Hoc idem Euangelista confirmat luculẽtissimis his verbis: *Quem misit Deus, verba Dei loquitur. Non n. ad mensurã dat Deus Spiritum.* Hoc autem ad solum Christum pertinere satis colligitur ex eo, quod Paulus doceat Gratiam singulis nostrum distribui secundum donationis mensuram, ita vt nemo vnus ad plenum abundet, sed alijs semper indigeamus: in Christum autem vniuersam Spiritus sui copiam diuinus Pater effudit. MIN. Et hoc etiam loco Caluinus superiores suos errores refellens adfirmat, *Christum Spiritu donatum fuisse ad summam vsque perfectionem. Eidem non esse ex mensura datum spiritum, quasi gratia qua pollet, facultas ad aliquem modum finita sit.* DOCT. Etenim vere summo non datur maius, & infinito non potest fieri accessio: itaque gratia in animum Christi effusa tanta fuit, vt auctior ac vberior fieri non posset: atque sic & diuinis, & proprijs armis prostratus deuictusque iacet hic Caluinismus.

1.Cor.12. Ephes.4.

MIN. Superest tantum mihi obiecta dubitatio ex his Euangelistæ verbis: *Puer IESVS proficiebat sapiẽtia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Ergo gratia eius augeri potuit. DOCTOR. Paucis, sed grauissimis verbis ante aliquot secula dissoluit hoc argumentum D. Thomas, respondens eum profecisse gratia, non secundum ipsos scientiæ aut gratiæ infusos habitus: verum secundum effectus, quãdo processu ætatis perfectiora opera faciebat, vt se verum hominẽ demonstraret, & in his quæ sunt ad Deum, & in his quæ sunt ad homines. Quæ ne tibi leuis solutio videatur, certo scias hanc desumptam esse ex antiquissimis Ecclesiæ proceribus Athan. Ser.4. aduersus Arrianos, Hilar. lib.9. de Trinit. Basilio contra Eunomium, Nazianzen. Orat. in laudem Basilij, Cyrillo lib. 10 Thesauri, c.7. Hieron. in c.7. Isaiæ, alijsque diuinis Patribus. MIN. Ergo de alio capite iam dicamus. 7. Luc.2.

ANIMAM DOMINI NOSTRI IESV Christi omni sapientia & scientia donatam fuisse ab initio suæ creationis ac infusionis: nullamque vel cum Angelis, vel cum hominibus ignorantiam communem assumpsisse: aduersus 13. & 14. hæreses Caluinianorum.

CAPVT VII.

DOCTOR.

POstea quam Picardus hæresiarcha sese opposuit beatitudini animæ Christi, aduersus mirabilem infinitamque eiusdem sapientiam & scientiam furiose insurgit, pernegans secũdum eam fuisse ominiscium ab initio; quin & ignorantiæ nunc cum Angelis, mox cum vniuersis hominibus communis eundem insimulans. Eius verba sunt: *Ter & quater insanus foret, qui se grauatim ignorantiæ subiiceret, quam ne ipse quidem Dei filius nostri causa subire abnuit.* Et post pauca: *Cum palam sit Christo communem cum Angelis ignorantiam tribuit.* MIN. Quid porro Angeli aliquando ignorauerint, non satis intelligo: istud ergo antequam vlterius pergas edicito. DOCT. Antiquissimi & sapientissimi Græci Theologi Dionys. Origenes, Nyssenus, Chrysost. In cap.24. Mat.v.36.

Theodoretus; & ex Latinis Hieronymus, Primasius, Sedulius, aliique plurimi, explicantes hæc Pauli verba, *Mihi omnium sanctorũ minimo data est gratia hac in gentibus Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo qui omnia creauit in Christo Iesu, vt sapientia Dei multiformis Principibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam innotesceret, &c.* ex postremis verbis colligunt, multos Angelos (quos hic Apostolus vocat Principes & Potestates cælestes) ignorasse vocationem Gentium per Euangelium ad cõmunionem Ecclesiæ, & consortium sacrorum Christianorum, vsque ad prædicationem Pauli & Coapostolorum eius, quorum operarum demum perceperunt eas vocari, & humanissime recipi.

Ephes.3. — A

Cal. comment. in 3. c. Ephes. — B

MINIST. Hæc verissima esse nihil diffitetur noster Ianus, scribendo in eadem Apostoli verba, quod in prædicatione Euangelij gratia Dei varie declaratur, *quæ non semper cognita fuit etiam ab ipsis Angelis*: & quod Ecclesia tam ex Iudæis quam ex Gentibus collecta, est veluti speculum, in quo Angeli contemplantur Dei sapientiam, quam ante ignorabant. DOCT. Manifestũ est igitur eum existimare, ANIMAM *Domini nostri Iesu Christi, diu ignorasse multiplicem gratiam Dei, ignorasse Ecclesiam colligendam esse ex Iudæis & Gentibus, ignorasse denique Iudæorum reprobationem, Gentium vocationem, & ineffabilem prædicationis Euangelicæ fructum*: quæ omnia falsa, impia, & hæretica esse firmissimis argumentis volo comprobare, postquam alteram eiusdem hæresin recitauero, vt ambæ simul refellantur, & Christi Domini nostri omniscientia & sapientia confirmetur.

C

Proficiens ergo in peius Author vester, & furorem suum aduersus Filium Dei adaugens, sanctissimam illius Animam grauat cunctis nobiscum communibus ignorantię tenebris ac sordibus, cum ait: *Eius Anima subiecta fuit ignorantiæ. Hoc solum discrimen est inter nos & illum, quod infirmitates quæ nos necessitate constringunt, sponte & voluntate sua suscepit.* Tum etiam Nicolaus Gallasius Caluini discipulus, mentem præceptoris adhuc latius aperiens, de eodem Domino nostro ait: *Ita ignorauit, vt disceret ipse, atque erudiretur more hominum.* Bucerus, Beza, Zuinglius, Molinæus, Gualtherus, Sacramentarij omnes in eandem impietatem conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius.

Com. in c. 2. Luc. v. 40. — D

Annot. in l. 2. Iren. c. 49.

Ex his autem consequitur, eosdem pernegare, omnium rerum scientiam, adeoque infinitam sapientiam beatæ animæ Christi à Spiritu sancto infusam communicatamq., ab initio conditionis & assumptionis suæ: quæ omnia ex diuinis Scripturis Patribusq; enitar refellere. Dicito autem in primis tu, quid de his sentias.

Confutat. 1.

MIN. Si aliquam tantum rerum partem Christum ignorasse dicerent; aut de ea notione, quæ per humanos sensus, id est, experientia acquiritur, facerent mentionem; plurima de his prius mecum meditari cuperẽ, quam de his ferre sentẽtias. Verum, omnem prorsus nostram ignorationem illi impingere, impium sane existimo. Est enim eum accusare, quod nec Patrem nec matrem, nec bonum nec malum, nec Deum, nec Angelos, nec cœlum, nec terram, nec seipsum quoq; agnouerit quis aut qualis esset: quod de Christo hominum omnium Doctore, Seruatore, ac Iudice, vel tantum cogitasse abhorret omnis pius animus. Certum namque ac manifestum est, Animam eius longe fœliciorem fuisse, vel Adami primi parentis, vel Ioannis Præcursoris sui anima. Illi autem ab initio indita atque concreata fuit rerum omnium naturalium saltem, certa cognitio, vt ex Scriptura facile colligitur: huic vero adhuc tenebroso vteri materni carcere concluso, datum est Christum recenter conceptum, & agnoscere & colere: multo magis ergo Animæ Seruatoris & iudicis mundi cœlitus inspirata & data fuit ab initio multiplex rerum tam diuinarũ quam humanarum sapientia.

Gen.1. Eccl.7. Eccl.17. Luc.1.

2\. Deinde, veteres Prophetæ cecinerunt quidem Filium Dei assumpturum corpus ex semine Abrahæ, patibile: mortale, & in quo dolores nostros portans, crucem & acerbissimam mortem subiret; sed nunquam prædixerunt eum assumpturum esse animam stupidam, insciam, ac communi hominum ignorationi subiectam. Nec vllo modo verisimile est rem tanti momenti, aut Spiritum Propheticum latuisse, aut ipsos Prophetas reticere voluisse, si id facturus fuisset, cum minime celauerint quid ori, quid genis, qd faciei, quid dorso, quid pedibus & manibus, quidque vestimentis eius contingere deberet in passione. Dauid recte cecinit, *Deum nõ esse derelicturum animam eius in inferno, nec daturum corpus eius [illegible] corruptioni*: sed nunquam cogitauit, nunquam credidit, nunquã prædixit animam eius futuram insciam ac ignorantem

Gen.3.15. 22. Isa.53. Ierem.11. Ps.21.30. 68.

Ps.21.68. Psal.15. Act.2.13.

rantem more cæterorum hominum. Quare A concludo eos sese superbissime & arrogantissime supra Spiritum, qui locutus est per Prophetas, erigere; qui tam fœlici Animæ communē omnium nostrum ignorantiam atq; stupiditatem affingere non erubescunt.

3. Psal. 44. Hebr. 1. DOCT. Equidem ab Anima Messiæ omnem ignorantiam siue Angelicam siue humanam longe remouens Dauid, canit: *Patrem eandem vnxisse oleo lætitiæ præ consortib. suis*: quod Paulus per omnium Spiritus S. donorum & gratiarum amplissimam in ipsum effusionem factum interpretatur. Ignorantia vero communis cum huiusmodi perfectionibus non potest certe in eodem subiecto consistere.

4. Isa. 11. Isaias quoq; tantum abest vt communem hominum inscitiam Christo tribuat, vt è contrario, palam prædicet, *Requiescet super eū Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini*. Sub his, inquit Parte 3. q. 11. art. 1. Diuus Thomas, comprehenduntur omnia cognoscibilia: nam ad sapientiam pertinet cognitio omnium immaterialium: ad scientiam autem pertinet cognitio omnium conclusionum: ad consilium autem cognitio omnium agibilium. Ergo videtur q. Christus secundum scientiam inditam sibi per Spiritum sanctum, habuerit omnium cognitionem. Cum itaque ab eo tempore, quo in vtero Virginis conceptus, factus est Emmanuel, & flos de radice Iesse, Spiritus S. cum vniuersis donis suis super eum requieuerit, & omnem sapientiam, omnem scientiam, omnem intellectum eidem impertiuerit; grauis fit ei iniuria quotiescunq; ignarus aut inscius à Caluinianis appellatur. MINIST. Iudæi profecto multis & frequentibus iniuriis eum affecerunt, sed nunquam imperitum, nunquam indoctum, nunquam rudem aut asinum eum more Hugnostico reputauerunt.

5. Coloss. 1. 2. Adhæc, Paulus velut his calumnijs & probris sese opponens contestatur, *omnes thesauros sapientiæ & scientiæ in eo esse reconditos*: vtpote in quo *complacuit Patri omnem quoque plenitudinem Diuinitatis inhabitare, etiam corporaliter*, id est, quatenus homo est. Omnes dicens thesauros, tantam abundantiam sapientiæ, tantamq; copiam omnis scientiæ comprehēdit, asseritq; in eius animum effusam esse; vt cuncta & diuina & humana, & cœlestia & terrestria, atque etiam ipsa inferna eidem omnino patescerent.

Cum etiam constitutus sit omnium tam hominum q̄ Angelorum, adeoq; totius huius mundi caput, rector, & iudex, nihil certe eorum quæ ad tantam dignitatem administrandam pertinēt ignorare debuit: alioqui ad tantū munus prorsus ineptus videretur. 6. Quisquis ergo ignorantiam seu angelicam seu humanam illi tribuit, eundē gloria moderatoris & iudicis vniuersorum spoliat, & summam eius præripit authoritatem. Dan. 7. Ioan. 5. Act. 10. Ephes. 1.

His adde, Euangelistas referre illum cognouisse, damnasse & improbasse altiores & secretiores cordium humanorū cogitationes: quod nemini Angelorum aut hominū B datum est. Proinde nō erat hominum communi excæcatus ignorantia: & angelicam omnem superauit intelligentiam. 7. Mat. 9. 12. 22. Luc. 5. 9. 11 Io. 1. 11. 12.

Præterea, absens corpore, animo probe nouerat mortē Lazari, Apostolorū in mari periculū, Nathanaelem esse sub ficu, asinam in suburbijs Ierosolymorū esse alligatā, stateram in ore piscis, hominē hydriam aqua plenam ferētem Apostolis obuiā futurum, magnum cœnaculum stratum suis esse demonstrandū: nec vnquam latuerunt eū Iudæ perfidia, Iudæorum pertinax odium, aut quæcunq; euentura erant super eum. MIN. Hęc satis ostendunt eius animā nequaquam C subiectam fuisse cōmuni hominū ignorantiæ: & contrarium sentientes manifestos reipsa hostes esse cum Euangelij, tum gloriæ Christi, quantumcūq; id verbis negauerint. 8. Ioan. 11. Marc. 6. Ioan. 1. Matt. 21. Mar. 14. Io. 6. 13. 19. Luc. 18. 22.

Ego quoque memini B. Euangelistam vocare eum, *Lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et ipsummet de seipso dicere, *Ego sum lux mūdi. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filii lucis sitis. Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Quandiu sum in mundo, lux sum mundi, &c.* Sed notum est ignorantiæ humanæ tenebras, D non magis posse cum tanta luce conuenire, quam clarissima dies cum obscurissima nocte: sequitur ergo fœlicissimam mentem Christi nullis vnquam ignorantiæ tenebris offusam fuisse. 9. Ioan. 1. Ioan. 8. Ioan. 12. Ioan. 3. Ioan. 9.

DOCT. Adde quod & idem ait: *Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Et, *De plenitudine eius omnes nos accepimus.* Si plenus fuit gratiæ, nullum in eo habitauit peccatum: ergo si plenus veritatis, nullum mendaciū, nulla fraus, nulla inscitia aut ignorantia in eius animo locum inuenit. Si omnes electi ex eius plenitudine hauriūt, 10. Ioan. 1.

omnium

omnium ſcientiarum fons eſt vberrimus:
quapropter nimis ſunt iniurioſi, qui craſsiſ-
ſimæ ignorantię ſuæ conantur reddere eum
participem. Et cum poſtea ſubijcit idem Eu-
Ioan.2. angeliſta: *Ieſus nouerat omnes, nec opus ei erat vt*
quis teſtimonium perhiberet de homine. Ipſe enim
ſciebat quid eſſet in homine: omnem prorſus i-
gnorantiam procul ab illo repellit. MINIS.
Com. in c. Certe hic ſe victum fere Caluinus fatetur,
2. Io. v.24. ſcribens: *Perſpectum fuiſſe Chriſto quicquid in*
& 25. *hominibus nos latet, vt poſſet iure ſuo inter homines*
diſcernere. Chriſtus ergo qui cordium eſt cognitor,
monitore opus non habuit, vt ſciret quales eſſent
iſti, &c. Noſtra autem ratio longe diuerſa eſt: quia
Chriſtus ipſas arborum radices notas habebat: nos
vero non niſi ex fructibus qui palam apparent, co-
gnoſcimus qualis ſit vnaquaque arbor. Num eum
ei perſpectum fuerit quicquid nos latet, pro-
fecto communem nobiſcum ignorantiam
non aſſumpſit: & ſi monitore non indiguit,
impie ſcripſit Gallaſius, eum eruditum fuiſ-
ſe more hominum.

11. DOCTOR. Subiicit rurſum Euangeliſta:
Ioan.3. *Quem miſit Deus, verba Dei loquitur. Non enim*
ad menſuram dedit Deus Spiritum. Pater diligit
Filium, & omnia dedit in manu eius. Quibus do-
cet Chriſtum immenſo interuallo non mo-
do Prophetas, ac mundi Sapientes, verum
& Angelos omnes ſuperaſſe: quando illis
gratia quidem Spiritus ſancti multiplex cõ-
ceſſa eſt, ſed pro cuiuſque modulo atque de-
finita menſura, Ieſus autem ab inſtanti con-
ceptionis ſuæ omnem omnium gratiarum
abundantiam ſuſceperit. Ac ideo multa Pa-
tres, multa Prophetæ, multa Angeli potue-
runt ignorare, Chriſtus vero non potuit.
MINIS. Et hic rurſum Caluinus ſecum pu-
gnans, ſe ſuoſque erroris coarguit, cum ſcri-
Com. in c. bit: *Tametſi Spiritu donatus fuit ad ſummam vſ-*
3. Io. v.34. *que perfectionem, tamen à Patre accipere dicitur,*
&c. In hoc à nobis differt Chriſtus, quod Pater im-
menſam Spiritus ſui copiam in eum effudit. DO-
CTOR. Vbi ergo communis illa hominũ,
quam in eo confingit, ignorantia? Summa
perfectio ſapientiæ & gratiæ, immenſave
Spiritus copia in eum effuſa, conſiſtere pote-
rit, cũ ſumma rerum omnium ignoratione?
Aut quod ſummum & immenſum in eo fuit,
potuit aliquando adaugeri? Faceſſat procul
tanta ſtupiditas & amentia.

12. DOCT. Quando iterum apud eundem
Ioan.16. Euangeliſtam exclamant Apoſtoli: *Nunc ſci-*
mus quia ſcis omnia, & non eſt opus, vt quis te in-
terroget: nolunt plane eum ignorantię noſtrę
ſubiectum eſſe. Et alibi dicens, *Sciebat ab ini-*
tio Ieſus qui eſſent non credentes, & quis traditurus Ioan.6.
eſſet eum. Item, *Sciens omnia quæ ventura erant* Ioan.18.
ſuper eum: Diſcipulis quoque ſuis longe antea Mat.20.
reuelans, quod tradendus eſſet Gentibus ad Luc.18.
illudendum, flagellandum, & crucifigen- Mar.10.
dum, his profecto ſatis indicabat ſe com-
munem hominum ignorantiam non aſ-
ſumpſiſſe: imo rerum futurarum, & con-
tingentium perſpicuam certamque ſe ha-
bere notitiam.

Quinetiam tanta in eo erat diuinæ ſapien- 13.
tiæ & ſcientiæ vbertas, vt Iudæi obſtupeſcẽ- Ioan.7.
tes dicerent, *Quomodo hic literas ſcit, cum non*
didicerit? Et hanc ſibi per Spiritum ſanctum
ab initio infuſam fuiſſe docens reſpondebat
eis: *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me.*
MIN. Hic, hic profecto impietatis in Chri-
ſtum ſe ſuoſque conuictos ſentiens tandem
Caluinus ait: *Erat hoc mirabile gratiæ & virtutis* In c.7. Ioa.
Dei ſpecimen, quod Chriſtus à nullo magiſtro edo- v.15.16.
ctus, eximia tamen ſcripturæ intelligentia polle-
bat: imo qui nunquam fuerat diſcipulus, præſtan-
tiſsimus erat doctor & magiſter, &c. Nam ideo Fi-
lium ex mechanica potius officina prodire voluit
cæleſtis Pater, quam ex Scribarum ſcholis, quo ma-
gis conſpicua eſſet Euangelii origo, ne quis in terra
fabricatum putaret, vel hominem quempiam fin-
geret eſſe eius authorem.

DOCT. Vbi ergo illa communis homi-
nibus ignorantia? Vbi diſcendi neceſsitas,
quam Filio Dei affingit Gallaſius? In quibus
quæſo, gymnaſiis, aut in qua Academia fuit
artibus inſtructus? Quos habuit literarum
præceptores? Qua in claſſe inuenerunt eum
Geneuani miniſtri? An non ergo Iani magi-
ſtri ſui teſtimonio, inſignis gratiæ & virtutis
Dei, quæ in Chriſto apparebat, hoſtes rema-
nent infeſtiſsimi? Si nũquam diſcipulus fuit,
an non palam contumelioſus eſt in Chriſtũ
Gallaſius, ſcribens eum, *ita ignoraſſe vt diſce-*
ret, & hominum in morem erudiretur?

MIN. Hæc vera & certa ſunt: interea ta- 14.
men ex te ſcire cupio, vnde tanta homini
Chriſto contigerit omnium rerũ cognitio.
DOCT. Non me, ſed ipſum Dominum tibi
reſpondẽtem exaudi. *Omnia mihi tradita ſunt* Ioan.3.
à Patre meo. Pater diligit Filium, & omnia dedit Ioan.5.
in manu eius. Pater diligit Filium, & oſtendit ei Matt.11.
quæcunque facit. Mea doctrina eſt eius qui miſit me.
Omnia quæ Pater habet, mea ſunt. Sicut docuit me
Pater, hæc loquor. Ego quod vidi apud Patrem, lo- Ioan.7.
quor. Has porro ſententias nec Ianus veſter Ioan.8.
diffitetur ad hominem à Verbo aſſumptum
referendas eſſe: clarum eſt igitur illum o-
mni ſapientia & doctrina à Deo Patre
edoctum

edoctum & donatum fuisse. Et icci rco etiam atq; etiam in eum contumeliosi sunt Caluiniani, quando Filium eius ignorantiam nostram fingunt assumpsisse.

15. Præterea, ex intima perfectaq; vnitione hypostatica, quæ à primo suæ creationis & infusionis instanti inter çternum Dei Filium & hominem assumptum intercessit, factum est, vt diuinæ perfectiones, quibus humana Christi mens capax fuit, eidem plane communicarentur: sicque homo ille non modo omnipotens, sed & omnisciens vere sit & dicatur. Proindeque nullis ignorantiæ tenebris Animam illam, quæ vere sua fuit, irretiri permisit sed omnium rerum clarissimo scientiæ & notionis eam splendore collustrauit. Ex his enim efficitur, vt Damascenus constanter sustineat eos mysterium incarnationis Verbi negare, qui Iesu Christi Domini nostri humanam Animam diuina infinitaq; spoliant sapientia. *L. 3. de fide ortho. l. ca. 22.* Et Cyrillus scribat, Eos quantum in se est, furari & præripere Filio Dei ius hæreditatis paternæ, quod est, omnia scire & posse; qui Christo ignorantiam tribuunt. *L. 1. in Ioa. c. 7.* Et secundum Augustinum, eum nec vere agnoscant, nec fateantur esse caput hominum, quorum primus sapientissimus conditus est.

16. Deniq;, tam ex Scripturis quam ex doctrina Patrũ superius euicimus, Animã Christi, clara Dei visione, eiusdemque perfecta fruitione etiam ab ortu suo beatissimam fuisse. Atqui certissimum est ineptias & tenebras humanas non posse cum tali lumine & splẽdore beatifico misceri. Est igitur prodigiosa simulque furiosa insensatorum hominum rabies, humanam insipientiam huic Animæ tribuere; sapientiam cælestem in scholam mortalium hominum remittere: atq; hunc Solem, veramq; mundi lucem, è tenebris & cineribus nostris dicere splendorem suum emendicasse. Ac proinde Christi Domini nostri gloriam longe atrociore contumelia afficit, ac imminuit error iste, quam secum reputent homines miseri, qui Ministrorum conciones sectantur.

17. MIN. Lubens rescirem à te, an Caluiniani sint huius erroris primi Authores, an vero ab alijs quondam inuentum, nunc ipsi tantum reparent? DOCT. Vir Apostolicorum temporum, & Martyr Irenæus, refert Carpocratianos, Valentinianos, Marcionistas, Cerinthianos, Ebionitas, quos vno nomine Gnosticos appellat, huius aduersus Christum contumeliæ primos fuisse authores. *Iren. l. 1. ca. 17. Atha. ser. 4. cont. Arrian. Hilar. l. 9. de Trinit. Vigil. disput. Ath. & Arr.*

A Hos autem secuti sunt Arriani, Nestoriani, & Fotiniani, quemadmodum aduersus eos scribentes docent Athanasius, Hilarius, & Vigilius Martyr. MIN. Certe & si nihil aliud mali aut absurdi in se contineret hic error, quam talium monstrorum ingratam memoriam, & sanctissimę antiquitatis in se grauissimam cẽsuram, hoc saltem Caluinum & discipulos eius reuocare debuisset.

18. *Heb. 2.* *Obiectiones soluuntur.* Sed quid respondendum ad ea, quæ ex Paulo proponunt, *Debuit Christus per omnia fratribus similari, vt misericors fieret?* DOCT. Assumpsit reuera Filius Dei verum perfectumque hominem, corpore mortali & aniB ma rationali, instar cunctorum fratrum, id est, aliorum hominum constantem: & cum his illas duntaxat imperfectiones ac infirmitates nostras, quæ ad patiendum pro peccatis nostris, Patremq; cæleste placandum visæ sunt necessariæ, vtpote, necessitatem esuriendi, sitiendi, dormiendi, laborandi, calescendi, frigescendi, fatigandi, contristandi, angendi, capiendi, ligandi, flagellandi, cõspuendi, crucifigendi, moriendi, sepeliendi, &c. fuitq; in his similis fratribus, ac eiusdem speciei secum cõsortibus nobis hominibus. Alias autem quæ ad saluandum hominem minus erant necessariæ imbecillitates non C assumpsit, nimirum, ab homine gigni, à corrupta muliere, nasci, infici peccato originis, rebellione carnis aduersus spiritum affligi, ignorantem prodire, aut febribus, paralysi, hydropisi, lepra, alijsq; plurimis hominum infirmitatibus subditum esse.

19. *Luc. 2.* MIN. Est & aliud quod animum meum non parum fatigat. Scribitur enim: Iesus *proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deũ & homines.* Si proficiebat sapientia, non omnem adeptus fuerat ab initio. DOCT. Soluit hunc nodum ante plurima secula magnus Cyrillus concilij Ephesini Præses, *Cyrill. li. de recta fide: l. 10. thesauri c. 7. & l. 1. in Ioan. c. 17.* dicens: Proficiebat Iesus ætate corporis & D robore: sapientia quoque animæ quotidie magis ac magis eleganti quodam ordine elucebat & latius se effundebat, disputando modo cum Doctoribus legis, alias cum Nathanaele, nunc cum Nicodemo, mox cum Apostolis, deinde in synagogis Galilææ, tandemq; in maximo Ierosolymorum templo coram omni populo, &c. Quam vero habes de D. Bernardo opinionem? MIN. Eam profecto quæ Patri sanctissimo & doctissimo debetur. DOCT. Hanc quoq; obiectionẽ ita cum Cyrillo soluit: Proficiebat Iesus sapientia, nõ secundum quod erat, sed secun- *Bern. hom. 2. super Missus est.*

dum quod apparebat. Atque vt paucis contraham, ita hunc Euangelij locum intelligendum esse docuerunt, Athanasius sermone 4. contra Arrianos: Nazianzenus orat. in laudem Basilij: Hieronymus commentarijs in cap. 7. Isaiæ, & 31. Ieremiæ: Damascenus lib. 3. orthod. fidei cap. 22. Patres omnes, adeo vt nullus vnquam eorum ex hac sententia contenderit beatissimam Christi Animã nostris ineptijs ac ignorantijs cum Caluinianis deformare. Ac si vno verbo à Scholasticis responsum tibi velis, Profecit non secũdum habitus scientiæ & gratiæ, sed secundum effectus; quãdo secundum profectum ætatis perfectiora edebat opera, quibus coram hominibus innotescebat.

DIEM ET HORAM FVTVRI IVDICII postremi Christum non simpliciter & absolute ignorasse: contra 13. & 14. errorem.

CAPVT VIII.

DOCTOR.

NOn contenti Sectarij Christum omni hominum ignorantia in generali deturpasse, & diuinam sapientiam ad hominum scholam ab e ass ; ad priuatas postea plurimas accus. i nes de s ndunt, & inter has, quod postremi ac vni ersi iudicij tempus diem, & horam pen tus ignorauit. Ecce verba hæresiarchæ: *Secundum hominem Christus diem vltimum nesciuit.*

Hoc suo authore longe peior & audacior factus Lambertus Danæus, non obscuri inter Caluinicos discipulos nominis, præceptoris impietatem his verbis adaudet: *Christus etiam post resurrectionem suam diem vltimi iudicii nesciuit.* Commen. in cap. 17. Enchiridij 6. Augustini. *Ioa. c. 24. Mat. v. 36.*

Cõfutatio 1. MIN. Hoc postremum nondum adhuc audieram: illud autem primum memini me sæpius apud Caluinum non modo legisse, sed etiam pluries in concionibus meis sustinuisse, Existimans hoc verum ac Euangelicum: nesciens porro huiusmodi errorem esse Gnosticorum, Arrianorum & Nestorianorum; eundemque à sanctissimis Patribus improbatum & damnatum, quemadmodum nunc à te didici. Cum itaque nolim illis reprobis hæreticis adhærere sed potius cum pijs & à Deo inspiratis Doctoribus Ecclesiæ sentire: simulq; cum ab omni aduersus Seruatorem & Iudicem meum contu-

A melia animus meus abhorreat, & hunc & similes errores, quibus Christus alicuius ignorantiæ insimulatur, damno & reprobo.

DOCT. Pie & scite profecto. Sed vltra etiam scire te velim beatissimum Papam Gregorium, ac optimum discipulum eius Isidorum Hispalensem, superioribus hæreticis copulasse alios, quos & Agnoitas & Ignoitas appellauerunt; propterea quod in hoc eodem errore sunt volutati, quem vestri Censores nunc conantur redintegrare. Nec modo istos cum superioribus seductoribus tam in Italia quam in Hispania profligarunt; B verum etiam referunt sanctum Eulogium Patriarcham Alexandrinum, cum Cleri sui auxilio, eosdem cõfutasse, excommunicasse, & vniuerso patriarchatu suo cõstanter expulisse: relicto posteris exemplo, quo pacto in eorum successores & discipulos (Caluinianos intelligo) sese gerere oporteat, Episcopos atq; Magistratus Christianos. 2. *Greg. l. 8. epi. 42. Isid. 8. ethymol.*

Insuper, author est Nicephorus, quendam Themistium, temporibus Valentis Imperatoris, in eundẽ errorem impegisse: sed tum à sanctis Patribus silentium ei inditum fuit. Verum, quibusdam discipulis eius sub Iustino & Iustiniano renascentibus; C atque Seuero Antiocheno, Theodosio Alexandrino, & quodam Philopono (qui impios Tritheitas introduxerunt) impensius eis fauentibus; hunc errorem ex inferis extractum, rursus seminatum, & propagatum fuisse. MINIST. Ergo Caluinus, Beza, Molinæus, & asseclæ omnem diuini numinis metum posuerunt, qui è teterrimis sentinis veterum hæreticorum eiusmodi putidas sordes retraxerunt: quas tot locupletissima conuincunt testimonia, & tam sancta grauia & antiqua improbant iudicia: atque hoc mihi satis esse videtur, vt ab optimis quibusque Christianis D reijciantur. 3. *Niceph. l. 18. c. 49. & 50.*

DOCT. Verum id quidem: sed propter contentiosos, præstat vt & firmissimis argumentis, tam ex Scripturis quam ex Patribus assumptis, idipsum confirmemus. Quod sic facio. Necesse est idoneum ac verum Iudicem perfecte nosse & modum, & circunstantias litis, quam velit dirimere: alioqui nec suo officio faciet satis, nec recte omnia dijudicans æquam feret sententiam. Atqui sacræ literæ passim astruunt Dominum nostrum Iesum, etiam vt filius hominis est, constitutum esse Iudicem viuorum mortuorum, Angelorum, ac totius huius mundi. 4.

Nemini

Ioan.5. Nemini ergo hominū ambigere licet, cum
Act.10. perfecte clareque nosse & seculum, & an-
2.Tim.4. num, & diem, & horam, & modum, quibus
Matt.25. vniuersum exercebit iudicium suum. Alias
enim non iudicaret orbem terræ in iustitia, & populos in æquitate: & ab eius tribunali iusta videretur remanere ad aliud prouocatio.

5. Deinde, si diuina Verbi persona tam intime sibi assumptum hominem coniunxit, vt ei suam communicarit Deitatem, omnipotentiam, misericordiam, bonitatem, iustitiam, & omniscientiam; idque tam vera strictaque communicatione, vt propter vnitatem personæ vere dicatur, Homo est Deus, homo est omnipotens: num & eodem iure credere ac profiteri debemus Christum, quatenus etiam homo est, perfecte nosse, scientia sibi à Verbo collata & indita, quando & quomodo hunc mundum est iudicaturus?

6. Quomodo etiam huiusce mundi finem
Matt.25. ac postremum diem ignoraret, quando tūc
Matt.26. maxime regni sui gloriam capesset, cum ve-
Philip.2. rus Deus & mundi Redemptor ac Iudex omnibus manifestus apparebit, ponet inimicos suos scabellum pedum suorum, ac sibi videbit curuari omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum? scilicet, diem gloriæ suæ ignoraret, & tempus triumphi sui absconditum esset ab ipso? Hoc sane gloriam maiestatis suæ nimium imminueret: quare quo tēpore ac die id fieri debeat, habet pro certo perspectum & exploratum.

7. MIN. Hæ quidem rationes euidentes, certæ, & ex ipso S. Theologiæ fundo recte petitæ sunt: sed si quas habes scripturas velim in a[c]iem educeres. DOCT. Christus homo sibi à Patre communicatam omnium rerum scientiam, atque sic etiam postremi iudicij omnem notitiam satis adfirmat his
Matt.11. Euangelicis verbis: *Omnia mihi tradita sunt à*
Ioan.13. *Patre meo. Omnia tua, mea sunt. Pater dedit ei*
16.&17. *omnia in manu, &c.* Cum ergo Pater probe norit diem iudicij, ac finem huius seculi, hoc ipsum quoque & Christo suo pro certo reuelauit & tradidit. MIN. Certe nihil dubito eidem concessum & datum esse id quod
Ioan.5. minoris momenti est, si res grauioris & maioris ponderis liberaliter est concessa. At vero Pater dedit illi potestatem iudicij faciendi, quod maximi est momenti: igitur & notitiam temporis, quod idipsum præstare oporteat, quod minoris est.

8. Præterea, Paulus constanter prædicat,
A *Omnia per ipsum, in ipso, & cum ipso esse: in ipso* Ioan.1.
thesauros omnes sapientiæ & scientiæ reconditos: Rom.9.
In ipso nos omnes viuere, moueri, ac esse: per ipsum Rom.11.
omnia condita. Ipsius pedibus Patrem omnia subiecisse. Coloss.1.2. Non pertinet igitur ad Geneuanos Catonesistos finem huius sæculi, ætates huius mundi, aut alia multa pro suo arbitratu tam temere quam nefarie excipere.

Scribit quoq; Ioannes, *Traditas ei esse claues mortis & inferni:* & Paulus rursum testatur, 9.
In eo habitare omnem plenitudinem Diuinitatis Apoc.1.3. 9.20.
etiam corporaliter, Id est, vt homo est: cur non Coloss.1.2.
ergo vna & plenitudo sapientiæ iudicij futuri? Itaque in Paulum, & dilectum Christi
B discipulum Ioannem contumaciter insurgunt, & summo omnium nostrum Iudici maximam gloriæ suæ partem detrahūt, qui obstinato animo contendunt, eum postremi iudicij tempus aut circumstantias ignorare, &c. Quid autem Veteres de hoc senserint dogmate, nunc explana.

DOCT. Ante mille & trecentos annos Irenæus Martyr censuit, eos esse insensatos 10. Li.1.ca.17.
homines, ac Scripturarum diuinarum tortores atq; deprauatores, qui Christum hominem à quoquam mortali aliquid didicisse, aut quidpiam ignorasse autumarent. Eo- Quæst.58.
demq; tempore Author responsionum ad
C orthodoxorum quæstiones apud Iustinum martyrē, constanter pronunciauit, Impium esse Christo ignorantiam tribuere. Et paulo Li.1.Pædagog.c.6.11.
eis inferior Clemens Alexandrinus, iudicauit absurdissimū opinari, Opus fuisse Christo vt aliquid disceret, cum Deus esset.

Sed quoniam omnium acutissime & copiosissime de hac re aduersus Arrianos, 11. Lib.9.de Trinit.
(quos in hoc errore, vt & alijs multis imitantur Caluiniani) disseruit B. Hilarius, eum ita ex sacris scripturis ratiocinantē & concludentem exaudias. Ait enim. An credibile, vt aliquid (Christus) ex omnibus nesciat, qui omnibus ad id quod sunt, atq; erunt, author est? Si omnia per Christum, & in Christo, &
D ita per ipsum, vt omnia in ipso sint; id quod neq; extra eum, neq; non per eum est, quomodo non etiam in scientia eius sit; Cogitationes humanas, nō tantum præsenti motu incitatas, sed etiā instinctu futuræ voluntatis agitandas Christus non ignorat, Euangelista testante. *Sciebat Iesus ab initio qui essent* Ioan.6.
non credentes, & qui esset traditurus eum. De eo scriptum meminerimus: *Omnia per ipsum,* Coloss.1.
& in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes. Et illud: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & omnia in ipso reconciliari.*

Christus aderit, & aduentus sui diem ignorat? Dies suus est, secundum Apostolum, & ignoratione eius detineri intelligendus est? Humanæ naturæ quod agere diffiniunt præsciunt, & sequitur gerendorum conditio voluntatem agendi: Deus vero natus, quod in se, & per se est, nescit? Non patitur in nobis doctor Gentium Paulus, hanc impij erroris professionem, vt ignorasse aliquid vnigenitus Deus existimetur. Ait enim: *In eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*: Hæc ille, quibus aperte cernis non tam Arrianos profligari, quam Caluinianos cũ eis ignorantiam diei postremi, qui gloriæ eius deputatus est, Christo impie tribuentes.

Coloss. 2.

12. Accedit & magnus Athanasius, ex prædictione signorum quæ iudicij Diem præcedent, probans fieri non posse vt illum ignorarit, vel adhuc ignoret in gloria, his verbis. Discipulis recenset Christus ea quæ diem illam antecedunt, dum inquit: ista, & ista futura sunt: ac tum denique finis. Iam qui ea quæ diem illam antecedunt eloquitur, omnino in cognitione sua diem habet, quæ post res pronunciatas subsequutura est.]

Ser. 4. adu. Arrian. Matt. 24. Marc. 13. Luc. 21.

13. Æque pie ac scite alijs rationibus & Scripturis idem sic colligit D. Nazianzenus: Quomodo rem aliquam ignoret ipsa Sapientia, ille sæculorum factor, ille consummator atque immutator, ille rerum quæ geruntur finis, ille ea quæ sunt non minus cognoscens, quam spiritus hominis ea quæ in ipso sunt? Qui vero constat ipsum ea quidem, quæ horam illam antecedunt, ac quæ vel in ipso finis articulo posita sunt, exactissime scire, ipsam autem horam ignorare? Ænigmati quippe hæc res similis est, perinde ac si quis ea quæ ante murum sunt certissime se scire affirmet, murum autem ipsum ignorare se fateatur. Aut diei finem probe sciens, noctis principium minime agnoscat: vbi alterius cognitio alterum necessario secum introducit.] Atque hæc grauissimi Patres illi Græci & Latini, qui intra quadringentos à Christo nato annos in Ecclesia floruerunt.

Orat. 4. de Theolog. Ioan. 1. Heb. 1. 1. Cor. 2. Matth. 24.

14. MIN. Et hanc impietatem nunc tecum abominor & execror, à domino veniam supplex postulans, quod eam aliquando tenuerim & docuerim. Interim autem mihi exponas rogo, difficultatem huic doctrinæ contrariam, quæ ex his verbis oritur: *De die autem illa vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius nisi Pater.* In his enim verbis, *neque Filius*, præcipua nituntur Caluini & suorum fundamenta.

Marc. 13.

A DOCT. Infirma sane & caduca, quoniam Ambrosius & Hieronymus in primis Patres antiquissimi & grauissimi scripserunt eadem verba, *neq; Filius*, in probatis Origenis & Pierij Alexandrinorum exemplaribus Græcis, multisque Latinis non inueniri: indeq; plurimos suspicari ea ab Arrianis addita fuisse, qui admodum importune eadẽ vbiq; in suæ perfidiæ patrocinium Catholicis obijciebant. Verum, ne huic suspicioni inhæreamus: sed demus ita Euangelistam sensisse ac scripsisse: per hæc intelligamus cum Diuo Petro, Christum omne quod erat, B quod habebat, quod faciebat, quodque sapiebat, ad ipsum Patrem suum referre, vel vti ad omnium horum fontem & authorẽ: proindeq; dixit, solum Patrem diem illam nosse, nimirum à se, & per seipsum, filium autem non eo modo. Hoc enim sensu & alibi dixit: *Doctrina mea, non est mea: sed eius qui misit me Patris.* Et rursum: *Non potest filius à seipso facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Non possum ego à meipso facere quicquã. Non est meum dare vobis, &c.* Aut certe, quæ est magni Basilij, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Chrysostomi, Gregorijq; magis vulgata interpretatio, Filius nescire diem illam C dicitur, quod hanc reuelare hominibus nec decuit nec debuit: sed omnino celare, veluti rem ad eos, nosq; omnes in officio cõtinendos maxime idoneam & necessariam. MIN. De alio igitur capite nunc dicamus.

Clem. li. 10. recognit. Ioan. 7. Ioan. 5. Lib. 4. con. Eunom. Lib. 5. de fide, c. 8. Cõ. in Mat. L. 1. de Gen. cap. 22. ep. ad Eulo.

CHRISTVM NON IGNORASSE FIDEM *ac pietatem eorum, qui obtulerunt ei paralyticum: contra 15. errorem.*

CAPVT IX.

DOCTOR.

Aliam adhuc sapientissimo Redemptori inferunt vestri iniuriam, adfirmando, D eundem ignorasse ardentem eorum fidem, qui sanandum intulerunt Paralyticum. Ait enim Caluinus: *Nam quod quidam existimant Christum diuinitus conscium fuisse ipsorum fidei, quæ occulta intus latebat, mihi coactum videtur.* Totam vero Sectariorum turbam hac inquinari macula ostendit Marloratus, quando eadem verba retulit in sua Rhapsodia, quam appellat, *Expositionem vniuersalem Ecclesiæ vestræ.* Tu quid censes? Visne tam cæcos imitari magistros.

Com. in c. 9. Mat. v. 2.

MIN. Auertat dominus: nam in horrendã impietatis voraginem me secũ pcipitarent. Ab hac itaque Caluini sententia plane dissideo,

Confutatio 1.

deo, quoniam & ille secum manifeste dissidet, scribens in eodem loco de baiulis Paralytici: *Fidei specimen edebant in illo tam laborioso conatu: quia nunquam tantum subiissent molestia, nec cum tantis obstaculis luctati essent, nisi animos fecisset certa successus fiducia: ita fides eorum in eo fructu apparuit, quod præcluso vndiq; aditu fatigati non fuerint.* DOCT. Homo igitur in Christum maleuolus & maledicus fuit Caluinus, eum reputans tam hebetem & rudem, vt ex illorum tam laborioso molimine deprehendere nõ potuerit insignem eorum fidem. Aut certe Caluinus Christo longe acutior & subtilior est, qui post mille & quingentos annos, absensque videat, quod ille præsens non viderit. Apagete tantam hæresiarchæ amentiam atque maledicentiam.

Matth. 9.

2. MIN. Rursum sibi ipsi contradicens scribit alibi: *Christum, qui omniũ præscius erat, minime latuit quid futurum esset, &c.* Certe si cuncta præsciebat etiam antequam essent, præsentium supplicum manifestam fructibus fidem atque pietatem aperte cognouit. Itaque cum antequam illi accederent, præsciebat venturos; cum accesserunt, perfossoque tecto demiserunt grabbatum, in quo iacebat Paralyticus ante Christum, non potuit profecto ignorare illos credere & sperare, quod hunc curare posset & vellet.

In cap. 14. Mat. v. 13.

3. DOCT. Optima certe & firma ad hominem argumenta. Atqui mihi videtur nõ esse procul recedendum à contextu Euangelistarum, vt Hugnostica in Christum maledicentia refellatur. Scribit enim Matthæus: *Videns Iesus fidem illorum dixit paralytico: Confide Fili, remittuntur tibi peccata tua.* Marcus autem: *Cum vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico, Fili dimittuntur tibi peccata tua.* Et Lucas: *Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua.* Tres Euangelistæ eadem mente & voce docent confirmantque Christum vidisse fidem illorum: Caluinus autem negat; rem coactam & duram arbitratur & pronunciat: quibus, quæso te, fides potius est adhibenda?

Matth. 9. Marc. 2. Luca 5.

4. MIN. Pudet me profecto audire hunc terræ vermiculum, & canem mortuũ, tam præfracte Spiritui sancto qui in Euangelistis locutus est, sese opponere, atque contradicere: nec possum iudicare tam insanam & effrenatam audaciam aliunde promanasse, quam à Satana, qui eum ad id scribendum & prædicandum impulerit. Certe non fuit Christo difficilius internam hominum piorum fidem ex operibus eorum externis colligere, quam vel ægrum insanabili naturæ morbo tunc sanare, vel peccata eidem misericorditer remittere. Vtrumque autem magnificentissime potestate sibi diuinitus tradita præstitit: igitur & sapientia sibi quoque diuinitus concessa, fidem & spem offerentium perfecte cognouit.

Matth. 9.

DOCT. Attende etiam quæ mox ibidem subiiciuntur de obmurmurantibus Pharisæis: *Cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata tua: An dicere, Surge & ambula?* MIN. Certe saltem æque facile fuit Christo nosse fidem & pietatem piorum offerentiũ, quam malitiam & infidelitatem Pharisæorum obmurmurantium in cordibus suis. Obidque Caluini malitia nõ minor esse apparet, quam eorum Iudæorum, qui velatis Christo oculis, in eundem conspuebant, & alapis eum cædentes d. Prophetiza: quasi nihil nisi apertis corporeis luminibus posset aspicere aut nosse. 5.

Matth. 9. Matth. 16.

DOCT. Eadem certe potestate & sapientia, qua nouit laudauitque Centurionis pro seruo deprecantis fidem: Chananææq; mulieris animo conceptam de sua potentia fiduciam: denique mulieris fluxu sanguinis laborantis insignem piamq; de sua clementia persuasionem: eadem constanter credo, & agnouit & plurimum fecit fidem bonorum virorum offerentium illi paralyticum. Videlicet, author & consummator fidei omnium nostrum IESVS, hanc ignoraret? MIN. Non eget ampliore refutatione tam manifesta improbitas: cætera persequamur. 6.

Matth. 8. 9. 15. Heb. 12.

QVOD DOMINVS FICVLNEAM aggressus, speciem huius arboris probe noscebat: contra 16. errorem.

CAPVT X.

DOCTOR.

IMpium scientiæ & sapientiæ Christi detrahendi studium persequens Caluinus addit, Ipsum formam speciemque arboris ignorasse; cum accessit ad Ficulneam, vt fructus ab illa decerperet. Hæresiarchæ verba sunt ista: *Nihil absurdi est si dicamus, secundum hominem speciem arboris fuisse illi incognitam.*

In cap. 21. Mat. v. 18.

MIN. Vidi, legique frequenter hæc eius verba, sed nunquam probaui. Nam & ipse sequenti mox capitulo sibiipsi contradicit, scribens: *Spiritus Christi cordium erat cognitor.*

Cõfutatio 1.

Quid ergo prohibuit, ne diuersas arborum formas speciesq; perspectas haberet? Nunquid priore posterius longe facilius est?

2. DOCT. Adde, ipsum Euangelistæ Fici historiam enarrantis contextum Caluinianam calumniam & iniuriam plane refellere. Ait enim: *Mane reuertens in ciuitatem esuriit.* Matth. 21. *Et videns fici arborē secus viam, venit ad eam, &c.* Eaque maledictione arefacta, dixit Apostolis: *Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis* (quod factum est) *sed & si monti huic dixeritis, Tolle te, & iacta te in mare, fiet.* Audis nomen arboris Fici semel & iterum expressum, Christumque dicentem, *Facietis de ficulnea, &c.* igitur Ficū arborem esse ad quam accesserat, quā maledixerat, quæq; aruerat, certe distincteque idem cognoscebat, cū ad eam accessit.

3. MIN. Certissimum quoque est, eum qui omnia & præterita, & præsentia, & futura nouerat; eademq; Discipulis & turbis quantum oportebat, annunciabat; species arborum quas obuias in via habebat, non ignorasse: eundemq; nesciisse præsentia, & præsciisse futura. Igitur grauem Christo iniuriam irrogat Caluinus, dicens eum obuiam sibi vnam ficulneam nescisse.

4. Sed si Patrum iudicio standum esset, qualis hic iudicaretur? DOCT. Iustinus Philosophus & Martyr, eum pro impio haberet, qui ignorantiam Christo tribuit. Clemens Alexand. eundem diceret atheum, aut saltē Ebionitam, existimando eos qui Christum de nouo aliquid didicisse volunt, eundem negare verum Deum: cum si Deus esset, inquit, nihil eum didicisse oportuit. Hilarius inter Arrianos eum relegaret, lata in eos sententia in pari negotio. Docet enim incredibile esse, aliquam creaturarum speciem domino nostro Iesu Christo incognitam fuisse, cum ipse sit omnium creator & moderator. Gregorius responderet Caluinum esse Nestorianum, quod Spiritus domini Christi nulla possit accusari ignorantia, nisi à natura diuina penitus seiungatur. Augustinus nunquam in suam cōmunionem illum admitteret, quippe qui constanter semper docuerit, Ignorantiā nullo modo fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, &c. Damascenus renunciaret eum hostem adorationis debitæ vnicæ hypostasi filii Dei, scribens: Qui proficere dicunt Christum in sapientia, nō secundum hypostasin adorant vnionem. Athanasius eundem referret in numerum Samosatenianorum: hoc quippe donat titulo eos, qui huiusmodi errorem tutandū suscipiunt. Ambrosius statim pronunciaret Caluinum nulla religione teneri: sic enim appellat eos, qui huius erroris authores extiterunt. Et vt paucis absoluam, vniuersa Ecclesia Christiana iamdudum damnauit, & anathematibus percussit eiusmodi erroris authores & propugnatores, quando veteres Gnosticos, Arrianos, Nestorianos, Agnoitas, & similes sua reprobauit censura, & damnauit authoritate.

Quæst. 58. ad Orthod. — L. 1. pedag. c. 6. 11. — L. 9. de Tri. — L. 8. ep. 41. — L. 2. de pec. merit. & rem. c. 29. — L. 3. fid. ort. c. 22. — Ser 4. cont. Arrian. — Li. 5. de fid. c. 8.

DOMINVM NOSTRVM IESVM docendo non esse improprie, aut sine ratione locutum: aduersus 17. errorem.

CAPVT XI.

DOCTOR.

NOuo rursum errore contendunt Hugnostici *Dominum esse frequenter improprie, impure, ac sine ratione locutum*, cum inter homines conuersatus eos de regno Dei palam erudiret. MIN. Eo adduci nō possum, vt credam hominem serio Christianum ita fuisse improbum, vt id solum de domino cogitarit: tantum abest vt de domino Caluino minima tantum mihi remaneat suspicio. DOCT. Irasceris? MIN. Sic irascor ad tam putidas calumnias. Esto enim in superioribus errauerit: nō tamen credam vt tam impie de domino IESV senserit vnquam. DOCT. Discedo ergo, ni patienter audieris. MIN. Audiam, modo nulla domino Caluino fiat calumnia. DOCT. Video sane, Veritatem odium parere. Sed fero patienter, quandoquidem nec solus es quem absurdæ & portentosæ Caluini blasphemiæ in admirationem rapiunt. Existimabis itaq; nos calumniatores & mendaces quousque tali errore eundem cōuictum relinquamus. Vt tibi ergo & similibus consulam, nunc fusius tibi commemorabo locos & sententias, vbi Caluinus eā infert sapientissimo ac potentissimo Redemptori nostro iniuriam. In Matthæi cap. sextum versibus 16. 17. 18. scribit: *Quod ieiuniis mercedem à Deo promittit Christus, impropria est locutio, sicut paulo ante de precibus dictum est.* In caput duodecimū, versu quinto: *Quod dicit Christus, Sabbatum profanari à Sacerdotibus, impropria est locutio.* Et versu vicesimosexto: *Quod sequitur, filios ipsorum fore iudices, improprie dictum est.* Versu trigesimo tertio: *Facite arborem bonam, impropria locutio est.* In caput quintum decimum, versu 19. Ex corde

corde exeunt mala cogitationes, &c. impropria est loquendi forma. In caput vicesimum, versu 26. *Quicunque voluerit inter vos maior fieri, &c. improprie loquitur.* Atque hæc ille Harmonia in tres Euangelistas: audi nunc quoties eadem culpa dominum in Ioanne loquentem, accusarit. In caput primum, versu 32. *Vidi spiritum descendentem, &c. impropria est locutio.* In caput tertium, versu 21. *qui autem facit veritatem, &c. hoc videtur improprie & absurde dici,* Gallice, *sans raison.* In caput sextum, vers. 29. *Hoc est opus Dei, &c. Satis constat Christum improprie loqui.* Et versu 35. *Ego sum panis vitæ, &c. impropria est ex parte similitudo.* In caput decimumseptimum, versu 12. *Quos dedisti mihi,* B *&c. Est quo ad grammaticam attinet, impropria exceptio.* Nec vobis Hugnosticis satis fuit Dei genitam Sapientiam in carne manifestatam toties impuræ orationis, incongruitatis, ac improprietatis damnasse, nisi ex omnium sententia eædem iniuriæ describerentur in Chirographis ac libellis Clypei vestræ fidei Geneuanæ, vbi scribitur, *quod dominus de pane dicens, Hoc est corpus meum, &c. impropria locutione sit vsus.*

Cõfutatio 1. MIN. Ah, nimium est. Amplius nihil addas rogo. Non existimo Rhapsacem, Holo-
4. Reg. 18. 19. Iudith. fernem, Sennacheribum, Nicanorem, Iulianum, aliosq; Dei viuentis hostes, frequentiores aduersus eius potestatẽ eructasse contumelias, quam iste aduersus illius Sapientiã genitam euomit. Quid? Non semel aut tertio, sed duodecies scribere hanc Dei incarnatam Sapientiam, locutam esse improprie? Authorem omnis eloquentiæ, expolita non habuisse verba? Infinitam Dei prudentiam & scientiam genitam, absque ratione disseruisse? Impropria vti similitudine? Omniũ doctorum & magistrorum summum magistrum, leges Grammaticorum nesciisse? Totus hæsito stupefactus, mirorque quibus artificiis baptizatos homines ita Satanas potuerit illudere, vt huiusmodi blasphemias sibi persuaserint, scripserint, docuerint. Iudæi namque aduersus Mosen, aut Turcæ aduersus Mahometem, aut ethnici aduersus suum Iouem aut Mercurium, eiusmodi factas iniurias nunquam tolerarent. Et Christiani principes atque magistratus, hæc palam scribi, docerique in suis prouinciis æquis animis patiuntur! Proh Dei & hominum fidem! O mores! O pectora cæca! E-
4. Reg. 18. 19. Isa. 36. Psal. 68. zechias ad vnam vel alteram Rhapsacis blasphemiam suas vestes regias lacerauit: Dauid optimus Regum exclamat. *Opprobria im-*

A *properantium tibi, ceciderunt super me:* & nemó Psal. 93.
Christianorum principum aduersus huius Rhapsacis sedem insurgit? Summis precibus te rogo & obsecro, Deus vltionum domine, exaltare, libere age, redde retributionem istis filii tui superbis contemptoribus. Vsquequo peccatores domine, vsquequo gloriabuntur? Effabuntur, & loquentur huiusmodi nefariam iniquitatem? In has igitur cõtumelias quantum voles agas doctor amicissime, ego aliud nihil nunc quam eas detestari & deprecari possum.

DOCT. Vniuersa, quæ superius aduersus 2.
quatuor postremos Geneuanorum errores, præsentem quoque satis refellunt & improbant. Cum enim etiam quatenus filius hominis rerum omnium diuinitus sibi concessam ac infusam habuerit sapientiam, nullam ignorauit venustam elocutionem, nullam aptissimorum verborum elegantiam. Et cum in eo essent omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi, tum quoque *in eodem habitaret omnis plenitudo diuinitatis etiam* Isai. c. 7.
(vt Apostolus loquitur) *corporaliter,* pro cer- Coloss. 1. 2.
to nulla defuit verbis eius copia, nulla sententiis concinnitas, nulla comparationibus aut assumptis similitudinibus condecentia, nulla pura propriaque elocutio. Quomodo
C enim ille locutus esset improprie, qui suis & Luca 21.
promisit, & contulit os & sapientiam, cui omnes aduersarii, id est, totius mundi sapientes, ac tyranni, non potuerunt resistere? Qui olim ex rusticis ac rudibus homunculis, fecit maximos & sapientissimos Prophetas? Qui ex pastoribus ouium, fecit excellentissimos Pastores populorum? Qui paruulorum linguas fecit disertas? Qui ex elinguibus & balbis, facundissimos & disertissimos efformauit oratores? Non est profecto, non est verũ, sed neq; verisimile dominũ nostrum, qui pauculos idiotas, piscatores, omniũ disciplinarum ignaros, & vix Patriæ linguæ
D proprietatem callentes, fecit Apostolos, id est, magni Dei per totũ orbem legatos, my- Actor. 2.
steriorum diuinorum dispensatores, omniũ hominum linguarum scientissimos; aut inconcinnis verbis, aut impuris loquendi formulis vsum esse, tantum abest vt Grammaticæ regulas minime tenuerit.

Nam qui talem de eo post Ianum Caluinum concipiunt opinionem, eius sapientiæ 3.
ac facundiæ minus tribuunt, quam profani milites illi, quos miserunt Iudæi vt caperent IESVM in sermone. Nam eloquentia eius deiecti, & sententiarũ grauitate

con-

confracti, ad dominos suos inanes redie- A runt, dicentes, *Nunquam sic locutus est homo, vt hic loquitur.* Siquidem tantam in eo dicendi vim venustatemque experti fuerant, vt ad intima sermo dilapsus præcordia, illos dociles redderet qui antea rudes fuerant: cordaque eorum emolliret atque mansuefaceret, qui prius aut lapidei aut efferati extitissent. MIN. Ergo non improprie, non insulse, non absurde, non impure loquebatur, vt iste filius perditionis Caluinus eidem imponit. Enimuero, fuit iste filius Dei homo factus Cicerone copiosior, Pericle vehementior, Seneca grauior, Demosthene facundior, Isocrate dulcior, subtilior Aristo- B tele, sapientior Socrate, Platone diuinior; & vt paucis dicã, fuit nitidis verbis nitidior, omni eloquentia eloquentior, & omni facundia facundior. Omnium enim horum donorum ipse fons est & largitor liberalissimus. Omnes Philosophi, Oratores, Poetæ ex eius thesauris & articulis hauserunt. DOCT. Reuera, omnem intelligendi celeritatem, omne discendi ingenium, omnemque dicendi ac differendi facultatem, donum Dei esse non semel contendit Augustinus.

Ioan. 7.

L. 4. confes. c. 16.

4. MIN. Græci miris laudibus efferunt Orphæi, Arionis, & Amphionis versus, quodq; C horum virtute feras demulcere; montes, saxa, arbores mouere potuerint. Alii scribunt Herculem Gallicum linguæ suæ eloquentia velut aureis catenulis, aures hominum ad se pertraxisse. Referunt & Timotheum musicum vario concentu suo Alexandrum Magnum nunc ad arma capescenda, mox ad ea ponenda impulisse. Scribunt etiam sacri Authores Dauidem cytharæ suæ pulsu Satanæ furores in Saule repressisse. Quanto ergo suauius, quanto purius, quanto efficacius filius Dei & hominis in Euangelicis orationibus suis personuit?

Basil. orat. ad Nepotes.

1. Reg. 16.

5. DOCT. De hac re testatur beatus Euan- D gelista: *Admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi.* Ac sane necesse est illos in verbis eius maximam sensisse & voluptatem & vtilitatem, quando relictis ciuitatibus, domibus, & familiis suis eundem frequentes sequebantur per castella, per montes, per mare, & per deserta: id nunquam facturi, si barbarus, rudis, & ad dicendum ineptus extitisset, velut Hugnostici comminiscuntur.

Matth. 7.

6. Scribit etiam Lucas de eius concionum præstantia: *Omnium in synagoga oculi erant in-* Luc. 4.
tendentes in eum. Et omnes testimoni[illegible] illi dabant
[illegible]
& mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, &c. Ipse docebat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus. Iterumque ait: *Et stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius. Et diuulgabatur fama de illo in omnẽ locum regionis.* Et alibi: *Mirabantur omnes de his quæ procedebant de ore eius.* Obsecro, vnde tantus auditorum stupor, vnde admiratio, si iuxta Prophetam Geneuanum, tam improprie & absurde loquebatur, vt nec puerulis notas Grammaticæ regulas obseruaret? Aut quæ verba gratiæ ex eius ore procedentia ad eum magnificandum, si impropria similia vsurpabat?

7. Adhæc de eiusdem domini nostri sapientissima pueritia idem scripsit: *Parentes inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super intelligentia & responsis eius.* MIN. Profecto ad tam lucidum veritatis testimonium videtur Caluinus tanquam de tenebroso errorum suorum somno expergefieri, & aliquam veri scintillam perspicere, cum ibidem fatetur, radios diuini fulgoris palam in puero IESV enituisse, alias superbi homines sedẽ publicam sacramq; in medio eorum capere nunquam siuissent. Et paulo post ait: *Miratos fuisse omnes, quia prodigij loco habebant, puerum tam apte & concinne texere suas interrogationes.*

Luc. 2.

In c. 2. Luc. v. 46.

DOCT. Ergo manifeste impius est in Christum, postea scribens, eum iam virum factũ toties inepte & inconcinne de sanctissimo Euangelio disseruisse: quasi superiorẽ concinnitatem & proprietatem verborum omnino fuisset oblitus, sicque aptior ad dicendum puerulus, quam vir perfectus.

8. MIN. Mihi quoque in mentem occurrit de eloquentia & facundia Dominica præclarum istud Dauidis vaticinium. Ait enim de eo, *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis eius, &c.* Vbi nostra Geneuensis glossa tradit: *Christi regnum hoc Psalmo pro certo describi, ipsumque Regem omni lepore dicendi ornatum fore prædici.* Quinetiam Lutherus in hunc locum scribit: *Labia quidem Mosis fuisse profunda, infacunda, impedita, irata: Christi vero plena gratiæ, & verbum eius suaue, plenum consolatione & fiducia. Sensumque huius Dauidici versus hunc esse: Noster rex habet sapientiam, quam nullus hominum habet, nempe sapientiam dulcissimam & suauissimam, quia fouet contritos, consolatur afflictos, reuocat desperatos, erigit lapsos & humi-*

Psal. 44.

Lutherus in Ps. 44.

& humiliatos, iustificat peccatores, viuificat morientes, & quicquid praeterea est quod verbum salutis efficit, hoc facit copiose. Est igitur suauis & iucunda sapientia, digna tanto praeconio. Hinc in Isaia dicit, Deus dedit mihi linguam doctam, dominus dedit mihi linguam disertam, &c. Huic etiam addere liceat Iacobum Andream, his verbis Christi Omniscientiam aduersus putidas Bezae inficiationes vindicantem: *Nos Christo homini Omniscientiam realiter communicatam asserimus: Cuicunque enim datus est Spiritus sine mensura, huic Omniscientia data est. Sed Christo homini datus est Spiritus non ad mensuram. Ergo data est illi etiam Omniscientia. Probatio minoris, Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.* Ad hoc argumentum, Bezanorum vidisses mutum forum, elinguem curiam. Ergo ter quaterque miseri, qui Christo homini tantam inscitiam, tamque impura labia confingunt, vt nec proprie loqui potuerit.

Isaia 15.

Colloq. Mompelg. p. 301.

Ioan. 3.

DE DIVINA RVRSVM CHRISTI sapientia & doctrina in disseminanda & confirmanda sacrosancti Euangelij sui doctrina: aduersus Huguosticorum errores, ordine 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

CAPVT XII.

DOCTOR.

NEque reformidant Authores vestri etiam plurimis modis suspectam reddere vniuersam doctrinam Euangelicam, quasi probabilibus tantum cöiecturis, durioribus metaphoris, & minus proprie quadrantibus similitudinibus duntaxat innixa esset; non autem satis solide per Christum eius Authorem confirmata. MIN. Nō solum commoueor animo tantam impietatem audiens, sed etiam toto corpore perhorresco: & ni te veridicum hominem in cunctis hactenus probassem, isthaec nunquam eos sensisse mihi persuaderem. Itaque singula accusationum istarum capita ordine recense. DOCT. Clarissimam in primis domini nostri ratiocinationem istam, Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, &c. huiusmodi notat Caluinus censura: *Memoria tenendum est, vulgo receptis prouerbiis ita vsum esse Christum, vt tantum essent probabiles coniecturae, non autem solide probarent.*

In c. 12. Mat. v. 25. & Luc. v. 17. c. 11.

Iactis huiusmodi impietatum suarū principiis; alibi saepe verba domini audacissime reprehendit, pronuncians responsa eius ad

A interrogationes sibi factas, non fuisse satis idoneas. MIN. Est ne possibile eum tam nefaria protulisse verba? DOCT. Ita mihi crede, idque sub finem primi capitis D. Ioannis, scribendo: *Caeterum, Christi responsio (ad Nathanaelem) videtur parum apposita.* Et in haec Christi ad Nicodemū verba, Amen, Amen dico tibi, Nisi quis renatus fuerit, &c. eundem Christum hac notat censura: *Longe petitus, & prope intempestiuus videtur hic sermo.* MIN. Hominibus quorum oculos excaecauit malitia, videntur parum apposita & intempestiua Christi verba, piis autem ac credentibus conuenientissima sunt.

In 1. c. Io. v. 48.

B DOCT. Proficiens in peius haeresiarcha, scribit rursum, Christū docendo vsum esse durioribus metaphoris, & similibus aequo longius petitis. Huius verba sunt: *Paulo quidem durior est metaphora, dum salem nominat quicquid salsum est.* Et idem alibi: *Dura, & longe petita videtur similitudo.* Et rursum postea: *Similitudo cribrandi non omni ex parte quadrat.* MIN. Vt video, Momus iste nihil non carpit, sed omnia Christi dicta factaque intolerabili arrogantia reprehendit.

In cap. 9. Mar. v. 49
In c. 16. & in c. 22. Luc.

DOCT. Responsionibus etiam eiusdem Christi obtrectans, de hac ad Pharisaeorum interrogata, Reddite quae sunt Caesaris, Caesari: & quae sunt Dei, Deo, in hunc modum
C censet: *Videtur quidem non quadrare partitio, quia proprie loquendo, dum officio defungimur erga homines, obsequium hoc Deo impendimus.* Ex quibus apud Hugnosticos sequitur, & Christum non fuisse proprie locutum, nec apposite suis hostibus respondisse.

In cap. 22. Mat. v. 21.

Quinetiam conclusiones, ex multis antecedentibus per Christum sapientissime & conuenientissime illatas reprehendens, de ista, Omnia ergo quaecunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis, ait rigidus iste Cato: *Superuacua est illatio, quemadmodum saepe in concisis sententiis particulae istae abundant.*

In cap. 7. Mat. v. 23.

D Nec eiusdem Aristarchi iudicio, satis firmiter diluebat, quae sibi obiiciebantur ab hostibus doctrinae suae. Scribit enim in hanc Christi responsionem, Omne regnum in se diuisum desolabitur, &c. *Calumniam sibi obiectam primum refutat prouerbiali sententia: videtur tamen parum solida esse refutatio.*

In cap. 12. Mat. v. 25.

Denique, cum Christus fortissima & inuictissima ratione probat se peccata ex animis remittere, eo quod à corporibus humanis quosuis morbos etiam lethales, & natura incurabiles sola voluntatis iussione depelleret, dicens Pharisaeis, *Vt sciatis quia Filius hominis*

hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, de Paralytico, Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam, magnus vester Apollo tale reddit oraculum: *videtur parum solide ratiocinari Christus, &c.* MIN. Sibi ergo suisque similibus, qui oculos mentis ac verum fidei Catholicæ lumen iamdudum amiserunt, istud videtur: non autem paruulis ac humilibus, quibus mysteria regni filii sui pater cœlestis reuelauit. Sed præstat nunc has impietates refellere.

In cap. 9. Matt. v. 5.

Cõfutatio 1. DOCT. Istud nunc efficiam tam generatim quam sigillatim: & primum per absurda, & turpia incõmoda, quæ ex his consequentur. Etenim conuellunt imprimis & labefactant præcipua Christianæ religionis fundamenta; quoniam nisi doctrina Christi firmissimis nitatur argumentis, non autem probabilibus coniecturis; si responsa eius non sunt apposita, similia dura & nimis longe petita: parum solidæ obiectorum refutationes: si denique inanes sunt eius consecutiones, ac infirmæ ratiocinationes, vt blasphemat Caluinus, nemo tam cõstanter volet credere, vt in defendenda religione ista sanguinem, & vitã alacriter profundat: nemo audebit cum omni fiducia salutem & remissionem peccatorum ab eo expectare: nemo curabit eundem toto corde amare, timere, inuocare, & tota mente sua venerari.

2. Rursum, si probabilibus tantum coniecturis, & non firmissimis probationibus doctrinam suam Christus asseruit, contendent Philosophi dogmata sua præ illa amplexanda & tenenda esse, quoniam hæc euidentissimis syllogismis & demonstrationibus cõfirmauerunt: sicque abrogato Euangelio, Socratis, Platonis, Aristotelis, & aliorum placita in Ecclesiis Christianis pro vera, indubitata, & salubri sapientia prædicanda & inculcanda erunt: quod plane est Christum abnegare.

3. Si responsa eius non fuerunt accommoda, si duræ metaphoræ, & superfluæ consequentiæ, vniuersi Epicurei, Libertini, Athei se vicisse gloriabuntur, & de cuncta religione Christiana triumphabunt, existimantes se optimo iure talem doctrinam irridere & aspernari, quæ imbecillis, incertis, & inanibus fundamentis innitatur.

4. Si non satis solide Euangelii aduersarios refutauit, succlamabunt Iudæi, iure se eundem nec audiuisse, nec admisisse vt verum Messiam, mundique Saluatorem: quod lex Mosis firmioribus testimoniis & assertionibus esset data, recepta, atque confirmata.

Vociferabunt Simoniani, Ebionitæ, Gnostici, Marcionitæ, Sabelliani, Manichæi, Arriani, & veteres omnes hæretici, sibi magnam factam iniuriam ab his, qui anathematibus & censuris eos perdiderunt, ob immutata quædam in doctrina Euangelica, quæ probabilioribus coniecturis certiora sibi viderentur. 5.

Bellum in Christum redintegrabunt Iulianus, Porphyrius, Lucianus, Peregrinus, Apuleius, Eunapius, aliique veteres apostatæ, iactantes se à religione Christiana merito defecisse, eo quod infirmis ratiocinationibus, duris metaphoris, & probabilibus tantum coniecturis esset innixa. 6.

Denique, huiusmodi per mundum dispersa semel & recepta doctrina Caluinica, de tam infirmis caducisque religionis nostræ fundamentis, omnis protinus cessabit in Christum pietas, omnis fides, omnis spes, & charitas euanescet, omnis interibit vermis conscientiæ, omnis tolletur horror gehennæ; nullus remanebit Dei metus, nulla Sacramenta curæ erunt, nulla peccatorum remissio, nulla demum salus hominum in pretio habebitur. Contra vero, omnium virtutum contemptus inualescet, omnis humanitas exulabit, omnis barbaries orietur, omnis immunditia vigebit, omnis denique Libertinismus & Atheismus statim irrepet in mentes & sensus hominum. MIN. Hæc omnia profecto longe certiora & veriora esse manifestant corruptissimi hominum mores, quos pii omnes deflent: quare à Caluinismo vt à præsentissima peste omnibus recedendum est. Sed vniuersam persequere impietatum istarum refutationem, idque ex sacris Prophetarum & Apostolorum oraculis. 7.

DOCT. Cum paulo supra ex eis ostenderim dominum nostrum nihil prorsus ignorasse, nihil improprie dixisse, imo eum omni diuina virtute & authoritate conciones suas Euangelicas habuisse; satis iam mihi effecisse videor, Responsa eius fuisse conuenientissima, similitudines & metaphoras aptissimas, & partitiones maxime consentaneas. Etenim si etiam inimici eius demirati sunt eloquentiam, graui contumelia afficit eum Caluinus, cum minus apte & proprie locutum comminiscitur. Si beatis Apostolis, Discipulis & Patribus tantam in dicendo venustatem, tantam in scribendo dignitatem, tantamque in concionando vim 8.

Matth. 7. Luc. 2. 4. 10.

Matth. 10. Luc. 10. Act. 1. 2. 3. &c.

vim spiritu suo largitus est; vt inuitis omni- A
bus & mundi huius sapientibus, & tyrannis, & persecutoribus, Euangelium fidemque Catholicam sparserint, confirmauerint, innumeris hominibus persuaserint: an non multo magis ipse horum magister & dominus doctrinam promulgauit omnibus modis absolutam & perfectam?

9. Si iuxta Dauidis oraculum, *Eloquia eius*
Psal. 11. 17. *fuerunt eloquia casta, & velut argentum igne examinatum, & terra purgatum septies:* Hugnosticus certe non parua caret culpa, quando eum criminatur vt ineptum, barbarum, impolitum, rudem, & incongruum.

10. Præterea, cum eiusdem domini nostri B
Psalm. 44. humana natura cunctis Spiritus sancti donis
Isa. 11. & gratiis præditus fuerit ab initio, vt ex Dauide, Isaia, Pauloque confirmauimus, proculdubio doctrinæ suæ probationes protulit solidissimas, consecutiones collegit manifestissimas, & aduersariorum confutationes efficacissimas: alioqui enim si qua esset in his culpa, in ipsum Spiritum sanctum redundaret.

11. Nonne etiam ab omni fide & ratione procul recedit, qui iudicat eum improprie ac inepte locutum, qui in se omnes thesauros sapientiæ & scientiæ reconditos habebat? Maximam rursum inferre ei iniu- C
riam, in quo secundum Apostolum, *Patri*
Coloss. 1. 2. *complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare*, quod doctrinam suam nec propriis loquendi formulis annunciare, nec partitionibus concinnis proponere, nec recte concludere, nec solide probare; sed neque hostium impetum sustinere aut satis constanter repellere potuerit? Eum qui deuicit, atque in triumphum egit peccatum, mortem, inferos, cacodæmones vniuersos, non potuisse disputando perexiguam ignorantium Pharisæorum & Scribarum turbam superare?

12. Certe, cum ipse Mosem vincendi magos D
Exod. 4. fecerit potentem; Heliam supra quadrin-
3. Reg. 18. gentos simul Baalistas regia Iezabelis au-
Actor. 7. thoritate munitos, virtute dicendi & agendi extulerit; Stephano protomartyri suo contulerit, vt multarum synagogarum præfectos & scholasticos piscibus magis mutos
Epiphan. redderet; Petro, vt Simonem omnibus ar-
Linus. tibus instructum è sublimi deturbaret; Pau-
Actor. 13. lo vt Elymam magum obcæcaret; insuper plurimos pseudoprophetas & pseudoapostolos aduersus dogmata sua insurgentes confunderet; eum inquam, qui tot tantaque per orbem per suos discipulos magnificentissime dixit, fecit, confirmauit, dicere nunc nec proprie loqui, nec recte concludere, nec apte ratiocinari, nec Grammaticæ regulis vti, nec solide sua probare, nec obiectiones sibi factas sufficienter dissoluere, extremæ est impietatis atq; blasphemiæ.

Ad hæc, cum ipse duodecim piscatorum 13.
turbam, totius huius mundi sapientum, oratorum, poetarum, victores effecerit; iisdemque cunctis gentibus res creditu difficillimas, vt quod Deus homo, virgo mater, Deus trinus & vnus esset, persuadere concesserit; insuper, in orbe hactenus receptam & vulgatam sapientiam, non nisi inanem stultitiam; deos tot seculis cultos, impurissimos dæmones esse demonstrare atque euincere fecerit: omni certe fide & constantia credendum est, multo magis eundem ipsum tanto præstitisse eloquio & sermone; vt parem nunquam vel habuerit, vel vnquam sit habiturus.

Insuper, idem solo verbo decumanos 14.
maris fluctus tranquillauit, Petrum discipu- Marc. 6.
lum pedibus illud secum calcare iussit; cæ- Matth. 14.
cis visum, surdis auditū, mutis sermonem, amentibus rationis vsum, leprosis munditiem, mortuis vitā præsentem restituit, dæmones abegit, peccata dimisit, & innumera alia miracula, videntibus Apostolis & turbis patrauit. Quanto igitur melius existimare debemus, eundem gloriæ ac numinis sui hostes eodem omnipotenti verbo omnibus modis & locis superasse? Nec est verisimile
illum, qui *Discipulis suis sensum aperuit vt in-* Luc. 24.
telligerent scripturas, quique antiquos Prophetas edocuit; tam tardi vel obtusi fuisse ingenii, vt nec recte sermones suos partiri, nec propriis loquendi formis efferre, nec denique obiectiones sibi oppositas solide refellere potuerit.

MIN. Sine me quæso, vnico Dilemmate 15.
ex superioribus confecto, totam hanc impietatum Caluinicarum molem subuertere atque confundere, Si dominus Iesus apte non respondebat, non loquebatur, nō probabat, non refellebat, non partiebatur, non colligebat, neque similitudines assumebat, hoc contigit, vel quia non poterat, vel quia cum posset nolebat. Si Hugnostici responderint, hoc factum esse, quia nō potuit; impie & scelerte in eius infinitam sapientiam, potestatem, & diuinitatem, quæ cum omni plenitudine in eius humanitate habitabat, erunt contumeliosi & blasphemi. Sin eum

potuisse quidem, sed noluisse responderint, A summam eius bonitatem, beneuolentiam, gratiam, charitatem, & misericordiam, quibus vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, summis ac intolerandis afficient iniuriis. Sequeretur enim eum data opera noluisse Euangelicam doctrinam suam, qua tota hominum fides salusque innititur, solide probare, eidemque obiecta apte refellere, vt omnem relinqueret de eius veritate dubitandi occasionem; & apostatis, perfidis, hæreticis, ac cunctis infidelibus aduersus eam insurgendi materiam: quæ omnia execrandæ sunt in Deum & Christum eius contumeliæ. Quocunque B igitur se referant, qui in verba Caluini iurarunt, aperti ac infesti diuinæ gloriæ hostes comperientur & apparebunt.

1. Tim. 2.

16\. DOCT. Hæc Catholica doctrina multo magis corroborabitur, & contrariæ refellentur hæreses, si animis propius attenderimus ad ea, quæ de maiestate ac efficacia verbi sui dominus reuelauit. Ait namque ad Ieremiam: *Ecce ego dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te super gentes & regna, vt euellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes.* Et paulo post: *Ego dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram, &c.* Quibus modis C aut mediis, quã virtute diuini verbi? Quod & postea confirmat his ad eundem Prophetam sermonibus: *Nonne verba mea sunt velut ignis, & tanquam malleus conterens petras?* MIN. Caluinus ergo maxima laborat insania, qui suas calumnias his obiicit ardoribus, & caput reprehensionum suarum, vt incudem huic malleo supponit.

Ierem. 1.

Ierem. 23.

17\. DOCT. Et per Isaiam de sermonis atque oris sui virtute rex Messias ait: *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladium acutum: & posuit me quasi sagittam electam.* Et postea: *Quomodo descendit imber & nix de cœlo,* D *& inebriat terram, & infundit eam, & eam germinare facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo. Non reuertetur ad me vacuũ, sed faciet quæcunq; volui, & prosperabitur in iis ad quæ misi illud.* Quod & Dauid abunde comprobat scribens: *Sagitta tua acuta in corda inimicorũ Regis.* Et ad instar inflatæ tubæ Paulus personat: *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsq; ad diuisionem animæ & spiritus, compagũ quoq; ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.*

Isa. 49.

Isa. 55.

Psal. 44.
Heb. 4.

MIN. Hominum profecto istorum audaciam simulque impudentiam nunquam desinam mirari. Plenis enim buccis suas vbiq; efflantes glorias, iactant se Euangelium per Europæ plurimas prouincias restituisse, & suis libellis ac concionibus repurgasse Ecclesiam, legitimam Sacramentorum administrationem reparasse, & solo verbo cunctos aduersarios suos profligasse, tam dextre sciteque verbum Dei, scilicet, tractando: interim vero adlatrant, Christum nimis frigide sua confirmasse proposita, duriores quam decebat metaphoras vsurpasse, superuacaneas conclusiones eduxisse, aliasque eidem inurunt maculas antea commemoratas. Quid autem ex his consequitur, quam quod supra Dominũ sese extollunt, & præcursores sese exhibent illius filii perditionis, qui seipsum efferet super id omne quod dicitur Deus? Ad alia pergamus. 18.

2. Thess. 2.

DE CASTISSIMIS AC INTEGERrimis moribus Christi Iesu, deque sanctissima & honestissima illius fama: aduersus 26. Hugnosticorum errorem.

CAPVT XIII.

DOCTOR.

Firmissimis ergo summam Christi domini nostri innocentiam, præclaramque famam argumentis tueamur; euincentes nihil vnquam aut in verbis, aut in cogitationibus, aut in operibus, aut denique corpore, corde, ac animo eius deprehensum esse, nisi purum, nisi castum, nisi pudens, nisi pudicum. MIN. Quid? Num eo vsque impudentiæ peruenerunt, vt alicuius turpitudinis, aut sinistræ opinionis notam sanctissimæ & castissimæ conuersationi eius inurerent? DOCT. Beza cuiusdam turpis flagitii Sanctum sanctorũ insimulans, ac suo impudicissimo pede metiens, scribit: *Mulieris in adulterio deprehensæ historiam sibi suspectæ fidei ac veritatis esse, quod Christus dicatur solus cũ sola fœmina remansisse.* Videlicet, quasi nemo vnquam vel corpore, vel saltem animo castus, solus etiam in sanctissimo templo, cum sola muliere loqui valeret. Caluinus quoq; turpia, obscœna, & horrenda contra illius summam castimoniam & illibatam famã alicubi protulit verba: quæ cum recito, toto pectore à te rogo domine IESV, mihi benignus ignoscas, & si quæ culpa sit illa tantum com-

Annot. in c. 8. Ioan.

commemoraſſe, impudentiſsimis Caluinianis imputes. *In cap.19. Mat.v.3.* Ait ergo hæreſiarcha: *Quod ſi Ieſus Chriſtus affirmatiue reſpondiſſet*, cum interrogaretur, An licet viro quacunque ex cauſa vxorem relinquere? *Iudæi eum iactabunt potius lenonem, quam Dei Prophetam, qui ſic virorũ libidini indulgeat.* MIN. Oportet ſane hominẽ illum omnium turpiſsimum & ſordidiſsimum fuiſſe, qui tam indigna & fœda de ſanctiſsimo Redemptore cogitauerit atque ſcripſerit. DOCT. Suſtine adhuc paulisper, & quemadmodum euici Bezam Caluinumque turpiſsimi & fœdiſsimi miniſterij ſuſpicione Chriſtum infamare, ſic & totam Hugnoſticam turbam eiſdem ſordibus eundem commaculare velle commonſtrabo. Quæſo enim à te, vt cunctorum Sectæ ſecretorum & arcanorum conſcio, cum de Chriſti domini corpore diſſerunt, an non illud per omnia noſtris par & ſimile eſſe contendunt? MIN. Vnicum duntaxat excipiunt peccatum, nihil aliud. Ad hocque confirmãdum aſſumunt quod de eo ſcriptum eſt, *Heb.2.4. 1.Cor.5.* *Debuit per omnia fratribus aſsimilari. Tentatum per omnia pro ſimilitudine abſq; peccato. Pro nobis peccatum fecit.* DOCT. Ergo in huius etiam carne ac humana ſubſtantia eum fomitem fuiſſe dicunt, qui cæteris Adæ filijs tantas libidinis faces, tantos luxuriæ pruritus, tot fœdas concupiſcentias, totq; turpes motus ſubminiſtrat: quod eſt puriſsimæ & ſanctiſſimæ illius caſtimoniæ plurimum detrahere. Docent enim antiquiſsimi Theologi hũc fomitem, ac carni noſtræ congenitam concupiſcentiam, in renatis proprie peccatum non eſſe, quando illi nõ aſſentitur libera hominis voluntas. *Aug.li.6. cont.Iul. Pelag.c.5. Li.de nupt. & conc.c.23.& ſer.6.de verb. Apoſt.* MIN. Certe perſpicuum eſt, Caluinum & gregales, hanc quoque membrorum legem, ſeu carnis concupiſcentiam aduerſus ſpiritum pugnantem (vt vocat Paulus) etiam à filio Dei cum carne noſtra coaſſumptam affirmare, cum nihil demant, quam peccatum: ſicq; Hugnoſticos non vno modo Chriſti caſtiſsimis moribus, & illibatæ famæ detrahere.

Cõfutatio 1.

Huic autẽ ſententiæ tantum abeſt vt ſubſcribam, vt potius eam exiſtimem omnium grauiſsimam eſſe aduerſus ſanctiſsimum Redemptorem mundi contumeliam: imo & longe atrociorem ea, quam conſpuentes in faciem eius, ac colaphis cædentes Iudæi, in eundem admiſerunt. *Mat.26. Luc.22. Marc.14.* Nam vt boni & innocentis hominis fama res eſt omnium auguſtiſsima & chariſsima; ſic econtrario teterrimis, & nefarijs impudicitiæ ſuſpicionibus A traduci, odioſiſsimum atq; moleſtiſsimum. Nec dubito Hugnoſticos iſtiuſmodi opprobrijs ſanctiſsimam innocentiam Domini Ieſu lacerantes & vexantes, grauius in eum peccare, quam Iudas, cum tradidit; quam Malchus, cum alapa maxillam eius percuſſit; quam Herodes, cum irriſit; quam Pilatus, cum morti adiudicauit; & quam miles, cum cruci eundem affixit. *Ioan.18. Luc.23. Ioan.19.* Etenim quicquid impietatis & acerbitatis aduerſus eum admiſerint, palam tamen cõfeſsi ſunt eum hominem ſanctiſsimum ac innocentiſsimũ eſſe, vt cum proditor palam in templo clamauit: *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum:* *Matt.27.* & Pi- B latus non ſemel profeſſus eſt, ſe nihil ſupplicio aut morte dignum in eodem comperiſſe. *Luc.23. Ioan.19.* Pro nefas! Sanctiſsimum mundi Seruatorem latrones reuerenter exorant, vt eorum memor ſit in regno ſuo; Centuriones Romani conteſtantur, eum non modo virum vere iuſtum, ſed & Dei filium fuiſſe; truculenti milites, qui in crucem egerant, redeuntes à ſpectaculo percutiunt pectora ſua ob peccata in eum admiſſa; quinetiam cacodæmones eius virtute è corporibus obſeſſorũ exuentes clamant, *Scimus te eſſe SANCTVM DEI:* *Marc.1. Luc.4.* Geneuani vero & Caluiniani miniſtri vociferant in roſtris, & chartis publicis mã- C dant, eum econtrario virum, *carne laſciuum, turpiſsimi lenocinij inſimulatum, adeoq; petulantem vt non ſit veriſimile eum in templo, publico ſanctoq; loco ſatis caſte, minus caſtam mulierculã alloqui potuiſſe.* *Dan.13.* Non metu exhorreſcit, non pudet, non trepidat ſemen iſtud Chanaan, de optimo & ſanctiſsimo parente proferre, *Si affirmet, iactabũt potius lenonem, quam Dei Prophetam, qui virorum libidini indulgeat.*

2.

Inſuper, accuſatus eſt ſeditionis, affectati regni, & prohibiti Cæſarei tributi: inſimulatus quoque fuit, quod iactaſſet ſe templum Dei manufactum deſtructurum, ſe filium Dei, æqualem Deo, & Chriſtum regem eſſe: *Luc.23. Ioan.2. Matt.11. Ioan.8.* D denique, quod eſſet potator vini, amicus Publicanorum, ſeductor, Samaritanus, & dæmonium habens: ſed execrandæ turpitudinis (cuius meminit Caluinus) ne minima quidem fuit vnquam ſuſpicio. DOCT. Certe adeo fœdis & execrandis notis Chriſtum ſignantes Miniſtri, oſtendunt ſaltem ſe toto cœlo ab illa recedere modeſtia, pudicitia, & continentia, quam etiam in ſermonibus Chriſtianorum relucere iubent Apoſtoli, ſcribentes: *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: Fornicatio, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis: Deponite turpem ſer-* *Epheſ.4. Epheſ.5. Coloſ.3. 1.Pet.4.*

 monem

monem de ore vestro. Si quis loquitur, quasi sermones Dei, &c.

3. DOCT. Sed respondebunt discipuli Caluiniani, hoc non esse pronunciatum ex mẽte præceptoris sui, sed duntaxat Iudæorum ita opinantium. MIN. Ad hoc ego. Quibus apertis scripturis id euincunt? Nam plurimis eum probris & maledictis Iudæos proscidisse diligenti narratione referunt Euangelistæ, sed nunquam huius turpitudinis meminerunt. Solus ergo Caluinus hanc ignominiæ notam illi affingit. Nec crimen eius imminuere potest conditionalis particula, *si affirmet*, quasi negans; quoniam & Christus affirmauit hominem fornicationis causa posse relinquere vxorem, saltem quo ad thorum, vt docent Orthodoxi: & Geneuanis institutis omnino permissum sit sempiternum multis alijs de causis diuortium. Hi ergo cum suæ reformationis Authore defendentes Dominum Iesum affirmante responso diuortium concessisse, sese execranda onerant iniuria, quam Iudæis conabantur arrogare.

4. DOCT. Scite profecto & acute. Sed velim vt si quid habeas ex Caluino, quod Caluinianam maledicentiam refellat; Christi vero summam corporis & animi puritatem, castimoniam, & innocentiam afferat, in medium etiam proferas, vt nequam seruus suo se ore diiudicet & reprobet. MIN. Impietatem suam superiorem manifeste satis coarguit, dicens: *Quemadmodum oportuit Christum esse verum hominem, vt peccata nostra expiaret, mortem ac Satanam vinceret in carne nostra: ita necesse fuit vt alios purgaret, immunem esse ab omni immunditie & macula. Quamuis ergo ex semine Abrahæ genitus sit Christus: nihil tamen contagii ex vitiosa natura contraxit: quoniam ab ipsa origine purum eum seruauit Dei Spiritus.* DOCT. Vnde ergo in carne eius fomes, omnium peccatorum illecebra? Vnde lenocinij suspicio? Aut libidinis alienæ indulgentia?

In c. 1. Luc. v. 35.

5. MIN. Patere me adhuc dicentem. Idem Caluinus rursum Christi perfectam in carne innocentiam prædicans ait: *Christus nobiscum communem sensum habuit, non autem appetitus incompositos.* Et alibi: *In Christo non solum viguit naturæ integritas, sed absolutum iustitiæ exemplar.* Et iterum: *Christus mansit compositum ad verã temperantiæ regulam. Et cum esset integer, purusq́ ab omni labe, puri ac liquidi ab eo fluxerunt affectus.* DOCT. Vanissimus igitur & fallacissimus est Bezæ metus, quo historiam mulieris adulteræ nolle admittere se fingit, ne Christus dicatur solus in templo cum illa remansisse, cum aliquo, scilicet, famę atq; castimoniæ suæ dispendio. Omnium quoq; turpissimus & sordidissimus Caluinus, fœdissimę voluptatis ministerium ei affingens. Nequissimi denique ac impurissimi eiusdem sectæ Ministri, qui hæc probra & dedecora suauissime legunt & amplectuntur; non autem diligenter detestantur, totoque pectore deprecantur.

In cap. 4. Matt. v. 8. In c. 6. Luc. v. 8. In cap. 26. Matt.

MIN. Ego vt potui, hactenus aduersus hanc Caluinicam impietatem disserui: tu quæ in eam parasti, nunc proferto. DOCT. 6.
Quoties in scriptis Prophetarum & Apostolorum de Christi perfecta sanctitate ac innocentia à Spiritu sancto disputatur, toties confirmatur quod nec vnquam peccauit, nec in minimo quoque peccare potuerit: tantum abest, vt vel Bezæ suspecta debuerit esse illius castimonia, vel turpi ministerio eũ Caluinus iure traducere potuerit. Dicitur autem Christus à Daniele, *Sanctus sanctorum*: ab Isaia, *Sanctus Israelis, Dominus sanctus, Redẽptor sanctus noster, sanctum brachium Domini*: à Ieremia, *Dominus iustus noster*: à Dauide, *Sanctus quem Deus mirificauit, sanctum nunquam corrumpendum, sanctus Israelis, sanctus rex noster, sanctus dominus, &c.* Eius tantummodo consideratione & typo templum dictum est sanctum, arca testimonij sancta, altaria sancta, sacrificia sancta, Nazaræi Prophetæ & Sacerdotes sancti. Angeli quoque sanctitatem eius prædicantes aiunt: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Quod in Maria cõceptum est, de Spiritu sancto est. Spiritus sanctus in specie columbæ descendit in ipsum: Iesus plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane. Spiritus sanctus non est datus ad mensuram, &c.* Manifestum est enim, quod cum tam multiplici & copiosa Spiritus sancti abundantia, nec peccatũ, nec fomes peccati vnquam esse potuerit.

Dan. 9. Isa. 1. 10. 43. 52. Psal. 4. 15. 77. 88. 98. Luc. 1. Mat. 1. Mat. 3. Luc. 3. Ioan. 1. 3.

Quid? An non eximia puritatis ac innocẽtiæ suæ fiducia, hostibus vt victor exultans & triumphans dicit; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Sed & Paulus innocentiæ Dominicæ eximius assertor ait: *Decebat vt nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* Et postea: *Semetipsum obtulit immaculatum Deo.* Petrus deniq; ait: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* 7.

Ioan. 8. Heb. 7. Heb. 9. 1. Pet. 2.

MIN. Non dubito in hanc rem Scripturas te posse proferre innumeras, ideo his prætermissis veterum duntaxat Theologorum adhibe censuram. DOCT. Magnus ille Areo- 8.

L. cælest. hierar. c. 3. Ire. l. 3. c. 5.

Areopagites docet, Oportere nos vitam diuinam Christi in carne intueri, & sanctam eius impeccantiam pro viribus imitari. Irenæus Martyr scripsit, Christum non potuisse mentiri, eo quod esset ipsa veritas: igitur à simili, nec potuit illam iniquitatem admittere, quod fuerit ipsa iustitia. Vir Apostolicorũ temporum Tertul. ait: Soli Dei filio seruatũ, vt sine vllo peccato permaneret. Dionysius Alexandrinus, & Athanasius ex hoc Christi diuinitatem confirmant, quod nisi fuisset Deus, non fuisset alienus à peccandi potestate. Nazianzenus contendit, Voluntatem humanam Christi ita fuisse deificatam per vnionem ad Verbum, vt non potuerit peccando diuinæ legi, repugnare. Hilarius censet, Ita repugnare Christo peccatum, sicut repugnat Christum non esse Christum. Cyrillus Alexandrinus vocat Christum, Incapacem peccati. Idemq; docet, Eius animam per vnionem ad Verbum factam esse superiorem omni peccato.

L. præscrip. Ser. 2. cont Arrian.

Ora. 36.

Lib. 10. de Tri. Dial. 6. & li. de fide ad Theodos.

9. MIN. Vnius tantum Augustini sententiã nunc exquiro. DOCT. Docet naturam hominis à Deo ita susceptam fuisse, vt nullum in se motum malæ voluntatis admitteret. Et adhuc apertius idem scribit: Christus non ob aliud factus est inter Deum & homines mediator, nisi quia ex hominibus non potuit esse peccator. Et rursum: Mente conspicio Christi iustitiam, in cuius non tantum Diuinitate, sed neq; in anima, neq; in carne, vllum potuit esse peccatum. Rursumque idem ait libro primo de Prædestinatione Sanctorum, cap. 15. Nunquid metuendum fuit, ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato seruire non poterat? Idem & in Enchiridio, cap. 30. scribit, Per gratiam vnionis factum esse, vt Christus homo nullum posset habere peccatum. Et capite 40. eiusdem libri docet, In naturæ humanæ susceptione, factam esse illi homini gratiam quodammodo naturalem, quæ nullum peccatum posset admittere. Hæc Augustinus: ex quibus vides nec peccatum vllum quamuis leuissimum, sed neq; malæ voluntatis motum in Christo stare potuisse: tum propter intimam cum Verbo coniunctionem; tum propter summam, quæ ab instanti conceptionis suæ eidem collata est, iustitiam & gratiam; tũ deniq; vt idoneus esset inter Deum & homines mediator. Quibus si addas, eundem beatifica Dei visione, perfectaq; fruitione (vt supra probauimus) omnino fœlicem & beatum fuisse etiam ab initio, firmissimas habebis rationes, cur nec peccauerit, nec peccare potuerit.

L. de corre. & gr. c. 11. Li. 1. contra duas ep. Pelagianorum. Li. 2. de pec. merit. c. 11.

10 MIN. Recte sane: sed de fomite, id est, inclinatione appetitus sensitiui, etiam ad id quod est contra rectam rationem, concupiscendum, quid ais? DOCT. Cum tot Scripturarum, & diuinorum Patrum testimonijs effecerimus, non modo vniuersa Spiritus sancti dona in eum effusa esse; verum & totam plenitudinem diuinitatis in eodem habitasse etiam (vt Apostolus loquitur) corporaliter; certissimum est ab eo homine exclusam fuisse omnem inclinationem ad peccandum, quæ nomine Fomitis designatur.

Colos. 1. 2

Accedit, quod cum Fomes ille, ex quo tot noxij & impuri affectus erumpunt in nobis, infixus maneat ob peccatum originis: Christus autem conceptus de Spiritu sancto ex Maria Virgine, id peccatum non contraxerit: planum est hunc Fomitem in eo non fuisse. Adhæc, cum Apostolus doceat Christũ venisse, vt nos liberaret à lege peccati, & fomitis, oportuit certe vt hac non teneretur; sed omnino liber, impollutus, & segregatus à peccatoribus semper existeret.

Rom. 7. Galat. 3. Heb. 7.

MIN. Censueruntne veteres Theologi Christum omni sensu libidinis, carnisq; aduersus spiritum concupiscentia caruisse? 11.
DOCT. Si non fuit Fomes, vti nunc diximus, nec fuit vlla vnquam lasciuientis carnis in eo rebellio: atq; hoc sensu Cyprianus scripsit, Christum caruisse sensu, & consensu peccati. Et Leo Magnus ait: Animam eius nihil carnis suæ habuisse aduersum, nec discordiæ desideriorum gignebant compugnantiam voluntatum. Sensus corporis vigebant sine lege peccati: & veritas affectionum, sub moderamine Deitatis & mentis.
MINIST. Augustini sententiam præ cunctis exquiro. DOCT. Ille docet proprium fuisse Christo, non sentire repugnantiam carnis, aut concupiscentiæ. Rursum, constanter adfirmat, In eodem nequaquam extitisse illam carnis & spiritus pugnam, quam describit Apostolus, Rom. 7. & Galat. 5. Idem deniq; lib. 4. Hypognosticum, coarguit Pelagianos, quod contrarium sentirent atq; docerent. MIN. Hæc satis sint de propositis rebus: alias perquiramus.

Serm. de ieiu. & tent. Dom. Ep 11.

L. 1. cont. duas Epist. Pelag. L. 2. de pecc. merit. c. 29. L. de corre. & grat. c. 11.

CHRI-

CHRISTVM NOBIS CLARISSIMA ET *optima sobrietatis ac temperantiæ exempla ieiunando reliquisse: aduersus errorem 27.*

CAPVT XIV.

DOCTOR.

IMpie quoque vestri suadere nituntur, Dominum nostrum nullam in cibo & potu obseruasse moderationem atque abstinentiam, vt nobis temperantiæ ac ieiuniorum exemplũ relinqueret. Iani vestri verba sunt ista: *Neq; enim à cibo & potu abstinuit Christus, vt temperantiæ documentũ ederet.* Tum sua persequens consilia, hanc domini sententiam, *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum feci, ita & vos faciatis*, contendit, *Non omnia eius facta promiscue ad imitationem trahi conuenire*: quorum vnũ hoc producit, nimirum, Quadragesimale ieiunium; adeo vniuersam horret abstinentiam. Deinde, vt fert Ministrorum consueta modestia, varias effundit iniurias in eos, qui aliter docent ac viuunt, eos appellando *Papistas, peruersos æmulatores, simias magis quam imitatores, qui omnia Christi membra crudeliter lacerant, adeoq; in faciem ipsius Christi conspuunt.* MIN. Hic aceruus iniuriarum caussam eius magis suspectam & ingratam, quã meliorem reddit. Sed omnia Domini facta visne promiscue imitanda esse?

In cap. 4. Mat. v. 1. Ioan. 13. In c. 13. Io. v. 14. 15.

DOCT. Minime. Quædam enim adeo diuina, & captum humanum exuperantia sunt, vtpote mortuos propria potestate in vitam reuocare; siccis firmisq; vestigijs super aquas ambulare, quadraginta dies & noctes omni cibo & potu carere, &c. vt potius miranda sint, quam imitanda. Alia vero quæ facultates humanas non excedunt, vtpote instanter orare, vigilare, caste, temperanterque viuere, inimicos diligere, benefacere his qui oderunt nos, singulis diebus semel tantum & id temperantissime cibum sumere: in quibus maxime decet oues pijssimum pastorem, & filios humanissimum patrem imitari, & vera viuaque membra capiti suo esse conformia. Et hanc ob rem sustineo superiora Caluini verba de imitando Christi temperantiæ & abstinentiæ exemplo, esse plane erronea, iniqua, & impia.

Confutatio I.

MIN. Nolim etiam ego ea defendere, minus prædicare. Id enim non solum habenas ad omnem intemperantiam laxaret, sed etiam velut admotis stimulis, homines plus satis ad vitia procliuiores ad omnem incontinentiam, insolentiam, gulam, ebrietatem, & peccandi licentiam concitaret. Cum enim audirent Ministros in concionibus declamantes: Dominus non ieiunauit, vt nos ieiunemus; non abstinuit à cibo & potu, vt temperantiæ exemplum nobis relinqueret; bene & nauiter impudentes discederent cãtilantes cum Libertinis & Epicureis, *Edamus ergo & bibamus, cras enim moriemur. Vino pretioso & vnguentis nos repleamus, coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, &c.* His autem modis, loco Christianismi, turpissimus vigebit Epicureismus; loco modestiæ, effrenate impudentia; loco continentiæ, dissoluta luxuria; loco ieiunij, profunda gula; loco abstinentiæ & sobrietatis, omnis licentia carnis. Cui vero ista deberemus nisi Caluino, prohibenti Christianos Iesu Christi temperantiam imitari.

Sap. 2.

Denique, quicquid garriat, mihi videtur omnem Christianum debere toto animo amplecti summi pastoris & parentis sui præceptum, simul & vtilissimam & clarissimam adhortationem: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum feci, ita & vos faciatis.* Nam vt sanctissime subditur, *Non est seruus maior domino suo, neque Apostolus maior eo, qui misit illum.* Nam hic, hic verus & summus est Doctor, quem Pater cœlestis iubet audiri. Hic typus eximius, hic exemplar nobilissimum, quod vniuersis ad imitandum proposuit, vt etiam idem Caluinus tandem his verbis cõfitetur. *Nobis Christi exemplum sit pro lege, nec quicquam putemus vtilius esse factu, quam quod eũ fecisse legimus.* Alibi quoq; scribit: *Iugum Christi non fore molestum, vbi suo exemplo ad mansuetudinem & humilitatẽ assuefacti erimus.* DOCT. Cur ergo tot tantasq; euomunt iniurias, & conspuunt in faciem eorum, qui eius exemplo accensi temperanter viuunt: certis diebus abstinent à carnibus, & Quadragesimale seruant ieiunium? An non potius illi, quam Catholici, pro Christi manifestis hostibus sunt habendi, qui ieiuniorum eius exemplum pro lege habendum esse nolunt? Vociferantur inutile, imo & superstitiosum esse factu, quod ipsum abstinendo fecisse legimus? Quid eis superest, quam quod ad mansuetudinem & humilitatem Christi exemplo assuefieri cõtumaciter ideo recusant, vt gulæ & superbiæ suæ inseruiant?

2. Ioan. 13. Matt. 13. 17. In cap. 2. Io. v. 11. In cap. 11. Mat. v. 29.

MIN. Semetipsum rursus fortioribus ac proprijs implicans laqueis, ac damnans iudicijs scribit: *Paulus nõ simpliciter dixit, Electos prædestinatos esse, vt cõformes sint Christo, sed imagini Christi,*

3. In cap. 8. Rom. v. 29.

Christi, vt doceret vnum & conspicuum exemplar A *extare in Christo, quod omnibus Dei filiis ad imitationem proponitur.* Hoc ipsum etiam scripturis confirmat alibi, dicens hæc Pauli verba, *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi: Filios patri similes esse oportet: admonet autem Apostolus nos esse filios Dei: debemus ergo nos ipsum, quantum in nobis est, beneficentia referre. Idē facit de Christo: nam is est verum nostrum exemplar.* Reiq; veritate coactus, ac Pauli verbis cõuictus, iterum alibi confitetur, *eundem Apostolũ, & se, & alios, ad Christum tanquam vnicum recte agendi exemplar, reuocare.* An non ex his aperte conficitur, Christum ab omnibus Christianis pro virili in piissimæ conuersationis suæ B exemplis imitandum esse, velut cõspicuum exemplar nobis à Deo Patre propositum.

In ca. 5. Ephes. v. 1.

In c. 11. pri. Cor. v. 1.

4. DOCT. Sed his omissis, Christum potius ad humilitatis, tolerantiæ, omnisq; téperantiæ suæ imitanda exempla nos admonẽtem exaudiamus. Ait enim: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suã, & sequatur me. Qui voluerit animã suam saluam facere, perdet eam: & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* MIN. Certe tam manifesta est ista Christi ad imitandũ se adhortatio, vt veritatis virtute superatus Caluin.[a], & superiorem impietatem suam damnet, & Christi exempla sectanda esse cõfiteatur his C verbis: *Ad imitationem inuitat singula corporis sui membra. Sensus est, non posse censeri Christi discipulos, nisi qui veri sunt eius imitatores, ac in eodem currere stadio parati.* Itaque nõ sunt peruersi æmulatores, non sunt stulti ludiones, non sunt simiæ, non sunt in Christum contumeliosi, non impium & detestabile Christi ludibrium instituunt, non singulare miraculum eius obscurat, non deniq; eius spolijs se vestiunt, vt alibi inflatis buccis ille cõcrepat, qui ad eius imitationem abstinent, orãt, & renunciantes proprio ingenio voluntarie ieiunant, & omnibus carnis affectib. valere iussis, spontaneam hanc crucem tolerant. D

Matt. 16. Marc. 8. Luc 9.

In cap. 16. Mat. v. 24

In cap. 4. Mat. v. 1.

5. DOCT. Hoc idem beatissimi Apostoli & verbis & rebus satis confirmant, velut cum Petrus scribit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplũ vt sequamini vestigia eius.* Et Paulus: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Et iterum: *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi.* Iterumque: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu.* Et Ioannes dilectus discipulus inquit: *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Cum itaque principes Apostolorum iubeant domini nostri exempla sequenda, pressisque quantum humana feret imbecillitas, vestigijs eidem insistendum esse; pro certo sentiendum atque credendum est, illum sua nobis abnegatione, humilitate, abstinentia, temperantia, ieiunio, & reliquis virtutibus præluxisse, vt has imitemur.

1. Pet. 2. 1. Cor. 4. 11. Ephes. 5.

1. Ioan. 2.

MIN. Hoc quidem certum & manifestũ. 6.
Sed quid respõdes ad id quod illos appellat simias, peruersosq; æmulatores, qui Christi temperantiam & ieiunia pro viribus imitantur? DOCT. Aio constanter eũ esse in Christum, Apostolos, & totum sanctorum Patrũ, qui hos imitati sunt, chorum, maxime contumeliosum. Nam ex hoc consequeretur vnicum Dei filium nihil à se agendo, *nisi quod prius viderit Patrem suum facientem*, eiusdẽ simiam ac peruersum fuisse imitatorem: eademq; ludicra docuisse quãdo ait: *Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est.* Simia & peruersus æmulator Paulus esset vniuersos verbo & exemplo prouocans ad Christi imitationem. Simiæ ac peruersi æmulatores Petrus, Andreas, Philippus, Simeon aliiq; innumeri, qui ad imitationem domini, crucis patibulum alacres subierunt. Simiæ ac peruersi æmulatores, quatuor Euangelistæ, septuaginta duo Discipuli, viri Apostolici, Pastores & Doctores Ecclesiæ, qui Dominica imitatione Euangeliũ prædicauerunt, baptizauerunt, volũtariam paupertatẽ, castimoniam, patientiam, omniumq; virtutum officia docuerunt & seruauerunt: & in cunctis operibus ac verbis suis exemplar illud cœleste quantum in se fuit, sunt imitati.

Ioan. 5.

Luca 6.

MIN. Vt hanc disputationem absoluam[a], 7.
ex te intelligere cupio, An Veteres omnes docuerint Christum, quadraginta diebus ac noctibus ieiunasse, vt similis ieiunij abstinẽtiæ cunctis membris & ouibus suis exemplũ relinqueret. DOCT. Quoniam scio te Augustini doctrina & pietate præ cæteris plurimum delectari, ab eodem sumam exordiũ. Is constanter asseuerat, Ieiunium istud præceptum esse, eo quod exemplum testimoniumque habeat à Lege per Mosem, à Prophetis per Heliam, & ab Euangelio per quadragesimale Christi Domini nostri ieiuniũ. Non quidem vt totos quadraginta dies ab omni cibo & alimento abstineamus (quemadmodum quosdam etiam suo tempore mirabiliter abstinuisse idem refert:) sed vt quantũ possumus, illos religiose imitemur, horumque pietati pro viribus propinquemus. Rursumque scribit: Dies quadragesimæ abstinentiæ ac ieiunio dedicatos, tãtum nobis ad virtu-

Com. in Ps. 110. Epi. 86. ad Casulanũ. Ep. 119. c. 15

Serm. 64. de temp.

virtutem animi conferre, quantum & de corpore voluptatem decerpunt. Explicatoque Mosis, Heliæ, & Christi ieiunio, subijcit: Merito etiam nos hunc dierum numerum custodire debemus ieiunijs, quem per talia exempla legimus consecratum. Ambrosius, qui hunc in Christo genuerat, docet Christum quadraginta dieb⁹ ieiunasse, vt eo numero consummaret hominis qui perierat, perfectionem. Et multis sermonibus astruit, quadragesimali ieiunio cunctis nobis properandum & perueniendum esse ad cælum, sicut Hebræi ductore Moyse, quadraginta mansionibus Israelem in terrā sanctam perduxit. Hieronymus æqualis superioribus, scriptum reliquit, dominum ieiunasse quadraginta dies, vt hæreditatem nobis ieiunij derelinquens, ad esum corporis sui sub hoc numero nostras animas præpararet. Alibi rursum, plurimis exemplis ac sacris testimonijs euincens, numerum quadragenariū varijs Dei mysterijs & iudicijs consecratum fuisse; suadet, vt per huiusmodi labores & angustias enitamur intrare in sanctuarium domini. His omnibus superior Cypr. Martyr, multis hinc inde sententijs & exemplis idem confirmat. Tertullianus eo adhuc antiquior, integrum librum edidit de ieiunio aduersus Psychicos, In quo innumeris argumētis probat illud à Domino verbis & exēplis sancitum esse, velut remedium offensarum, sacrificium Deo gratissimū, dæmonibus terribile, & pijs homin:b⁹ saluberrimū.

Com. in Ps. 40. *Ser. 23 & 24. de Quadrag.* *Com. in c. 3. Ionæ.* *Com. in 41. c. Ezech.* *Ser. de ieiu. & tit. Do.*

MIN. His quinque Patribus Latinis tot Græcos adijcias, & mihi factū satis putabo. DOCT. Chrysostomus non semel auream effundit eloquentiam, vt auditoribus suis persuadeat quadragesimale ieiunium velut Dominicam imitationem obseruādum. Basilius Magnus scribit, Nullam tum fuisse in orbe gentem, nullam prouinciam, nullam maris insulam, vbi sacra quadragesima non prædicaretur & seruaretur, Orige. vero ait: Habemus quadragesimæ dies ieiunijs consecratos. Habemus quartam & sextam septimanæ feriam quibus solemniter ieiunamus. Eusebius in Chronico, etiam obseruationis quadragesimæ meminit, ad annum domini 136. sub Adriano Imper. Ignatius Martyr & Ioannis Euangelistæ discipulus, & Clemens Petri auditor & successor, idem ieiunium commendant, vt traditionem Apostolicam, insuper, & imitationem conuersationis Dominicæ. Atque de his iam ne tibi satis esse factum reputas? MIN. Quod promiseras soluisti: iam iamque satis conspicio Caluinismum non modo turpissimam esse à veteri Ecclesia apostasiam, sed & manifestum continere cōtemptum Domini Iesu: quem toto pectore rogo & obsecro, vt me ab omni errore expediat, & in viam ouium suarum propitiatus reducat. De alijs disseramus.

Hom. 1. de ieiunio. *Hom. 10. in Leuit.* *Ep. ad Phi. Li. cō. Apo.*

DE POTESTATE AC SVMMA PRVdentia Domini nostri in colligendis duodecim Apostolis suis: contra errem 28.

CAPVT XV.

DOCTOR.

VEster rursum author atrocissimis probris ac contumelijs non solum vnigenitum Dei Filium, sed & cū eo sanctum duodecim Apostolorum eius senatum aggreditur, scribens: *Christus discipulos non nisi ex fæce populi, & quisquilijs sibi colligere potuit, quod primo aspectu Euangelii gloriam valde obscurat, imo deformat.* Audisti porro supra Caluinū multis cum iniurijs lacessere & reprobare Potentiam Dei absolutam; & id existimare omnino impossibile esse Deo quod nūquam extitit, aut aliquando non est futurum: iudicant ergo Hugnostici Christum nulla potestate sua aliter facere potuisse, quam ex sordibus sentinaq; mundi Apostolos seligere.

In c. 7. Lu v. 29. *Pag. 89. 90. 91. &c.*

1. MIN. Si scripsisset Christum nec voluisse nec decuisse aliunde Apostolos colligere, vt non gloriaretur vlla mundi potentia vel sapientia in conspectu Dei, sententiam eius comprobarem: sed cum hoc ad quandam illius quam fingit, impotentiam ac imbecillitatem Caluinus refert, iudico illum & in Deum Patrem, & in Filium eius esse impiū atque contumeliosum: quandoquidem vtrunque potissima sui maiestate & gloria quantum in ipso est, spoliat; videlicet infinita potestate & virtute, qua omnia possunt in cœlo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Nec alijs argumentis hic opus esse mihi videtur, ab illis, quibus superioribus disputationibus diuinam Omnipotētiam aduersus omnes Hugnosticas exceptiones defendimus, ad conuincendos eos de sceleratissimo totius mundi atheismo.

Confut.

2. Puto etiam ipsum Satanam tam execrabilem exhorrere blasphemiam, quippe qui satis aperte confessus est, eum si esset Fili⁹ Dei, posse dicere & facere, vt lapides fierent panes. Quid v. difficilius ei, aut speciem vnam

Matt. 4. Luc. 4.

in

in aliam commutare, aut virum doctum ac nobilem in suum cōsortium & famulatum asciscere? Et qui olim summos ac præstantes in seculo viros Abraham, Isaac, Iacob, Melchisedec, Iob, Moysem, Dauidem, Salomonem, Danielem, Isaiam, in sortem ministerij diuini vocauerat, non potuisse ad Euangelizandum tantundem præstare?

3. Certe, cum Pater omnia dedisset ei in manu, adeoque potestatem vt & mortuos viuificaret, & de toto mundo iudicium faceret, sane potuisset si voluisset & decuisset, excellentes Philosophos Pythagoram, Socratē, Platonem, Aristotelem in Apostolos seligere. Potuisset Thaletem, Solonē, Periandrū, Cleobulum, Chilonem, Biantem, Pittacum septem Græciæ sapientes, discipulos dictoq; audientes habere. Potuisset præstantissimos historicos Liuium, Plutarchum, Tacitum, Diodorum, Suetonium, in Euāgelistas suos assumere. Potuisset Demosthenem, Isocratem, Xenophōtem, Tullium, Salustium nobilissimos oratores, Euangelij sui piissimos concionatores reddere. Potuisset Alexandrum, Cæsarem, Pompeium, Augustū, Tiberium, Herodem, Pilatum, ad se cōuersos, doctrinæ Christianæ præcones efficere, &c.

Ioan.5.13. Luc.11. Mat.11.28

4. An non quoque is, qui Moysis ministerio Pharaonem edomuit, ad pedes Danielis Nabuchodonosorem superbissimum imperatorem difiecit, Iaddi Pontificis vestigijs Alexandrum supposuit, Attilam Leoni Papæ obaudire coegit; qui denique Ionæ sui Prophetæ concionibus Regem Niniues cum vniuersis ciuibus ad pœnitentiam perduxit; eodem quoq; modo potuisset totius huius mundi sapientes ac nobiles in filij sui incarnati scholam, disciplinam, & obsequium pertrahere? In munere Apostolico subeūdo exercere? Voluntati eius quis resistit? An nō potentissimus & sapientissimus figulus est, qui ex eadē massa terræ potest facere aliud vas in honorem, & aliud in contumeliā? De vasis iræ, efficere vasa gratiæ atque gloriæ?

Rom.9. Ierem.18.

5. DOCT. Hæc verissima & certissima sunt, quandoquidem docet Euangelium, Deum omnipotentem de lapidibus posse facere filios Abrahæ: & de impijs ac incredulis, iustos, fideles ac sanctos. Insuper verbis & exemplis scriptura cōfirmat, corda Regum ita esse in manu Dei, vt ea flectat & reflectat quocunque voluerit. Nam & Sauli impiissimo tyranno spiritum propheticum præter omnium hominum expectationem subito inspirauit: effecitque, vt qui paulo ante in aula insanierat: mox cum prophetis Deum Israelis celebraret. Et qui potuit tam mirabili mutatione vnius Regis animam cōuertere, non æque potuisset omnium aliorum? Qui Saulum persecutorem crudelissimum, adeoq; lupum rapacissimum, breui tempore commutauit in Apostolum, doctoremq; excellentissimum vniuersarum gentium, nō potuit reliquos hostes Ecclesiæ suæ quātumuis illustres ac nobiles simili opera conuertere? MIN. Quisquis diuinam potentiam istud superare aut fugere affirmauerit, is mihi plane impius & blasphemus erit.

Matth.3. Prou.21. 1.Reg.10. Act.9.

DOCT. Sed attende propius Caluinicam superbiam. Ioannem & Iacobum cognitos domini secundum carnem, nobili ac regio Dauidis & Salomonis sanguine cretos, populi fæcem & illuuiem appellat. Paulum semen Abrahæ, Gamalielis auditorem, ciuem Romanum, vas electionis; Et Petrū (quem alias *Primum & præstantissimum Apostolorum fateri cōpellitur*) censet esse immunditias, sordes, quisquilias, & fæces mundi. MIN. Hos certe nimium deijcit & conculcat, quos Dauid appellauit Principes constitutos super omnem terram: quos D. Iesus vocat, lucem mundi, sal terræ, amicos & fratres suos; quibusque repromisit in regeneratione duodecim thronos, vt ex his secum dijudicēt duodecim tribus Israel. Sed quid? Ita cōsuetum est Caluinianis vniuersum ordinem Ecclesiasticum, insuper & nobilium hominum omnes gradus sic iniurijs vrgere, vt nec beatissimis parcant Apostolis, istiusmodi in eos euomendo inclusum pectore venenum. 6.

In cap.10. Matt. v.2. Psal.44. Matt.5. Ioan.20. Matt.19.

DOCT. Animaduerte etiam, dominum nostrum æque potuisse Ioseph nobilem Decurionem, Nicodemum principem & magistrum in Israel, Centurionem, cuius puerum à paralysi curauit, Regulum Capernaiticum, ac illustrissimum Lazarum, innumerosque alios viros nobiles, summo & claro loco natos, ad dignitatē munusq; Apostolicum eligere ac vocare, atq; ad illud asciuit Iudam proditorē: præsertim cum etiam illorum fides ac pietas, huius qualemcunque toto cœlo superauerit. MIN. Equidē certe Paulus scribit, eum infirma & contemptibilia mundi elegisse, vt fortia cōfunderet: sed nunquam scripsit, aut cogitauit Christū non potuisse alios eligere: nunquam Apostolos appellauit fæces aut quisquilias mūdi, nunquam cum inquinamētis terræ eos cōparauit: sed ecōtrario, cū de his loquitur, honorificis titulis appellat eos, Ministros Christi, 7.

Ioan 3.19. Matt.8. Ioan.4. Ioan.11. 1.Cor.1.

2. Cor. 5. Galat. 2. Dispensatores mysteriorum eius, Dei legatos, columnas Ecclesiæ, Apostolos Ecclesiarum, & in opere domini suos cooperatores. Quapropter vt hanc disputationem claudamus, & in Christum, & in Apostolos eius iniuriosus est Caluinus scribens, eum non nisi fæces & quisquilias populi potuisse colligere.

QVOD CHRISTVS NON VNO TANtum modo, sed plurimis, iisdemque efficacissimis posit & seipsum & dona sua nobis communicare: contra 29. & 30. errorem.

CAPVT XVI.

DOCTOR.

CHristum postea fingunt tam imbecillũ, tenuem, & impotentem, vt illi tantum supersit vnicus fidei modus sese nobiscum coniungendi, donaque sua communicandi.
Conf. pũct. 4. Art. 3. Beza enim scribit: *Fides vnicum est instrumentum, quo Christum apprehendamus, quoties nobis offertur, & vnicum vasculum ad eum excipiendum.*
In ca. 6. Io. v. 29. v. 47. v. 56. Caluinus autem exclamat: *Solam fidem sufficere, quia hoc vnũ à nobis Deus postulat, vt credamus.* Et postea: *Fide Christum recipimus, vt habitet in nobis, simusque eius participes, adeoque vnum cum ipso.* Et rursum: *Christus negat se aliter nostrum fieri, nisi cum fides nostra in mortem eius recumbit. Sola fides est os animæ ac vẽtriculus, &c.* Verum quidem est fidem nostram in mortem Christi recumbere oportere, & ad eius carnem intueri, vt alibi docuimus: sed nimium Christi potentiam imminuunt, & liberalitatem constringunt, quando vnicum eidem tantum modum aut medium relinquunt, quo se suaque dona nobis impertiat. Quid de his tibi videtur?

Confut. 1. MIN. Primum, quod diuinæ potestati, sapientiæ, & bonitati, atrocem faciunt iniuriã, quasi nullum alium modum posset aut excogitare, aut inuenire, aut instituere, ab eo quem mente sua conceperunt, Contra vero,
Ephes. 3. Heb. 1. Paulus docet, *Deum potentem esse facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem qua operatur in nobis.* Insuper, multifariam, multisque modis olim loquutum esse Patribus in Prophetis. Itaque plusquam furiosa est insania vnicum nos conueniendi aut locupletandi modum eidem affingere, atque inexhaustæ sapientiæ & immensæ potestati eius ita præscribere, vt Beza Caluinusque faciunt.

2. Deinde, turpissime etiam secum hac in re confligit Beza, scribens eodem loco Cõfessionis suę: *Fidem non esse virtutem, quæ nos faciat iustos coram Deo.* Pũct. 4. ar. 7. & 20. Et postea: *Salus nostra non est proprie in fide posita, sed in eo qui per fidem apprehenditur.* Fides autem nisi nos coram Deo faciat iustos, propriumque salutis humanæ sit præsidium, vt in hoc loco fatetur; non est profecto vnicum instrumẽtum, quo apprehenditur & recipitur Christus iustitia & sanctificatio nostra, vt alibi nugatur: nec sola sufficit ad salutem, quemadmodum parens eius Caluinus blaterat.

3. Art. 19. Scribit rursum ibidem, *Vitam æternam his tantum promitti, qui operibus iustitiæ, hoc est bonis operibus seruiunt.* Et postea: *Bona opera vt fidei nostræ testimonia, perfectam nostræ electionis æternæ nobis adferre certitudinem.* Si autem his tantum promissa est vita æterna qui bonis operibus vacant; nec sola fides sufficit, nec opera sanctorum sunt peccata, vt alibi mentiuntur. Deinde, nec fides vnicus erit mod⁹, quo possimus cum Christo coniungi, eidemque intime adhærescere: sed vna cum fide etiam bona opera requiruntur: Christusq; nõ per solam fidem habitat in nobis, nisi (vt Apostolus ait) *per charitatem operetur.* Gal. 5.

4. In cap. 25. Mat. v. 34 DOCT. Hæc satis de discipuli contradictionibus, nunc si quam comperisti in præceptore repugnantiam ne reticeas. MIN. Affirmat, *Cælorum hæreditatem non aliis promitti, nisi qui bonis operibus ad palmã supernæ vocationis contendunt.* DOCT. Ergo nec opera bona sunt peccata, nec merentur æterna gehennæ supplicia, vt impie ac flagitiose alibi comminiscitur. Nec vnicum hoc postulat Deus à nobis vt credamus: sed vt fidei bonorum operum studium copulemus, vita æterna alias omnino carituri. MIN. Subijcit quoque ibidem: *Christus charitatem nobis commendans, officia quæ pertinent ad Dei cultum non excludit: admonet tamen suos discipulos, hanc fore legitimam sanctæ vitæ probationem, si se in charitate exerceant, secundum illud Prophetæ: Misericordiam volo, & non sacrificium.* Osee 6. DOCT. Ergo qui se in operibus charitatis minime exercet, quantumuis credat, quantumuis magna fide os ac ventriculum animæ aperiat & diducat; nec Christum suscipit, nec vnus cum illo efficitur. Rursum, cum charitatem tantopere commendet, & in charitate legitimam sanctæ vitæ probationem constituat: proculdubio sola fides non sufficit, nec solũ hoc vnum Deus postulat à nobis vt credamus; sed etiam vt diligamus eum & proximum, atque dilectionem istam bonis operibus comprobemus.

MIN.

5. MIN. Scribit iterum: *Fructum obedientiæ* A
In c. 5. Ioa. *commendari à Christo, quum dicit: Habent vitam*
v. 24. v. *æternam.* Et paulo post. *Certe fidem qua nos iu-*
29. *stificat, cum studio bene iusteq; viuendi coniunctam*
esse non negamus. Et multo adhuc magis con-
tradictionibus suis vt manicis & compedi-
In c. 6. Io. bus sese inuoluens adfirmat: *Vtcumque prima-*
v. 29. *tum teneat fides, non tamen superuacua esse alia o-*
pera. Neque enim (inquit) *fides vel charitatem vel*
vllum aliud bonum opus excludit. DOCT. Cer-
te si vita æterna fructus est obedientiæ, non
sola fide ad hanc, id est, Christi visionem &
fruitionem peruenitur. Deinde cum perfe-
ctior vnio, quam cum Domino Iesu in hac
vita mortali consequi possumus, fiat per iu- B
stificationem & purgationem delictorum;
& in altera per Dei claram contemplationē
ac sempiternam possessionem; fidei vero
quæ iustificat, coniūgendum sit bene iusteq;
viuendi studium: certe per solam fidem nec
Christum suscipimus, nec eo fruemur si bo-
na opera defuerint. Ex quibus consequitur,
Deum non solius fidei medio aut remedio
nobis aut seipsum, aut gloriam suam com-
municare, sed fidei necessario coniungen-
dam esse charitatem operantem.

6. De Spei quoque necessitate quid ais? Po-
terit ne aliquis Christo adhærere, aut eum
tantisper in suæ conscientiæ secrario susci- C
Genes. 4. pere, nisi constanter in eius promissis spera-
2. Reg. 17. uerit? Vtrum cum Caino, Achitophele, aut
Mat. 27. Iuda proditore Dominus habitauerit, qui in
1. Cor. 13. desperati animi vitium ceciderunt? Vel au-
debunt Hugnostici virtutem Spei cum ipsa
Fidei virtute permiscere ac cōfundere, quas
Diuus Paulus velut à se distinctas dotes, atq;
vt varia Spiritus sancti dona tam luculenter
secernit? MIN. Certe non audebunt. DOC.
Igitur Fides non est vnicum ac solum me-
dium, quo Christus suscipitur ab homine:
sed fidei spes quoque coniungenda est, sicut
& charitas. Ideoq; Hugnosticam istam sen-
1. Cor. 13. tentiam damnans Paulus ait; *Si linguis homi-* D
num loquar & Angelorum, & si habuero prophe-
tiam, & nouerim mysteria omnia, & si habuero o-
mnem fidem ita vt montes transferam, & tradide-
ro corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem
non habuero, nihil mihi prodest.

7. Quibus adde D. Iacobum affirmantem,
Iacob. 2. Fidem eam mortuam esse ac ideo inutilem,
Iren. li. 1. quæ cum bonis operibus non est coniuncta.
c. 20. Ex quibus consequitur Bezam & Caluinum
L. 1. de fab. hæret. sese beatis Apostolis palam opponere, cum
Com. in ca. ita solam fidem iactant, ingerunt, & extol-
1. ad Tit. lunt: contra vero Pseudoapostolis, Simoni

Mago, Gnosticis, Iouinianis, ac Eunomianis *L. de hæret.*
assentire, qui (vt testificantur Irenæus, Theo- *cap. 54.*
doretus, Ambrosius, Augustinus, & Hiero- *L. 2. adu.*
nymus,) in eodem errore quondam versati, *Iouin.*
ob idque Christianorum communione sub-
moti sunt.

De Sacramentis vero quid sentiendum 8.
putas? An non etiam per illa vt sanctissima *Ioan. 6.*
media Christus nobis & seipsum & dona sua *In l. 4. ca.*
communicat? An non de sacra Eucharistia *17. §. 5.*
dixit, *Qui manducat meam carnem, & bibit meū*
sanguinem, in me manet, & ego in illo? MIN. Cer-
te Caluinus aperte fatetur, *Communionem*
carnis & sanguinis Christi necessariam esse omni-
bus qui ad cælestem vitam aspirant. Atque huc spe-
ctare istas Apostoli sententias. Ecclesiam esse corpus
Christi: Corpora nostra esse membra Christi: Quæ
omnia non possunt aliter effici, quin totus spiritu &
corpore nobis adhæreat. Insuper, *arctissimam hanc*
societatem splendidiore adhuc elogio illustrari, quū *1. Cor. 6.*
Apostolus dixit, nos esse membra corporis eius, ex *Ephes. 1. 4.*
ossibus eius, & ex carne eius. DOCT. Ergo fi- *& 5.*
des non est vnicus & solus modus, quo Chri-
stus à nobis suscipitur, nobiscum coniungi-
tur & adhæret: verum & sanctissimæ carnis
suæ communicatione efficit vt sui vere si-
mus participes.

MINIST. Beza etiam de Sacramentis in 9.
vniuersum agens, inquit: *Sacramenta esse velut* *Cōf. punct.*
canales atque meatus, quibus Deus suam in cordi- *5. art. 17.*
bus nostris effundit gratiam, &c. quare manife-
stum est per eadem velut sanctissima media
nos iustificari, & Christo redemptori opti-
mo copulari: & non per solam ac nudam fi-
dem, vt alibi garriunt.

DOCT. Quantis etiam verbis Paulus Ba- 10.
ptismi miserabiles plane effectus & fructus *Rom. 6.*
prædicat? Asserit enim quod Deus per hoc *1. Cor. 6.*
præcellentissimum Sacramentum ab omni *& 12.*
labe peccati nos repurgat, quod Spiritum *Ephes. 5.*
sanctum suum effundit in nos abunde, quod *Coloss. 2.*
per illud ipsum Iesum Christum induimus, *Galat. 3.*
& cum eodem vnum omnes efficimur: in- *Tit. 3.*
super eiusdem Sacramenti perceptione cum
illo nos commori, consepeliri, atque conui-
uificari & conresurgere, vt in nouitate vitæ
ambulemus, veluti cum eo insiti atque con-
scripti. MINIS. Certe non ambigo charita-
tem, spem, bonorum operum studium, Eu-
charistiam, baptismum, pœnitentiam, alia
Sacramenta, verbum Dei, plurimaque alia
media omnipotenti Deo præsto esse, quo-
ties seipsum nobis communicare, aut bene-
ficiis spiritalibus nos locupletari atque co-
honestare voluerit: proindeque Geneuanos

sectarios animarum proditores & perdito- A
res esse, cum vnicæ ac soli fidei hoc tribuunt.
Itaque hoc errore satis conuulso ac euerso,
alium confutemus.

CHRISTVM ETIAM ADHVC IN *terris agentem functum esse aduocati ac patroni nostri apud Patrem officio: aduersus 31. errorem.*

CAPVT XVII.

DOCTOR.

ERrant rursum fœdissime negantes Christum adhuc mortalem functum esse ad- B
uocati nostri apud Patrem officio. Nam hæresiarcha scribit: *Colligi posse videtur, quandiu*
In cap.16. Ioan. v.23. *in terris versatus est (Christus) nondum egisse aduocati partes, vt per ipsum grata essent Deo fidelium preces.* Quod etiam mox clarius exprimit, *Hactenus* (inquit) *non petiistis quicquam in nomine meo.*

Confut. 1. MINIS. Eadem verba & ego apud illum frequenter legi, & semper damnaui, quoniam & ipse continuo seipsum coargens, & more felis spurcitiam suam obtegens, adiicit: *Atqui probabile est, Apostolos orandi regulam, quæ in Lege præscripta erat, seruasse. Scimus autem Patres non sine Mediatore orare solitos, cum tot ex-* C
ercitiis ipsos Deus ad talem orandi formam assuefaceret. Videbant summum Pontificem in sanctuarium ingredi totius populi nomine: videbant quotidie sacrificia immolari, vt rata essent Deo Ecclesiæ preces. Erat igitur hoc vnum ex fidei principiis, temere & frustra Deum inuocari nisi Mediatore interposito. Iam vero Christus cum se esse satis testatus fuerat discipulis, &c. DOCT. Vere non posset apertius seipsum coarguere, quam hic facit. Si enim Christus verus est Dei & hominum
1. Ioan. 2. 1. Tim. 2. He. 8. 9. 12. mediator, vt Paulus & Ioannes luculenter affirmant, vniuersique Patres veteris testamenti sua Deo Patri vota per mediatorem obtulerunt vt grata essent: notissima & certissima D
res est, Dominum Iesum vere mediatoris & aduocati in terris antequam moreretur partes egisse. MIN. Sed vnde nam accidit, vt tam subito se Caluinus retractet atque refellat? DOCT. Vt suam cautius nunc celet, mox vero disseminet hæresin. Eam ob rem Germaniæ ministri deprehensa hac eius fraude ac malitia, scripserunt illum Iudæ proditori esse simillimum, qui cum improbius Christum præceptorem prodebat & tradebat in mortem, cum strictius amplectebatur & osculabatur. Ita & Ianus vester, dum altius & magnificentius de Mediatoris officio loquitur, vt illud exercuit Christus, tunc illud ipsum audacius carpit, extenuat, denegat.

MIN. Alibi etiam diserte affirmat, *Chri-* 2.
stum functum esse Mediatoris officio vsque ab initio In cap.1. Mat. v.23. Ephes.1.
mundi. Omnes extra Christum à Deo esse alienatos: per Christum vero non solum receptos in eius gratiam, sed vnum cum eo effici. Paulum docere Iudæos fuisse propinquos Deo sub lege, sed familiarem hanc populi cum Deo coniunctionem à Mediatore (Christo) pendere. DOCT. Si ab initio mundi per typos figurasque functus est officio mediatoris, vt hic vult hæresiarcha, quomodo iam in terris homo vere factus illud ipsum munus suum non multo magis obiuisset? Et si omnes, adeoque Iudæos ipsos per Christum in gratiam Dei receptos propinquos Deo, vnumque cum eo effectos esse constat, nonné euidentissimum est eum Mediatoris officio in terris functum esse?

MIN. Pergit porro & seipsum magis illaqueare & refellere scribens, *tum à Deo Patre* 3. In cap.3. Mat. v.17.
oblatum nobis fuisse Christum cum hoc præconio, Hic est Filius meus dilectus, &c. cum palam ad obeundum munus Mediatoris prodiit, vt hoc adoptionis nostræ pignore freti, intrepide vocemus Deum ipsum Patrem nostrum. Et postea: *Quod Pater di-* In cap.17. vers.5.
lectum Filium vocat in quo sibi complacuit, Mediatorem esse testatur, in quo mundum sibi reconciliat. Ex quibus manifeste apparet, Christum saltem à baptismo suo atque transfiguratione, à Deo Patre nobis declaratum & exhibitum fuisse Mediatorem: & ipsum vere hoc suo munere functum esse quandiu mortalis & patibilis hic nobiscum egit. Atque hæc ex Caluini promptuariis aduersus eundem deprompta nunc sufficiant: tu modo ex sacris literis age.

DOC. Vere Mediatoris & patroni nostri 4.
munus Christus obiuit, quando intente modo pro Beato Petro precatus est, ne Fides eius deficeret; modo pro cunctis Apostolis, Luc.22. Ioan.17.
vt vnum essent, à malo seruarentur & sanctificarentur in veritate, quemadmodum in Euangelio clarissime defertur; denique & pro his omnibus apud Patrem intercessit, qui per verbum ac doctrinam Apostolorum credituri erant in eum. MIN. Equidem certe si ad patroni & aduocati munus spectat, pro commissis curæ suæ apud iudicem intercedere, nemo diffiteri potest Christum pro his Mediatoris officio functum esse etiam cum adhuc in terris ageret.

DOCT. Vere Mediatoris & patroni of- 5.
ficio functus est rursum Christus, cum omnes Matth.11.
qui

qui laborabant & onerati erant inuitauit, vt A ad se tanquam ad sacratissimum asylum, portumq́ tranquillissimum venirent: cum vt verus pastor aberrantes oues quæsiuit, vt in caulam reduceret, propriisque humeris inualidas referret: cum ad se confugientium preces exaudiuit, infirmitates curauit, & peccata condonauit: cum diebus noctes coniunxit priuigiles in feruidis precibus, Patrem vt nobis esset propitius exorando: cum iussit nos petere, quærere, atque pulsare vt nobis aperiatur: cum denique pollicitus est nos omnia à Patre suo consequuturos, quæ in nomine suo ab ipso peteremus.

Luc. 15. Matth. 8. 9. 15. Luc. 6. 11. Ioan. 16.

6. Sed quod præstantius aduocati munus à Domino Iesu efflagitari posset, quam hos excusare, pro hisq́ apud Patrem toto pectore intercedere, qui cum in crucem egissent illum, omnibus diris maledictisq́ lacessebant? quam spinis caput supponere, os felli & aceto præbere; genas alapis, faciem fœdissimis sputis, aures conuitiis, dorsum virgis & flagris, latus lanceæ militis, pedes & manus clauis, totum corpus vt suspenderetur, totũ sanguinem vt funderetur, totumq́ denique hominem vt morte turpissima damnaretur, ingenti charitate offerre & dare, vt homines C Patri suo conciliaret, & in gratiam sempiternam reduceret. MIN. Hæc profecto omnia redemptionis humanæ mysteria necesse est illos pernegare, qui cum Caluino inficiantur Dominum in terris agentem aduocati munus obiuisse: atque inde colligitur, nefariam hæresin istam vniuersum salutis nostræ opus conuellere atque labefactare.

Luc. 23. Matth. 26. Mar. 14. Ioan 19. Sapient. 2.

7. DOCT. Præterea, veri Mediatoris & aduocati nostri partes satis egit, quando suis ieiunationibus, vigiliis, laboribus concionibus, gemitibus & lachrymis apud Patrem cælestem effecit, vt nobis esset propitius, quando sanguineo sudore suo sanctificatio- D nem nostram procurauit, quando dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, quando baptismum quo sanctificamur & in adoptionem filiorum Dei assumimur verbo & exemplo instituit. *Deus*, ait Paulus, *erat in Christo mundum reconcilians sibi, nec reputans illis dicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis.* Et paulo post. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, id est, *pœnam peccato debitam tulit*, *vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso, &c.* Hæc porro vniuersa & absoluta & peracta sunt Christo adhuc in terris versante: igitur & aduocati & mediatoris & redemptoris officium adhuc hic viuens plene & cumulate adimpleuit.

Matth. 4. & 26. Ioan. 11. 18. 19. Luc. 22. 23. Ioan. 1. 15. 20. Mat. 3. 28. Ioan. 3. 4. Eph. 4. 5. 2. Cor. 5.

MINIST. Certe quisquis hoc negauerit; Iesum esse Christum, id est, verum mundi redemptorem & saluatorem eadem opera negabit: eidemque necesse erit aut cùm Iudæis alium adhuc venturum Messiam expectare: aut abiecta omni Christianismi professione, impurissimum Mahometismum cum æterna animi & corporis sui perditione complecti. Ac de hoc articulo satis, alium expendamus.

B *CHRISTVM DEVM ET HOMINEM satis dignum ac sufficientem fuisse, vt apud Deum Patrem* MERERETVR: *eiusdemque merita posse simpliciter & absolute iudicio illius opponi: aduersus 32. 33. heresin.*

CAPVT XVIII.

DOCTOR.

SAtanas humanæ salutis hostis ferus & immanis, nolens aliquod illius mysterium disputatione carere, Ianum Caluinum in ta- C lem furentis animi rabiem impulit, vt non pertimuerit coarguere, & quo ad potuit abolere tam præstantiam ac dignitatem hominis Christi quam omnia eius pro nobis merita apud Deum patrem cælestem: ac si nihil omnino potuisset nobis promereri, quod iudicio eiusdem digne satis opponeretur. MIN. Mirum quiddã narras, & quod fidem apud multos non inueniet, ni disertis & expressis verbis eius id euincas. DOCT. Verba eius sunt: *Equidem fateor, si quis simpliciter & per se Christum opponere vellet iudicio Dei, non fore merito locum: quia non reperietur in homine* (etiam assumpto à Verbo) *dignitas quæ* D *possit Deum promereri.* Audin Christum iudicio Dei simpliciter oppositum nihil meruisse? Viden neque dignum (Caluini existimatione) qui aliquid promereretur?

Inst. l. 2. ca. 17. § 1.

MIN. Audio, & ad hominis huius tantas audacias, incredibilesq́ furores obstupesco, quibus non modo pretioso sanguini ac meritis Christi vnici saluatoris nostri grauissimam infert iniuriã: sed & vniuersam humanæ salutis, quæ ei innititur, fiduciam & expectationem subuertit. DOC. Recte sane iudicasti. Nam & ita de his Caluinicis hæresibus censuerunt Germaniæ ministri, quorum vnus de eisdem his verbis scribit: *Hæc an non sint simul & in Christi meritum, ac longe pretiosissimum*

Confut. n.

Tilm. Hes. hus. ad fi-

nem lib. de praes. corp. Christi.

ſſimum ſanguinem contumelioſa, & nobis pernicioſa: dum nos non ex merito ſolius Christi pendere docent, ſed ab alia quadam priore gratia, ex cuius gratuito fauore ipſum etiam Christi meritum ſuam dignitatem & robur accipiat, facile eſt cuius Christiano ſtatuere. Itaque non modo Catholicorum, ſed & Lutheranorum iudicio. Caluiniani & aduerſus Christi ſanguinem ac meritum ſunt contumelioſi, & toti humano generi pernicioſi; quippe qui & nos ab eo, qui ſalutis noſtræ cauſſa potiſsima eſt, pro viribus ſuis auertunt; & ad alias inueſtigandas & quærendas rationes longiſsime abducunt.

2\. MIN. Ab eius fide & ſpe quos ſimiles ſibi repererint homines leues & ſalutis ſuæ negligentes abducant. At ego diuinis innixus oraculis, quandiu hæc vita comes fuerit, & corde credam, & ore confitebor totam ſalutis noſtræ ſummam, ac ſingulas etiam partes eius Christi dignitate, ſanguine, & copioſiſsimis meritis comprehenſas eſſe: atq; hic gradum ſiſti oportere. Nam ſi ſalus quæritur, ipſius Ieſu verbo docemur penes eum eſſe: quandoquidem *Non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Si Spiritus ſancti dona, in eius vnctione reperientur: ſi fortitudo, in eius dominio: ſi puritas, in eius conceptione: ſi indulgentia, in eius natiuitate ſe profert, qua factus eſt nobis per omnia ſimilis, vt condoleſcere diſceret: ſi redemptio, in eius paſsione: ſi abſolutio, in eius damnatione: ſi maledictionis remiſsio, in eius cruce: ſi ſatisfactio, in eius ſacrificio & morte: ſi purgatio, in eius ſanguine: ſi reconciliatio, in eius cruore ac prece: ſi liberatio, in eius deſcenſu ad inferos: ſi mortificatio carnis, in eius ſepulchro: ſi vitæ nouitas & glorificatio corporis, in eius reſurrectione: ſi hæreditas regni cæleſtis, in cælorum ingreſſu: ſi gloria cæleſtis, in eius aſcenſione: ſi præſidium, ſi ſecuritas, ſi bonorum omnium copia & poſſeſsio, in eius regno: ſi intrepida & iucunda iudicij expectatio, in poteſtate iudicandi ei à Patre tradita: ſi denique in ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis, ſintque omnes Theſauri ſapientiæ, bonitatis, gratiæ, ac miſericordiæ Dei reconditi; ex hoc ſane tanquam ex vberrimo fonte, & ærario quod nunquam exhauriri, nunquam extenuari poteſt; ex hoc inquam, non ex alio vniuerſæ ſalutis humanæ ratio ſummaque dependet. Atque hic quieſcere iubet Spiritus ſanctus.

Matth. 1. Luc. 1. Act. 4. Luc. 4. Matth. 3. Ioan. 3. Luc. 1. 2. Heb. 2. Heb. 7. 8. 9. 10. 1. Pet. 2. 1. Cor. 1. Galat. 3. Act. 1. Rom. 8. Ioan. 5. Act. 10.

3\. DOCT. Scienter ac perite plane vtramq; Caluinicam hæreſin refellis, ſed vt ordine pergamus præſta priorem, quæ eſt aduerſus Christi dignitatem ac præſtãtiam in merendo, etiam priore loco confutare: & ex ſacris literis oſtendere, nihil ei defuiſſe, quo minus ſimpliciter, per ſe, & proprie ſalutem noſtrã promereri poſſet. Hanc enim in primis damnant cuncta illa diuina oracula, in quibus cæleſtis Pater immenſum illum commemorat amorem, quo hunc Filium ſuum Deum & hominem complectitur: vtpote cum in eius baptiſmo de cælis tonat, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Idemque poſtea in eius transfiguratione coram ſummis Prophetarum & Apoſtolorum Principibus confirmat. Ecquæ nam dignitas præſtantior vſquam excogitari in homine poſſet, quam non ſolum à Deo impenſe diligi, ſed etiam plurimum adamari? Nec ſolum vt fidelis optimuſque ſeruus; ſed vt vere vnicus Dei Filius, coæternus, coæqualis, eiuſdemque cum Patre naturæ bonitatis & ſapientiæ? Eum eſſe, in quo Deus æternæ infinitæque maieſtatis ſibi omnino complacet? Sic in eo quieſcere Deo amorem, vt etiam per eundem ad nos effundatur? Atqui talis erat ille mediator Dei & hominum Christus Ieſus, vt Pater æternus de cælis ſemel & iterum conteſtatur: eum igitur execrando ſacrilegio ſua dignitate & præſtantia priuat & ſpoliat hæreticus, cum minus dignum cenſet ipſum fuiſſe, qui ſimpliciter & per ſe mereretur, & diuino iudicio pro nobis obuiam pergeret.

Matt. 3. 17. Marc. 1. Luc. 9. 2. Pet. 1.

MIN. Plurima ſane ſunt huiuſmodi teſtimonia, quibus Patris immenſus amor in Filium ſuum Hominem Deum paſsim palam declaratur: vtpote, *Pater diligit Filiũ, & omnia dedit in manu eius. Pater diligit Filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit. Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Pater tu dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. Maneo in Patris dilectione.* Nequaquam enim exiſtimandum eſt tam frequentes, tamque ardentes amoris paterni repetitiones vanas eſſe: ſed potius credendum, Patrem hunc Filium ſuum Christum ſummo ac infinito amore complexum eſſe: proindeq; digniſsimum reddidiſſe, qui iudicio ſuo pro nobis ſeſe cum innumeris & inexhauſtis meritis atque ſatisfactionibus ſiſteret atque obiiceret: omneſque electos efficaciter, reprobos autem ſufficienter à peccatis ſuis poſſet emundare & ſaluare. 4.

Ioan. 3. Ioan. 5. Ioan. 10. Ioan. 15. Ioan. 17.

DOCT.

5. Ephes.1. DOCT. His adde, Apostolum propterea magna congratulatione exclamantem: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, &c. Gratificauit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionum peccatorum, secundum diuitias gratiæ eius, &c.* Alibi
Coloss.1. quoque idem præcipit, Gratias agere Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine, eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum. MINIS. Vere oportuit Christum immensa dilectione à Patre diligi, incredibilique dignitate & authoritate apud eum præstare, quando in eius gratiam Pater nos elegit ante mundi huius iacta fundamenta, omniq; benedictione spiritali cumulauit, & ex vilissimis gehennæ ac mortis mancipiis, fecit sanctos & immaculatos filios in conspectu suo. Præterea, si nos in eo, & propter merita sanguinis eius, gratos sibi effecit, multo magis sane oportet ipsum in primis Patri gratissimum fuisse, summeq; aptum ac dignum, qui omnem salutem & benedictionem nobis confratribus atque membris suis mereretur. *Dignos*, inquit, *nos fecit sortis sanctorum*: ergo Filius consubstantialis & coæternus multo dignior, qui simpliciter & per se omnis meriti locum apud Patrem inueniret.

6. DOCT. Ecquomodo non omnem in se merendi dignitatem & sufficientiam habuisset coram Patre suo Filius ille homo factus, *in*
Coloss.1. *quo & per quem* (ait idem Apostolus) *condita sunt Vniuersa in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates? In quo omnia constant? Qui est caput corporis Ecclesiæ? qui in omnibus primatum tenet? In quo complacuit omnem plenitudinem inhabitare? Qui pacificauit per sanguinem crucis suæ, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt?* Qui nos reconciliauit in corpore carnis suæ, & exhibuit sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram Patre suo cælesti?

7. Et vt summatim multa exponam, Cum
1.Pet.2. ille simul Deus esset & homo, cũ omni prorsus
Ioan.8. peccati labe careret, cum omni Spiritus
Isa.11. sancti dona etiam sine mensura possideret,
Ioan.3. cum denique omnis plenitudo diuinitatis in
Coloss.2. eo habitaret etiam corporaliter, id est, etiam quatenus homo erat; necesse est eos sub velo

A fidelium ac reformatorum, impietatem plane Iudaicam & Mahometicam celare, qui audent Christum omni adeo dignitate spoliare, vt nihil apud Patrem mereri, nihil satis sufficiens ac dignum offerre; quod simpliciter eum placare, quodve iudicio eius per se pro totius humani generis salute obiici posset. MIN. Eos ergo nunc prætermittamus velut ethnicos & publicanos: & alteram eorum sententiam perpendamus.

CONFVTATIO ALTERIVS *erroris Caluini.*

DOC. Facile est comprobare Dominum Confut.
B nostrum Iesum Christum, vna cum meritis 1.
suis consideratum, esse sufficientem ac maxime idoneum, vt Dei Patris iudicio quantumuis exacto, opponatur tanquam mediator idoneus & aptus ad eum nobis conciliandum, ac pro omnibus, quæ peccatis nostris debentur, suppliciis satisfaciendum. Primo etenim plurimis & apertissimis sacræ scripturæ testimoniis Spiritus sanctus nos certos efficit, cunctos homines per mortem & sanguinem Christi satis abundanter & copiose redemptos, iustificatos, & saluos: id quod nequaquam reuelasset, nisi plusquam idoneus ac conueniens ad tantum munus obeũdum
C & perficiendum extitisset. MIN. Huiusmodi profecto oraculis abundat scriptura: vt cum ab initio statim Euangelij dicitur: *Saluabit populum suum à peccatis eorum. Baptizabit in Spiritu sancto & igni*, id est, omnes iniquitates humanas delebit ac expurgabit. *Mundabit aream suam, & colliget frumentum suum in horreum. Filius hominis venit dare animam suam in redemptionem pro multis. Hic sanguis meus pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Quicunq; crediderit in eum non peribit, sed habebit vitam æternam. Dedit potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius.* Quæ maior dignitas, quæ
D præstantior excellentia posset in optimo & locupletissimo desiderari Redemptore?

Matt.3. 5. 20.26. Marc.10. Ioan.1.

DOCT. Nec satis sibi videntur sanctissimi 2.
mi Apostoli huius copiosæ redemptionis 1.Cor.1.
effecta prædicare ac extollere, scribentes, Galat.3.
Christum factum nobis esse sapientiam, iustitiam, Ephes.1.
sanctificationem & redemptionem. Et rursum: Coloss.1.
Per sanguinem eius habemus redemptionem, remis- 1.Tim.2.
sionem peccatorum. Dedit seipsum in redemptio- Tit.2.
nem pro omnibus gentibus. Dedit semetipsum pro 1.Pet.1.
nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem. Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sangui-

sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati. Deniq; omnium sanctorum est hic A
Apoc.1.5. eucharisticus hymnus, *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Redemisti nos in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & natione.*

MIN. Improbissimus certe est Caluinus cum ita despicit, atque pedibus conculcat tam eximium salutis humanæ pretium velut insufficiens, ac minus idoneum quod in exacto Dei iudicio subsistat, aut meriti locum inueniat. In quantam mentis insaniam discipulos suos inducit, illis suadẽdo Iesum Christum Deum & hominem, cum vniuersis suis ieiuniis, orationibus, laboribus, & sanguineis sudoribus; cum sua ardenti charitate, humi- B litate, & patientia; cum suis vinculis, acceptisque iniuriis, alapis, flagris, tunsionibus, sputis, acutissimis spinis, cruce, clauis, sanguine, & vt paucis plurima complectar, cum omnibus animi sui ægritudinibus, & magno spiritus mœrore; cum cordis sui suspiriis, cum lachrymis oculorum, oris clamoribus, totius corporis doloribus; Christum inquam, Deo patri gratissimum & complacentissimum cum tot obeditionis & charitatis suæ testimoniis, cum tot meritis; indignum esse qui coram Patre suo pro nobis prodeat, indignum qui alicui⁹ meriti locum inueniat; indignum qui iudicio eius obsi- C stat? An non istud est mendacij fraudisque coarguere Spiritum sanctum, nobis per Scripturas reuelantem & prædicantem, humanum genus solum hisce mediis ac remediis esse redemptum & sanctificatum; eiusdemque peccata plusquam iusto ac sufficienti
Rom.8. pretio esse remissa & expiata? Nos sic effe-
Ephes.3. ctos esse Dei filios; Christi autem eius vnigeniti fratres ac cohæredes?

3. DOCT. Expendenda sunt deinde cum magna fide, reuerentia, & attentione, plurima alia diuini verbi testimonia, quibus non simpliciter, sed cũ multa emphasi opus redemptionis & salutis humanæ Christo tribui- D tur: eo quod eiusmodi amplificationes & exaggerationes satis demonstrant & meritum, & satisfactionem quam pro nobis Deo Patri obtulit, plusquam sufficientem fuisse; vt iudicio eius quantumuis exacto ac rigido, opponeretur & quod aduersus nos erat chirographum decreti, laceraretur & omnino
Coloss.2. supprimeretur. Certe princeps Apostolorum Petrus cum auxesi grauissima monet, Nos non esse redemptos rerum corruptibilium, quibus captiui passim inter homines redi-
1.Pet.1. muntur, nimirum, *auri & argenti pretio*; à diabolica seruitute, morte, inferis, iraq; cælesti *sed sanguine*, non qualicunque, *sed pretioso & immaculato*, non Abelis, Isaiæ, Ieremiæ, Præcursoris, aut cuiuscunque iusti, *sed Christi*, in vnitate personæ veri Dei & hominis, *tanquam agni immaculati.* Huiusmodi enim amplificationes haudquaquam sunt à nobis, more Caluiniano, aspernandæ; quandoquidem excellenti modo aperiant Christi redemptoris summam innocentiam, dignitatem, ac sufficientiam: simulque sanctissimis verbis inculcent ingerantque humanis animis, pretium redemptionis nostrę tanti ponderis ac momenti fuisse in Dei iudicio, vt eo sibi sufficere, eodemque satis sibi pro nobis esse palam demonstrauerit.

Ad easdem amplificationes, seu potius grauiores meritorum & satisfactionum Christi pro nobis affirmationes, pertinent eximiæ istæ Diui Pauli comparationes, quibus secundum Adamum cum priore; remissionem cum culpa; Dei summam bonitatem, cum humana malitia; salutem reparatam, cum interitu; gratiam exhibitam, cum admisso delicto; admirabilem sanguinis & mortis Christi virtutem, cum peccati primi hominis contagione sapientissime ac prudentissime confert. *Non sicut delictum*, inquit, *ita & do-* Rom.5.
num. Si enim vnius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum. Nam iudiciũ quidem ex vno, in condemnationem: gratia autem ex multis delictis, in iustificationem. Si enim in vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Igitur sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. MIN. Mirabiles sane ac plane cælestes sunt istæ amplificationes: hisque satis aperte declarat Apostolus, gratiam & salutem nobis per Christum acquisitam & oblatam, toto (quod aiunt) cælo exsuperare & delicti humani grauitatem, & condemnationis nostræ sententiam: Christum item longe aptiorem & efficaciorem fuisse ad satisfaciendum pro nobis, fratresq; saluandos; quam fuerat perniciosus Adam⁹ ad peccandum posterosque perdendos.

4. DOCT. Enimuero quantum in omnibus & per

per omnia veterem Adamum Dominus noster IESVS æternus Dei filius antecellit tantum merita, satisfactiones, & dona eius prisci illius hominis delictum exsuperant. Igitur infinita Christi gratia, maledictionem omnẽ sustulit: Christi satisfactio, nos omni debito æternæ mortis exoluit: per Christum acquisita remissio, nos à seuero Dei iudicio exemit: & eius vita beata, nostram omniũ mortem absorbuit. Indeq; perspicuum est, eundem Dominum nostrum Iesum Christum suis meritis & satisfactionibus communitũ, nobis esse satis firmum clypeum, quo protegamur; & securum vallum, quod veteri antiquatæque iræ cælesti opponamus.

5. MIN. Libet audire, quæ Philippus Melanthon in superiorem Pauli locum, pro Christi gratia & immensis meritis aduersus Hugnosticam Theologiam aliquando disseruit? DOC. Ad impietatem eorum omni ex parte coarguendam ac eliminandam iuuabit.

Com. Argentorati editio 1544. MIN. *Paulus ostendit dissimilitudinem regni peccati*, inquit, *& regni gratiæ, ac docet quod gratia sit vberior & potentior peccato. Alias quomodo saluaremur, si peccatum pariter damnaret?* Ac paulo post: *Diligenter considerant pij hanc eminentiam gratiæ, vt opponant magnitudini peccati, & præsenti infirmitati. Nullum peccatum quamlibet magnum anteferri debet gratiæ: & quamquam Sancti adhuc infirmi, sciant tamen gratiam vberiorem esse; quare placent propter Christum. Ideo Paulus exaggerat hanc dissimilitudinem, & addit, Iudicium ex vno in condemnationem, id est, vnum peccatum Adæ attulit condemnationem vniuersæ posteritati: ac gratia abolet multa peccata, id est, originalia, & actualia, radicem & fructus, &c.* Hæc ille: quibus docet quantum Christus homo pro nobis apud Deum Patrem proprie, & per se promeruerit; quantumque gratia illius omnibus omnium peccatis præponderet.

6. DOCT. Ad Pauli amplificationes redeo.
Coloss. 2. Ita enim easdem persequitur, & Christi Domini merita prædicat. *Cum mortui essetis in delictis, vos conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Cum itaque doctore Apostolo, remissione peccatorum, quam nobis promeruit, vitam nobis acquisierit; diuino plane satisfecit iudicio, quo nos morti eramus adiudicati. Nec solum retraxerit, verum & lacerauit, deleuitq́ꝫ

A nostræ condemnationis scedulam seu chirographum, cruci secum illud configens, vt in ore ac oculis omnium tam cælestium, quam terrestrium, & inferorum, ostenderet se huic plusquam copiose satis fecisse; ære alieno oppressos nos liberasse; & quicquid in iudicio Patris debebamus, sese abundantissime & magnificentissime persoluisse. Non enim solent prius obligationes deleri, quam creditoribus fuerit satisfactum. Quocirca clarissimum ac certissimum est, pretium redemptionis humanæ Deo Patri oblatum à Christo plusquam sufficiens fuisse ad eum placandum, & nobis conciliandum.

B MIN. Ita sane credo. Insuper & eundem 7.
Apostolum idem alibi rursum comprobare & astruere, cum ait: *Empti estis pretio magno.* *1. Cor. 6. 7*
Pretio empti estis. Quomodo autem magnum ac eximium pretium, nisi rei venditæ dignitatem & obligationem non solum exæquet, sed & longissime superet?

Et amplioribus verbis rem totam expli- 8.
cans ait de eodem nostro Redemptore. *Si* *Hebr. 9.*
sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus C *mortuis ad seruiendum Deo viuenti?* Et postea explicans quam copiose & abundanter iudicio diuino pro nobis satisfecerit, subiicit. *Non in manufacta sancta IESVS, introiuit exemplaria verorum: sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Et ibidem: *Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Semel in consummatione seculorum, ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit. Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* DOCT. Equidem quot verba, tot Sacramenta: quot sententiæ, tot victoriæ: quot periodi, tot emphases & amplificationes meritorum & satisfactionum redem- D ptionis & salutis nostræ per Christum factæ. Quare de suis passionibus & laboribus, nostris vero peccatis, summo ac optimo iure dicere potest, quod olim beatus Iob dixit:
Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram *Iob. 6.*
merui, & calamitas quam patior, in statera: quasi arena maris hæc grauior appareret.

Ad hæc, si vt decet viros Christianos, dili- 9.
gentes perpendamus rationem ac modum persoluti à Christo pretij redemptionis nostræ, in Scripturis passim appellari iudicium, æquitatem, & iustitiam; hinc profecto cunctis manifestum euadet, illum copiosissime

& abundantissime persoluisse, quicquid pro A nostra reconciliatione desiderari potuit. Nunc, inquit, *iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Scribit etiam Apostolus: *Deum Patrem proposuisse propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ.* Eam quoque ob rem exclamant Prophetæ: *Faciet iudicium & iustitiam in terra. Iustitia & pax osculatæ sunt. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in iustitia. In conspectu gentium reuelauit iustitiam suam, &c.* Vbi autem tanta apparuit iustitia, nisi in eo quod postea dicitur, *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio?* Et si Redemptor non posset simpliciter, & per se pro nobis semetipsum obiicere diuino iudicio, quomodo iusta vel copiosa esset redemptio?

Ioan. 12. Rom. 3. Ierem. 23. Ps. 9. 34. 84. 97. 129.

10. MIN. Hæ sanctissimæ sunt omnes istæ Spiritus sancti voces ac reuelationes; quibus non sine manifesto sacrilegio potest quisquam sese opponere. Verum, ad fidei meæ consolationem, Theologorum sententias de hac re etiam audire iuuaret. DOCT. Patres scholastici ea quæ superius aduersus Caluinum pro dignitate & meritis Christi disseruimus, his tribus euidentissimis & apertissimis rationibus confirmant. Merita & satisfactiones Christi ex parte obiecti, id est, Dei Patris cui oblata sunt, saltem æque immensa atque infinita fuerunt, atque non solius Adæ, sed & vniuersorum hominum peccata esse potuerunt. Ergo summo etiam iure, omniq; iustitiæ diuinæ seueritate expensa & librata, pro cunctorum delictorum satisfactione atq; expiatione fuerunt sufficientia: nobisq; omnem gratiam & gloriam iusto pretio ac merito comparauerunt.

11. Deinde, æqui rerũ æstimatores, facta resq; gestas potissimum perpendunt ac iudicant secundum personarum, à quib. procedunt, dignitatem atque præstantiam. Is autem qui pro nobis meruit & satisfecit, non tantũ homo est omni sanctitate & innocentia clarissimus, ab omni peccato pœnisq; peccatorum immunis, omnibus diuini Spiritus donis & gratiis à primordio plenissimus; quinetiam Deus verus de Deo vero, & vt Apostolus ait, *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Perspicuum est igitur, omnes quib. nos redemit actiones eius, nõ esse simpliciter humanas, sed & diuinas, ac proin inexhaustæ ac interminatę virtutis ac efficaciæ iudicandas.

2. Cor. 5.

12. Præterea, in iusta redemptione, oportet diligenter tam rem quæ comparatur, quam pretium quo emitur expendere atq; ponderare. Redemptionis autem nostræ pretium totus est Iesus Christus, *qui per Spiritum sanctum semetipsum immaculatum obtulit Deo Patri,* videlicet Deum hominem in vna eademque numero persona; obtulit inquam, corporis sui singulas partes, sanguinis vniuersas guttas, totam vitam, totam animam, totum Spiritum, totam virtutem, & totam personã; quæ omnia sunt inæstimabilis ac infiniti pretij. Res porro empta & redempta; humana est natura misera, caduca, fœnum, flos, agri, vmbra, vanitas, puluis, cinis, vermium esca, &c. Tecum ergo meditare, quanto pretium mercem superat: & quo loco habendus Caluinismus, qui Christi meritum & satisfactionem tam indigne deprimit & conculcat. Heb. 9.

B

13. Denique, si Dominus noster Iesus cum vniuersis meritis suis simpliciter, & per se diuino iudicio obiectus non potuit sufficienter mundum Deo Patri reconciliare; frustra incarnatus, & natus triginta tres annos in terris laborauit, frustra cruci affixus, frustra mortuus & sepultus, frustra pro ouibus vitã suam posuit, frustra tam per seipsum quam per Apostolos suos homines inuitauit, vt in se crederent & confiderent, tanquam in eo qui omnem in cœlo & in terra habeat potestatem. Id autem quid aliud est, quam omnẽ C Christianorũ religionem euertere? Omnes Prophetas, qui venturum Messiam, mundi redemptorem suis testimoniis comprobarunt, falsitatis & vanitatis damnare? Apostolos, Discipulos, Martyres, Patres & Doctores totius Ecclesiæ Christi pastores, id est, nationem filiorum Dei arrogantissime reprobare? Omnes enim & singuli constanter sperauerunt ac crediderunt, & omnes fidenter docuerunt merita Christi redemptoris non solum pro electorum & prædestinatorum salute sufficientia & plusquam idonea esse, verum etiam reprobatorum & cacodæmonum, siquidem credere & pœnitere possent: D dicente Apostolo, *Si confiteamur peccata nostra, Deus fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Et paulo post: *Sed & si quis peccauerit aduocatum habemus apud Patrem, IESVM Christum Iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Ioan. 10. Mat. 11. 28. 1. Ioan. 1. 1. Ioan. 2.

MINIST. Væ igitur Caluinianis, quorum tam longe ab hac regula aberrat fides, vt eos non pudeat execrabilem blasphemiam istam vomere: *Si quis simpliciter & per se Christum opponat iudicio Dei, non fore merito locũ, quod*

non reperiatur in eo dignitas quæ poßit Deum promereri.

14. Sed & his etiam adijce quædam veterum
Ser. de passione Dom. sanctorum testimonia. DOCT. Mellifluus Bernardus eximia in Christum fiducia incitatus sic Deum Patrem alloquitur. Respice Domine, in faciem Christi tui, qui tibi vsque ad mortem obediens factus est: nec recedãt ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuum, vt memineris quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem receperis. Vtinã Domine, appendas in statera peccata, quibus iram meruimus, & calamitatem quam passus est innocens Filius tuus. Certe grauior apparebit & magis digna, vt propter ipsum effundas super nos misericordiam tuam, quam fuit illa, vt pro peccatis nostris contineas in ira misericordias tuas. Gratias tibi Pater, referat omnis lingua pro superabundantia bonitatis tuæ, qui vnico Filio cordis tui non pepercisti: sed pro nobis omnibus tradidisti in mortem. Et tibi Domine Iesu, quid gratiarum retribuam pro his maximis & singularibus beneficijs gratiæ tuæ in me collatis? Quid enim pro mea salute facere debuisti, & non fecisti.

15. MIN. Augustini porro doctrina potissimum delector. DOCT. Tam ignita sunt illius de Christi patiẽtis satisfactione & meritis verba, vt etiam ipso gelu frigidiora pectora possent accendere. Ait enim. Tuta &
Manual. c. 21. firma requies est infirmis & peccatoribus, in vulneribus Saluatoris. Securus illic habito patent mihi viscera per vulnera. Quicquid ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniã misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Per foramina corporis, patent mihi arcana cordis. Patent viscera misericordiæ, in quibus
Luc. 1. visitauit nos Oriens ex alto. Vulnera Iesu
Ps. 129. Christi plena sunt misericordia, plena pieta-
cap. 22. te, plena dulcedine & charitate. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Iesu Christi Saluatoris nostri. Et post pauca: Tota spes mea est in morte Domini mei. Mors ei⁹ meritum meum, & refugium meum, salus, vita, & resurrectio mea. Meritum meum miseratio Domini. Non sum meriti inops, q̃diu ille miserationum Dominus non defuerit. Et si misericordiæ Domini multæ, multus ego sum in meritis. Quanto ille potentior est ad saluandum, tanto ego sum securior.

16. MIN. Nunquam sane tam pias eruditasq; sancti Doctoris orationes exaudire pigeret: sed q̃a plurima adhuc nobis discutienda esse sentio, reliquorum Veterum sentẽtias paucis quæso, contrahe. DOCTOR. In decretis *Clem. 6. extrauag. com. Vnigenitus.* sanctorum Pontificum habetur, Minimam Christi sanguinis guttam, ob vnionem hypostaticam, quæ inter Verbum & hominem intercedit, tantæ virtutis, tantique meriti esse: vt redemptioni humanæ sufficeret. Et ne *Nazianz. orat. 2. de Pascha.* tibi leuis videatur hæc sententia, attende vetustissimi & maximi Theologi verba. Nullum miraculum (inquit) cũ salutis meæ miraculo conferendũ est, in quo exiguæ cruoris guttæ orbem vniuersum instaurarunt. Atque vt tibi obsequens breuitati studeam, eiusdem fidei ac doctrinæ sunt Basilius Magnus in Psalm. 12. Cyrillus Alexand. lib. 11. in Ioannem, cap. 34. Theodoretus dialogo secundo: & vt Latinos Græcis coniungamus, Augustinus lib. 13. de Trinitate, cap. 13. & 14. Leo Magnus Serm. 11. & 12. de Passione. Ambrosius libro 4. in Lucam. Hilarius in cap. 14. Matthæi. Cyprianus sermone de morte & passione Domini: & vt concludam, hæc omnium sanctorum perpetua fides & sententia.

MIN. Iam recordor cuiusdam propositi, 17.
his quæ ex Pontificum decretis, & Nazianzeno nuper adduxisti plane similis, quam frequẽter sat scio in Rhapsodijs nostri Marlorati perlegi. DOCTOR. Illud proferas in medium. Multo enim illustrior erit victoria, si Caluin. etiam à proprijs discipulis redarguatur & refellatur. MINIST. Scribit in primum caput primæ Catholicæ Petri: *Thesaurus quo redempti sumus, tã eximius, tamq; incomparabilis est pretii, vt id nullus hominis sensus, nulla ratio queat comprehendere: adeo vt guttula huius innocentißimi sanguinis abunde satis fuisset pro peccatis totius mundi.* *Vers. 19.* DOCT. Recte id sane. Sed inde tecum cogita, quam impius & contumeliosus ergo sit in Christum Caluinus vester, affirmans omnem eius sanguinem, omnes dolores, omnes angustias, vniuersamque illius passionem & mortem, diuino iudicio simpliciter oppositam, nullum meriti ac per consequens satisfactionis locum habere.

MINIST. Vnum & alterum duntaxat pro 18.
huius disputationis conclusione, à te desidero. DOCT. Dic quæcunque voles. MIN. Quid respondendum est Caluino Augustinum laudanti, vt ostendat nullis operum aut fidei meritis præcedentibus Christum hominem effectum esse Saluatorem mundi? DOCT. Quod consueta sibi fraude & malitia, B. Patris sententiam de gratuita huma- *Aug. l. 1. de præd. SS. c. 15. & l. de*

bono perse-ner ... Enchi ... 6 ... de Tri... ... l. 15 ... Tom.

nitatis nostræ assumptione à Verbo; ad passionis & mortis illius imminuenda merita impie detorquet. Cum enim sanctus Doctor dicat, Illum hominem vt à Verbo Patri coæterno in vnitatem personæ assumeretur, & Filius hominis esset vnigenitus Filius Dei nequaquam meruisse: manifestum est quod de incarnatione, (quã omnes maxime gratuitam fuisse profitemur) differit: non de nostra salute & reconciliatione, quæ non nisi per eius meritum & satisfactionem peracta est & comparata.

L. 1. confess. c. 4. & lib. medit. c. 29. L. 5. cõf. c. 9.

19. MIN. Addit vero, Deum hominibus nulla posse obligatione teneri: quod & ex Augustino facile comprobatur dicente Deo: Reddis debita, nihil debens: donas debita, nihil perdens.

Com. in Ps. 83. 100. 2. Tim. 4. a

Ser. 31. 32. de verb. Domini.

DOCT. Facilius dissoluitur hæc obiectio ex eodem patre Augustino, sic etiam Deum alloquente: Dignaris Domine, eis quibus omnia debita dimittis, etiam promissionibus tuis debitor fieri. Et idem rursum alibi ait: Videmus quia tenet Deum debitorem Paulus, *Reddet mihi*, inquiẽs, *Dominus illo die*. Quid tibi reddet, nisi quod tibi debet? Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiẽdo, sed ꝓmittendo. Non ei dicitur, Redde quod accepisti: sed redde quod promisisti. Et rursum: Chirographum fecit nobis Deus promissorum suorum, non debendo, sed promittendo. Quapropter illi dicere possumus, non, Redde quod debes: sed redde quod promisisti. MIN. Mihi factum satis de hac re profiteor: de alia dicamus.

QVOD CHRISTVS SVA INCARNAtione, natiuitate, tentationibus, afflictionibus, & sanctißimis laboribus plurimum nobis profuerit atque meruerit: aduersus 34. 35. 36. 37. & 38. Hugnosticorum hæreses.

CAPVT XIX.

DOCTOR.

EX quo semel Caluinus effractis omnibus reuerentiæ ac timoris Christi repagulis, aduersus eiusdem merita, piosque pro nobis exanthlatos labores insanus insanire ac furere cœpit; incredibili audacia sectatores eius incubuerunt, vt illa imminuerent atq; labefactarent. Nam vnus Carolus Molinæus paucis verbis quintuplici errore aduersus illa insurgens, ait primò, eum nihil meruisse suæ incarnationis humilitate. Secundo, nihil sua natiuitate. Tertio, nihil suis

A tentationibus. Quarto, nihil suis afflictionibus. Quinto, nihil cunctis alijs laboribus, quibus per triginta annos pro nobis seipsum exercuit. *Errauerunt* (inquit) *monachi & sacrificuli, Doctoresque Papistici, vrgentes merita tum incarnationis, tum natiuitatis, tum tentationum, & afflictionum Christi. Nihil enim hæc proderant nobis, nihil poterant.* MIN. Nonne est Molinæus ille, non ita pridem in suprema Parisiensi curia patronus, quem Petrus Vermilius scribit, totam percursitasse Germaniam, Tubingam, Heidelbergam, Basileam, Tigurum, Montempelligardum, vt Doctoris legum

Ann... in 51. part. Harm.

B aliquem locum inueniret? DOCT. Ipsus est, & de quo subijcit: *Facultatem docendi à Deo non est nactus*, Et statim: *Homini constantia deest.* Atqui hi sunt honorifici tituli, quibus eius labores compensarunt Caluiniani; in quorum gratiam tam impudenter & obstinate adlatrauit aduersus Annatas & paruas (quas vocant) Datas Papæ. MIN. Ohe, longe atrociora aduersus illum Lugduni designauit quidam Geneuanus Minister, conatus eũ in præterfluentem rapidumq; Rhodanum detrudere, & fluctibus demergere; cum inter eos (vt omnium frequentissime contingit) non satis de quibusdam dogmatib. con-

Epi. ad Io. Calu. 1555. Sept. 23.

C ueniret. Verum, nec vnquam legi, nec audiui, quod quinque supradictas eius sententias in eo coarguerint aut damnauerint: imo potius laudent & probent. DOCT. De his porro sententijs eius, quid tu censes?

Confutat. 1. Phil. 2.

MIN. Omnino à fide & pietate Christiana esse alienum, existimare Christũ nouem illis mensibus, quos in sacro Virginis vtero compleuit, tanta humilitate, patientia, & (vt Paulus loquitur) exinanitione sua, nihil nobis profuisse. Impium quoque censeo vel tantum suspicari, quod ille nascendo, flẽdo, vagiendo, in præsepis angustijs iacendo, al-

D gendo, æstuando, ac innumera alia, quę pueris contingunt, incommoda perferendo: deinde etiam, Satanæ furiosos congressus egregie sustinendo, ac superando, nihil meruerit, aut saluti nostræ profuerit. Rursum, æque nefarium mihi videtur, quod ait, eundem suis afflictionibus, hoc est, ieiunijs, peregrinationibus, Vigilijs, concionibus, sudoribus, alijsque innumeris laboribus suis, nihil potuisse vtilitatis aut meriti afflictissimis rebus nostris adferre. Etenim vt de incarnatione ac conceptione Christi primum dicam, multum nobis profuit per eam adimpletas esse veteres Prophetias, quæ ac Virgine Emmanuelem conceptura, deque semine

Isa. 7. Genes. 3. Gen. 22.

Luc.2. semine mulieris contrituro caput serpentis, A
ac semine Abrahæ, in quo benedicendæ e-
rant omnes gentes, ab initio in rem nostram
promulgatæ fuerant. Deinde, si natiuitate
sua nihil saluti humanæ commodasset, pro-
fecto nec Angeli præ lætitia cecinissent, nec
pastores ad eum visendum & colendum ab-
Matt.2. legassent, nec Magi eo in cunis inuento iure
exultassent gaudio magno valde: nec deni-
Luc.2. que Simeon senex merito tam beatum ac
fœlicem sese reputasset, quod eum in vlnis
suis puerulum suscipere posset. Præterea,
scelestum ac nefariũ est, nobilissimæ, quam
de Satanico impetu fortissime repugnando
retulit, victoriæ, atque triumphis tam impu- B
denter detrahere: ac denique tot afflictio-
nes & labores, quibus pro humana salute
perfunctus est, adeo contemnere & flocci
facere, vt dicat, *Hæc omnia nihil nobis profuisse,*
nihil potuisse. Ecquid vilius aut vanius nihilo?

2. His addo, quod Caluinus discipulis atque
Inst.lib.2. c.16 §.5. sectatoribus suis hac in re contradicens scri-
Gal.4. bit, *Causam veniæ quæ nos eximit à maledictione*
legis Apostolum extendere ad totam Christi vitam.
Et paulo post: *Ex quo Christus induit personam*
serui, cœpit ad nos redimendos pretium liberationis
soluere. Ideoque Ioannem Baptistam clamare i-
psum venisse ad tollendum peccata mundi, quia a-
Ioan.1. *gnus Dei esset.* Iterumque postea: *In symbolo fi-* C
dei quod Apostolicum vocant, optimo ordine statim
à natalibus Christi fit transitus ad mortem & re-
surrectionem, vbi perfectæ salutis summa consistit.
Neque tamen excluditur reliqua pars obedientiæ
qua defunctus est in vita: sicut Paulus ab initio ad
finem vsque totam comprehendit quod seipsum
exinanierit forma serui accepta, & Patri fuerit o-
Phil.2. *bediens vsq; ad mortẽ.* Itaq; si tota Christi vita
tam vtilis nobis fuit, si initio statim quo for-
mam serui induit, cœpit soluere pretium li-
berationis nostræ; profecto homo nequam
atque improbus est Molinæus scribens eius
incarnationem & natiuitatem nihil nobis
profuisse. Cumque iam fuerit agnus Dei D
conceptus & natus, certe cœpit tollere pec-
cata mundi. Et sane in nostræ redemptionis
opere necesse est voluntariam eam subie-
ctionem, qua decretis paternis carnem assu-
mendo, nascendoq; paruit, primum ac po-
tissimum locum occupare: quia parum ad
iustitiam reliqua omnia profuissent, nisi
sponte oblata & tolerata.

5. Caluinus rursum huius rabulæ retundens
impudentiam; asserit Christum paupercu-
lam nascendi conditionem suscepisse, *quia*
in hunc finem carnem nostram induerat, vt se no-
stri causa exinaniret. In stabulum (inquit) *reiectus* Luc.2. Luc.
est, ac locatus in præsepi, negatusque illi est hospitii v.7.
locus inter homines, vt cælum nobis non modo ho-
spitii iure, sed quasi æterna Patria & hæreditas pa-
teret, ac nos Angeli in suum contubernium admit-
terent. Insuper, circumcisionem quoque il-
lius adeo nobis vtilem fuisse idem affirmat,
vt eius susceptione seruum se legis ostendens, nobis Ibi.v.21.
libertatem acquireret. At vero nemo mentis
compos dicere potest, libertatem per Chri-
stum nobis collatam, rem esse inutilem, ne-
mo cælestem Patriam contemnendam, ne-
mo contubernium beatorum Angelorum
aspernandum: igitur cum hæc pro nihilo
ducat Molinæus, in Christum simul & in An-
gelos, adeoque in cælites vniuersos multis
modis est contumeliosus. Atque hæc sunt
quæ ex Caluino aduersus superiores secta-
torum eius errores proferenda iudicaui: tu
quæ in eos parasti deprome.

DOCT. Credis Dominum nostrum Ie- 4.
sum Christum iam à primo conceptionis &
natiuitatis suæ exordio perfectum, nume-
risque omnibus absolutum hominem fuis-
se, quantum ad animæ rationalis, faculta-
tumque illius, vtpote, intellectus, volunta-
tis, ac memoriæ rationem pertinet? MIN. L.9.Reg.c.
Credo cum beato Gregorio, eum in vtero 61.
Virginis perfectum hominem, diuinæ læti- Lib.13.de
tiæ oleo vnctum præ cunctis participibus Trin.c.10.
suis: & cum Diuo Augustino, eũ assumpsisse 17.19.
ex nobis quod non habebat, perfectam sci-
licet humanitatem, præter detrimentum
naturæ animæ suæ: cũ dicat Euangelista, *Vi-*
dimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre: & A- Ioan.1.
postolus: *In eo sunt omnes thesauri sapientiæ &* Coloss.2.
scientiæ reconditi. Cum etenim Præcursori suo
accelerarit rationis vsum, eundemque re-
pleuerit Spiritu sancto adhuc ex vtero ma- Luc.1.
tris suæ; multo magis credendum, quod &
ipse iam ab initio suæ conceptionis perfe- Isa.11.
ctus homo, rationis mentisque compos spi- Ps.44.
ritu sapientiæ & intellectus, spiritu consilij & Heb.1.
fortitudinis atque timoris Domini plenus
fuerit. Mihi etiam cum Hieronymo persua- Hier. in 31.
deo, quod Dominus secundum conditionẽ Ierem.
quidem corporis crescens, fortior & maior
fiebat in tempore: verum secundum ani-
mam ab exordio perfectus esset, vt prædi-
ctum fuerat à Ierem. *Mulier circumdabit vi-*
rum. Nec dubito post Euseb. asserere, quod L.10.Dem.
tametsi iuxta corpus, initio perparuus, im- Euang.c.8
becillusque instar aliorum infantium exti-
terit;

terit; nihilominus ſecundum animam cum A adhuc vtero geſtaretur, tantum virtutis, tantumq; virium habuerit, vt conſtanti cogitatione, animoque imperturbato, & mente ſobria & erecta Dei cognitionem acceperit, adeo vt potuerit dicere: *Quoniam tu es qui extraxiſti me ex vtero, ſpes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus ſum ex vtero. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.* (Pſal. 21)
DOCTOR. Bene habet, iacta ſunt fundamenta aſſertionis noſtræ. Chriſtus primis ſtatim initijs perfectus homo fuit, compos mentis rationis & arbitrij liberi; inſuper omnibus Spiritus ſancti donis repletus, qui- B bus Patri gratiſsimus & acceptiſsimus reddebatur: ergo & ipſum Deum Patrem dilexit ex toto corde ſuo, ex tota mente ſua, & ex omnibus viribus ſuis. Præterea, cunctos homines, quos proximorum imo & fratrũ loco ſemper duxit, ſicut & ſemetipſum etiam tum amantiſsime complexus, horũ infirmitatibus incredibili charitate, ſponteq; ſeipſum ſubiecit: ergo & carnẽ noſtram aſſumendo, & in ea ex Virgine naſcendo, & in cunis vagiendo puerilibuſque imbecillitatibus corporeis ſeſe pro nobis ſummittendo, iam tum ſalutem noſtram operabatur, & coram Patre cœleſti efficaciſsime prome- C rebatur. MIN. Propoſitio apertiſsima eſt, aſſumptio ex verbo Dei patet, concluſio igitur firmiſsima.

(Heb. 10.) DOCTOR. Audi & Paulum iſthæc magna authoritate confirmantem. *Chriſtus ingrediens mundum dixit (Patri) Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Holocauſtomata & pro peccato, non tibi placuerunt. Tunc dixi. Ecce venio vt faciam volũtatem tuam. In qua volũtate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel.* MIN. Decentiſsima profecto & grauiſsima verborum ſeries. In primis enim Apoſtolus notat Chriſtum in- D grediendo mundum, conceptione & natiuitate nimirum humana, cum Patre ſuo de ſalute noſtra collocutum: hinc, veterum oblationes & holocauſta ad id opus minus eidem fuiſſe grata & accepta; inde, vt conſtitutum fuerat, Verbum carnem ſibi vt in eadem peccata noſtra expiaret, ſponte aſſumpſiſſe; denique hac Filij ſui ſubmiſsione & promptiſsima voluntate Patrem adeo placatum & propitium nobis factum eſſe, vt nos velut ſanctos & iuſtos in Filios adoptarit. Sed Patrum interpretatio adiicienda eſt. DOCT. Tres Latini Sedulius, Primaſius, Ambroſius ſcribũt: Chriſtum tum ingreſſum eſſe mundum, ſeque Patri obtuliſſe pro nobis, cum in carne apparuit. Apparuit porro Virgini & Ioſeph iam à conceptione; cũctis vero alijs, natiuitate, circuncisione, oblatione in templum, ac integris triginta annis inter homines conuerſatione. Oecumenius & Theophylactus ſuperiorum omnium Patrũ Græcorum velut abbreuiatores, his omnino cõſentiunt. Manifeſtum eſt ergo Chriſtum non expectaſſe poſtremum vitæ humanę articulum, vt ſeipſum pro nobis offerret Deo Patri, & apud eundem ſanctificationem & ſalutem noſtram mereretur: ſed etiam id ſtudioſiſsime præſtitiſſe dum in vtero Deiparæ conciperetur & naſceretur: & ea propter execrandam eſſe blaſphemiam Molinæi de conceptione, natiuitate, tentationibus, & afflictionibus totius vitę Chriſti ſcribentis. *Nihil hæc nobis profuerunt, nihil potuerunt.*

6. His adde, quod & alibi Paulus exaltationem nominis Chriſti, atq; cultũ religioſum, qui eidem per totum orbem exhibetur, tribuat meritis exinanitionis ac humilitatis eius, dicens; *Cum in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, factus obediẽs Patri vſque ad mortẽ crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, &c.* (Philip. 2) Sed à primo ſtatim conceptionis ſuæ initio id incœpit, in natiuitate prorogauit; in tentationibus, vigilijs, laboribus, ieiunijs, prædicationibus, peregrinationibus hinc inde vt Euãgelizaret regnum Dei ſpõte ſuſceptis expleuit atq; cumulauit: igitur nefarium eſt merita illius, partamque humanam ſalutem ad ſupremam illius vitæ horam cum Molinæo & Caluinianis reſtringere. MIN. Vellem audire Auguſtinũ hunc grauiſsimum Pauli locum explicantem. DOCT. Scribit ille: Humilitas claritatis eſt meritum: claritas humilitatis eſt præmium. (Tract. 104. in Ioan.) Sed & his addo parentis eius in Chriſto Ambroſ. verba. Quid & quantum (ait) humilitas meretur, his oſtendit verbis Apoſtolus. (Com. in c. 2. ad Ephe.) Hilarius autem vtroq; eorum ſuperior, inquit. (l. 9. de Tri.) Ob meritum obedientię dictum eſt, *Donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* At vero, non ſolum tunc demiſit ſemetipſum quando crucem ſubiuit, & vitam poſuit: verum & cum carnem conceptus & natus ſuſcepit, cum tentatus & afflictus eſt nunc à Satana, mox à Phariſæis, Scribis, Sadducæis & Herodianis: igitur & multis modis & totius vitæ ſuæ momentis ſalutem humanam promeruit.

MIN. Nullus profecto videtur mihi dubitan-

bitandi locus relictus esse, cum etiam Ange-
lus, qui Ioseph initio conceptionis eius ap-
paruit, iusserit paruulum, Iesum appellan-
Matth.1. dum esse, hoc est, Saluatorem, *quod saluatu-
rus esset populum suum à peccatis eorum.* Ergo &
in vtero matris latens, & in præsepio vagi-
ens, & abductus in Ægyptum, & ex ea redu-
ctus, & in Galilæa, & in Iudæa, & vbique &
semper vere Iesus, id est, Saluator erat to-
tius mundi, non in sola cruce & morte.

8
2.Tim.4. Id etiam ab omni ratione & iustitia alie-
num esset, Paulum gloriosam sibi coronam
& mercedem polliceri, quod bonum certa-
men certasset, Euangelium magno zelo
prædicasset, grauissimos & plurimos labo-
res pro eodem subiuisset; Filium autem ho-
minis nihil aut sibi aut nobis meruisse his
omnibus laboribus, quos triginta & tres an-
nos assidue pertulit vt Patri suo morem ge-
reret, nostræ vero saluti prospiceret.

9.
Psal.61. Rursum, si Deus mercedem vnicuique
1.Cor.3. redditurus est secundum proprium labo-
Galat.6. rem, daturus omnibus secundum opera sua,
Rom.2. eritque gloria omni operanti bonum siue
2.Tim.2. Iudæo siue Græco; coronandusque est qui
legitime certauerit; certe nefarij sunt Hu-
gnostici cum suo Molinæo asserentes, Chri-
stum cunctis & maximis suis tentationibus,
afflictionibus, & continuis passionibus ni-
hil meruisse, nihil profuisse, nihil potuisse.

10.
Iacob.1. Si beatus est vir qui suffert tentationem,
accepturusq; coronam cum probatus fue-
rit: quare Filius hominis nihil mereri potuit
tot exagitatus & impetitus à mundo & Sata-
Matth.4. na tentationibus? Si Deus Pater qui videt in
Matth.6. abscōdito, eis eximiam redditurus est mer-
cedem, qui rite orauerint & ieiunauerint;
quomodo iuste non compensaret tot Chri-
sti Filij sui preces, suspiria, ieiunia? Si hos qui
frigidæ aquæ poculum suo nomine dede-
rint, non est defraudaturus condigno præ-
Matth.10. mio: existimabimus Christum nihil apud Pa-
trem promeruisse, totum quod erat & habe-
Matth.5. bat egenis fratribus suis expendentem? Si
regnum cælorum pauperibus spiritu, perse-
cutionemq; pro iustitia patientibus iure de-
betur & redditur; quid non meruerunt no-
Matth.19. bis altissima Christi paupertas, assiduaque
tentationum & afflictionum tolerantia? Si
excelsus gloriæ tronus eis promissus est, qui
propter Deum bona quædã dereliquerunt;
diabolica proculdubio verba sunt, dicere
Christum cælestium & terrestrium regno-
rum gloriam à se tot annis velut abdicantẽ
nihil effecisse, nihil meruisse. Denique, si regnum

A cælorum ijs dandum est, qui nudos operue-
runt, peregrinos susceperunt, infirmos &
vinculis detentos visitarunt, famelicos pa-
uerunt, &c. quanto certius & manifestius est *Matth.25.*
Dominum nostrum Iesum Christum hæc
omnia diligenter, studiose, ac spiritaliter ex-
ercentem, sibi quidem eximiam laudem,
nobis vero remissionem peccatorum & sa-
lutem acquisiuisse? Hæc toto corde credo,
hæc profiteor: sed est vnus in animo scru-
pulus, quem euellas rogo & obsecro.

DOCT. Dic quæcunque voles, ego pro 11.
viribus, respondebo. MIN. Si Dominus Ie- *Obiectio.*
sus sua conceptione, natiuitate, circuncisio-
B ne, fuga, deinde etiam ieiunijs, precibus, &
assiduis per triginta tres annos ante crucem
& mortem, exantlatis laboribus salutem
humanam sufficienter promeruit; quid
opus fuit, vt sanguinem pro nobis effun-
dens ignominiosissime à Iudæis & gentibus
tractaretur & necaretur? Non hæc omnia
fuere superflua & vana? DOCT. Minime *Matth.20.*
omnium: quandoquidem Deus Pater æter- *Marc.10.*
no sapientissimoque consilio sic fieri decre- *Act 4.*
uerat, totique mundo ita euenturum per *Luca 24.*
Prophetas suos promiserat: quare opportu- *Ioan.3.*
num fuit, vt hæc quoque Christus patere- *Rom.8.*
tur, & ita intraret in gloriam suam. Adde
C quod Christi passione & morte Pater cæle-
stis patefacere voluit, quanto nos amore
complecteretur; insuper, quam diues ipse
esset bonitate, gratia, & misericordia, po-
tensque ad saluandum, cum tot tantisque
modis ac remedijs animarum nostrarum
saluti consuleret. MIN. Rem nunc vtcun-
que capio. Nam non vno tantum aut altero
modo, sed plurimis ac prope infinitis, to-
tius mundi salutem Christus Dominus mer-
catus & assequutus est, ostendens quam *co-
piosa sit apud eum redemptio.* & ea propter nun- *Ps.129.*
quam satis mirari ac prædicare posset hu-
mana mens ingentem miserationum eius
D abundantiam, adorare summam beneuo-
lentiam, & gratias referre infinitæ illius ma-
iestati, qui tam copiose & abundanter rebus
nostris consulit. Atq; mihi iam satis superq;
dictum videtur de his quæ ad Christum ex
Virgine natum hominem Deumq; omni-
potentem, omniscium beatum & cunctis
Spiritus sancti donis etiam ab initio ple-
num, ad sanctissimam eius in terris conuer-
sationem, singularem doctrinam, copiosissi-
maque merita pertinent: Tantummodo
gauderet animus quidpiam ex mellitis Ber-
nardi orationibus in hanc rem exaudire.

12. *Hom. 4. sup. Missus est.* DOCT. Is conceptionis & Natiuitatis Christi fructus narrans, simulque vaticinium Isaiæ expendens ait: Magnificetur à nobis paruulis magnus Dominus, quos vt faceret magnos, factus est paruulus. *Paruulus* ait *natus est nobis, Filius datus est nobis*. Nobis inquam, non sibi, qui vtique ante tempora multo nobilius natus ex Patre; nasci temporaliter non indigebat ex matre. Non Angelis quoque, qui cum magnum haberent, paruulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis & datus: quia nobis necessarius. Iam de nobis nato, & dato, faciamus ad quod natus est & datus. Studeamus effici sicut paruulus iste, discamus ab ipso, quia mitis est, & humilis corde: ne magnus Deus sine causa factus sit homo paruus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus. Discamus eius humilitatem, imitemur mansuetudinem, amplectamur dilectionem, communicemus passionibus, lauemur in sanguine eius, ipsam offeramus propitiationem pro peccatis nostris: quoniam ad hoc ipse natus & datus est nobis. Et alibi: Age pœnitentiam, quia per hanc appropinquat regnũ Dei. Hoc tibi prædicat stabulum istud, hoc præsepe clamat, hoc membra infantilia manifeste loquuntur, hoc lachrymæ & vagitus euangelizant, &c.

Isaiæ 6.

Serm. 3. in Natali Dom.

13. *Serm. 3 de verbis Dom. & Ser. 22. sup. Cant.* De fructibus porro laborum totius conuersationis, denique & passionis Dominicæ scribit: Triginta annis operatus est salutem tuam in medio terræ: affixus cruci, additus morti, ludibrijs deputatus. De lata nos & spatiosa via, quæ ducit ad mortem, digito suo traxit, & posuit in consilio iustorum & congregatione, &c. Factus est nobis sapientia in prædicatione, iustitia in absolutione, sanctificatio in conuersatione quam habuit cum peccatoribus, redemptio in passione quam sustinuit pro peccatoribus. Sedebas ô homo, in tenebrosis & vmbra mortis, sedebas vinctus cathenis delictorum: descendit ad te in carcerem, vt erueret de potestate tenebrarum, per lucem sapientiæ suæ, depulit vmbram ignorantiæ tuæ: & per iustitiam, soluit funes peccatorum, gemino beneficio
Psal. 145. implens illum sermonem: *Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos.* Addidit quoque sancte inter peccatores viuere: & sic tradere formam vitæ, tanquam vitæ qua redires ad patriam. Ad cumulum postremo pietatis, tradidit in mortem animam suam: & de proprio latere protulit pretium satisfactionis, quo placaret Patrẽ, per ꝙ illum plane

A ad se versiculum traxit, *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* MIN. *Psal. [illegible]*
Sufficit. Iam persequamur reliquas Caluini ac sectatorum aduersus passionem, mortem, ac crucis eius fructus hæreses. Non enim dubito quin plurimas & grauissimas, vel adinuenerint vel redintegrarint. DOCT. Has sequenti die examinabimus: nunc huic Dialogo finem cum his precibus imponamus.

O Iesu Rex regum; Domine dominantium, princeps Regum terræ, α & ω, qui es, qui fuisti, & qui venturus es omnipotens. O Iesu vera lux mundi, qui illuminas omnem *Orat[illegible]*
B hominem venientem in hunc mundum, qui à Patre exiuisti, in mundum venisti, iterumque reliquisti mundum vt ad Patrem redires. O Iesu Fili Dei viui, qui hominem *Luc. 1.*
carne quidem instar aliorum infantium *Isa. 7. 11.*
imbecilla & infirma, anima vero sanctissima, sapientissima, beatissimaque præditum ex purissimæ Virginis vtero in vnitatem personæ tibi misericorditer assumpsisti, in quo totius generis humani salutem iam inde inchoares, & mirabiliter natus, ac in terris triginta tres annos diuersatus fœlicissime & abundantissime perficeres atque cõsummares. Quid tibi retribuere possumus pro
C tantis beneficijs misericordiæ tuæ, quas laudes, quasve gratiarum actiones? Etiam si illa *Aug. lib.*
beatorum Angelorum scientia & potentia *Medit. ca.*
nobis adforet, nihil tamen dignum tantæ *15. 16.*
pietati & bonitati tuæ compensare valeremus. Certe si omnia membra nostra verterentur in linguas ad rependendum tibi debitas laudes, nequaquam sufficeret exiguitas nostra. Supereminet enim omnem scientiam, omnemque orationem tua inæstimabilis charitas, quam nobis indignis ostendisti pro sola bonitate & pietate tua. Gratias ergo quantum possumus maximas agimus labijs, corde, & omni qua valemus virtute
D infinitæ misericordiæ tuæ Domine Deus saluator, redemptor, patrone ac mediator noster, pro omnibus miserationibus tuis, quibus superabundanter nobis perditis subuenire dignatus es. Tibi nempe debemus omne quod sumus, omne quod viuimus, omne quod sapimus, omne quod possumus. Supplices autem te rogamus, & per hanc inæstimabilem gratiam & charitatem tuam obsecramus, vt dignos nos reddas multis & magnis beneficijs & promissionibus tuis. Confirma hoc Deus, quod operatus es in *Psalm. [illegible]*
nobis: perfice quod cœpisti, vt ad plenam

tuæ

tuæ pietatis gratiam mereamur peruenire.
1. Tim. 3. Fac nos per Spiritum sanctum intelligere, & debito honore venerari hoc maximum pietatis tuæ mysterium, quod manifestatum A est in carne, iustificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Amen.

LIBER QVINTVS,

QVO DISCVTIVNTVR VIGINTI ET SEX CALVINIANORVM ERRORES, ADVERSVS EA, QVÆ OPTIMVS QVISQVE CHRISTIAnus credere atque sperare tenetur de angustiis, precibus, doloribus, acerbissimaque morte Domini nostri IESV Christi. Ac primum de eximia consolatione, quam capiunt bonorum animæ in contemplatione Christi redemptoris crucifixi.

CAPVT PRIMVM.

MINISTER.

PRIMA luce expergefactus, huc subito aduolaui, teq; diu expectaui, vt inchoatum persequantur de Caluinianis aduersus mortem Christi, & fructus eius colloquium. DOCT.
Act. 8. Precor eundem Dominum nostrum, qui maxima inspexit Æthiopis Eunuchi studia, tibi etiam gratulari; tamque piam amplissima remuneratione compensare cupiditatem tuam. Decreui porro 26. eorum hæreses B nunc recitare, atque paucis refellere. Prima est communis atque teterrima vniuerso crucis & passionis eius mysterio illata iniuria, qua dictitant in isto summo maximoque beneficio nihil aliud nobis proponi, quam expressam extremamque animarum desperationem. MIN. Et locos & verba eorum fideliter referas quæso. DOCT. Scribit
In cap. 16. Matth. Caluinus in cap. 16. Matthæi, versu 21. *Certe cum in cruce Christi tantum appareat carnis infirmitas, donec ad resurrectionem Christi ventum fuerit, in qua relucet Spiritus virtus, non reperiet* C *fides nostra quo se erigat vel sustentet.* Non autem eum coarguo, quod dicat virtutem Spiritus in Dominica resurrectione relucere: sed quod existimet in eius cruce solam carnis infirmitatem apparere, nec fidem Christianorum in ea reperire, quo se erigat & sustentet. Hunc errorem hisce blasphemis verbis
In cap. 27. Mat. v. 57. magis ac magis adauget. *In Christi morte spectaculũ desperationis plenũ occurrit.* Et adhuc grauiore blasphemia sanctissimũ & saluberrimum mysterium istud deformans scribit: *In isto spectaculo nihil quam extrema desperationis materia erat.* Hinc autẽ inter Caluinicę Theologiæ professores & propugnatores nõ modo despicata & contempta, sed & tam ignominiosa, odiosaq; euasit omnis Christi pro nobis patientis repræsentatio; vt eam nullibi tolerare velint. Ideoq; Beza in has, etiam Lutheranis ipsis, qui Colloquio Mompelgartensi adfuerunt, horrendas & Turcicas voces palam erupit: *Fateor me ex animo Crucifixi imaginem detestari, quæ est imago crudelitatis Iudæorum in Christum ideo eam non possum ferre.* MIN. Est etiam imago summæ charitatis & beneuolentiæ Dei in totum genus humanũ. DOCT. In eodem rursum Colloquio, iisdem Caluinianis palã exprobrauit Iacobus Andreas Tubingensis Cancellarius: *Scripsit alicubi Petrus Viretus, Per vaccam crucifixũ Christum magis repræsentari, quam per imaginẽ vel pictam vel sculptam. Quæ oratio pios homines nõ purum, neq; immerito offendit.* MIN. Certũ est Lutherum nunquam ab imagine Crucifixi abhorruisse; quãdoquidem cunctis tomorum ac librorum suorum initijs, etiam nunc exprimatur genibus flexis ante illã supplicans: deinde, in Minore Catechismo suo in memoriam Crucifixi, consignationem cru-

Right margin notes: In cap. 14. Ioan. v. 1. — Act. colloq. p. 418. — Ibid. p. 406.

Tom. 5. fol. 651. cis istis verbis commendet. *Mane, cum voles surgere primo omnium signabis te sancta cruce, & dices. In nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti: Amen. Vesperi cum lectum petis, primo omnium signabis te sancta cruce, & dices, iam conscendens lectum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* DOCT. Cernis ergo inter omnes omnium ætatum hæreticos, Caluinianos non solum Redemptionis nostræ signum ac typum, verum & totum opus ac suspiciendum cunctis mysterium; adeo pedibus calcasse, & verbis diffamasse, vt in eius meditatione nihil quam extremæ desperationis materiam dicant inueniri. Quid de his censes & iudicas?

Cõfutatio 1. DOCT. Hæc palam blasphema & impia esse fateor, simulque ex eodem authore facile & aperte refello. Ait enim: *Sciamus ergo tunc nos demum Christi gratiæ reconciliari Deo, si recta ad eius mortem nos conferimus: & statuimus illum cruci affixum vnicam esse victimam expiatricem, qua sublatus est omnis noster reatus.* Et iterum: *Tunc vitam in Christo inuenies, si vitæ materiam quæras in eius carne. Ita cum Paulo iactare conuenit, nihil nobis excellere præter Christum crucifixum, quia simul atque à sacrificio mortis eius discessimus, nihil præter mortem nobis occurrit.* DOCT. Si ad eius mortis contemplationem conuersi cum Deo reconciliamur, veramque recipimus animarum, & peccatorum expiationem, plurimum certe inuenit fides nostra quo se sustentet; plurimum spes quo se erigat; plurimumque charitas quo in Deum Patrem & Filium eius accendatur: sicque mortis Christi spectaculum maximæ fidei spei & consolationis materia est, non extremæ desperationis, vti conscèleratus iste blasphemat.

In c. 1. Ioa. vers. 29.

In cap. 6. Ioan. v. 55. 1. Cor. 1. & 2. Galat. 6.

2. MIN. Alibi quoque scribit: *Iam quidem in cruce ipsa, deleto peccati chirographo, & abolito mortis reatu, de Satana magnifice triumphauit coram Deo & Angelis: sed triumphus hic prædicato Euangelio, tandem hominibus quoque conspicuus esse cœpit.* Et rursum: *Hoc in fide præcipuum est, vt sciamus sacrificio mortis eius expiata esse peccata: & nos Deo reconciliatos esse.* DOCT. Si crucis ac crucifixi consideratione perspicimus deleta esse peccata nostra, abolitam mortem, Satanam deuictum, Christi magnificum de eodem triumphum, nosque Deo Patri nostro reconciliatos; quomodo non nisi extremæ desperationis in eadem inueniretur materia? Ecce quomodo Samson vester mole ruit sua, immanisq; Goliath proprio trucidatur gladio.

In c. 8. Io. v. 29.

In c. 9. Io. v. 37.

Iudic. 16. Reg. 17.

A MIN. Multo adhuc apertius seipsum coarguens & impietatis damnans, contemplationis crucis ac mortis Christi fructus his verbis extollit: *Ergo vtcunque in cruce appareat ignominia, quæ per se confundere fideles posset, testatur tamen Christus eandem crucem sibi esse gloriosam, &c. Nam in Christi cruce, quasi in splendidissimo theatro incomparabilis Dei bonitas toti mundo spectata fuit. Sursum quidem & deorsum in omnibus creaturis relucet Dei gloria: sed nunquam illustrior alibi fuit quam in cruce, in qua admirabilis facta est rerum conuersio, ostensa omnium hominum damnatio fuit, abolitum peccatum, reddita hominibus salus: toto deniq; mundo reparato,* B *omnia in ordinem restituta.* DOCT. Omnium ergo improbissime blasphemat dum alibi scribit, *in cruce tantum apparere infirmitatem carnis, nihilq; aliud quam extremæ desperationis materiam*: cum è contrario tam excellenter in ea demonstretur Christi gloria & triumphus, simul declarentur præcipuæ partes salutis humanæ, deniq; amplissima vndique in Deo sperandi prodeat occasio.

In cap. 13. Ioan. v. 31

MIN. Rursumq; in contradictionibus suis pergens, mortis Christi dignitatem sic prædicat, & priores errores suos refellit: *Si quis obiiciat, nihil minus gloriosum fuisse morte Christi. Respondeo, in morte illa conspicuũ esse immensum* C *decus, quod impiis est absconditũ: quia illic agnoscimus expiatis peccatis mundum Deo reconciliatum esse, abolitam maledictionem, Satanam deuictum.* DOCT. Ergo longe alia in eo mysterio luculenter apparent, quam sola carnis infirmitas, quamq; extremę desperationis materia: ipse quoq; Caluinus seipsum in numerum eorum impiorum refert, quibus hoc sacramentum est absconditum. MIN. Rursum idem ait: *In eius morte totum salutis nostræ complementum, & singulas partes docemur contineri:* Et paulo post: *Omnes Euangelistæ diligenter mortem Christi exprimunt: nec immerito. Nam hinc nobis vitæ fiducia: hinc etiam secura aduersus mor-* D *tem gloriatio, quod eam vice nostra obiit Dei filius.* DOCT. Ecquid magis repugnans atque contrarium, quam extremæ desperationis materia, & vitæ fiducia contraque mortem secura gloriatio? Ergo quanto suauius animæ Christianæ in spectaculo mortis Christi totum salutis suæ complementum & singulas eius partes contemplantur, tanto acrius & vehementius Caluinicam impietatem exsibilant, qua nihil in ea nisi desperationis argumentum inueniri, nihil in quo fides nostra sustentari possit, impudentissime blasphemat. MIN.

4. In cap. 17. Ioan. v. 1.

In cap. 19. Io. v. 30.

Vis

Vis vt adhuc eum refellam fuis in Matthæū,
Marcum, Lucam, Petrum, Paulum, & Ioan-
nem verbis? DOCT. Id eſſet nimis fortaſſe
longum, iamque ſatis multa adduxiſti con-
traria, quibus cōſtat eum eſſe à ſeipſo diuer-
ſum: ſatius eſt vt me parumper de fructibus
ac vberrimis mortis Dominicæ commodis
ex Scripturis atque Patribus dicentem ſu-
ſtineas.

5. Omnis Chriſtianus erectis ad contem-
plandum Chriſti crucifixi myſterium ſpiri-
talibus fidei & pietatis oculis, videbit in pri-
mis mirandum diuinæ ſeueritatis ac ſtrictiſ-
ſimæ iuſtitiæ aduerſus hominū peccata ſpe-
ctaculum; cum illa non niſi proprii vnige-
nitique filii morte, eademque acerbiſsima
& ignominioſiſsima remittere atque con-
donare voluerit. Hunc inquam, ſibi coæter-
num, conſubſtantialem, longeque chariſsi-
mum ac innocentiſsimum, quod vadem
ſponſoremque noſtrum ſeſe obtuliſſet, tam
duriter tractauit, in ordinem miſerrimi &
abiectiſsimi ſerui depreſsit; ſub probris, ſpu-
tis, flagris, ſpinis, illuſionibus, diræ mortis
ſententia; probroſo patibulo, ſepulchro, in-
feriſque vt peccatis omnibus onuſtum de-
preſsit, multauit, ac exinaniuit, vt nos ſecum
in gratiam propitius reduceret. Hinc autem
fides noſtra animo conſtanti ac excelſo ſe ſe
eriget aduerſus omnem peccati ſpeciē, velut
rem Deo optimo & maximo ingratam, in-
uiſam, & non minus quam ipſum diabolum
atque gehennam cunctis abhorrendam; ne
à cætero per ipſa peccata in huius ſupremi
Patris & Domini odium iramque aliquando
incidat. Si proprio (inquiens) Filio ſuo non
pepercit, quomodo rurſum ſi peccauero,
mihi facile condonabit? Rurſumque ſecum
Rom. 8. cogitabit: *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine*
Heb. 10. *vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur,*
quanto magis putabis deteriora mereri ſupplicia,
qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſta-
menti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus
eſt, *& ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

6. Deinde, in Crucifixi ſpectaculo intuebi-
tur immenſum Dei erga genus humanum
amorem, quod illud vnigeniti filii famæ,
gloriæ, ac etiā propriæ vitæ anteponat. Ma-
luit namque illum omni infamia, ignomi-
nia, cuiuſque turpiſsimi ludibrio, atque et-
iam infami mortis ſupplicio vexari ac tor-
queri; quam hominem æterna morte da-
mnatum perditumque relinquere. Hac ve-
ro diuinæ charitatis & dilectionis attenta
meditatione, Chriſtianus anim⁹ incredibili

A amore Dei ſui flagrabit: perſuaſuſque quod
ab ipſo tanto amore diligatur, viciſsim eum
redamare ſtudebit, & certiſsimam ſalutis
ſuæ fiduciam concipiet. Cum Auguſtino e- Soliloq. c.
recta in Chriſtum mente ſic eum alloque- 13.
tur: Veniſti pro me, vt redimeres me: & tan-
tum dilexiſti me, vt ſanguinem tuum in pre-
tium dares pro me. Dilexiſti me domine,
pluſquam te, quia mori voluiſti pro me. Tali
pacto, tam charo pretio reduxiſti me de exi-
lio, redemiſti me de ſeruitio, retraxiſti me de
ſupplicio, vocaſti me nomine tuo, ſignaſti
me ſanguine tuo, vt memoriale tuum ſem-
per eſſet apud me; & nunquam recederet
B de corde meo, qui pro me non receſsiſti à
cruce, &c.

Tertio, crucis ac in ea pendentis Chriſti 7.
meditatione, conſiderabit animus Chriſtia- Geneſ. 3.
nus infinitam Dei potentiam, immenſamq; 1. Ioan 3.
virtutem, qua cunctas mortis vires, vniuer- Luc. 11.
ſam peccatorum noſtrorum colluuiem, &
ſerpentis antea indomiti crudeliſsimam ti-
rannidē incredibili ſapientiæ humanæ me-
dio ſuperauit, perfregit, & vſque ad infer-
nalis antri ſinuoſa latibula perſecutus, eun-
dem catenis pluſquam ferreis alligauit, & Apoc. 20.
ſpoliis detractis, ſuos inde veteres ſeruos e-
C ripiens, inuitis morte & inferis, glorioſiſsi-
mus ac triumphator reſurgens, nobis mem-
bris ac ouibus ſuis cœlum ipſum aperuit.

Quarto, eadem fides Chriſtiana conſide- 8.
rabit in cruce infinitam Dei ſapientiam, quæ
rationem tam idoneam excogitauit, vt ho-
minem æternis ſuppliciis iuſte addictum per
ſummam gratiam & miſericordiam eripe-
ret, inuiolatis tamen iuſtitiæ ſuæ legibus: a-
cerbiſsimis ſuppliciis duriſsimaque morte,
peccata noſtra plectendo in eadem ſpecie
natura, in qua commiſſa fuerant. Hinc Leo
magnus pie contendit Chriſtum magna æ-
quitate cum ſæuiſsimo hoſte noſtro pro no-
D ſtra ſalute decertaſſe, cum non in ſua maie-
ſtate, ſed in noſtra humilitate congreſſus
eſt. Et Auguſtinus ait Placuit Deo propter Lib. 13. de
eruendum hominem de diaboli poteſtate, Tri. c. 13.
non potentia, ſed iuſtitia diabolus vincere-
tur. Et vir Apoſtolicorum temporum Ire-
næus Martyr ſcribit: Verbum potens & ho- Lib. 5. c. 1.
mo verus ſanguine ſuo rationabiliter redi-
mens nos, redemptionem ſemetipſum de-
dit pro his qui in captiuitatem ducti ſunt. Et
quoniam iniuſte dominabatur nobis apo-
ſtaſia, non deficiens in iuſtitia ſua iuſte ad-
uerſus eam conuerſus eſt apoſtaſiam, ea quæ
ſunt ſua redimens ab eo: non cum vi, ſed ſe-

cundum suadelam, vt neque quod est iustum confringeretur, neq; antiqua plasmatio Dei deperiret.

9. Quinto, infinitam Dei misericordiam fi-
Matth.26. des Christiana in crucis mysterio dilucide
Ioan.1.3. conspiciet, qua innumera innumerabilium
12.17. hominum peccata sufficienter expuncta, omnes mortales adoptione filii Dei, & cælestis vitæ atque gloriæ præter eorum merita, participes redditi sunt. Hoc pie sciteque ex-
Medit. c.2. pendens Augustinus ait: Tu factor omnium Deus, licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in ope-
Psal.144. ribus pietatis. Vnde de temetipso per quen-
2. Reg.7. dam seruum tuum dixisti: *Miserationes eius*
Psalm.88. *super omnia opera eius.* Et quasi de singulo loquentem, de vniuerso populo tuo te dixisse confidimus: *Misericordiam autem meam non*
Medit. c. *dispergam ab eo.* Et rursum postea exclamat.
15. O immensa pietas, ô inæstimabilis charitas, vt liberares seruum, filium tradidisti, &c. Quis audiuit talia? Quis super tanta misericordiæ viscera non obstupescat? Quis non miretur? Quis non collætetur propter nimiam charitatem tuam qua nos dilexisti? Sed quid tibi retribuere possumus Deus noster, pro tantis beneficiis misericordiæ tuæ? &c.

10. Sexto, Christi liberalitatem plusquam magnificam pius animus in crucis contemplatione comperiet, quandoquidem copiosus ac munificus Redemptor omnes pretiosissimi sanguinis sui guttas effudit; omnes sacri corporis sui partes, omnes sensus, omnia tenera membra omnibus cruciatibus & tormentis exposuit, vt nobis perpetuam in cœlis quietem acquireret atque donaret.

11. Et vt breuioribus contraham, quisquis qua decet pietate ac diligentia, IESVM pro nobis in ligno pendentem & morientem contemplatus fuerit, in eo diuino plane spectaculo miraculosam patientiam, infractam perseuerantiam, incredibilem obeditionem, inexhaustam charitatem, excellentissimam constantiam, inauditam humilitatem, certissimam diuinorum promissorum veritatem, & integerrimum veterum figurarum complementum speculabitur. Hæc ne desperationis extremæ materiam continent? An non aliud sunt, quam carnis infirmitas? Nihil ne inueniet in his fides Christiana, quo se erigat & sustentet?

12. MIN. Equidem certe infinita Dei potestas, virtus, charitas, misericordia, sapientia, bonitas, iustitia, aliæque diuinæ perfe-

A ctiones tam luculenter & magnifice in spectaculo Christi crucifixi patefactæ sunt, vt grassator ille qui nullam præter nemora, Luc.23.
scholam frequentarat, ac spoliandis, iugulandisque mortalibus assueuerat, illico didicerit eum qui de cruce pendebat, summum ac præpotentem regem esse, qui etiam in altero seculo peccata posset condonare & saluare. Centurio inter strepitus tubarum & Matth.27.
armorum enutritus, mox intellexerit, eun- Marc.14.
dem & hominem iustum, & vere Dei filium esse. Qui conuenerant ad spectaculum, in domos redeuntes, percutiebant pectora sua, in ore ac oculis omnium confitendo se
B longe aliud in cruce obseruasse, quam solam carnis infirmitatem, aut (quod multo deterius est) extremæ desperationis argumentum. Nam etiam scissæ petræ, exortæ tenebræ, emota sedibus suis terra, diuisum templi velum, Creatoris & Iudicis totius huius mundi mirabilem satis prædicabant potentiam: nō extremæ desperationis materiam.

Quod si vinculis Pauli, morte Petri, bea- 13.
tissimorumque martyrum carceribus, sup- Philip.1.
pliciisque tantopere cognita & per vniuersum mundum manifestata & propagata est
Dei gloria, hominum instructa fides, spes Ioan.21.
C corroborata, & charitas nouis ardoribus in Deum verum accensa; quanto maiori ratione idem de Christi passione & morte existimandum est atque prædicandum?

Velim autem à Patribus formulas quas- 14.
dam didicisse, quibus in passione ac morte Christi meditanda, ac fructibus inde colligendis animum meum aliquando exercerem. DOCT. Hac in re quoniam plurimis antecellit Augustinus, aliquas ex eo in gratiam tuam adducam. Scribit ergo: Tuta & Manualis
firma requies est infirmis & peccatoribus in c.21.22.
vulneribus Saluatoris. Securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera. Quicquid
D ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus domini mei, quoniā misericordia affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant. Per foramina corporis, patent mihi arcana cordis. Patent viscera misericordiæ Dei nostri,
in quibus visitauit nos oriens ex alto. Per has ri- Luc.1.
mas licet mihi gustare quam suauis est dominus Deus meus, quoniam reuera multæ misericordiæ est omnibus inuocantibus eū
in veritate. Cum me pulsat turpis aliqua co- Psal.144.
gitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum domini mei resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ

cordiæ domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis mouet membra mea, recordatione horum vulnerum extinguitur. In omnibus aduersitatibus non inueni tam efficax remedium, quam vulnera Christi. In illis dormio securus, & requiesco intrepidus. Nihil tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur. Tota spes mea est in morte domini mei. Mors eius meritum meum, & refugium meum, salus, vita, & resurrectio mea. Meritum meum miseratio domini. Non sum meriti inops, quandiu ille miserationum dominus non defuerit, &c.

15. *Manualu, c.23.* Paulo post etiam subiicit. Nòn possum B terreri multitudine peccatorũ, si mors domini in mentem venerit, quoniam peccata mea illum vincere nõ possunt. Claui & lancea clamant mihi, quod vere reconciliatus sum in Christo, si eum amauero. Longinus aperuit mihi latus Christi lancea, & ego intraui, & ibi quiesco securus. Nullum tam efficax cõtra ardorem libidinis medicamentum, quam mors Redemptoris mei. Extendit brachia sua in cruce, paratus in amplexus peccatorum. Inter brachia Saluatoris mei & viuere volo, & mori cupio. Saluator caput inclinauit in morte, vt oscula daret suis delictis. Toties Deum osculamur, quoties in eius amore compungimur.

16. *Medit. c.6.* Et Patri diuino obiiciens filii eius passionem, his eum compellat verbis: Reduc domine Deus meus, oculos tuæ maiestatis super opus ineffabilis pietatis, Intuere dulcem natum toto corpore extensum. Cerne manus innoxias pio manantes sanguine, & remitte placatus scelera, quæ patrauerunt manus meæ. Considera inermẽ latus crudeli perfossum cuspide, & renoua me sacro fonte, quem inde credo fluxisse. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulauerunt in lege tua, diris confixa clauis, & perfice gressus meos in semitis tuis. Aspice mitissime conditor, dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis vnda. Specta gloriose genitor, beatissimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus quæ mea substantia. Conspice Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miseriam. Vide A Redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum.

MIN. Vellem eundem pia quadam apostrophe Christum crucifixum conuenientem audire. DOCT. Hæc eius ad illum verba sunt. Quid commisisti dulcissime puer, vt sic iudicareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego, ego sum tui causa doloris, tuæ culpa occisionis. Ego mortis tuæ meritum, tuæ vindictæ flagitium. Ego tuæ passionis liuor, tui cruciatus labor, &c. Quo nate Dei, quo tua descendit humilitas? Quo excreuit benignitas? Quo tua flagrauit charitas? Quo tuus attigit amor? Quo peruenit compassio? &c. Oro te per antiquas misericordias tuas infunde vulneribus meis quod reiecta vipereæ cõtagionis bile, redintegret me incolumitati pristinæ; quod gustato tuæ suauitatis nectare, faciat me illecebrosa mundi toto affectu despicere, & nulla eius aduersa pro te formidare, &c. 17. *Medit. c.7*

MIN. Hæc nunc mihi sufficiunt, ampliora ex eodem, aliisque diuinitus afflatis patribus tempore & loco suo in rem meam. Deo duce, colligam & expendam. Interea vero ex his satis colligo, quantũ hæ sacræ preces ad meditationes Caluinicis contra meditatæ mortis dominicæ vtilitates, contumeliis C atque blasphemiis repugnent. Etenim Sanctus vir ille in morte domini nostri omnem suam quietem, omnem spem, omnem consolationem, omnem salutis suæ fiduciam & expectationem pie & religiose constituit: profanus autem iste non nisi extremæ desperationis materiam reperiri confingit, &c. Atque ex his iam conspicio Caluinismum non nisi pietatis ac veræ religionis maximum esse contemptum: atque Satanam Christi & Christianorum hostem infestissimum, per huius nouellæ ac defecatæ (si diis placet) religionis authores atque præcones D extremam toti Christianismo struere atque moliri perniciẽ. Caput aliud aggrediamur. 18.

CVNCTA CHRISTI VOTA FVISSE integra, desideriaq; sanctissima: aduersus tertium & quartum errorem.

CAPVT II.

DOCTOR.

IAm internas domini nostri cogitationes, cordisque vota & desideria confictis à se calumniis vexanda, carpenda, & coarguenda atque

da æque audacter atque nefarie sibi vester A Caluinus assumit. Ac primo quidem *cum nõ putat esse absurdũ, si Christum dicamus, tanquam vnum aliquem ex hominum numero fuisse humanis passionibus subiectum*. Deinde, proficiens in peius scribit, eundem Christum, *mortem refugiendo, mollitiem suam fateri*. Denique etiam ait: *Votum quod ingens mœstitia ei expresserat, mox correxisse. Votum quod agnouit vocationi suæ aduersum, retractasse. Votum eidem inconsiderate effluxisse, cui statim renunciandum fuerit*. En vota, intimaque Christi filii Dei ac totius mundi redemptoris & iudicis desideria Hugnostico arbitrio, *profecta ex mollitie animi, eademque corrigenda, retractanda, & velut inconsiderata, renuncianda*. Quid ais? Catechismi & institutionis vestræ Christianæ authori subscribis? Dic aperte & libere.

In cap. 11. Io. v. 33.

In cap. 12. Io. v. 27.

Confut. 1.

MIN. Absit, absit vt vnquam in sanctissimum Seruatorem meum & agnum Dei immaculatum sim tam iniuriosus & contumeliosus: præsertim cum & ipse harum calumniarum & iniuriarum author, velut suam erubescens maledicentiã, ibidem se se condemnet atque refellat, scribens: *Affectus in Christo vitio prorsus caruisse, quia compositi fuerunt in Dei obsequium, & moderati*. Et ilico statim: *Nulla Christi passio vltra suum modum vnquam erupit, nulla nisi iusta, & ex ratione rectoque iudicio suscepta. Christus humanos affectus suscepit, sed citra ἀταξίαν. Turbauit quidem seipsum Christus, sed ita vt se continuerit sub Patris voluntate*. Ecce oscula, ecce amplexus, ecce honoris ac reuerentiæ verba, quibus iste bellus Ischariotes fingit se Christi amantem ac Discipulum esse, vt eundem paulo post crudelissime prodat. DOCT. Enimuero si Christus omni prorsus vitio caruit, non fuit tanquam aliquis ex hominum numero. Et si affectus eius semper fuerunt moderati, semper in Dei obsequium compositi, semper contenti sub Patris voluntate, vt hic & vere loquitur; non potuerunt vota eius esse inconsiderata, corrigenda, aut retractanda, vt alibi proponit. Et si nulla passio vltra modum illi erupit, non potuit aliquam animi mollitiem ostendere. Quocirca verum ac certũ est Caluinum tum impudentius Christum traducere, cum eius innocentiæ aut gloriæ fingit se studiosum esse.

In cap. 11. Ioan. v. 33.

2. MIN. Attende & alias rursum huius proditoris blanditias, simulque apertas contradictiones. *Christus*, inquit, *communem nobiscum habuit sensum, non autem appetitus incompositos*. Et alibi: *In Christo non solum viguit naturæ integritas, sed absolutum iustitiæ exemplar emicuit*. Alibi rursum: *Christus mansit compositus ad veram temperantiæ regulam. Et cum esset integer purusque ab omni labe, puri ac liquidi ab eo fluxerunt affectus*. Et iterum: *Tenendum est non fuisse turbulentos Christi affectus, qui more nostro, eius animo puram moderationem excuterent*. DOCT. Sed appetitus bene recteque compositi, non sunt corrigendi; absolutum iustitiæ exemplar non emittit vota retractanda: ex vera temperantiæ regula prodire nequeunt desideria, quib⁹ mox sit renunciandum; liquidi purique ab omni labe affectus nunquam inconsiderate effluunt: igitur vt B Caluinus vere recteque his postremis à te laudatis sententiis de Christo sentit, sic primis illis quas adduxi, eidem turpiter ac nequiter detrahit. MIN. Hæc sunt quæ ex lano nostro, superioribus eiusdem erroribus contradicentia & repugnantia præsto mihi fuerunt: tu ex diuinis literis aduersus eosdem decerta.

In cap. 4. Matt. v. 8.

In cap. … Luc. … In cap. … Matt. … & 39.

3. DOCT. Illæ docent Verbum carnem factũ corporeis infirmitatibus nostris, quales sunt fames, sitis, æstus, labor, somnus, vigiliæ, tristitia, dolor, mors denique, participem subiectumque fuisse: sed nunquam efferunt, quod secundum animam ex qua C prodeunt vota & desideria, immoderatis, intempestiuis, reuocandis, retractandis, aut corrigendis cupiditatibus subiectus aut obnoxius fuerit. Enimuero decuit illum cunctos illos communes & naturales corporis assumere defectus, quos Damascenus irreprehensibiles vocat, quique in omnibus hominibus cõmuniter propter peccatum primi parentis inueniuntur, nec perfectioni scientiæ & gratiæ repugnant: tum vt pro nobis patiens diuino iudicio satisfaceret, tum vt se vere hominem factum comprobaret, tum denique vt non fictæ tolerantiæ & patientiæ exemplar suis in hoc mundo relin- D queret. Atque ideo Isaias eum appellat despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, qui vere languores nostros tulit. *Vulneratus est* (inquit) *propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eũ*. Euangelistæ etiam referunt esuriuisse, sitiuisse, laborasse, vigilasse, dormiuisse, animo nunc exultasse, mox contristatum fleuisse, ingemuisse, sudasse, doluisse, præ dolore exclamasse, demum & mortuum esse. De seipso quoque ait, *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*. Paulus quoque tradit, eum

Lib. 1. orth. fidei, c. 14. & l. 3. c. 20.

Esai. 53.

Matth. 4. Ioan. 4. 11. 12. 19. Luca 8. Marc. 4. Matt. 8. 11. 26. Luca 24.

Philip. 2. Heb. 2. 1. Pet. 2. eum semetipsum exinaniuisse, forma serui accepta: & decuisse vt per pasiionem consummaretur. *Debuit* (inquit) *per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, &c.* Petrus denique ait; *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, &c.* Hos inquam, corporis nostri defectus Christus cum nostra carne vere suscepit: animæ vero contortas pasiones, praua desideria, vota inconsiderata & reuocanda, aliasque vitiosas affectiones nunquam scriptura docuit eum assumpsisse. Quinimo, vt supra disseruimus, secundum animam à primo incarnationis momento & beatissimus, & innocentissimus, & sapientissimus, & omni gratia plenissimus fuit.

4\. Isaia 53. 1. Pet. 2. 1. Ioan. 3. MIN. Reuera longe augustius & purius loqui ac sentire de Christo homine docent Prophetæ & Apostoli, quam supra loquitur Geneuanus Antistes. *Peccatum* (inquiunt) *non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Peccatum in eo non est. Tenebræ in eo non sunt vllæ.* Atqui corruptæ humanæ pasiones, mollities animi, vota corrigenda sortique suæ contraria & retractanda, manifeste peccata sunt saltem venialia: alias enim nec corrigenda nec reuocanda essent: igitur non fuerunt istiusmodi deprauati affectus in Christo sanctissimo seruatore nostro.

5\. Matth. 12. Ad hæc si verbum otiosum coram Deo peccatum est, de quo ratio in iudicio est aliquando reddenda, nōne multo magis mollities atq; effœminatio animi? Votum corrigendum? Votum diuinæ vocationi aduersum, & retractandum? Votum inconsiderate conceptum, cui proinde est renunciandum? DOCT. Perspicis ergo quam in vnicum Filium Dei, adeoque Patrem qui misit, & Spiritum sanctum, qui omnia dona sua in illum effudit, sint iniurii Caluiniani, cum purissimum hunc Agnum Dei prauis desideriis, & cupiditatibus humanis nituntur commaculare atque deformare?

6\. MIN. Qui hæc de illo cogitant & dictitant, negant profecto eum fuisse proprium ac idoneum mundi redemptorem, Paulo pleno ore clamante, *Talis decebat vt esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus & excelsior cælis factus, qui non habet necesitatem pro suis delictis hostias offerre.* Et si mysticum Iudæorum agnum oportuit esse sine vlla macula, quanto magis Christi agni nostri decuit puritatem esse maximam, vota rectissima, & desideria sanctissima? Heb. 7. Exod. 12. Leuit. 9. Ioan. 1. 19.

7\. DOCT. Nemo ambigere potest quin

A Iudæi contentiose illi exprobrassent, quod votis inconsiderate delapsis, desideriisque corrigendis & reuocandis subiectus esset, cum aduersus eos sese erigens, eosdemque lacessens tam animose diceret, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. 8. siquidem cum Caluinianis tam impure tamque flagitiose de illius affectibus iudicassent, &c. Quoniam vero alius rursum incidet de re simili discutienda locus, satius erit in eum differre, plurima alia quæ hic referri possent. MIN. Mihi perplacet: alia verba quæso.

B CHRISTI ORATIONES IN HORTO *Oliuarum fuisse sanctißimas, iustißimas, & prudentißimas: aduersus 5. 6. & 7. errorem.*

CAPVT III.

DOCTOR.

FEruentissimas preces, quas Christus humi prouolutus in horto, fudit ad Patrem, tribus turpissimis & improbissimis erroribus vester hæresiarcha eludit atque vituperat. Prima, dicens eum, *Rem impoßibilem sibi concedi petiisse*, cum videlicet oraret, *Pater si poßibile est, transeat à me calix iste.* In cap. 26. Mat. v. 39. Hoc enim infinitam ac inexhaustam omnipotentiam C Dei exsuperasse & fugisse existimat, vt Christus non turpissima morte hanc vitam poneret.

Secunda velut fundamentum & origo est primæ, nimirum cum dicit. Hæc duo esse contradicentia & pugnantia, Deum Patrem reipsa filium morti subiecisse: & nihilominus ei succurrendi potestatem sibi retinuisse, ac si opus possibilitati repugnaret: aut si Deus aliquod opus exercendò, sua se exueret potestate illud ipsum vel aliter faciendi, vel omnino non faciendi. Hæresiarchæ sententia est: *Hæc inter se pugnant, quod Deus filium suum morti exposuerit, & tamen ad mittendas ei suppetias precibus flecti potuerit.* In cap. 26. Mat. v. 53. D

Tertia hæresis est in eo, quod multis modis reprehensibilem & damnabilem affirmat esse Christi orationem, scribens: *Abruptum fuisse votum .... Votum illud subito elapsum castigat, & reuocat. Non fuit hæc meditata Christi oratio, sed vis & impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio. Certe in primo voto Christi non apparet illa placida moderatio, quam dixi.* In cap. 26. Mat. v. 39. In his perspicis Christi sanctissimas, feruentissimas, & humillimas preces ab hæretico vituperari & coargui, velut non prudenter meditatas,

sed abruptas, vi extortas, ac proinde castigandas & reuocandas. Audis Caluini vestri proposita plana, absoluta & integra; non autem à me deprauata, truncata, vel amplificata: superest vt de his quæ sentis pronuncies.

Confut. 1. MIN. Diuinas easque sine numero perfectiones, vniuersa Spiritus sancti dona, quibus abunde plenus fuit, simulque omnem plenitudinem diuinitatis in eodem inhabitantem, etiam corporaliter, tanta complector reuerentia, vt me existimarem Satanæ mancipium, & reproborum socium, si tam nequiter & nefarie illam beatissimam & sapientissimam Christi animam blasphemarem. Etenim si rem omnino etiam Deo Patri suo impossibilem sibi concedi petebat, graui errore cœcitateq; tenebatur: si Patris decreto penitus aduersam, in eum contumaciter insurgebat: si turbulentum & immodestum fuit eius votum, mentis compos non erat: si violenter extortum, libero non gaudebat arbitrio: si non satis excogitatum, temeraria Christū accusat superbia & præsumptione: denique si idipsum votum fuit castigandum & reuocandum, ille propriis actualibusque peccatis non caruit. Ecquis tam atroces iniurias sanctissimo filio Dei ac Redemptori nostro illatas vel audire vel ferre posset patienter?

2. DOCT. Scite profecto & acute. Sed pro tua laudabili consuetudine, propriis illius scriptis has hæreses refellas etiam atque etiam rogo. MIN. Mihi est perfacile. Scribit

In cap. 15. Ioan. v. 13. enim alicubi: *Poterat nos Deus verbo, aut nutu redimere, &c.* Ex quo primam secundamque hæresin suam euertit: ostenditque Christum rem non impossibilem à Patre sibi concedi petiisse, aut eius absolutæ voluntati repugnantem: sed è contrario potius facilem atque diuinæ potestati expositam, ni sapientiæ eius aliter visum fuisset.

3. DOCT. Reuera, quisquis affirmauerit Deo Patri impossibile fuisse filium suum à morte liberare, aut sine eius cruce mundum sibi reconciliare, vt hic facit Caluinus, Christum mundi saluatorem & iudicem teterrimi arguit mendacii, vtpote, qui falso dixe-

Marc. 14. rit, *Abba, Pater, omnia tibi sunt possibilia.* Deinde, Petri conatus reprehendens vehementi

Matth. 26. affirmatione pronunciauerit, *Nonne possum rogare Patrem meum, & ipse exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Cum itaque solo nutu aut verbo Pater nos redimere potuerit, cum ei omnia sint possibilia, cum denique vel vnius duntaxat Angeli ministerio, vel etiam copiosissimo exercitu Christus à Iudæorum manibus eripi potuerit; Ianus vester in Deum patrem plane blasphemus est, dicens eum non potuisse, simulque filio eius Domino nostro iniurius, inquiens, *rem eum absolute impossibilem sibi concedi petiisse.*

Præterea, in os contradicit beatissimo Apostolo constanter de Christo affirmanti: 4. Heb. 5. *In diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum, qui poterat illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* MIN. Non potuisset sane diuinam melius prædicare potentiam Apostolus, nec rei quam poscebat sibi Christus facilitatem confirmare, quam cum dicit, Patrem non obstante decreto suo, potuisse nihilominus eum saluum facere à morte: vtpote qui suis decretis externis nec omnino sese alligat, nec infinitæ virtutis suæ iure seipsum abdicat.

Et reipsa, dum de his hæresibus attentius cogito, simul animaduerto eos qui vociferantur, Deo Patri impossibile fuisse Christum tunc à morte liberare, eadem opera illum suæ omnipotentiæ dignitate maiestateque contumeliosissime exuere; atque sic eum verum Deum esse negare atque scripturis omnibus sese opponere; vt satis copiose supra demonstratum & probatum est. Itaque profligatis iam sufficienter duabus prioribus hæresibus, aduersus tertiam argumenta nostra conuertamus. 5.

DOCT. Perge porro vt cœpisti, & hostem propriis telis prius confice. MIN. Et hoc etiam mihi in promptu est: Ait enim, 6. *in Christo non solum viguisse naturæ integritatem, sed & ipsum fuisse absolutum iustitiæ exemplar.* Et rursum, *eum quidem communem nobiscum habuisse sensum, non autem appetitus incompositos.* Rursumque ait: *Minimis quibusque auocamentis facile concidit in nobis precandi ardor, vel remissus languescit: tametsi hoc vitio non laborauit Christus.* Ex his autem tribus Caluini locis sic aduersus eum ratiocinor. Si Iesus Christus non solum perfectam naturæ integritatem habuit, sed etiam absolutum iustitiæ ac omnis pietatis exemplar atq; speculum nobis propositum est, nihil in precibus suis censura dignum, nihil immoderatum, nihil correctione dignum admisit. Si appetitus eius semper fuerunt ad iustā temperationis normam compositi, nihil abruptum, nihil vi extortum, nihil cito nimis eidem elapsum est. Si nullis vitiis humanis inter o-

In cap. 6. Luc. v. 8. In cap. 4. Matt. v. 8. In cap. 14. Mat. v. 25.

ter orandum laborauit, vota eius fuerunt plane meditata, placida, atque moderata: quod idem alibi impie negat.

7. *In cap. 26. Mat. v. 37.* DOCT. Suntne rursum & aliæ eius contradictiones? MIN. Omnino plurimæ. Scribit enim iterum: *Christus tristitia & metu sic turbatus fuit, vt tamen aduersus Deum non insurgeret, sed maneret compositus ad veram temperantiæ regulam. Nec enim mirum est, quum integer esset, purusque ab omni labe, puros & liquidos ab eo fluxisse affectus, quamuis humanæ infirmitatis testes forent.* DOCT. Hi porro affectus animi, erant eius preces & orationes fusæ ad patrem, quas verbis postea expressit: igitur cum puræ fuerint ac liquidæ, simulq; compositæ ad veram temperantiæ regulam, neque fuerunt impossibiles, neque decretis diuinis aduersæ, neque leues, aut confusæ, aut vi extortæ, aut immoderatæ: sed è contrario iustæ, graues, voluntariæ, & sapientissime conceptæ atque pronunciatæ.

8. *In cap. 26. Mat. v. 39.* MIN. Subdit rursum Ianus noster: *Tenendum quidem est quod nuper dixi, non fuisse turbulentos Christi affectus, qui more nostro, eius animo puram moderationem excuterent.* Et aliquanto post: *Sic autem doloris & metus feruore æstuauit Christus, vt se tamen continuerit in sua mensura.* Ex his autem sic aduersus hæreses Caluinianas colligo. Si affectus Christi non fuerunt turbulenti, imo puri ac moderati, eiusdem orationes plane fuerunt liberæ, nō vi extortæ: moderatæ, non abruptæ aut imprudenti citius quam decebat elapsæ: sanctissimæ, & iustissimæ, non castigandæ aut reuocandæ.

9. *In cap. 11. Io. v. 33. In cap. 12. Io. v. 27.* Rursum idem contra seipsum ait: *Si passiones Christi cum nostris conferas, non minus distabunt, quam aqua pura & illimis, tranquilloque tractu fluens, à turbidis lutosisque spumis differt.* Et postea: *Memoria tenendum est humanos affectus puros in Christo fuisse, & à peccato immunes. Ratio est, quia compositi erant, & temperati ad Dei obsequium.* DOCT. Cum affectus Christi fuerint puri, liquidi, & instar aquæ tranquillo tractu fluentis, certe non fuerunt vi extortæ preces illius, aut abrupta turbataq; vota. Sed neque aliqua censura castiganda aut corrigenda fuerunt, si à peccato immunes extiterunt cogitationes illius. Denique, nihil Deo impossibile aut immoderatum poposcit vnquam, si perpetuo compositus & temperatus mansit in Dei obsequio, pro vt postremo loco aduersarius fatetur.

10. MIN. Proprio rursus seipsum confodiens gladio scribit in c. 4. prioris D. Petri Epistolæ v. 1. *Certum est nihil fuisse in Christo vitiosum, quod corrigi deberet.* DOCT. Certissimum est igitur te planum esse improbissimum, & mendacem impudentissimum, cum asseris eum vota concepisse corrigenda & reuocanda.

MIN. Ecce quæ Caluino volebam opponere, tu quod tibi videtur in hanc sententiam proferas. DOCT. Cum superioribus disputationibus satis comprobatum fuerit, Christum hominem, omni ab initio cœlitus præditum fuisse sapientia & gratia, hinc satis efficitur eundem nec orandi modum optimum ignorasse, nec eū post habuisse, quando in conspectum patris sui cœlestis tam pro seipso quam pro nobis supplex prodiit in hortum oliuarum. Nequaquam ergo coactus, non impos sui, aut absque maturo consilio, cōsonaue modestia illuc accessit. Cum rursus expresso Dei verbo docuerimus, pura, propria, & selecta fuisse in docendo eiusdem verba: pari modo existimandum est orationes eius non fuisse turbulentas, aut cuiuscunque censuræ subiectas: sed sanctissime propriissimeque conceptas & fusas.

Præterea, summus totius orbis Doctor & Pastor est, quem Pater districte audiri præcepit. Is autem non modo perfectum orandi modum in seipso expressit, cum & priuatim in montibus, & publice in templo, & cœtibus hominum cum aliquot piis ritibus ac ceremoniis orauit; verū & numeris omnibus absolutam orationis formulam vniuersis electis & Christianis suis tradidit, dicens, cum oratis dicite, Pater noster, &c. Neque est ergo verum, nec verisimile, hunc non tenuisse perfectissimum orandi modum, cum tam serio Patri sese oraturus obtulit. 11. *Matth. 5. & 17. Luca 8. Ioan. 17. Matth. 6. Luca 11*

Insuper, summus ac præstantissimus Mediator est Dei & hominū homo Christus Iesus, qui suis passionibus & doloribus cōtractas à nobis pœnas pro peccatis dissoluit, quiq; suis precibus ac meritis patrē cœlestē nobis fauentē propitiumq; reddidit, ac etiā nunc vultui diuino assistit, iugiter interpellans pro nobis. Omnes deniq; omniū sanctorū seu cœlestium seu terrestrium preces nō nisi propter eum, & per eum coram Deo acceptæ possunt esse & gratæ. Igitur impossibile est vota eiusdem fuisse abrupta, inconsiderata, extorta, vel ab alio moderatiore & prudentiore castiganda. Scilicet, opus est illi quodā impurissimo Caluino aut Beza precū suarum correctore: aut vt apud patrē ab erroribus in votis suis excusetur, mediatore. 12. *1. Tim. 2. Rom. 8. Heb. 7. 9. 10. 1. Ioan. 2. Ioan. 16. Matth. 18.*

sed abruptas, vi extortas, ac proinde castigandas & reuocandas. Audis Caluini vestri proposita plana, absoluta & integra; non autem à me deprauata, truncata, vel amplificata: superest vt de his quæ sentis pronuncies.

Confut. 1. MIN. Diuinas easque sine numero perfectiones, vniuersa Spiritus sancti dona, quibus abunde plenus fuit, simulque omnem plenitudinem diuinitatis in eodem inhabitantem, etiam corporaliter, tanta complector reuerentia, vt me existimarem Satanæ mancipium, & reproborum socium, si tam nequiter & nefarie illam beatissimam & sapientissimam Christi animam blasphemarem. Etenim si rem omnino etiam Deo Patri suo impossibilem sibi concedi petebat, graui errore cœcitateq; tenebatur: si Patris decreto penitus aduersam, in eum contumaciter insurgebat: si turbulentum & immodestum fuit eius votum, mentis compos non erat: si violenter extortum, libero non gaudebat arbitrio: si non satis excogitatum, temeraria Christū accusat superbia & præsumptione: denique si idipsum votum fuit castigandum & reuocandum, ille propriis actualibusque peccatis non caruit. Ecquis tam atroces iniurias sanctissimo filio Dei ac Redemptori nostro illatas vel audire vel ferre posset patienter?

2. DOCT. Scite profecto & acute. Sed pro tua laudabili consuetudine, propriis illius scriptis has hæreses refellas etiam atque etiam rogo. MIN. Mihi est perfacile. Scribit

In cap. 15. Ioan. v. 13. enim alicubi: *Poterat nos Deus verbo, aut nutu redimere, &c.* Ex quo primam secundamque hæresin suam euertit: ostenditque Christum rem non impossibilem à Patre sibi concedi petiisse, aut eius absolutæ voluntati repugnantem: sed è contrario potius facilem atque diuinæ potestati expositam, ni sapientiæ eius aliter visum fuisset.

3. DOCT. Reuera, quisquis affirmauerit Deo Patri impossibile fuisse filium suum à morte liberare, aut sine eius cruce mundum sibi reconciliare, vt hic facit Caluinus, Christum mundi saluatorem & iudicem teterrimi arguit mendacii, vtpote, qui falso dixe-

Marc. 14. rit, *Abba, Pater, omnia tibi sunt possibilia.* Deinde, Petri conatus reprehendens vehementi

Matth. 26. affirmatione pronunciauerit, *Nonne possum rogare Patrem meum, & ipse exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Cum itaque solo nutu aut verbo Pater nos redimere potuerit, cum ei omnia sint possibilia, cum denique vel vnius duntaxat Angeli ministerio, vel etiam copiosissimo exercitu Christus à Iudæorum manibus eripi potuerit; Ianus vester in Deum patrem plane blasphemus est, dicens eum non potuisse; simulque filio eius Domino nostro iniurius, inquiens, *rem eum absolute impossibilem sibi concedi petiisse.*

Præterea, in os contradicit beatissimo Apostolo constanter de Christo affirmanti: 4 Heb. 5. *In diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum, qui poterat illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* MIN. Non potuisset sane diuinam melius prædicare potentiam Apostolus, nec rei quam poscebat sibi Christus facilitatem confirmare, quam cum dicit, Patrem non obstante decreto suo, potuisse nihilominus eum saluum facere à morte: vtpote qui suis decretis externis nec omnino sese alligat, nec infinitæ virtutis suæ iure seipsum abdicat.

Et reipsa, dum de his hæresibus attentius 5. cogito, simul animaduerto eos qui vociferantur, Deo Patri impossibile fuisse Christum tunc à morte liberare, eadem opera illum suæ omnipotentiæ dignitate maiestateque contumeliosissime exuere; atque sic eum verum Deum esse negare atque scripturis omnibus sese opponere; vt satis copiose supra demonstratum & probatum est. Itaque profligatis iam sufficienter duabus prioribus hæresibus, aduersus tertiam argumenta nostra conuertamus.

DOCT. Perge porro vt cœpisti, & ho- 6. stem propriis telis prius confice. MIN. Et hoc etiam mihi in promptu est: Ait enim, *in Christo non solum viguisse naturæ integritatem, sed & ipsum fuisse absolutum iustitiæ exemplar.* Et rursum, *cum quidem communem nobiscum habuisse sensum, non autem appetitus incompositos.* Rursumque ait: *Minimis quibusq; auocamentis facile concidit in nobis precandi ardor, vel remissus languescit: tametsi hoc vitio non laborauit Christus.* Ex his autem tribus Caluini locis sic aduersus eum ratiocinor. Si Iesus Christus non solum perfectam naturæ integritatem habuit, sed etiam absolutum iustitiæ ac omnis pietatis exemplar atq; speculum nobis propositum est, nihil in precibus suis censura dignum, nihil immoderatum, nihil correctione dignum admisit. Si appetitus eius semper fuerunt ad iustā temperationis normam compositi, nihil abruptum, nihil vi extortum, nihil cito nimis eidem elapsum est. Si nullis vitiis humanis inter o-

In cap. 6. Luc. v. 8. In cap. 4. Matt. v. 8. In cap. 14. Mat. v. 25.

ter orandum laborauit, vota eius fuerunt
plane meditata, placida, atque moderata:
quod idem alibi impie negat.

7. DOCT. Sunt ne rursum & aliæ eius con-
In cap.26. Mat.v.37. tradictiones? MIN. Omnino plurimæ.
Scribit enim iterum: *Christus tristitia & metu sic turbatus fuit, vt tamen aduersus Deum non insurgeret, sed maneret compositus ad veram temperantiæ regulam. Nec enim mirum est, quum integer esset, purusque ab omni labe, puros & liquidos ab eo fluxisse affectus, quamuis humanæ infirmitatis testes forent.* DOCT. Hi porro affectus animi, erant eius preces & orationes fusæ ad patrem, quas verbis postea expressit: igitur cum puræ fuerint ac liquidæ, simulq; compositæ ad veram temperantiæ regulam, neque fuerunt impossibiles, neque decretis diuinis aduersæ, neque leues, aut confusæ, aut vi extortæ, aut immoderatæ: sed è contrario iustæ, graues, voluntariæ, & sapientissime conceptæ atque pronunciatæ.

8. MIN. Subdit rursum Ianus noster: *Te-*
In cap.26. Mat.v.39. *nendum quidem est quod nuper dixi, non fuisse turbulentos Christi affectus, qui more nostro, eius animo puram moderationem excuterent.* Et aliquanto post: *Sic autem doloris & metus feruore æstuauit Christus, vt se tamen continuerit in sua mensura.* Ex his autem sic aduersus hæreses Caluinianas colligo. Si affectus Christi non fuerunt turbulenti, imo puri ac moderati, eiusdem orationes plane fuerunt liberæ, nō vi extortæ: moderatæ, non abruptæ aut imprudenti citius quam decebat elapsæ: sanctissimæ, & iustissimæ, non castigandæ aut reuocandæ.

9. Rursum idem contra seipsum ait: *Si pas-*
In cap.11. Io.v.33. In cap.12. Io.v.27. *siones Christi cum nostris conferas, non minus distabunt, quam aqua pura & illimis, tranquilloque tractu fluens, à turbidis lutosisque spumis differt.* Et postea: *Memoria tenendum est humanos affectus puros in Christo fuisse, & à peccato immunes. Ratio est, quia compositi erant, & temperati ad Dei obsequium.* DOCT. Cum affectus Christi fuerint puri, liquidi, & instar aquæ tranquillo tractu fluentis, certe non fuerunt vi extortæ preces illius, aut abrupta turbataq; vota. Sed neque aliqua censura castiganda aut corrigenda fuerunt, si à peccato immunes extiterunt cogitationes illius. Denique, nihil Deo impossibile aut immoderatum poposcit vnquam, si perpetuo compositus & temperatus mansit in Dei obsequio, pro vt postremo loco aduersarius fatetur.

10. MIN. Proprio rursus seipsum confodiens gladio scribit in c. 4. prioris D. Petri

A Epistolæ v. 1. *Certum est nihil fuisse in Christo vitiosum, quod corrigi deberet.* DOCT. Certissimum est igitur te planum esse improbissimum, & mendacem impudentissimum, cum asseris eum vota concepisse corrigenda & reuocanda.

MIN. Ecce quæ Caluino volebam opponere, tu quod tibi videtur in hanc sententiam proferas. DOCT. Cum superioribus disputationibus satis comprobatum fuerit, Christum hominem, omni ab initio cœlitus prædictum fuisse sapientia & gratia, hinc satis efficitur eundem nec orandi modum optimum ignorasse, nec eū post habuisse, quan-
B do in conspectum patris sui cœlestis tam pro seipso quam pro nobis supplex prodiit in hortum oliuarum. Nequaquam ergo coactus, non impos sui, aut absque maturo consilio, cōsonaue modestia illuc accessit. Cum rursus expresso Dei verbo docuerimus, pura, propria, & selecta fuisse in docendo eiusdem verba: pari modo existimandum est orationes eius non fuisse turbulentas, aut cuiuscunque censuræ subiectas: sed sanctissime propriissimeque conceptas & fusas.

Præterea, summus totius orbis Doctor & Pastor est, quem Pater districte audiri præ- 11.
cepit. Is autem non modo perfectum oran- *Matth.3. & 17.*
C di modum in seipso expressit, cum & priua- *Luca 8.*
tim in montibus, & publice in templo, & cœ- *Ioan.17.*
tibus hominum cum aliquot piis ritibus ac *Matth.6.*
ceremoniis orauit; verū & numeris omni- *Luca 11*
bus absolutam orationis formulam vniuersis electis & Christianis suis tradidit, dicens, cum oratis dicite, Pater noster, &c. Neque est ergo verum, nec verisimile, hunc non tenuisse perfectissimum orandi modum, cum tam serio Patri sese oraturus obtulit.

Insuper, summus ac præstantissimus Me-
diator est Dei & hominū homo Christus Ie- 12.
sus, qui suis passionibus & doloribus cōtra- *1. Tim.2.*
ctas à nobis pœnas pro peccatis dissoluit, *Rom.8. Heb.7.9.*
D quiq; suis precibus ac meritis patrē cœlestē *10.*
nobis fauentē propitiumq; reddidit, ac etiā *1. Ioan.2.*
nunc vultui diuino assistit, iugiter interpel- *Ioan.16.*
lans pro nobis. Omnes deniq; omniū san- *Matth.18.*
ctorū seu cœlestium seu terrestrium preces nō nisi propter eum, & per eum coram Deo acceptæ possunt esse & gratæ. Igitur impossibile est vota eiusdem fuisse abrupta, inconsiderata, extorta, vel ab alio moderatiore & prudentiore castiganda. Scilicet, opus est illi quodā impurissimo Caluino aut Beza precū suarum correctore: aut vt apud patrē ab erroribus in votis suis excusetur, mediatore.

13. His addendū quod per Prophetam pol- A
Zach.12. licetur, *Effundam super domum Dauid, & super*
habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ & precum:
ostendens veram & legitimam orationem
præcellens donum Dei esse, vt & Dauid pa-
Psalm. 65. lam confitetur, exclamans, *Benedictus Deus,*
qui non amouit orationem meam, & misericor-
diam suam à me. Quod autem membris be-
nigne donatur, capiti denegatum esse quis
sanus existimabit? Itaque si vota beatorum
Angelorum, si preces Patriarcharum, Pro-
phetarum, Apostolorum, Martyrum, Vir-
ginum, & quorumcunque Sanctorum fue-
rint vnquam iustæ, meditatæ, & gratæ co-
ram Deo, ascenderuntque vt fumus aroma- B
tum in odorem suauitatis: multo magis pre-
ces Christi summi Ecclesiæ suæ pastoris, &
doctoris puræ & inculpatæ credendæ &
prædicandæ sunt.

14. Docet item scriptura, Eliæ preces tam va-
3.Reg.17. luisse apud Deum, vt his cœlos clauserit an-
Iacob.5. nis tribus & mensibus sex, deinde eosdem
Tob.12. mirabiliter aperuerit, Tobiæ senioris ora-
Actor.10. tiones sanctissimus Raphael Angelus obtu-
lit domino. Cornelii Centurionis depreca-
tiones vna cum eleemosynis ascenderunt in
Apoc.8. memoriam in conspectu Dei. Beatissimi
demum Angeli in cœlis orationes sancto-
rum tanquam suauissimos odores offerunt C
ante altare aureum, quod est ante oculos
Domini. Quis ergo fidem adhibebit teme-
rario atque maledicentissimo huic hæreti-
co, sanctissimas Sancti sanctorum IESV
CHRISTI preces, quasi inconsideratas
& immeditatas vituperant?

15. Scribit quidem Paul. *Quid oremus sicut o-*
Rom.8. *portet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro no-*
bis gemitibus inenarrabilibus. Sed hoc vitium ex
corrupta deprauataque cordiū nostrorum
natura procedit, cuiusmodi Christus subie-
ctus non fuit. Nihilominus Deus nostri mi-
Galat.4. sertus, *mittit Spiritum suum in corda nostra cla-*
mantem Abba Pater. Spiritus inquam, *qui ad-* D
iuuat infirmitatem nostram, nosque fundere
preces suadet, efficitque vt precemur cum
gemitibus; sanctos precandi ardores, vehe-
mentioresque affectus pie orantibus infun-
dendo, vt huiusmodi etiam cœlos penetra-
re, & Deo gratissimas esse dicantur: Domi-
nus vero noster tantarum gratiarū author,
& largitor, his inter orandum caruisset?
MIN. Nemo vnquam vir bonus id existi-
mabit: quare nefarias opiniones istas tan-
quam satis damnatas & labefactatas relin-
quamus, & persequamur cæteras.

CHRISTO NVNQVAM MEMORIA
excidisse, missum se esse Saluatorem mundi:
aduersus octauam hæresin.

CAPVT IV.

DOCTOR.

NEc Christi beatissimam tenacissimam-
que Memoriam illæsam præterire vo-
luit nouus Geneuensis vester Apostolus,
quando persuadere nititur, Christū sic ali-
quando confusum, & mente perturbatum
fuisse, vt in altissimam præcipui muneris sui
ceciderit obliuionem, nec se amplius recor-
daretur humani generis esse Redemptorē.
Ecce propria illius verba: *Eadem vehementia*
præsentem cœlestis decreti memoriam illi abstulit, In cap. 26.
vt non reputaret in ipso momento se hac lege mis- Mat.v.39.
sum esse humani generis Redemptorem: sicut gra-
uis anxietas sæpe caliginem oculis obducit; ne si-
mul in mentem veniant omnia. Censes ne Chri-
stiani, ne dicam Euangelici ministri, homi-
nis hæc esse verba?

MIN. Imo potius Iudæi, Turcæ, Tartari, Confut.
vel cuiusdam insignis apostatæ, ac vere An- 1.
tichristi: Quinetiam certo scio Mahometa-
nos in suis Mesquitis, aut Alcorano, huius-
modi aduersus Christum nunquam effutire
iniurias quæ potius Magistratus ciuilis au-
thoritate coercendæ sunt, quam Theologo-
rum argumentis refellendæ. Etenim tam
nefaria atroxque videtur mihi hæc aduersus
Christum blasphemia, vt sola eius comme-
moratio, ad illius confutationem sufficiat,
iuxta quod veteres dixerunt. Hæreses de-
nudasse, confutasse est.

DOCT. Recte id quidem: veruntamen 2.
non erit inutile quibusdam argumentis o-
stendere superiorum verborum maximam
esse impietatē. MIN. Nolim ergo aliis quam
verbis ipsiusmet authoris idipsum efficere.
Scribit enim de eius ad mulieres lamentan-
tes adhortatione: *Sic loqui non poterat, nisi* In cap. 23.
constanter & intrepide ad mortem pergeret. Quæ Luc.v.28.
vero constantia, quæ animi fortitudo ac se-
curitas, si præ metu & consternatione, cœ-
lestis decreti excussa est ei memoria? Et
rursum idem ait: *Christus licet manu Dei per-*
cussus, speciem hominis fere deplorati prabuerit: In cap.23.
quia tamen non destitit esse mundi seruator, cœle- Luc.v.43.
sti potentia semper fuit præditus ad munus suum
implendum, &c. Porro fieri non potest vt eorum
obliuiscatur, qui suam ei salutem cōmendant. Non
destitit (inquit) esse mundi seruator: ergo
in magno tetroque errore versatus fuisset: si
aliquo

aliquo momento non reputasset se Redemptorem esse mundi. Et si semper præditus fuit cœlesti potentia ad hoc munus suum implendum, huius certe adimpletionis initio non est tam turpiter memoria lapsus, vt alibi Caluinus comminiscitur. Postremo, fieri non potuit quin eorum, quorum salutem commendatam acceperat aliquandiu oblitus sit, quod Caluinus negat: si aliquo momento diuini decreti memoriam perdidit, vt idem affirmat.

3. Pag. 141. 142. Præterea, non ita pridem audisti eundem Caluinum prædicantem, *in Christo viguisse naturæ tantam integritatem, vt fuerit absolutum iustitiæ exemplar; nec habuerit appetitus incompositos, sed è contrario semper manserit compositus ad veram temperantiæ regulam; puros & liquidos continuo fuisse illius affectus; nunquã excussam ab eius animo puram moderationem, &c.* Ex quibus manifeste consequitur, nullum in eo tantum fuisse dolorem, nullam animi ægritudinem, quæ eum à proprio sensu, & officij sui præsentissima certissimaq; memoria potuerit deturbare: sicque nullibi oblitum esse se vnicum ac idoneum esse hominum saluatorem. Atq; hæc mea his de rebus sententia: tu quid volueris edicito.

4. Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. DOCT. Metus ac ægritudines, qui eum in horto Oliuarum exceperunt, simplicia fuerunt sequuturæ passionis eius præludia, & quasi futuri grauioris certaminis velitationes. Ergo si quæ postea longe acerbiora & duriora pertulit, nimirum flagra, alapas, dorsi dissectiones, totius corporis cruenta vulnera, pedum & manuum confossiones, mortem deniq; crudelissimam & ignominiosissimam: si hæc inquam; tam acerbi, duri, diuturnique corporis & animi cruciatus, ab eius memoria non excusserunt, quod totius mundi esset saluator; profecto multominus id efficere potuerunt superius commemorata in horto passionis primordia. MIN. Equidem certe, in maximis ac nouissimis angustijs suos ac electos omnes animo

Mat. 27. Luc. 23. Ioan. 13. complectens, & Redẽptoris officio defungens, suis condonans inimicis pro salute eorum patrem exorabat, latroni pœnitenti paradisum pollicebatur, dolentẽ matrem consolabatur, dilecti discipuli curam habebat, prædicabat totius priscæ legis & prophetiarum consummationem. DOCT. Quomodo igitur initio conflictus omnem perdidisset memoriam, animum, & constantiam, cum in furenti ac duriore certaminis periculo tam magnanimus bellator permanserit, ac tandem gloriosus triumphator emerserit?

5. Ad hæc, cum ter horrendi ac terribiles mortis impetus in eum propius inuaderent, probe in mente habuit nondum adimpletã esse hanc prophetiam. *Dederunt in escam meã fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Psal. 68. Ioan. 19. Ergo vt adimpleretur ait, *Sitio*, & cum de porrecto sibi gustasset noluit abundantius bibere. Nõ est igitur verisimile, eundem adhuc liberum & incolumem, tam fœde lapsum esse præcipui instituti ac muneris sui memoria, vt Caluinus confingit; qui tam acerbis doloribus vndiq; confectus, veterum prophetiarum tenacissimam & constantissimam retinuit.

6. Quomodo etiam præsens decreti diuini de passione sua recordatio tum illi excidisset, Ioan. 18. Mat. 26. Marc 14. cum ad hortum vbi capiendum se nouerant, volens & prudens exibat; Apostolos vt orationibus instarent monebat, eosdem cruentis Iudæorum manibus eximebat, obuiam hostib. intrepidus pergens, Iesum se Nazarenum esse quærentibus denunciabat, diuulsam sanabat Malchi auriculam, grauissimisque concionibus nunc impetum Petri cohibebat, mox Iudæ increpabat perfidiam, cohortes armatas solo prosternebat alloquio, cunctos denique de salute sua monebat?

7. Denique, si aliquando existimasset, se non esse missum humani generis Redemptorẽ, à veritate omnino alienam, & verbo Dei expresso contrariam in animum induxisset sententiam. Qui autem in huiusmodi errore versantur, ac veritati diuinæ non toti acquiescunt, sunt filij diaboli omnis erroris & mendacij parentis. Ioan. 8. Ex quo tam horrenda & diabolica aduersus Christi seruatoris & iudicis mundi consequuntur, vt ea nec referre audeam. MIN. Eadem quoque abhorreo: quare alia perpendamus.

CHRISTVM NVNQVAM DETRECTASse sanctißimum humanæ redemptionis opus ac mysterium perficere: aduersus 9. heresin.

CAPVT V.

DOCTOR.

SAnctissimam Christi domini nostri Intentionem seu Affectum etiam probris & calumnijs suis vester Caluinus adoritur, arguẽs eum, quantum in se fuit, Redemptoris mundi munere fungi recusauerit; adeo vt per illum non steterit, quo minus tam

necessarium sacrumque mysterium remanserit imperfectum. Ait enim de sanctissimo domino nostro: *Mediatoris officio defungi quãtum in se est, renuit atque detrectat.* Ad mediatoris autem officium capi, ligari, illudi, crucifigi, mori, hisque medijs totius mundi peccata expiare, Patremque cœlestem nobis propitium reddere omnino spectabat: quæ vniuersa opere complere Christum renuisse atque detrectasse audis Geneuanum reformatorem superioribus verbis prædicantem.

In cap. 26. Mat. v. 39.

Confutatio 1.

MIN. Sequeretur ergo illum inuitum ac repugnantem ad crucem, passionem, mortemque pertractum fuisse: ac proinde pro peccatis nostris nec satisfecisse Deo, nec eadem satis expiasse: Nam alibi tuetur Caluinus, *quod ideo mors Christi piaculum fuit pro peccatis nostris, quia voluntarium fuit sacrificium, iuxta illud Pauli, Obedientia vnius, iusti facti sunt multi. Atq; ideo eundem dominum de anima & vita sua dixisse, Pono eam à meipso, quod suo arbitrio mortuus sit.*

In cap. 10. Ioan. v. 18. Rom. 5. Ioan. 10.

2. DOCT. Etiam si illud ipsum non confiteretur, nobis tamen satis esse ad huius erroris condemnationem deberet, quod idem dominus in ore ac oculis omnium nominauit se bonum pastorem, qui libenti animo *dat animam suam pro ouibus suis,* & lupo eas rapere & perdere cupienti sese constantissime opponit. Damnat vero timidum mercenarium, qui videns lupum venientem fugit, & eiusdem rabidis faucibus ouiculas diripiendas relinquit. Quocirca Caluiniani asseuerantes dominum nostrum recusasse cum hoste gregis & salutis humanæ manus conserere, eundem negant verum esse pastorem, & cum mercenario nequissime confundunt.

Ioan. 10.

3. Sed quibus verbis, te quæso, idem clarius significasset, se libero & alacri animo mortem oppetere, nisi dicendo: *Propterea me pater diligit, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam? Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso? Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam?* MINIST. Hæc profecto superiorem hæresin penitus subuertunt, eiusque authorem sic ad palinodiam compellunt, vt contra eandem illic scribat: *Non moritur coactus, sed sponte se pro salute gregis offert. Porro non tantum homines necu potestatem in se habere negat, nisi quatenus permiserit: sed a qualibet vi necessitatis se eximit.* Quibus verbis seipsum aperte coarguit & damnat.

Ioan. 10.

In cap. 10. Ioan. v. 18.

4. DOCT. Commemorans deinde beatus Euangelista, quomodo idem dominus ante sex dies Paschæ à deserto quo se receperat digressus, venit in Bethaniam, & paulo post, vrbem Ierosolymorum ingressus, palam se oculis inimicorum exposuit, significans se eximia voluntatis libertate ad moriendum venisse, satis patefecit se neque renuere neque detrectare Mediatoris fungi vel officio, vt Ianus vester obmurmurat. MIN. Equidem hæc tam certa & aperta sunt, vt & ille rei veritate coactus, præcedentem errorem suum his verbis condemnet: *Christus primo venit Bethaniam, vt inde Ierosolymam triduo post se conferat. Interea opportunum tempus & locum ad se prodendum dare iudæ voluit, vt ipse ad statam horam adesset parata victima. Neque enim quid futurum sit ignorat, sed voluntarius ad immolationem occurrit.*

Ioan. 12.

In cap. 12. Ioan. v. 1.

5. DOCT. Subiungit Euangelista. *Postridie turba multa quæ ad festum venerat, cum audisset Iesum venire Ierosolymam, accepit ramos palmarum, & exierunt illi obuiam, clamantes, Hosanna, Benedictus qui venit in nomine domini, Rex Israel. Et intrauit Iesus in templum, & cœpit eijcere vendentes & ementes de templo, &c.* Obsecro, qui tanta confidentia ad vrbem hostilem accedit, qui in conspectum summorum Pontificum, Scribarum, Pharisæorum, & seniorum populi à quibus mox neci tradendus erat, clara luce sponteque prodit, renuit Mediatoris officio fungi? Detrectat crucem mortemq; subire, vt in Patris gratiam redeamus? MIN. Hic rursum sibi manifeste cõtrarius est Caluinus, scribens: *Primo loco tenendum est Christi consilium: nempe quod Ierosolymam vltro venit, vt se morti offerat. Nam mortem eius voluntariam esse oportuit, quia non nisi obedientia sacrificio poterat ira Dei erga nos placari.*

Ioan. 12. Matt. 21.

In cap. 12. Io. v. 14.

6. DOCT. Describendo etiam passionis Dominicæ apparatus beatus Ioannes egregiam sanctamque passuri Iesu Christi refert constantiam, dicens, *Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit hora, vt transeat ex hoc mũdo ad patrem. Sciens quod dedisset ei pater omnia in manus, & quod à Deo exiuit, & ad Deum vadit, &c.* Vnde manifestum est, eum minime lapsum esse memoria, nec vnquam simpliciter recusasse fieri liberum pro nobis sacrificium. MIN. Id etiam Ianus noster confitetur, scribens in eum locum: *Solent homines metu perculsi multa agitare, nullum talẽ in Christo fuisse motum Euangelista significat.* Et illico præcipuum argumentum, cui hæresis superior inni-

Ioan. 13.

In cap. 13. Io. v. 3.

innititur, velut dissoluens, ait: *Si quis roget, quomodo igitur postea eousq; mœroris redactus fuerit, vt sanguine sudaret: respondeo, vtrunq; fuisse necessarium, vt mortem horreret, at nihilominus intrepide perageret omnes Mediatoris partes.* DOCT. Vbi ergo aliquando Mediatoris officio defungi, vt de eo prædicat hæresiarcha, recusauit? Si coactus & renuens id obiuisset, quomodo simul alacer & constanter id fecisset.

7. Sed audi & alias easdem eximias Redemptoris eiusdem officium Mediatoris continuo obituri sententias. *Vado ad eum qui misit me. Expedit vobis vt ego vadam. Modicum, & non videbitis me: Et iterum modicum, & videbitis me: quia ego vado ad Patrem. Exiui à Patre, & veni in mundum: & iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* MIN. Profecto ex his satis manifestum est cunctis errare nolentibus, Christum incredibili alacritate simulque libertate ad mortem properasse, tantum abest vt per eam Mediatoris munus subire recusauerit, quemadmodum garrit Caluinus.

Ioan. 16.

8. DOCT. Narrans deinde Euangelista, Christum Ierosolyma egressum, abijsse trãs torrentem Cedron, vbi erat hortus: Iudamque proditorem nouisse locum, quoniam illuc frequenter Iesus conuenerat cum discipulis suis: itemque eum scientem omnia quæ ventura erant super se, perrexisse obuiam militibus, & dixisse, *Ego sum Iesus Nazarenus: Si ergo me quæritis, sinite hos abire*, nonne satis demonstrat, quam sponte libereq; ad officium suum vltro præstandum accederet? MIN. Potuisset certe vel in Bethaniam tunc sese recipere, vel in alium locum proditori minus notum aut assuetum secedere, vt ibi lateret: vel saltem cum in terram prostrasset cohortem eorum, fuga vitæ suæ cõsulere, si Mediatoris officio defungi noluisset. Verum, noluit veritatem à figuris dissimiles, fieri: & ideo vt filia Iephte, Isaac, Ionas, & Samson animis obfirmatis voluntariæ neci sese obtulerant, sic & ipse per hos præsignatus, nulla vi ad crucem pertrahi voluit.

Ioan. 18.

Iudic. 11. Gen. 22. Ion. 3. Heb. 11. Matth. 12.

9. DOCT. Audi rursum, quanto patienti pro nobis ardore, ac muneris Mediatoris subeundi flagranti desiderio pijssimus Redemptor teneretur: *Baptismo habeo baptizari*, inquit de crucis ignominia & supplicio, *& quomodo coarctor donec perficiatur?* Et vltimo Paschate completo, cui mox successura erat suiipsius cruenta immolatio, aiebat: *Desiderio desideraui hoc Pascha mãducare vobiscum an-*

Luc. 12.

Luc. 22.

A *tequam patiar.* Itaq; multo ardentius mortis ignominiam pro nobis perferre desiderabat, quam vel ambitiosus honoribus, aut auarus pecunijs inhiare cernatur. Sic autem adimpletę fuerunt hæ veteres Prophetarum prædictiones. *Oblatus est, quia ipse voluit, & nõ aperuit os suum. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & nõ aperiet os suum. Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, &c.* Hæc enim indicant Christum tam libera spontaneaq; voluntate se patris voluntati & decretis submisisse, & lætis auspicijs Redemptoris munus absoluisse, vt nullis verbis id pro dignitate satis B declarari possit.

Esaia 53. Act. 8. Ierem. 11.

10. MIN. Tam validis argumentis id confirmatum est, vt nullus supersit dubitandi locus. Veruntamen, rescire vellem quonam sensu capiendæ sint eius orationes istæ ad Patrem: *Pater, transeat à me calix iste.* Et ad discipulos querelæ: *Tristis est anima mea vsq; ad mortem:* Insuper, ait Euangelista de eo, *Cœpit contristari, tædere, pauere, & mœstus esse:* quibus videtur, quod inuitus ac refugiens ad mortem, id est, officium Mediatoris peragendũ traheretur. DOCT. Nequaquam hoc iudicandum aut inde colligẽdum est, quoniam preces illæ non absolute, sed sub manifesta C conditione ista fusæ sunt, *Pater, si vis transfer hunc calicem à me.* Deinde, omnem humanũ metum suum, cunctamq; voluntatem Patris diuinæ volũtati atq; decreto cum omni submissione subijcit, dicens: *Non sicut ego volo, sed sicut tu. Fiat non quod ego volo, sed quod tu. Non mea voluntas, sed tua fiat:* quare nec officio Mediatoris defungi renuebat, nec detrectabat, sed dũtaxat humani sensus mortem exhorrescentis, & assumptæ carnis (quam Paulus hominem exteriorem appellat) affectum in humanissimi patris sui sinum effundebat: palam indicans hac conquestione, quod verus esset homo, mortisq; horrorem ac metum hominibus debitum, in se suscepe D perat; vt nos in morte securos redderet, ac per eandem nos ad se tandem ex hoc mundo colligeret. Atque hunc locum sic intelligendum esse perpetuo censuit Catholica Ecclesia, vt ex Iustini dialogo, & quæst. 105. Nazianzeni lib. 4. de Theologia, Cyrilli lib. 9. Thesauri, Basilij lib. 4. aduersus Eunomium, cæterisq; sanctissimis Patribus colligere cuiuis est perfacile & promptum.

Matth. 26.

Marc. 14. Luc. 22.

DOMI-

DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRIstum non frustra vinctum ductum fuisse primum in domum Annæ soceri Caiphæ : aduersus 10. errorem.

CAPVT VI.

DOCTOR.

GRegales vestri tam parui faciunt vincula, irrisiones, improperia, & interrogationes à Christo perpessas ab horto Oliuarū vsq; ad domum Cayphæ pontificis, vt indignum memoria quicquid his gestum fuit, nequissime iudicent, & audacissime pronūcient. Hæresiarcha namq; vester in hæc Io.
In cap. 18. Io. v. 13. annis verba. *Et adduxerunt eum ad Annam primum*, ita scribit, *Hoc prætereunt reliqui Euangelistæ, quia ad summam historiæ nō multum faciat: nihil enim illic memorabile gestum est.* Quid de huius Euangelistarum ac Euangeliorum censore, ac eiusdem censura videtur?

Confutatio 1. MIN. Quod in primis maximam Euangelistæ ac dilectissimo Iesu discipulo inferat iniuriam, veluti res inutiles, vanas, & superfluas, sanctissimæ & grauissimæ narrationi Euangelicæ & professo inseruisset. Deinde, etiam Spiritui sancto contumeliosus est, quasi eidem res nihil profuturas inspirasset atq; dictasset toto orbe spargendas & prędicandas. Constat enim Euangelistarum & Apostolorum scripta non tam eorum esse, quā ipsiusmet Spiritus diuini per eos scribentis
Matth. 10. & docentis, Christo dicente: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris qui loquitur in vobis.* Et iterum: *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere aduersarii vestri.*
2. Pet. 1. Et Petrus ait: *Spiritu sancto inspirante loquuti sunt sancti Dei homines.* Quando ergo Caluinus censoria virgula sua notat, Euangelistam ea scripsisse, *quæ ad rem non multum faciant, nihilq; memorabile in domo Annæ cum Christo & à Christo gestum esse*, non modo in Apostolum, sed & in Spiritum sanctum, adeoq; ipsum filium Dei est plane iniuriosus atque contumeliosus.

2. DOCT. Æquissime profecto iudicas. Sed præterea te obnixe rogo, vt mecum paulisper Caluinicam grauitatem & authoritatem expendas. Vnica illi ratio est, vt ostendat ingressum domini in domum Annæ nō esse sua suorumque memoria dignum, *quod hunc passionis articulum reliqui prætererint Euangelistæ.* MIN. O plusquam Carneadeum acumen, & argumentum vere ministrale!
A Quis aciem retundet istam? Mirum certe quod in scholis Dialecticorum non didicerit, Argumentum à pura negatione ductum nihil valere. DOCT. His adde, quod si liceret sub huiusmodi antecedente recte ac bene concludere, maiorem totius eiusdem Euangelij partem, vtpote altissimum illud initium, *In principio erat Verbum*: atque in vinum commutationem, cum Nicodemo habitum colloquium, mulieris Samaritanæ conuersionem, Paralytici, cæci nati, Lazari historiam, habitam ad Capernaitas concionem, pedum ablutionem, diuinamq; in cænaculo concionem, pro nihilo ducere lice- *Ioan. 1. 2. 3. 4. 5. 9. 11. 13. 14. 15. 16. 17.*
B bit, vt quæ nullam posteritatis mereantur memoriam: quoniam hæc omnia prætererunt reliqui Euangelistæ. Vides ad quot quantaque absurda ducant loci topici Ministrorum Geneuanorum?

Verum, nolim nunc eo nomine vehemētius eos suburgere; sed tantum simplici Euangelij contextu errorem istum reprimere. 3.
Scribit enim: *Cohors ergo & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primum. (Erat autem Annas socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius.)* Et paulo post: *Interrogauit autem Iesum de discipulis & de doctrina eius. Respondit ei* *Ioan. 18.*
C *Iesus. Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo quo omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus sum nihil, &c. Hæc cum dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes pontifici? Respondit Iesus, Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* Significans porro Ioannes qui tum præsens adfuit, hæc facta esse in domo Annæ, ilico subijcit. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.* Hactenus Christo charissimus discipulus commemorauit eiusdem domini nostri vincula, interrogata, responsa, & impactum ei colaphum: quæ vniuersa Caluinus è suo
D Geneuensi thfono pronunciat ad summam historiæ parum facere, nec aliqua Christianorum commemoratione ac meditatione digna. An non est hoc perpessionis Dominicæ pœnas acerbissimas, quibus & peccata nostra deleta sunt, & sedata ira cælestis, pedibus indignissime conculcare & proterere?

MIN. Hæc clarissima & certissima quidē sunt: nihilominus te præmonitum velim. 4.
Ministros quoddam effugium adinuenisse, quo vim huius argumenti vtcunque declinēt. Aiunt enim hæc omnia in domo Caiphæ Ponti-

Pontificis contigisse, vt notare videntur alij Euangelistæ: Ioannem vero per anticipationem eadem narrasse, ac proinde velut per parenthesin esse in eius textu inserta, & à nobis legenda. DOCT. Ad hoc facilis est & aperta responsio; nimirum Ioannem qui solus Euangelistarum his rebus interfuit, ac vt oculatus testis eadem narrauit; insuper post alios tres historiã Euangelistarũ describens, seriem ordinemq; rerum gestarum diligentius obseruauit; temporum atq; locorũ circũstantias curiosius & accuratius denotasse. Cum enim aduerbio temporis, *duxerũt eum ad Annam primum*, vtitur, satis indicat se quędam obseruaturum esse, ab alijs pręterita: & quod illi in Caiphæ domo videntur dicere contigisse, ad domum Annæ (quæ forsan contigua erat) esse referenda.

5. Verum, de hoc cum nemine pertinaciter contenderim, vt qui sciam quosdam etiam orthodoxos aliter opinatos esse. Hoc tamen vnum est ꝙ nemo Ministrorum dissimulare aut euadere poterit, nimirũ, dominũ nostrum durissimis vinculis alligatum, ab horto in hanc Caiphæ domum ab impijs & crudelissimis, militibus perductum, & cum ꝓbris ac tunsionibus velut hominem perditũ ac nequam, primum omnium Annæ q cum Caipha in eius mortem toties cõspirauerat, conspectibus oblatum fuisse. Censebunt ne igitur ea vincula, quibus Redemptor solutionem à peccatis nostris promeruit: & captiuitatem, qua nobis libertatem peperit, ad Euangelicam historiam aut parum aut nihil pertinere? Aut existimabunt nocturnam laboriosamq; Domini militari manu ad Annã perductionem, & cum probris, insultationibus, conuitijs, exprobrationibus coram tribunali eius præsentationem, omni prorsus indignam memoria? Puta potius, quantis cũ iniurijs eidem obijciebant, quod à Deo derelictus, à discipulis desertus, ab auditoribus & priscis amicis neglectus esset. Quantis etiã cachinnis eiusdem irriderẽt miracula, subsannarent conciones, & nuperum in Ierusalem triumphalem ingressum applausumq; calumniando & insultando, exprobrarent. Hæc porro, & alia absq; numero, ab impuris & crudelibus carnificibus illata, cum incredibili patientia & cõstantia innocentissimus Redemptor pro ingratissimis hominib. pateretur; nihil egit dignum memoria? MIN. *Prorsus nihil* secundum Geneuensem archiministrũ. DOCT. Ah, plus nimium est cõtemnere ac respuere immensum pudorem,

A anguſtiam, tristitiam, ac multiplices dolores & ærumnas; quibus tum pijssimum pectus, & tenerrimum corpus dominicum pro delictis nostris afficiebatur, vt æternam nobis secum in cœlis gloriam & quietẽ acquireret.

6. MIN. Placet his adijciam, quæ Io. Brentius in superiori Germania minister, totum damnando Caluinismum, in hanc domini nostri coram Anna oblationem non impie meditatus est? DOCT. Perplacet, vt tam à nostris, quam ab alienis, Hugnostici dãnatos se esse cognoscant. MIN. Isthæc sunt illius verba: (Hom. 56. in Io. par. 2) *Ductus est ad Annam ostentandi & quasi triumphandi gratia; vt quo magis eum per* B *ora Principum traducerent, eo maiorẽ voluptatem ex captiuitate eius caperent. Et cum Annæ familia illustris fuerit Pontificia dignitate, mirandum non est, quod Annas singularem voluptatem cœperit ex captiuitate Christi, quem intelligebat abrogationẽ Leuitici Pontificatus meditari.* DOCT. At hæ ostentationes & insultationes hostium, hi ingratæ ac perfidæ gentis triumphi, nõ potuerunt non maximo dolore pium cor Christi perfodere atq; transuerberare, vt aperte indicant istæ graues querelæ, quæ de illo referuntur in Psalmis: (Psal. 21.) *Omnes videntes me, deriserũt me; locuti sunt labiis & mouerunt caput. Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens & rugiens.* C *Et factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei, &c.* Igitur plurima & acerbissima ibi pro nobis passus est, quæ non nisi scelestissima ingratitudine possent ab hominib. perpetua obliuione sepeliri. MIN. Idem rursum Brentius, (In Luc.) nõ inepta paraphrasi tragœdiam explicans, scribit Christũ tot irrisionibus ac opprobrijs ad hæc amarissima vota supplicium peccatorum nostrorũ perductum fuisse: (Ps. 34. 69.) *Confundantur & reuereantur quærentes animam meam. Auertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mihi mala. Dilatauerunt super me os suum, dixerunt, Euge, Euge, viderunt oculi nostri. Erubescant & reuereantur* D *simul, qui gratulantur malis meis. Induantur confusione & reuerentia, qui maligna loquuntur super me.* Aliaque multo plurima, quæ in Psalmis de illo prædicta fuerant.

DOCT. Nemini ergo Christianorum dubium iam esse potest, clementissimũ Saluatorem nostrum his Iudæorũ opprobrijs atque ludibrijs gratiam & gloriam cunctis fidelibus ac electis suis meruisse, & pro peccatis totius mundi satisfecisse, vt etiam firmissimis scripturarum testimonijs minister Germanus comprobat: proindeq; Caluinianos improbissimos esse passionis Dominicę con-

contemptores, quando cum suo hæresiarcha putant, vniuersaque Christo in ædibus Annæ contigerunt, indigna esse memoria.

CORPOREAM CHRISTI MORTEM *plurimum humanæ saluti nostræ contulisse: aduersus 11. heresin.*

CAPVT VII.

DOCTOR.

AD ipsam Christi redemptoris PASSIONEM & MORTEM propius accedentes, vniuersam illius efficaciam & vtilitatem paucis verbis subuertere ac omnino abolere conantur, dicentes: *Nihil actum erat, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus.* (Cal. lib. 2. Inst. c. 16. §. 10.) MIN. Vtuntur ne vniuersali negatiua *Nihil*, qua nil minus ac vanius confingi potest? DOCT. Vtuntur sane: atque ex hoc fœditissimo specu plurimos & grauissimos alios errores educunt, quos postea ordine suo recensebimus ac refellemus.

(Confut. 1.) MIN. Nimium profecto paruipendunt sanctissimum corpus, pretiosissimum sanguinem, saluberrimam crucem, & beatissimam passionem ac mortem vnigeniti filij Dei & domini nostri: dũ sic temere pronunciant cunctos labores, dolores, colaphos & liuores eius; omnes vigilias, preces, angustias & lachrymas; vniuersa ieiunia, sputa, flagra, verbera, tormenta; atque capiti, manibus, pedibus, totiq; corpori impressa vulnera, tam præsenti ac constanti animo tolerata; ipsam deniq; acerbissimam & ignominiosissimam MORTEM CORPOREAM *nihil* saluti nostræ profuisse, *nihil* pro nobis coram Deo Patre egisse. *Nihil* tot spinarum aculeis, *nihil* tot sanctissimi cruoris guttis, *nihil* tot clauorum confossionib⁹, *nihil* tot flagellorum ictibus mirabili patientia & ineffabili obedientia toleratis innocẽtissimum dominum nostrũ nobis meruisse: *nihil* pro salute nostra egisse, *nihil* pro delictis nostris satisfecisse. Vah, quid hoc aliud est, quam vniuersam Christianorum fidẽ abolere, spem euertere, atque vniuerso verbo Dei sese impudenter & præfracte opponere?

2. DOCT. Optime hæc sane. Verum, si memineris locorum, in quibus sibi aduersatur hac in re Caluinus, eos pro tuo more, producas, quæso, vt hostem vinculis suis implicatum, & proprijs testimonijs reũ peractum scripturarum diuinarum sententijs postea condemnemus. MIN. Plures sunt q̃ cõmemorare oporteat, sed tibi sufficient nonnulli. Ait ergo Præfatione in Harmoniam *Reconciliatio mundi cum Deo, semel morte Christi peracta, quotidie ad homines defertur.* Et paulo post: *Expiatio qua deleantur peccata, ne amplius maledictio & mortis iudicium nobis incumbant, non alibi quam in sacrificio mortis eius est querenda.* Deinceps vero: *Christus solus est, qui animas sanguine suo abluit. Christus solus conscientias sanguine suo aspergit.* (In c. 3. Mat. v. 11) DOCT. Nequaquam certe stare possunt, Christum morte sua nihil salutis nostræ egisse: & eundem, morte sua mundum Deo conciliasse, conscientias sanguine abluisse, atque peccata nostra expiasse. Ergo vt hæc verissima sunt, illud falsissimum & impiissimum erit.

3. MIN. Et rursum redemptionem nostram eiusdem morti tribuens, ait: *Apte sciteq; vis & fructus eius exprimitur* (à Christo dicẽte, *Filius hominis dabit animam suam in redemptionem pro multis*) *dum vitam suam pretium nostræ redemptionis esse affirmat: vnde sequitur nobis gratuitam esse reconciliationem cum Deo, cuius nõ alibi quam in Christi morte pretium reperitur.* (In cap. 20. Mat. v. 28) Rursumque ait: *Quisquis nutritiam sibi esse cupit Christi carnem, eam oblatam in cruce consideret, vt nostra cum Deo reconciliationis esset pretium.* (In cap. 22. Luc. v. 19.) Et paulo post. *Dum ad sacram mensam accedimus, non solum hac generalis cogitatio in mentem veniat, redemptum Christi sanguine esse mundum, sed pro se quisque reputet peccata sua expiata esse.* (In c. 26. Mat. v. 28.) DOCT. Si vita Christi per mortem ablata iustum pretium fuit redemptionis nostræ, quomodo nihil per eam actum fuit? Et si non alibi quam in ea, reconciliatio nostra cum Deo reperitur, certe per eandem multum pro nobis actum est. Denique, si caro Christi in cruce consideranda est, vt nostræ reconciliationis pretium, profecto nec in Christi morte extremæ desperationis solum est materia, nec salutis nostræ medium, ac remedium in eius animæ desponsione, aut pœnis desperantis hominis vlterius inuestigandum est.

4. MIN. Quinetiam vincula & tormẽta corporea ab eodem tolerata plurimum nobis profuisse contra seipsum scribens, ait: *Filium Dei capi, vinciri & constringi secundum carnem turpe fuit. At vero dum reputamus nos eius vinculis solutos esse à tyrannide diaboli, & reatu qui nos coram Deo tenebat implicitos, non solum tollitur offendiculum, sed in eius locum succedit immensa Dei gratia admiratio.* (In c. 26. Mat. v. 57.) Quinetiam eius coram Pilato iudice præsentationem, ac externam ad moriẽdum adiudicationẽ saluti omnium nostrum

nostrum

nostrum plurimum profuisse, contra seipsum palam prædicans ait: *Tenendum memoriae est, in doctrina crucis quæ Græcis stultitia est & Iudæis scandalum, constare nobis salutem. Voluit n. Filius Dei vinctus sisti coram terreno iudice, & illic subire capitale iudicium, vt nos reatu soluti, ad cœlestem Dei thronum libere accedere non dubitemus.* DOCT. Necesse est ergo eius, *Nihil actum erat*, non solum ad coruos, sed & ad oēs diabolos, ex quibus proculdubio emanauit, relegare: quando corporea eius cōstrictione, captiuitate, & cōdemnatione à diabolica tyrannide & peccatis soluti & liberati simus.

In cap. 27. Mat. v. 11.

5. MIN. Eodem suo *Nihil actum erat* oblitus, fructus corporalium suppliciorum ac denique mortis Christi, his verbis prædicat. *Vt nos in patris conspectum puros & immaculatos sisteret, conspui, & omnibus contumeliis fœdari voluit. Quare illa quam semel in terra passus est deformitas, nunc gratiam nobis in cœlo conciliat: & simul instaurat imaginem Dei, quæ non modo inquinata erat peccati sordibus, sed fere deleta.* Et post aliqua velut pius esset repēte factus monach[9], ac Christi mortis quidam admirator & laudator, inquit: *Deus filium suum eiici voluit ex vrbe quasi indignum hominum consortio, vt nos in cœleste regnum suum cum Apostolis recipiat. Quo autem plus ignominiæ probrique coram mundo sustinuit, eo gratius & nobilius in morte sua Deo & Angelis præbuit spectaculum.* DOCT. Si sola sputa, si contumeliæ, si deformitas Christo illata, & ab eodem patienter tolerata tātum nobis profuit, certe mors ipsa, quæ omnium terribilium terribilissimum dicitur, plurimam attulit vtilitatem.

In cap. 27. Mat. v. 33.

In cap. 27. Mat. v. 33.

6. MIN. Hucusq; Caluinianam hæresin ex Caluini in Harmonia commentarijs persecutus labefactaui: nunc ex his quæ in Ioannem scripsit, si commodum videtur, etiam refellam. DOCT. Pro Christi gloria pugnare, deq; cōmuni nostra salute differere pijs viris non potest esse non iucundissimum ac vtilissimū. MIN. Totam salutis nostræ causam corporeæ morti Christi adscribens ait: *In ea impleta fuit hominum redemptio: in ea oblatum sacrificium expiandis peccatis obedientia Deo præstita quæ ipsum placaret.* DOCT. Ergo improbo sacrilegio se suosq; contaminat, quū eis persuadere nititur, nihil corporea Christi morte actum fuisse. MIN. Postea quoque scribit: *Hoc in fide præcipuum est, vt sciamus per sacrificium mortis eius expiata esse peccata, & nos Deo reconciliatos esse.* DOCT. Quantum istud verum est, tantum eius *Nihil actum erat*, impium est atque nefarium.

In ca. 6. Io. v. 51.

In ca. 9. Io. v. 37.

A 7. MIN. Eiusdem rursum mortis fructum extollens inquit. *Mors Christi verum status rite compositi exordium, & plena mundi instauratio fuit.* Et paulo supra. *In morte Christi præcipue expiatio consideranda est, quæ iram & maledictionem Dei placauit.* Et in his prolixius citandis modum constituam, ait tandē: *Hæc vox Christi, Consummatum est, memoratu in primis digna est: quia docet in eius morte totum salutis nostræ complementum, & singulas partes contineri. Cessare omnia Legis sacrificia oportuit, quia vnico mortis Christi sacrificio perfecta fuit hominum salus. Omnes Euangelistæ diligenter mortem Christi exprimunt, nec immerito. Nam hinc nobis vitæ fi-* B *ducia: hinc etiam secura aduersus mortem gloriatio, quod eam vice nostra obiit Dei filius: & cum ea luctando, superior euasit.* DOCT. Cum ergo corporea Christi mors (aliam enim nec agnoscunt nec tradunt Euangelistæ) fuerit instauratio mundi, delictorum expiatio, iræ diuinæ placatio, salutis humanæ cōplementum; hincque nobis oriatur omnis in Deum fiducia, securaq; aduersus mortem ac inferos gloriatio: an non maxima omnium perfidia & nequitia commaculatus est Caluin[9], quando de eadem scribit, *Nihil actum esse* de salute & reconciliatione generis humani cū Deo, *si corporea tantum morte Christus defunctus* C *fuisset?* MIN. Id nullus sanæ mentis potest inficiari: insuper, & quatuordecim superioribus ex eo citatis testimonijs, eundem vt nefarium seductorem ac hæreticum, multiplici ac proprio iudicio condemnatum esse. His porro tuum nunc est adijcere, quæ ad eandem hæresin penitus conuellendam paraueris.

In c. 12. Io. v. 31.

In c. 12. v. 27.

In c. 19. v. 30.

8. DOCT. Nullus est ex Prophetis, Euangelistis, aut Apostolis, qui non peccatorum nostrorum remissionem, ac totius mundi salutem ijs doloribus ac pœnis attribuat, quæ Christus Dei & Virginis innocentissimis filius in corpore suo pro nobis pertulit; san- D guini, quem in lauacrum effudit; ac morti acerbissimæ, quā singulari charitate & gratia pro nobis subire dignatus est. Atq; vt ex innumeris pauca tantum colligam, Isaias non tam de futuris, quam velut de præteritis inquit: *Vere langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Quod autem istud de corporeis Christi doloribus dictum sit, confirmant hæc quę illico subnectuntur. *Ipse a. vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus, &c.* MIN. His profecto vaticinatur de Christi corporeis

Isa. 53.

doloribus ac ærumnis, iisdemque acceptam A fert vniuersam mundi salutem.

9. DOCT. Et ne singulos percurram, Christi vtar compendio de passione, & fructibus
Luc.18. mortis suæ dicentis, *Complebuntur omnia quæ*
Luc.24. *scripta sunt per Prophetas de filio hominis.* Et diffidentes discipulos increpans rursum ait: *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Et incipiens à Mose, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erãt.* Manifestum est ergo (vt
Act.10. etiam vertex Apostolorum colligit) quod
Ierem.31. huic omnes Prophetæ testimonium perhi-
Mich.7. bent, remissionem peccatorum per nomen
Ioel.2. eius accipere omnes qui credunt in eum. B
Ose.13. MIN. Nunquam certe in Prophetis occur-
Zach.9. rit, nunquam scribitur aut legitur, quod a-
Dan.11. liam à corporea mortem Messias esset subiturus: huic ergo nostram salutem tribuunt.

10. DOCT. Ad Euangelistarum scripta rationem conuerto. Idem dominus noster in
Ioan.3. Ioanne ita de commodis mortis suæ loquitur. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Postmodum etiam pollicetur, se carnẽ suam daturũ, videlicet in cibum & pretium, pro mundi vita. Rursumque, *Ego sum pastor*
Ioan.6. *bonus, qui animam meam* (id est, vitam huma-
Ioan.10. nam) *pono pro ouibus meis.* Præterea seipsum C cum grano frumenti conferẽs, cuius in terra mortificatio miram adfert multiplicationem: subijcit. *Ego si exaltatus fuero à terra, om-*
Ioan.12. *nia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat de morte* (nimirum, corporea) *qua erat moriturus.* Ex quibus clarum est vniuersam hominum vitam, iustitiam, & gloriam ex mortis eius meritis ac virtute pendere, tantum abest vt ea nihil profuerit.

11. Quorsum etiam dixisset, *Hoc est corpus meũ*
Matt.26. *quod pro vobis traditur*, si mors eius corporea
Matth.14. nobis inutilis & vana fuisset? Aut verax ex-
Luc.22. titisset in his verbis. *Hic est calix sanguinis mei,* D
1.Cor.11. *qui pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum*, si eiusdem sanguinis sudores, si vulnera, si lacerationes, si confossiones, quibus ad mortem vsque effluxit, sufficientes non fuissent ad iram Patris leniendam, & omnino mitigandã; nosq; corã ipso vere iustos efficiendos? Si non hæc immensa charitate & patientia tolerando, legem & prophetias adimplesset, mortẽ domuisset, vicisset Satanã, spoliasset inferos, & cunctos in se credentes atq; sperantes, adoptione Patris sui filios, cohæredes autẽ suos effecisset?

Quid de his Coryphæus Apostolorũ sen- 12
serit & docuerit, ex his eius verbis accipe. 1.Pet.1.
Gratia vobis & pax multiplicetur, inquit eis ad quos priorem dirigit Epistolam, *per obedientiam & aspersionẽ sanguinis Iesu Christi.* Et postea velut digito fontem totius humanæ salutis commonstrans, ait: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* Ergo sanguis per vulnera secundum corpus morientis pro nobis Christi abundanter effusi, verum, sufficiens, ac vnicum est redemptionis humanæ pretiũ. Quod autem hac morte sua pœnas delictis humanis debitas exsoluerit, idem Apostolus his verbis docet: *Peccata nostra* (i. supplicia peccatis de- 1.Pet.2.
bita) *ipse pertulit in corpore suo super lignũ; vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati estis.*

Huic & alterius columnæ Ecclesiasticæ, i. 13.
coapostoli eius Ioannis q̃dam subijcio testimonia. Quantum profuerit Christianorum animis effusus è corpore sanguis Christi, sic prædicat: *Societatem habemus adinuicem, & san-* 1.Ioan.1.
guis Iesu emundat nos ab omni peccato. Quo pacto autem id fiat paulo post ita declarat: *Si quis* 1.Ioan.2.
peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustũ. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Nec ab eadem fide & doctrina recedit in Apocalysi, sed eam ipsam potius multo amplius explicat & corroborat, dicens: *Christus dilexit nos, & lauit nos à* Apoc.1.
peccatis nostris in sanguine suo. Idipsum etiam confitentes beatos in cœlis spiritus refert, *Dignus es domine*, inquiunt, *accipere librum, &* Apoc.5.
aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo. Eorum quoque sicut & omnium nostrum iustitiam ex hoc fonte manare, his senioris vnius verbis ostẽdit, *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna,* Apoc.7.
& lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. MIN. Væh, iterumq; Væh Caluino miseros sectatores suos hucusq; dementanti, vt cum eo dicant, *Si corporea tantum morte defunctus esset Christus, nihil actum erat.* Contra n. in corporis eius vulnerib⁹, dolorib⁹, sanguine, morteq; iustificationis & salutis humanæ proram puppimq; constituunt oẽs Apostoli. DOCT. Nulla est Doctoris gentiũ 14.
epistola, nullum fere capitulum, q̃ tam atrocem blasphemiam non arguat. Ait enim ad Romanos: *Iustificati sumus per redemptionem* Ro.3.4.5.
quæ est in Christo Iesu, quem proposuit nobis

Deus

Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad A *ostensionem iustitia sua, Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius.* MIN. Omnes profecto vrgent sanguinem, vrgentque mortem corpoream Christi, vt præcipuam meritoriam causam salutis humanæ: quapropter hostes Apostolicæ sunt doctrinæ, qui ad aliam inuestigandam nos ablegare contendunt.

15. DOCT. Idem Apostolus eandem corpoream Christi mortem extollens scribit ad Corinthios: Iesum crucifixum *Iudæis quidem scandalum esse*, quod Messiam ex se natum, sibique specialiter datum occiderint: *gentibus autem stultitiam*, quod homo Deus, morte sua per crucem vitam mortalibus restituerit: nobis vero in eum credentibus & sperantibus maximam esse virtutem, sapientiam, iustitiam, sanctificationem, & redemptionem. Et scribens ad Ephesios ait: *Nunc autem in Christo Iesu, qui aliquando eramus longe, facti sumus prope in sanguine ipsius. Per sanguinem eius habemus redemptionem.* Et ad Colos. *In ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis suæ siue quæ in terris sunt siue quæ in cælis.* In epistola porro ad Galatas, profitetur nulla alia re se gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV Christi: tantum abest, vt vel per desperantem Christi animam nos saluari dicat, vel eiusdem morte corporea nihil salutis nostræ actum fuisse cum Caluino pronunciet.

1.Cor.1. Ephes.1.2. Coloss.1. Galat.6.

16. Nec sunt prætermittenda grauissima pro mortis Christi virtute, quæ in Epistola ad Hebræos extant testimonia. Sic enim aduersus Caluinicam impietatem pro nostra pietate ratiocinatur: *Si sanguis hircorum, taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis* D *Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti?* Huic autem argumento statim adiungit: *Christus semetipsum semel obtulit ad multorum exhaurienda peccata. Sanctificati sumus per oblationem Christi semel.* nimirum cruento modo in cruce peractam. Et postea concludit: *Habemus itaque Fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi.* MIN. Omnia profecto tribuit huic sanguini, omnia huic oblationi peractæ in ligno, huicque sacrificio: nihil autem motibus conscientiæ, nihil dubitationi de salute, nihil inferorum doloribus, nihil morti secundæ, nihil denique desperationi, aut aliis Ministrorum artificio confictis doloribus. Hæc porro generatim sufficienter discussa sunto.

Heb.9.

CHRISTVM IN ANIMA SVA NEC iram Dei Patris sensisse, nec diuinæ maledictionis horrore percussum esse; nec omnia reprobatis ac damnatis debita supplicia pertulisse: aduersus 12. & 13. hæresin Caluinicam.

CAPVT VIII.

DOCTOR.

Atque de his ipsis nunc nobis speciali disquisitione est agendum. Volunt namque Caluiniani eundem sanctissimum Filium Dei Dominum nostrum & iram Dei Patris, & maledictionis eius horrorem, & singula quæque damnatorum in inferis supplicia in animo suo & conscientia sensisse atque pertulisse. Hæresiarchæ etenim ista verba sunt. *In locum sceleratorum sponsor, vas adeoque, instar rei submissus est* (inferos damnatorum intelligit,) *qui dependeret ac persolueret omnes, quæ ab illis expetendæ erant pœnas: hoc vno excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri.* Et post pauca: *Diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit. Omnia irati & punientis Dei signa expertus, cum mortis & inferorum doloribus certamen subiit, quasi Deo irato in labyrinthum malorum proiectus fuit.* Suas adhuc repetendo & redintegrãdo blasphemias in Harmonia sua scribit: *Nihil mirum si horribilis exitij abyssus metu & anxietate eum cruciauit. Necesse fuit illi profundam mortis abyssum exhorrescere. Diuinæ maledictionis horrore percussus est, Species Christo obiecta est, quasi Deo aduerso iam esset exitio deuotus, horrore correptus est.* Easdem impietates repetit & cumulat Commentariis in Psalm. 21. in cap. 10. ad Romanos: & in suo Catechismo. Bucerus, Beza & alij quidam, quamuis in aliis religionis nostræ capitibus inter se dissideant, & more rabidorum canum sese commordeant atque lacerent, in his tamen iniuriis conueniunt aduersus Dominum & aduersus Christum eius, vociferantes & latrantes: *Ingenti onere iræ diuinæ obrutus, flammis inferni addictus, profundo inferni gurgite sepultus, demersusque periit.* Alij omnes Caluinianæ per Galliam, Belgium, Scotiam, Angliam, Heluetiamque impietatis ministri, suis ad populos libellulis & concionibus hisdem contumeliis atque blasphemiis eosdem in hunc vsque diem commaculant. Tuum nunc est aperire quid de his sentias.

Instit. li. 1. c.16.§.10. In cap. 26. 27. Matth. Beza Annot. in cap. 26. & 27. Matth. & in 22. Luc.

Confut. 1. MIN. Summum agnosco Dei in me beneficium, quod tandiu cum his diuersatus, in tam diabolica & horrenda maledicta nunquam inciderim, nunquam crediderim, nũquam ea prædicauerim. Nihil enim dubito, quin dæmones etiam ipsi, qui Deum credũt, Iacob.2. & metu gloriosissimi nominis IESV contremiscunt, tam nefarias in eum blasphemias deprecentur ac horrescant. Mihiq́; videtur, solam earum commemorationem sufficere ad earum confutationem. DOCT. Verum quidem est sanctos quosdam Patres existimasse, quarundam hæreseôn detectionem satis esse ad earum confutationem, Irenæo Iren.l.1.c.35. scribente, Aduersus hæreticos victoria, est sententiæ eorum manifestatio. Hieronymo Epist. ad Ctesiphõt. etiam Pelagianis dicente: Sententias vestras prodidisse, superasse est. Patet prima fronti blasphemia. Non necesse habet conuinci, quod sua statim professione blasphemum est. Nihilominus & ipsi firmissimis & plurimis argumentis hæreses exagitarunt, & nobis vt aduersus eas pro viribus decertaremus, exempla reliquerunt.

2. MIN. Mihi videntur in primis turpissime Num.16. errare, cum asserunt, *Dominum omnes eas pœnas dependisse ac pertulisse, quæ sceleratis ac damnatis ad inferos debentur, sola perpetuitate excepta.* Psal.105. Apoc.19. 20.21. Nam consequeretur sanctissimum corpus Matth.3.8. 22.25. eius non in sepulchro triduo quieuisse; sed in profundam abyssi & tartari voraginem Marc.9. Luc.3. cum Satana & aliis reprobis absorptum atq; demersum, in stagno igne & sulphure pleno submersum, aliquandiu flammis inextinguibilib. cruciatũ, interioribus ac exterioribus tenebris implicatũ, simulq́; fletu ac stridore dentium vexatũ & totum fuisse; quandoquidem hæc tormenta reprobis & sceleratis deberi apertæ scripturæ patefaciant. DOCT. Vere oportet eos de libris suis subtrahere ac delere, *Omnes pœnas expetendas à sceleratis persoluit, Omnia irati & punientis Dei signa in locum damnatorum ac perditorum demersus expertus est*: aut in ea quæ commemorasti, absurda incidere. Contra vero, beatissimi Euangelistæ & sigillatim & generatim tormenta referentes, quæ pro nobis pertulit in corpore suo; vtpote vincula, alapas, sputa, verbera, flagra, spinas, vestium mutationes, crucis pondus, clauos, fel, acetum, lanceam, &c. nunquam meminerunt demersionis in abyssum, nunquam suppliciorum quæ damnatis debentur in inferis, nunquam flammarum ignis & sulphuris, nunquam iræ diuinæ eum adobruentis, nunquã gurgitis inferni, in quo demersus perierit: quæ vt & nunquam contigerunt, sic & nunquam ab eis recitari aut debuerunt aut potuerunt.

MIN. Præterea, quo sæpius mente reuol- 3.
uo vniuersalem Caluini propositionem, *Omnes pœnas sceleratorum persoluit, Omnia irati* Deut.29. 28.32.
Dei signa expertus est, nulla exceptione præter- Leu.20.14
quam perpetuitatis, temperatam; eo magis Deut.21.
ac magis absurdam & nefariam illam esse Iosu.7.8.
comperio. Nam scelerati tam diuino quam Iere.21.14.
humano iudicio sæpissime promerentur su- 27.29.
per rotas comminui, lapidibus obrui, la- Rom.13.
queis præfocari, flammis absumi, aquis sub- 1.Cor.5.
mergi, capitibus minui, in partes discerpi, feris subigi, tradi manibus Satanæ, plurimisq; aliis suppliciis tolli de medio. Adhæc, eodem diuino iudicio perditi homines pœnas frequenter incurrunt febrium, catarorum, paralysis, hydropisis, elephantiasis, epidimiæ, pestilentiæ, impurissimæ luis, aliorumque turpissimorum & tacendorum morborum: quos Dominus nec in corpore suo pertulit, nec perferre debuit. Non est igitur vniuersale axioma, quo Caluinus nititur, verum; sed contrario falsissimum & nequissimum: quapropter aut illud damnent eius sectatores, aut alias à sola perpetuitate exceptiones adhibeant, necessum est. Atque hæc sunt argumenta, quibus Comministros frequenter exercui, fundamentumque Caluinicæ impietatis subuerti: tu nunc quæ de his sentias edicito.

DOCT. Scite profecto pœnas corporeas, 4.
quæ tam in hac, quam in altera vita sceleratis debentur, examinasti; simulq́; Dominum nostrum nequaquam his correptum fuisse demonstrasti: superest ergo, vt in spiritalia tormenta impiorum animis debita pro viribus inquiram, eademq́; opera confirmem eundem nec in conscientia sua pertulisse, nec sustinere debuisse: atq; sic omni ex parte conuulsæ labefactatæque iaceant Caluinianæ in Christum blasphemiæ.

Inter pœnas sceleratorum & perditorum animabus debitas, ea dicitur prima & omnium grauissima, quæ nimirum in perpetua priuatione claræ Dei visionis ac fruitionis consistit; vt è contrario videre eum facie ad faciem sicuti est, præcipua est beatorum gloria animarum. Ait enim Chrysostomus.
Noui quod plurimi gehennam tantum mo- Hom.24.
do pertimescant. ego tamen illius gloriæ a- in Matth.
missionem multo amarius dico esse supplicium. Intolerabilis quidem res est, & supplicium illud horribile: tamen si mille aliquis

ponat

ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale A est à beatæ illius gloriæ honore repelli. Eandem persequitur sententiam, Exhortatione ad Theodorum lapsum: nec ab eadem declinat Augustinus libro Manualis cap. 15. Excepta vero perpetuitate sola, quis audebit sanctissimam Iesu Christi animam iis connumerare, quæ tali pœna multantur? Habuitne vnquam peccatum proprium, cuius ratione sic à Deo abstraheretur, cui tam intime perfecteque coniuncta fuit?

5. Secunda damnatorum animarum pœna dicitur posita in assiduis sceleratæ conscientiæ stimulis, quib. sic cõtinuo agitantur, punguntur & excruciantur, vt nulla vnquam B fruantur quiete. His enim vel inuitæ ad diuinum tribunal reducũtur, ibidemq; in ira Dei vltionum coarguuntur, ac damnantur in furore eius, vt omnib. modis maledictæ & abominandæ. Tum enim ter quaterque miseræ tormentis grauissimis addicuntur, quæ nullis precibus effugere possunt: Creatorem longe optimum velut iniquissimum maledictis insectantur, blasphemant, & desperatione fractæ fremunt, mortemq; summis votis efflagitant: & mors fugit ab eis. MIN. Caluinus ergo vel ipso Antichristo sceleratior est, qui beatissimæ Christi animæ has omnes pœnas affingit, inquiens *eam illas omnes pertulisse, quæ damnatis ac perditis debentur.*

Apoc. 13. & 16. Marc. 9. Rom 2. Psal. 6 34. Mat. 7. 25.

6. DOC. Tertia perditarum animarum pœna est, quod propriis culpis in perpetuum priuentur omnibus Spiritus S. donis ac largitionibus, videlicet charitate, quiete, lætitia, pace, longanimitate, benignitate, bonitate, continentia, mansuetudine. Priuantur quoque septem donis illius, quæ ab Isaia recitantur, sapientia, intellectu, consilio, fortitudine, scientia, pietate, atque timore Domini. Spoliantur quoque virtutibus quæ morales nuncupantur, iustitia, fortitudine, prudentia, temperantia. Carent & his Christianis perfectionibus, humilitate, modestia, humanitate, mansuetudine, misericordia, longanimitate, cordisque munditia. Vt enim electi heroicis istis virtutibus ac spiritalibus ornamentis eminent; sic reprobi iure priuantur. Relicta vero perpetuitate illa Caluinica, audebuntne sectatores eius vel leuiter suspicari, Christum vel breuissimo tempore, his cunctis virtutibus priuatum fuisse?

Isa. 11.

7. Quarta miserorum ac sceleratorum pœna est, quod superiorum virtutum loco, contrariis sceleribus inficiuntur ac perpetue cõmaculantur; sicque in peccatis sunt pertinaces & indurati, vt nulla vnquam pœnitudine teneantur, nullo Dei honore aut reuerentia afficiantur. Sese igitur diabolica plane arrogantia aduersus diuinam maiestatem attollunt, odio iustitiæ illius disrumpuntur, gloriæ eius inuidia cõtabescunt: eos inuisos habent qui illum diligunt: denique omnibus exuti bonis ac benedictionibus diuinis, in perpetuis malis atque execrationibus sunt demersi. Habent præterea intellectum omni errore ac mendacio excæcatum, deprauatã malitia & bonorum odio voluntatem, memoriam omni grata suauiq; recordatione priuatam, insuper, cunctis aduersis tristibusque rebus confusam: animam denum & vniuersas facultates eius omni ægritudine, angore, & mœrore depressas. Tales sunt pœnæ sceleratis ac perditis animabus debitæ; huiusmodi ac etiam longe grauiora quam capere possimus, sunt tormenta reprobis præparata: quæ si incarnatum gloriæ Dominum animo subiisse à cætero ausi fuerint dicere Caluiniani, nonne rabida insania insanissimos quosque superabunt? MIN. Miranda sane est Christi Domini patientia, qua tam scelerate aduersum se blasphemantes tam benigne tolerat, & tanta longanimitate ad pœnitentiam expectat. Verum, certissimum est, C grauissimum iudicium eos manere Principes & Magistratus, qui Prædicantes sinunt in suis ditionibus tam nefaria in Redemptorem & summum iudicem viuorum & mortuorum euomere & spargere.

Apo. 6. 9. Isa. 2. Osee 8.

DOCT. His porro rationibus conuictas hæreses, iam etiã ex sacris scripturis refello, confirmoq; Christum corporea passione & morte sua totius mundi peccata expiasse; & non horrendis pœnis spiritalibus, quas in inferis pependerit. Scribit namque in primis Apostolorum princeps, Dominum nostrum portasse peccata nostra, id est, pœnas peccatis debitas, *in corpore suo super lignum.* Igitur D non in anima in profundam horribilis exitij abyssum demersa. Nõ diris conscientiæ cruciatibus, tanquam vere à Patre derelictus foret aut maledictus. Non certamine cum inferorum doloribus. Non metu vel anxietate maledictionis diuinæ. Non inquam, nõ plane ingenti onere iræ diuinæ obrutus, non flammis inferni addictus, non profundo inferni gurgite sepultus, animo pertulit Christus supplicia peccatis humanis debita: sed IN CORPORE SVO SVPER LIGNVM crucis: sicq; sanctificati fuimus aspersione sanguinis eius, ac pretioso sanguine 8.

1. Pet. 2.

Iesu

Iesu Christi agni immaculati & incontaminati. A

9. *Apoc.1.* Huic concinit coapostolus Ioannes dicens: *Christus dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Non ergo in horrore *Apoc.1.5.7 & 22.* maledictionibus diuinæ quo adobrutus fuerit, aut flammis inferni quas pertulerit. In eodemque sanguine omnes electi stantes ante thronum Dei, stolas, id est, animas & conscientias suas lauerunt & dealbauerunt: & non in ira diuina, in qua se percussum & damnatum aliquando senserit & existimauerit.

10. *Rom.3.5. 1.Cor.1. 2.Cor.5.7. Ephes.1.4. Coloss.1. Heb.2.5.9. & 13.* Nec alia vnquam fuit Pauli mens & doctrina, cum ait: *Christum per sanguinem suum factum esse nobis propitiationem, redemptionem,* B *gratiam, & gloriam coram Deo:* & non per supplicia damnatorum ac perditorum, quæ animo in infernum demersus persoluerit. Hoc ipsum rursus his verbis affirmat: *Vna oblatione,* videlicet corporis, sanguinis & vitæ humanæ in cruce peracta, *consummauit in perpetuum sanctificatos, æterna redemptione inuenta.* Sic complacuit Patri per eum reconciliare omnia, *pacificans per sanguinem crucis eius siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Qui eramus longe, facti sumus prope per sanguinem ipsius, reconciliati in corpore carnis eius, &c. Sanctificauit populum suum in sanguine suo:* non in conscientia sua patiendo omnia irati & punientis Dei intolerabilia signa, quemadmodum perdendarum animarum sceleratissimi ministri comminiscuntur. C

11. *Ioan.6. Matt.26. Mar.14. Luc.22.* An non etiam vniuersæ salutis nostræ fontem vnicum Christus ipse satis indicauit, dicens, *Panis quem ego dabo, caro mea est quam ego dabo pro mundi vita: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur? Hic est sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum?* Quod si voluisset aut debuisset flammas inferni, cæteraq; omnia damnatorum ac reproborum decreta supplicia secundum animam perpeti, putas alto semper & vbiq; silentio nos celasset: Tantum & solum hoc D mysterium Apostolis nunquam reuelasset?

MIN. Cum tam sigillatim ac decenti ordine recenseantur supplicia, quæ tum in horto, tum in ædibus Annæ, Caiphæ, Herodis & Pilati; tum in monte Caluariæ, tum deniq; de ligno pendens pertulerit; non est profecto verisimile, tormenta illa spiritalia, quæ in inferno & flammis gehennæ Christo persoluenda fuisse autumant Ministri Caluiniani, tanto silentio à cunctis Prophetis, Euangelistis, & Apostolis prætermissa fuisse, si quando ea pro nobis Dominum oportuisset.

12. DOC. Sed omnium attentissime exaudi, animoq; tecum diligenter perpende, quæ idem Saluator in cruce pendens de salutis nostræ causa, fonteq; pronunciauerit. Cum enim omnibus corporis partibus læsus, felle & aceto potatus, iam iamq; animam suam in manus Patris redditurus esset, exclamauit, *Ioan.19.* CONSVMMATVM EST. Quid, nisi salutis humanæ totum opus sane laboriosum, & maximum mysterium? Ergo non supererat, *vt aliquas in inferorum gurgite profundo pœnas adhuc exsolueret. Non vt cum inferorum doloribus certamen subiret. Non vt irato aduersum se Deo in labyrinthum malorum proiiceretur. Non vt diuinæ maledictionis horrore percuteretur. Non deniq; vt flammis inferni addictus, aut profundo gurgite inferni sepultus & obrutus periret,* vti hæc Satanæ mancipia comminiscuntur.

MIN. Nullis certe verbis explicare possem, quantum me afficiant tam clara, tamq; certa ex verbo Dei sumpta argumenta. 13. Credo sane ac cunctis Christianis credendum censeo, Christi Dei ac hominis innocentissimi Deoq; gratissimi & carissimi minimam corporis læsionem, minimam spinarum & clauorum compunctionem, minimam oculorum lachrymam, minimum pectoris gemitum, minimam sanguinis guttam, minimamq; animæ angustiam, propter patientis personæ circumstantiam atq; præstantiam, sufficientissimam fuisse ad totius mundi reparationẽ: ac proinde nihil fuisse necessum, *vt flamma inferorum, aliasq; reprobatorum pœnas omnes animo persentisceret,* vt ista inferorum guttura euomere non reformidant. Et ita annuendo huic sanctissimæ Catholicæ doctrinæ, nolo in posterum aliquid aliud scire ac prædicare, quam IESVM CHRISTVM *1.Cor.1.2.* & hunc, non in gurgitem inferorum, demersum ac perditum, vt perditissimi nebulones confingunt; sed in ligno crucifixum atque pro me pendentem. Inter brachia eius & viuere cupio, & mori desidero. Securus illic habito: expandit enim manus suas paratus in amplexus peccatorum. Aliam nolo viam, alium ingressum non quæro, aliam mihi portam patere non postulo, vt ante thronum misericordiæ diuinæ prodeam, & gratiam inueniam in tempore opportuno. Patent enim mihi viscera misericordiæ summi Patris & Dei nostri, per vulnera vnigeniti Filij ac Domini nostri. Solum Iesum Christum & hunc crucifixum, tametsi Iudæis scandalum, Gentibus stultitiam, & Caluinianis damnatum & perditum, à cætero cum Paulo *Gal.* prædi-

Heb.9.10. prædicabo, *Absit mihi gloriari nisi in cruce ipsius.* A
12.13. *Et quicunq; hunc regulam secuti fuerint, pax super*
illos & misericordia Dei Israelis.

14. Quicunque autem huius mortem corpo-
ream, huius cruorem, huius crucem, huius
clauos, huius spinas despexerit, & sanguinē
Hebr.10. testamēti pollutum duxerit, anathema. Qui-
cunque passionem eius tam acerbam, tam i-
gnominiosam, tam longam, atq; tanta cum
charitate, obedientia, & tam patientia tolera-
Instit.l.2. tam, *nihil ad salutem nostram egisse* cum Calui-
c.16.§.10. no dixerit, anathema. Quicunq; Christū seu
in cap.10. viuentem, seu mortuum, seu in corpore, seu
Ro.v.6.7. in anima, omnia reprobis atq; damnatis de- B
Catech. bita in inferis supplicia pertulisse, atque fine
Dominic. his nihil de salute nostra actum pronuncia-
10.in c.22. uerit, anathema. Quicunq; illū in ea senten-
Luca in ca. tia fuisse dixerit, vt in conscientia Deum sibi
26.Matth. aduersum & iratum sentiret, sicq; in horri-
& in Psal. bilem salutis suæ desperationē caderet, ana-
22. thema. Atq; hæc mea fides, hæc religio, cui
(Deo bene iuuante) perpetuo inhærebo.

15. Supersunt tantum quædam argumenta,
Obiectio. quibus Caluinus innititur, dissoluenda: his si
feceris satis, rem mihi gratissimam præsta-
bis. Primum enim obiicit, Christum cum A-
Matth.26. postolis suis conquerentem dixisse, *Tristem* C
Marc.14. *esse animam suam vsq; ad mortem*: eundemq; ex-
Luc.22. pauisse, mœstum pertæsumq; fuisse, insuper
& in graui certamine cōstitutum sanguineo
sudore maduisse: quæ omnia maximam ani-
mæ angustiam, & tristitiam indicant: atq; ita
non solum in corpore suo, sed etiam in ani-
ma pro nobis passum esse. DOC. Solutio in
promptu est, videlicet, quod vt peccatum nō
solum ad hominis corpus, verum etiam ad
animam penetrat, eandemq; simul inficit at-
que commaculat, & perdit; sic quoq; Domi-
num & in corpore & in anima sua dira pas-
sum esse, vt vtrumque sanctificaret, redime-
ret, atq; saluaret. Passus vero est, non ea in v- D
niuersum atque sigillatim tormenta, quæ
perditis, ac in inferos demersis sceleratis ac
reprobis hominibus debentur, vt Caluiniani
impie confingunt: sed quæ coram Deo Patre
illis nō tantum æquiualerent, sed & plus de-
Luc.1.2. cerēt atq; nobis prodessent. Hæc porro sunt
Matt.2.4. quæ ab eodem ac Euangelistis speciatim fre-
quenterq; commemorantur, vtpote incar-
nationis humilitas, infantilis imbecillitas, fu-
ga in Aegyptum, ieiunia, suspiria, fames, sitis,
vigiliæ, humicubationes, cōciones, peregri-
nationes, conuitia, calumniæ, mundi odia,
Luc 4. proximorum contemptus, impiorum mi-
Io.7.8.10. næ, mortes sæpius intentatæ, summa homi-
num quibus benefecerat ingratitudo, disci- *Ioan.13.*
puli proditio, Apostolorum scandala, capti- *Matth.26.*
uitas, vincula, sputa, verbera, membrorum *27.*
extensiones, totius corporis lacerationes, *Luc.22.*
detracta non semel vestimenta, nuditates, *Marc.14.*
cruentæ spinæ, grauissimæ crucis impositio *Ioa.18.19.*
atque baiulatio, pedum & manuum confos-
siones, cum sceleratis reputatio, omnium or-
dinum irrisiones & amarulenta scommata,
inimicorum insultationes, amicorum dere-
lictiones & abnegationes, neruorum violen-
tæ extensiones, ossium & compagum disso-
lutiones: & vt paucis plurima comprehen-
dam, postrema ea exinanitio, *qua factus est Pa-* *Philip.2.*
tri obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. *Psal.22.*
Huiusmodi fuerunt tormenta & supplicia
tum corporis tum animæ Christo à Patre cō-
stituta, Patriarchis cognita, in lege figurata,
à Prophetis prædicta, ab Euangelistis renun-
ciata, ab Apostolis toto orbe prædicata, & ab
vniuersis Christianis hactenus credita & ad-
mirata; quibus clementissimus & amplissi-
mus Saluator Deum Patrem nobis propitiū *Hebr.7.8.*
reddidit, totius mūdi delicta expiauit, & gra- *10.*
tiam gloriamq; cunctis in eum credentibus *Matth.3.*
& sperantibus meruit, si dignos pœnitentiæ *Act.3.*
fructus peregerint. Tales fuerūt pœnæ, quas
non tantum secundum corpus, quod sine a-
nimo prorsus impatibile est, verum etiam
secundum animam Christus pro nobis per- *Matth.26.*
tulit, quarum ratione dixit tristem esse ani- *Luc.22.*
mam suam vsque ad mortem: tales anxieta- *Act.2.*
tes, quæ illum ad sanguineum sudorem im- *Isai.53.*
pulerunt: tales mortis dolores, quibus im-
possibile fuit eum perpetuo detineri: talis
disciplina pacis nostræ eidem imposita. Sic
vulneratus est propter iniquitates nostras, &
attritus propter scelera nostra, Hic calix quē
dabat ei Pater vt biberet illum. Hoc redem-
ptionis humanæ pretium. Hæ passiones & af-
flictiones, quibus tota scriptura salutem no-
stram refert acceptam. *Ecce*, inquit ipse Do-
minus, *ascendimus Ierosolymam, & consumma-* *Matth.20.*
buntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Fi- *Marc.10.*
lio hominis. Tradetur enim gentibus ad illudendū, *Luc.18.*
& flagellandum, & conspuendum: & cum flagella-
uerint, occident eum. Paucis omnia perferenda
complectitur: & in his nunquam tamen me-
minit flammarum inferni, demersionis in
gurgitem perditorum, mortis secundæ, Di-
uinæ iræ in conscientia sua persensionis, de-
sperationis aut aliorum abyssi ac damnato-
rum suppliciorum; quæ perditi ac pestiferi
Prædicantes confingunt, voluntq; sic præci-
pua Redemptionis fuisse remedia, vt sine his

de ea nihil actum esset. Oblitus ne fuisset A Christus potissimam passionem suarum, maximamque salutis nostræ causam; vt ea quæ nihil (iuxta Caluinianos) ad rei nostræ subsidium faciebant, tam serio commemoraret, tamque frequenter prædicaret?

16. MINIS. Animum meum sustentat & recreat lætitia non mediocris dum te audio tam pie docteque narrantem singulas pœnas, & dolores quos in corpore suo Dominus pertulit: tum etiam quemadmodum anima tota existens, in toto, & tota in qualibet parte eiusdem corporis, tota cum eo affligebatur, tota angustiabatur, tota condolebat B & contristabatur. Nec dubitandum est, quot alapæ, quot punctiones, quot flagra & verbera, quot sputa, quot insultationes & opprobria eidem impacta fuêre; tot velut accutissimos gladios, quibus piissima eius discinderetur anima, extitisse. Accedit, quod idem corpus Dominicum per Spiritum sanctum ex purissima & tenerrima Virgine concretum esset etiam purissimum, tenerrimum & delicatissimum: anima quoque sanctissima, viuacissima; & eo magis subtilis, atque illatarum sibi iniuriarum & plagarum supra quã dici potest, sensibilis: quibus effectum credo, vt læsiones, quæ nobis leues sunt, ei fuerint C grauissimæ & acutissimæ. Atq; si hanc Christi patientis circunstantiam pro dignitate expendissent profani & stupidi Ministri, merita corporeæ mortis & passionis eius potius extollere & magnificare, quam tam nequiter imminuere studuissent.

Isa. 7. Luc. 1. Matt. 1.

17. DOCT. Sunt profecto & aliæ præter istam, Christi patientis circunstantiæ & conditiones, quæ diligenter & probe meditatæ passionum eius merita multo amplius nobilitant, & coram Deo ac Angelis gratissima, efficacissima, & saluberrima reddunt. Hæ sunt, quod vnicus, consubstantialis, coæternus esset Dei filius; sicq; eiusdem cum Patre D potentiæ, bonitatis, gratiæ, atque infinitæ in homines beneuolentiæ atque misericordiæ: atque ita idem erat Satisfactio, & is in quem peccatum admissum fuerat: creditor, & debitor: & meritum, compensatio: quique minima lachryma sua, minimaq; cruoris sui gutta placari facile potuisset. Insuper, cum enumeratæ passiones ab eo tolerarentur qui simul erat Deus & homo, homo inquam conceptus de Spiritu S. homo plenus gratia & veritate, homo in quo habitabat omnis plenitudo diuinitatis etiam corporaliter, homo coram Deo purus, immaculatus, innocens, excelsior cælis, purior cunctis Angelicis choris; qui non habuit necessitatem pro seipso prius offerre: certe passiones eius non potuerunt non esse infiniti pretij ac immensi valoris & meriti apud Deum. Adhæc, cum vniuersa illius corporea passio ex incredibili in Patrem cælestem obeditione ac reuerentia, summa quoq; in genus humanũ beneuolentia & charitate prodierit, Christianis ambigere non licet, quin longe magis grata & accepta fuerit Deo, quam veteris Adami noxa molesta aut inuisa exstiterit. Quare quicunque non crediderit Christi corporis in cruce suspẽsionem, sanguinis effusionem, & animæ in his omnibus condolentiam, sufficientissimam fuisse peccatorum nostrorum expiationem: sed his sua temeritate addiderit, *Omnia irati & punientis Dei signa, inferorum flammas, in abyssum extremam submersionem & damnationem.* aliasque blasphemias à Caluino confictas, & contra omnem scripturarũ fidem adductas; nimis certe diuini Patris misericordiæ, nimis sanctissimis Filij laboribus, nimis infinitæ Spiritus S. Bonitati & gratiæ contumeliosus erit.

Matth. 3. 17. 18. Ioan. 1. Coloss. 1. Heb. 7. Rom. 5.

18. Obiectio. MIN. Hæc mihi ad priorem obiectionem sufficiunt. Superest altera discutienda antequam huic disputationi finem imponamus. Aiunt Christum in extremos dolores redactum, lachrymas demisisse, & præ nimia angustia magnum illum clamorem edidisse, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matth. 26. Indeque concludunt animam illius quadam alia maiore tristitia affectam fuisse, ab ea quæ procedebat ex corporis coniunctione atque condolentia. DOC. Quatenus vel fuerit vel non fuerit Christus à Patre derelictus suo postea loco dicam: nunc tantum quæ maxima extiterit animæ eius angustia & tristitia explicabo. Quoniam primorum parentum, totiusque posteritatis eorum peccata, in ea præsertim facultate animæ, quæ Voluntas seu appetitus liber dicitur, sedem habent, totaq; consistũt, Christus quoq; in eadem tantam tristitiam atque contritionem suscipere voluit, quantam ad illorum perfectam corã Deo expiationem necessariam esse nouerat, Itaque intellectu suo attendens omnia huius mundi scelera, præterita, præsentia, futura, imo vero etiam possibilia; & quantum Deus per hæc à suis creaturis ingratisq; seruis contemneretur & negligeretur; eademque voluntati suæ offerens, vt quid de his statueret; illico tantam concepit de his tristitiam, tantam mœstitiam, & tantam contritionem,

tionem, vt omnem vere resipiscentis animæ A pœnitentiam internam exuperauerit. Istud paulo apertius & singularius explico. Piissimus mundi Redemptor muneri suo facturus satis attenta viuaque animi cogitatione sibi proponit omnia scelera superborum, ambitiosorum, auarorum, luxuriosorum, inuidorum, helluonum, furiosorum & negligentium; insuper, omnium latronum, sacrilegorum, patricidarum, maleficorum, veneficorum, proditorum, periurorum, incestuosorum, adulterorum, blasphemorum, hæreticorum, apostatarum, idololatrarum, infidelium; omnia item peccata spiritalia & corporalia, interna & externa, cordis, oris, & B operis; quæq; committi queunt contra Patrem, seipsum Filium, atq; Spiritum S. & inter ista, instantem vnius Apostolorum suorū iniquissimam proditionem, reliquorum infamem turpemq; defectionem, Petri abnegationem, Thomæ incredulitatem, Hebraici populi tam olim dilecti & cari reprobationem; atque innumerabilium hominum, qui se tam copiosæ & gratuitæ redemptionis indignos reddituri erant, summam ingratitudinem: hæc inquam & alia totius mundi scelera illico expianda sibi Christus animo cōplectens, tanto illa odio prosequitur, abhorret, atque detestatur propter Deum, cui inuisa esse probe nouit, tantaque totius cordis & animi pœnitudine dolent; vt par ei nemo vnquam fuerit. Atq; hæc fuit animi eius tristitia, summaq; ægritudo interna, quæ vulnerum doloribus & laboribus, quos secundum carnem iam iam toleraturus erat coniuncta, quæ tristem vsq; ad mortem reddebat eius animam, quæ sanguineum sudorem exprimebat; quæ in faciem procidere compellebat, quæ Patrem rogare prouocabat vt calicē à se trāsferret. Etenim si vnius tantum

Ioan.13. Iudæ scelus tantam ei molestiam attulit, *vt turbaretur spiritu*; quanto putas maiore eum tunc affectum esse tristitia, quando omnia omnium hominum crimina sibi vidit fore e-

Matth.27. luenda? Hinc commemoratæ illius lachry-

Heb.5. mæ, hinc angustiæ, pauores atque tædia, de quibus conqueritur, hinc clamor ille valid[us] quo demirans Patris in cæteros homines bonitatem & misericordiā, in se vero patronū & redemptorem eorum iustitiam, & seueri-

Psal.21. tatem, vociferatus est, *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Hinc denique graues istæ veteresque conquestiones per Prophetas eiusdem Saluatoris nomine expressæ, *factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio* ventris mei. *Aruit tanquam testa virtus mea, &c. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ,* id est, tribulationes, mœrores, & angustiæ, Psal.68. *vsq; ad animam meam. Propter te sustinuit opprobrium operuit confusio faciem meam. Tu scis impro-* Psal.70. *perium meum, & confusionem meam & reuerentiam meam. Qui custodiebant animam meam consiliū fecerunt in vnum dicentes, Deus dereliquit eū, persequimini & comprehendite eum, quoniam non est qui eripiat. Deus, ne elongeris à me, &c.* Sic do- Isa.53. lores nostros ipse portauit, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis ac reconciliationis nostræ super eum. Sic factus est vir dolorum, & sciens infirmitatem, liuoreq; eius sanati sumus. Sic percussus à Deo & humiliatus, inter sceleratos reputat[us] est, portās multorū peccata. Sic pro nobis dolens, obtu- Psal.50. lit sacrificium cordis contriti & humilitati; q[uod] Deus Pater non despexit. Sic decebat eum Heb.2. propter quem omnia, per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorē salutis eorum per passiones consummari.

Huiusmodi porro fuisse perpetuam con- 19. sonamq; Ecclesiæ Christianæ de angustiis & Li. de fide. tristitia animæ Christi doctrinam, patet ex ad Grat. his SS. Patrū testimoniis, Sicut meam susce- Com. in ca. pit voluntatem, ait Ambr. meam etiam acce- 53. Isai. pit tristitiam. Et Hieron. Dolet pro nobis vere, non opinione, vt hæretici (Marcionitæ, C Manichæi, Valentiniani) suspicantur. Vere crucifixus fuit, vereq; doluit, dicens in Euangelio, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Manifestum est quod vt corpus flagellis cæsum & lacerum acceptæ iniuriæ expressa retinebat vestigia, ita & anima vere doluit. Ad- Lib.9. Thedit Cyrillus Alex. Timuit mortem, & vere sauri ca.3. tremuit vt verus homo. Et Leo magnus, Par- Serm.3. de ticipando in passionibus infirmitatis nostræ, passione. eas sanabat; & subiiciens seipsum timori pleno doloris, eo nos exonerauit. Dominus itaque timore nostro fremebat, vt nostram constantiam sua virtute stabiliret. Venerat D diues & misericors de cœlo, & admirabili permutatione salutarē fecerat mercaturam. Tradidit suū, accepit nostrū. Tradidit honorem, retulit contumeliam: dedit salutem, reportauit dolorem: & pro vita mortem. Ful- L. 3. ad gentius denique ita de his disserit. Homo Trasimun- Christus quoniam peccata non habuit pro- dum c.29. pria, portare dignatus est aliena. Illorum aūt 30. à se voluit peccata portari, cum quibus tenebatur consortio naturali, dicente Apostolo: *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno* Hebr.2. *omnes, &c.* Restabat ad plenum redemptionis nostræ effectum, vt illic vsque homo

 fine

fine peccato à Deo ſuſceptus deſcenderet, A quouſq; homo ſeparatus à Deo, peccati merito cecidiſſet, id eſt, ad infernum & ad ſepulchrum: ſic tamen vt nec Chriſti caro in ſepulchro corrumperetur, nec inferni doloribus anima torqueretur. Quoniam anima immunis à peccato, non erat ſubdenda ſupplicio: & carnem ſine peccato non debuit vitiare corruptio.

20. MIN. Hæc incredibili gaudio & conſolatione cor meum ſuſtentant & recreant, ſimulque intellectum plurimum illuſtrant de corporeis doloribus, & angoribus animæ Chriſti ſeruatoris: quandoquidem perpendo quanti fuerint apud Deum meriti atque B virtutis, quo pretio redemptus ſim, quãtum Filius Dei me dilexerit, & quanta pro ſalute mea pertulerit. Sed quoniam adhuc plurima reſtant examinanda, his finem imponamus, citatis tantum aliorum Patrum de hac re locis, vt eos cum plus otij nactus fuero, per meipſum & legere & meditari valeã. DOC. Perlege igitur Iuſtini Martyris & Philoſophi Dialogum; Tertullianum contra Iudæos, & aduerſus Praxeam: Cyprianum ſermon. de paſsione: Nazianzeni tragœdiam, quæ dicitur, Chriſtus patiens; Athanaſium aduerſus C Apollinarem, Hilarium l. 2. 3. & 4. de Trinitate: Ambroſium in cap. 22. Lucæ: Auguſtinum denique in Pſalm. 21. 30. 68. 70. 83. & 93. MIN. Aliud perſequamur.

QVOD CHRISTVS DE ANIMI SVI ÆTERNA SALVTE nunquam dubitauerit: aduerſus 14. hæreſin Caluinicam.

CAPVT IX.

DOCTOR.

EX præcedentibus deducunt erroribus, Chriſtum de ſempiterna animæ ſuæ ſalute non fuiſſe certum, ſed ancipitem ac dubium: omnium probationum loco, varias in eorum vultus ructantes iniurias, qui hac in re eis aduerſantur. Verba Caluini ſunt iſta: *Hic nebulones quidam, licet indocti, malitia tamen magis quam inſcitia impulſi, clamitant me atrocem facere Chriſto iniuriam: quia minime conſentaneum fuerit eum de animæ ſalute timere.* Inſtit. li. 2. c. 16. §. 12.

Confut. 1. MIN. Scio illum & hæc, & his longe grauiora aduerſus animam Chriſti patientis in Harmonia ſua effutire, à quibus, diuino ſeruante & docente me Spiritu, ſemper abhorrui: quandoquidem & ipſe in hac re ſibi manifeſte contradicat, cum alibi cenſeat, *Neminem ſe in numerum fidelium recenſere poſſe, niſi qui certo ſibi perſuaſerint, quod à Deo diligantur, licet ſint indigni.* In c. 1. Ro. verſ. 7. Atqui non auderet Chriſtum referre in cœtum numerumq́ue infideliũ: tanta ergo ſecuritate ſemper ſibi perſuaſit, quod Pater eũ ſummo amore complecteretur, imo quod reapſe erat Filius dilectus, in quo ſibi complacebat, vt de animæ ſuæ ſalute nunquam ambigere debuerit aut potuerit.

Deinde, iſta quam Chriſto tribuunt de ſalute dubitatio, omnino repugnat cum fidei à 2. ſe conſtituta & tradita ratione. Aiunt enim: Calu. in ca. 21. Matth. *Fides eſt certitudo in Dei bonitatem recumbens, quæ dubitationem non admittit. Neq; enim alios credere agnoſcit Chriſtus, niſi qui indubie ſtatuunt, Deũ ſibi eſſe propitium; nec haſitant quin daturus ſit quod petunt.* Beza quoq; cenſet, *Fidem eſſe certam quandam ſcientiam, quam Spiritus S. magis ac magis inſerat cordibus electorum: qua quidem quiſque eorum certus ſit de ſua ſalute, nulloq; pacto de illa dubitet.* Conf. pũct. 4. art. 5. 13. Et iterum: *Oportet, inquit, vt vnuſquiſque priuatim apud ſe concludat, Sum in Ieſu Chriſto per fidem, & proinde perire non poſſum: quoniam exploratam habeo ſalutis meæ rationem.* Quod ſi (eorum ſententia) viro fideli nunquam licet de ſalute ſua dubitare, quo pacto Chriſtus dubitauit? Et ſi vnuſquiſque electionis ſuæ rationem exploratam habet, qua ratione Chriſtus ſolus omnium de ea timuiſſet? Si quiſq; priuatim ſecurus eſt, quod perire nequeat, eo quod per fidem ſit in Chriſto Ieſu; certe multo magis oportuit ipſum Saluatorem nihil de propria ſalute ſua ambigere, nihilque de periclitante anima ſua metuere: cum ipſe non ſolum Saluator, ſed & ſalus ipſa ſit omnium ſaluandorum.

Ad hæc, Caluinus de eodem Chriſto ait 3. alibi: *Fixa ſtetit fides in eius corde. Fide retinuit* In c. 27. D *Deum ſibi eſſe propitium. In eius diro cruciatu illæſa* Matth. v. *fuit eius fides.* 46. Igitur, ita ſemper in Dei bonitatem recubuit, vt nunquã dubitarit ſe Deo eſſe chariſsimum & gratiſsimum; ſicque nulla ratione perire poſſe. Et ſi fides nullam ſalutis dubitationem in nobis admittit, non potuit certe Chriſtus in quibuſcunque tormentis conſtitutus de ſalute ſua dubitare. Aut profecto Caluinus Bezaq́ue Chriſto meliores & beatiores, qui de ſalute ſua non ambigunt; Chriſtus autem non modo aliquando dubitauit, ſed etiam deſperauit. Quis hãc furioſorum hominum amentiam non toto pectore execraretur?

Inſuper, fatetur idem Caluinus, Chriſtum 4. in tormentis ſuis *manſiſſe compoſitum ad veram* In cap. 26. *tem-*

Matt. v. 37. 39. In c. 23. Luc. v. 43 *temperantiæ regulam.* At magna est intemperantia, cum quis de salute sua diffidens, animo frangitur. *Licet* (inquit) *Dei manu percussus, quia tamen non destitit esse mundi Seruator, cælesti potẽtia semper fuit præditus ad munus suum implendum.* Alio autem loco adfirmant, *De sua salute dubitare, nihil aliud esse quam per infidelitatem aduersus Deum insurgere.* Aut ergo Christum per infidelitatem aduersus Deum insurrexisse, per horrendam blasphemiam dicant necessum est: aut nunquam de salute propria dubitasse, quod Caluinicam hæresin funditus euertit. Et qui potentia cælesti semper & vbique præmunitus fuit ad munus Seruatoris implendum, quomodo dæmones & tenebricosa sibi pertimuisset tartara? Nunquam ergo, nunquam mihi persuasero, hunc potentissimum Filium Dei, animæ assumptæ vel gratiæ vel gloriæ diuinæ timuisse amissionem.

5. DOCT. His adiunge, quod supra docuimus, sanctissimam Christi animam, à primo instanti creationis ac infusionis suæ in corpus, clarissima diuinitatis visione, certissimaq; fruitione perpetuo fuisse beatissimam & gloriosissimam. Enimuero cum arctissima omnium, id est, personali vnitione, Deo esset coniuncta; non decuit eam in illum velut latentem credere, aut velut absentem sperare; sed præsentissimo atque coniunctissimo perfrui: sicq; nec de collata sibi ab initio summa gratia dubitare, nec de communicata sibi cælesti gloria timere. Ex quo sequitur eos, qui cum Caluino senserint Christum de salute propriæ animæ timuisse, vnionem eius hypostaticam cum Verbo, (vt facturum esse nouissimum Antichri-
1. Ioan. 4. stum prædixit Ioannes) nefarie dissoluere. MIN. Dilucida profecto & certa sunt hæc omnia.

6. Ioan. 1. DOCT. Nunquid non etiam perpetuo fuit vnicus Dei Patris Filius; Verbum Deus, lux mundi, homoque plenus gratia & veritate? Nunquid non gloria cumulatus quasi vnigenitus à Patre? Num & Spiritus gratia
Ioan. 3. Coloss. 2. donatus sine mensura? MIN. Ita Ioannes adfirmat: Paulus quoque adijcit, omnem diuinitatis plenitudinem in eo habitasse etiam corporaliter: quapropter manifeste impiissimum est asserere, quod aliquando de propriæ animæ suæ salute anceps ac dubius fuerit.

7. Ioan. 13. Ioan. 7. 8. 14. 16. 20. DOCT. Præterea, nouerat semper Patrem sibi omnia dedisse in manu; & quod vt à Deo exierat sic ad eum reuerteretur. Maxima namque constantia sæpe pronunciabat, *Vado ad eum qui misit me. Vado ad Patrem. Pater, ad te vado. Vado ad Patrem meum, & Patrem vestrũ. Relinquo mundum, & vado ad Patrem.* MIN. Propria & diserta sunt apud Euangelistas Christi verba. DOCT. An non ergo hæreticus palam impius, & verbi diuini nefarius contemptor, dicens illum de salute animæ suæ timuisse?

Sed quid, te quæso, vel qua ratione, de salute, & gloria æterna sibi pro certo reposita timuisset? Aut quis recta cælum petentem animam eius prohibuisset? Pater, qui eum vt seipsum infinito amore cõplectebatur; imo in eo erat, vt & Filius in eodem Patre? Angeli, qui eundem vt creatorem, Dominum, caput & Saluatorem supplices adorabant & venerabantur? Cacodæmones, quos solo verbo tremere, & de corporibus obsessorũ exire compellebat: quique eum velut iudicem suum, ac Filium Dei reformidabant? Homo puluis & cinis, esca vermium, cibus ignium? Scilicet, exemplar totius innocentiæ, vas omnis sanctitatis, sanctus sanctorũ, fons vniuersæ & Angelorum & hominum salutis, Patris timuisset iudicium, cum quo eadem potestate, authoritate, æquitate & voluntate vniuersa iudicat. 8. Mat. 3. 17. Io. 13. 14. Mat. 4. 25. 26. 28. Hebr. 1. Luc. 4. Heb 5. 7. Dan. 9.

Tecum etiam atque etiam rogo, recogita, quam absurdum & flagitiosum sit, dicere eum de propria salute dubitare, qui intrepide pronunciat, *Volo Pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus:* & qui in grauioribus mortis certaminibus pœnitenti & inuocanti Latroni constanter promittit, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Quo enim ore, quo consilio alium de salute sua securum reddidisset, de propria dubius & anceps? Aut quomodo perditionem æternam sibi timeret fortitudo nostra, fremeret fiducia, salus ipsa periclitaretur? Aut denique, trepidæ sibique plurimum consciæ animæ nostræ fiduciam salutis suæ construerent & stabilirent super fundamentum tam incertum, emotum, vacillans ac infirmum, quam vestri fingunt Geneuani? MIN. Iam profecto non dubito Satanam huiusmodi tetris hæresibus conari omnem fidem ac spem, quam in Christum habemus, subuertere; vt nos tandem in desperationem atque gehennam æternam secum abducat. De alio capite dicamus. 9. Ioan. 11. Ioan. 17. Luc. 23.

IESVS CHRISTVS NVLLIVS VNquam sceleris conscius fuit: nec vt reipsa peccator iudicio Patris obiectus: aduersus 15. & 16. hæresin Hugnosticam.

CAPVT X.

DOCTOR.

Calu. in c. 3. ad Gal. Idem in c. 5. 2. ad Cor. DVplici rursum iniuria Christi SANCTITATEM ac INNOCENTIAM afficit defæcatæ religionis vestræ, si superis placet, Author, & magister. Priore scribens eum, *in assumpta hominis natura vere peccatorem, ac reū fuisse maledictionis diuinæ.* Id rursum apertius tradens ait: *Quomodo iusti sumus coram Deo? Certe omnino vt Christus peccator fuit.* At vero beati Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, electi omnes reipsa sancti, iusti ac innocentes sunt coram Deo: igitur & Christus (hæresiarchæ iudicio) reipsa vereq; peccator, iniustus, ac nocens aliquando fuit: His si coniunxeris superiores Caluini criminationes contra eundem Christum, vtpote, *quod mollitie animi mortem refugerit; vota inconsiderate emiserit, eademque corrigenda & retractanda; rem impossibilem à Patre postulauerit*; tum denique, *quod mediatoris officio fungi detrectauerit*, euidenter comperies Caluinum plurima & grauissima peccata Christo Domino, vt propria & personalia tribuere.

MINISTER. Quam vero hæresin posteriorem censes? DOCT. Eam qua non horret inflatis buccis proclamare: *Vt pro nobis satisfaceret, reum ad Dei tribunal sisti oportuit.* Et iterum: *Oportuit eum sisti ad Dei tribunal, vt cunctorum nostrorum maleficiorum reus.* Habes igitur censoria Caluini virgula Christum mundi redemptorem ac iudicem non solum nostrorum, sed & propriorum peccatorum reum: ac denique talem oblatum coram diuino tribunali. Quid de his propositis existimas? In cap. 26. Mat. v. 46 Instit. l. 2. c. 16. §. 12.

Confut. 1. MINIST. Si tantummodo scriberet, Christum vt vadem ac obsidem omnium nostrum Patris iudicio sese obtulisse, vt debitas delictis hominum pœnas exsolueret, sane probarem atque prædicarem, docente Isaia; *Langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrū.* Rursumque Apostolo scribente, *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis factus est peccatum.* Isa. 53. 2. Cor. 5. Galat. 3.

A *Redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*: quæ omnia secundum Hebraicam locutionem duntaxat pœnas & tormenta, quæ peccatis debentur: non autem peccatū proprie dictum, ac personalem in Christo culpam, significare, nec Caluinus ipse diffitetur. Sed scribere simpliciter & absolute illum fuisse ita peccatorem coram Deo, vt electi sancti sunt; multorumq; delictorum, ac diuinæ maledictionis reum: ac talem oportuisse sisti ante tribunal diuinum: existimo hanc illatam Christo iniuriam, omnes eas superare, quæ à Iudæis, Iuda, Pilato, vel cacodæmonibus eidē vnquam illatæ fuerunt.

B Nam illi vel inuiti, palam cōfessi sunt, quod bona opera multaq; signa faceret; quod esset iustus, sanctus, innocens, & à Deo ad nos de cælis transmissus; quod esset sanctus Dei, & Messias venturus in mundum: contra vero egregius hic Reformator clamat, eum multorum criminum reum, maledictioni diuinæ obstrictum, talemq; oportuisse sisti ante thronum Dei. Io. 7. 11. 19. Matth. 26. 27. Luc. 4. Marc. 1.

2. Nec veretur sese Spiritus sancti reuelationibus opponere, quibus asseritur esse *Agnus Dei* immaculatus ac innocens, *qui tollit peccata mundi*, tantum abest vt propria vnquam admiserit. Cum etiam dicatur *plenus gratia & veritate*, procul ab eodem fuisse credendum est omne peccatum & mendacium. Ecquomodo coram Patre reus fuisset, qui semper fuit dilectus Filius in quo in effabili gratia & bonitate sibi bene complacuit? Sine cuius gratia & meritis, nullus vnquam sanctorum aut Angelorum aut hominum, Patri diuino fuit gratus? Aut quomodo reus, quem nemo vnquam coarguere potuit de peccato? Ioan. 1. 1. Pet. 1. Ierem. 11. Ioan. 1. C Matt. 3. 17 Ioan. 8.

3. DOCT. Equidem certiores nos facit Apostolus, *Christum tentatum fuisse per omnia*, sed semper peccatum excipit, addens, *absque peccato*. Quis ergo vestrum non abhorret hæresiarcham, clamantem eum fuisse reum, & D multorum criminum conscium? Idemque vir sanctus ostendit eum solum fuisse idoneum orbis Redemptorem, non sacerdotes Legis; eo quod fuerit *Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus. Quique non habuit necessitatem* (quemadmodum Sacerdotes Legis) *prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.* Itaque illum proprium ac idoneum fuisse mundi Saluatorem negat, quisquis alicuius delicti conscium, aut coram diuino tribunali reum oblatum fuisse cum Caluino contendit. Heb. 4. Heb. 7.

4. MIN. Reuera, diuini Patris conceptam aduer-

aduersus hunc mundum indignationem a- A
uertere non potuisset, si eadem fuisset implicatus. Nec gratiam nobis mereri atque conferre, si diuinæ maledictioni ac iræ propter peccata propria subiacuisset. Quomodo etiam nobis vitam promercatus esset æternam; si reus, dignusque fuisset mortis? Aut cum Patre cælesti nos in gratiam reduxisset, si propter propria scelera cum eodem gessisset inimicitias? Aut cælesti nos benedictione cumulasset, si instar omnium nostrū diuina ira & maledictione fuisset obrutus?
Heb.5. Quo pacto etiam *exauditus fuisset pro sua reuerentia*; aut vere dixisset, *Scio Pater, quod semper me audis*, aliquorum delictorum reus, ac sibi B
conscius; cum peccatores Deus non exaudiat?
Ioan. 9. Nunquam ergo reipsa peccator fuit Dominus, nunquam diuinæ maledictioni subiectus, nunquam reus ante diuinum tribunal oblatus est: sed innocens pro peccatoribus, & iustus pro iniustis, vt secundum
Ps.68. Prophetam, *quæ non rapuit, exsolueret*.

5. Pag.313. Isa.11. Supra quoque non semel ostensum est, Christum etiam à primo conceptionis humanę exordio, fuisse repletum Spiritu sapiētiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ, atque timoris Dei. Cum tanta vero gratiarum abundantia, nulla potest culpa commisceri: sicut nec Deus cū diabolo, aut C
Christus cum Belial, aut lux cum tenebris conuenire. Sub quacunq; ergo conditione aut forma consideretur Christus, semper iustus & sanctus, semperq́ Deo Patri gratissimus & charissimus fuit.

6. DOCT. Attēde etiam te quæso, cuiusmodi fuerunt veterum Patriarcharum ac Prophetarum sacrificia quibus futurum Messię cruentum ac viuificum pro mundi redemptione sacrificium adumbrabatur & significabatur.
Ex.12.20. Num.19. Leuit.7. Deut.14. MIN. Non nisi profecto de volucribus aut animalibus mundis, intactis & ab omni prorsus macula puris. Nam cūcta immunda Deus procul à sacris suis facessere D
iubebat.

DOCTOR. Oportuit igitur Dominum nostrum, vt pro nobis satisfaceret, nō reum ad tribunal sisti diuinum, vt Geneuani blasphemant; sed prorsus innocentem, purum, iustum, & ab omni vitio liberum, alias nec veteribus prædictionib. obtemperasset, nec figuras implesset, nec pro peccatis nostris fecisset satis.

7. Sed quamobrem rogo te, Abel à fratre cæsus, Ieremias & Zacharias lapidibus obruti, Isaias medio corpore serra dissectus, Machabęi excarnificati, Eleazarus ab impiis oppressus; aliique innumeri martyres, nec sua morte iram Dei placauerunt, nec fuso sanguine suo totius mundi potuerunt relaxare delicta? MIN. Quod ante diuinum tribunal non essent per naturam omnino puri ac innocentes: sed saltem ob peccatum originis debitores atque filij mortis. DOCT. An non ergo idem censendum & iudicandum esset de Christo, si vere peccator & diuinæ maledictionis reus, si plurimorum delictorum conscius, si deniq; peccatis cōmaculatus ad Dei tribunal accessisset? MINIST. Proh, in quantam impietatem & blasphemiarum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius voraginem sectatores suos Caluinus pręcipitat? Rogo tantum quędam veterum Patrum in rem præsentem adferas testimonia.

DOCT. Piissimus simulque doctissimus 8.
Bernardus post commemorata Christi in horto, in ædibus Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis supplicia; huiusmodi exclamatione eum compellat: Electe puer Dei mei, quid Bern. Ser. de Passione.
tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? Prorsus nihil. Ego, ego homo perditus, totius perditionis tuæ causa extiti. Ego Domine, vuam acerbam comedi, & dentes tui obstupuerunt: quia quæ non rapuisti, tunc exoluebas. In omnibus his non est satiata perfidorum Iudæorum impietas, &c. Et ad animam suam conuersus, idem ait: Cognosce anima mea, cognosce, hic est Dominus Deus noster Iesus Christus Saluator tuus, vnigenitus Dei Filius, verus Deus & verus homo, qui solus sub sole sine macula inuentus est. Ecce cum sceleratis quomodo reputatus est, & quasi leprosus, nouissimus virorum, ęstimatus est tanquam abortiuum, quod proiicitur à vulua, sic proiectus est ab vtero matris suæ infelicis Synagogæ. Iste formosus præ filiis hominum, quam deformis factus est? Hic vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & factus in holocaustum suauissimi odoris in conspectu tuo, Pater æternæ gloriæ, vt auerteres indignationem tuam à nobis, & iustam iracundiam pro peccatis nostris cōceptam. Respice Domine sancte Pater, de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, & intuere hanc sanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster sanctus puer tuus Dominus noster IESVS, pro peccatis fratrum suorum, & esto placabilis super

per

per multitudine malitiæ nostræ. Respice Domine, in faciem Christi tui, nec recedant ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuum, vt memineris quantum ab eo pro peccatis nostris satisfactionem receperis, &c. MINIST. O verba vere aurea & melliflua. Nam cor meum adeo penetrant, delectant, & accendunt, vt horum me nulla vnquam caperet satietas. Sed quoniam adhuc supersunt alia multa de diuinis istis mysterijs discutienda, tantum ex Augustino quædam adijce, & satis mihi erit.

9. Lib Med. c.7. tom.9. DOCT. Christum pro nobis de cruce pendētem sic affatur: Quid commisisti dulcissime puer, vt sic iudicareris? Quid commisisti amantissime iuuenis, vt adeo dure tractareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium, ego tuæ passionis liuor, tui cruciatus labor. O mirabilis censuræ cōditio, & ineffabilis mysterij dispositio! Delinquit reus, & vapulat innocens. Offendit impius, & damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat seruus, exoluit Dominus: quod committit homo, sustinet Deus. Quo Nate Dei, quo tua descēdit humilitas? quo tua flagrauit charitas? quo processit pietas? quo excreuit benignitas? quo tuus attigit amor? quo peruenit compassio? Ego enim inique egi, tu pœna multaris. Ego facinus admisi, tu vltione plecteris. Ego crimen edidi, tu torturę subijceris. Ego superbiui, tu humiliaris. Ego tumui, tu attenuaris. Ego inobediens extiti, tu obediens scelus inobedientiæ luis. Ego gulæ parui; tu inedia afficeris. Me ad illicitam concupiscentiam rapuit ardor, te perfecta charitas duxit ad crucem. Ego præsumpsi vetitum, tu subijsti eculeum. Ego delector cibo, tu laboras patibulo. Ego fruor delicijs, tu laniaris clauis. Ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem. Ecce Rex gloriæ, ecce mea impietas, & tua claret pietas. En mea iniustitia, & tua liquet iustitia, &c.

10. Obiectio. MINIST. Hæc mihi sufficiunt. Video namque vniuersos veteres Theologos, euidentissimis scripturis & rationibus innixos, totius passionis Christi causas in hominum peccata iure optimo reijcere: nusquā vero eundem Christum vt reum, aut diuinæ maledictioni obnoxium (instar Geneuanorum) traducere. Tātum quædam eorum obiecta dissolue. Isaias (inquit) scribit, *Dominum posuisse in eo iniquitates omnium nostrum.* Esa.53.

Et postea: *ipse multorum peccata tulit.* DOCT. Id soluunt Ministri Geneuani suis Annotationibus Gallicis in eum locum scribentes: Id debere intelligi de pœnis iniquitatibus nostris debitis, non de culpis.

11. MINIST. Obijciunt iterum Paulum de Christo dicentem; *Pro nobis peccatum fecit.* Et 1.Cor.5. iterum: *Misit Deus Filium suum in similitudinem* Rom.8. *carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.* Affirmat quoque Petrus, ipsum pertulisse 1.Pet.2. *peccata nostra in corpore suo super lignum.* Aut ergo (subijciunt) Christus reus fuit peccatorum ante tribunal Dei, aut Apostoli non vera locuti sunt. DOCT. Vere ac proprie loquuntur Apostoli, & Dominus Iesus in se semper innocentissimus, purissimus, & sanctissimus fuit coram Patre & Angelis eius. Sed quia in carne, quam ex hominum peccatrice specie assumpsit, tot tantaque persoluit supplicia, quot quantaque necessaria fuerunt ad expiationem & satisfactionem peccatorum nostrorū, phrasi Hebraica, eademque pereleganti, eadem peccata pertulisse dicitur. Nam Hebræi verbo ASSAM significant tā sacrificium expiatorium peccatorum, quam ipsamet peccata. Quinetiam Græci vocant κάθαρμα oblationem, in quam effunditur pœna peccatis debita. Atque ita Prophetæ & Apostoli his loquendi formulis obseruatis, & Dominum IESVM vocant peccatum, id est sacrificium peccatorum expiatorium; & eundem nihilominus omni peccatorum suspicione atque reatu perpetuo liberant. Aiunt enim, *Eum qui* 2.Cor.5. *peccatum non fecit, pro nobis factus est peccatum, vt efficeremur iustitia Dei in illo. Qui peccatum non* 1.Pet.2. *fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, &c.*

QVOD CHRISTVS NVNQVAM SIBI persuasit, Deum Patrem sibi iratum esse, in odium eius se incurrisse: aut quod eum exhorreret, detestaretur, desereret, & malediceret; aut in æternum illum perderet: aduersus 17.18.19. Hugnosticorum errores.

CAPVT XI.

DOCTOR.

EOdem rursum spiritu plurima vestri Ministri efflant aduersus Christum patientem blasphemias, asseuerantes quod sibi persuaserit Deum Patrem in se iratum habuisse animum; quodque ab eo malediceretur

tur & relinqueretur; in ira denique percuteretur, perderetur, & in profundam mortis abyssum perpetuamque damnatorum ruinam detruderetur. Præcipui sectarij vestri verba sunt ista: *Species Christo obiecta est, quasi Deo aduerso, iam esset exitio deuotus, horrore correptus est. Dei alienationem mente concepit, pro vt sensus dictabat. Ad deprecandam mortem adactus fuit, cum iram Dei sibi propositam videret. Diuinæ maledictionis horrore percussus est.* Eadem repetit adaugetque maledicta, Institutionis libro secundo, capite decimosexto, §. 10. 11. & 12. Alij Geneuani Ministri Annotat. Bibliorum Gallicorum præceptoris errores sequuti, aiunt, *Il se sentit frappé en l'ire de Dieu, & abandonné. Sensit se percussum in ira Dei, & derelictum.* Quid de his tibi videatur, libere dicito.

In cap. 26. Matth.

In cap. 27. Matt. v. 46.

Cōfutatio 1. MIN. Non audeo. DOCT. Non audes? MIN. Non profecto. DOCT. Cur non? MIN. Quia statim me mordebunt magistri. Sed veritatis vis maxima est in vtramq; partem. Proinde existimo superiora verba, velut perditorum hominum statim debere reijci, eo quod in expresso Dei verbo non reperiantur. Nullus etenim Propheta, nullus Euangelista, nullus Apostolus vnquam scripsit, Deum Patrem Filio suo fuisse aduersum ac iratum: Christum exitio aut perditioni deuotum, aut huius exitij horrore correptum: vel eum mente concepisse Deū à se alienatum. Nullus Sanctorum vnquam sensit aut docuit, Christum percussum fuisse in ira, vel maledictione Dei, vel ab eodem penitus derelictum. Ideoque maximam temeritatem impudentiamq; censeo, isthæc sine vllo verbo Dei confingere ac inuehere. Plantationes sunt, quas non plantauit Pater cælestis.

Matt. 15.

2. DOCT. Imo vero tantum abest vt Pater alienum à prædilecto Filio animum vnquā habuerit: vt è contrario, coram vniuerso mundo palam testatus sit. Hunc esse Filium suum longe carissimum, in quo sibi bene complacuit. Putares ne illum suam mutasse sententiam, & amorem in odium, delectationemve in contemptum traduxisse? Aut Filium patiendo illud ipsum Patris oraculū obliuioni mandasse, aut fictitium falsumve existimasse? MIN. Id nullo modo verisimile est. Quinimo cum semper exploratum habuerit, eundem Patrem suum esse totius veritatis atq; synceritatis fontem, impossibileq; illum mentiri aut quemquam fallere; nunquam suspicatus est se illi esse vel ingra-

Matt. 3. 17.

Hebr. 6.

A tum vel inuisum. Recte quippe nouerat omnem Dei iram in peccatores accensam esse, non autem in seipsum omnis iustitiæ & sanctitatis exemplar: & vniuersas passionis suæ causas in peccatis hominum collocari, non autem in præclaris atq; diuinis suis virtutibus.

DOCT. Sed neq; debuit aut voluit eum Pater reijcere, maledicere, aut exhorrescere, quod sanctissimis decretis suis obtemperās vadem ac sponsorem pro nobis seipsum daret; imo magis ac magis eum diligendi causam habuit: & ea propter palam confidenterque idem Christus adfirmat, *Pater diligit me, quia pono animam meam pro ouibus meis, vt iterū assumam eam.* Quid ni dilexisset semper Filium consubstantialem, coæternum, coæqualē, sibi tam morigerum, vt eius gratia factus esset obediēs vsq; ad mortē crucis? Opprobrium hominum, & abiectio plebis? 3.

B *Ioan. 10.*

Philip. 2. *Psalm. 21.*

MIN. Reipsa sese tam frequenter efferendo de Patris summo in se amore, satis patefacit illum nunquam in se excanduisse, nunquam penitus dereliquisse. *Pater & ego* (inquit) *vnū sumus. Pater me sanctificauit, & misit in mundum. Pater est in me, & ego in Patre. Pater, gratias ago, quod semper me audis. Ego sum in Patre, & Pater in me est. Ego diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi, sic facio. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Si quid petieritis Patrē in nomine meo, dabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Pater amat vos, quia me amastis.* Feruida deniq; ac præcellenti oratione ista satis euincit; quam sancte perpetuoq; ipsum Pater diligeret: *Pater*, inquiens, *venit hora, clarifica Filiū tuum, vt Filius tuus clarificet te. Nunc clarifica me Pater, apud temetipsum claritate quā habui priusquā mundus fieret. Ego ad te venio Pater sancte, &c.*

Ioan. 10. 11. 13. 14. 15. & 16.

C

Ioan. 17.

DOCT. Vere non sunt hæc verba hominis Deo inuisi, à Deo maledicti, aut perditi, vt Caluinus blasphemat; sed è contrario, Filij charissimi atq; dilectissimi. Nunquam autem potuit contra amoris paterni fiducia ex conscientia Filij delere. Aquæ multæ passionum nequaquam potuerunt hanc Patris & Filij mutam charitatem extinguere. Alioqui quomodo vera permansissent ista pronunciata, *Maneo in Patris dilectione? Ego sum in Patre, & Pater in me est? Pater in me est manens, ipse facit opera? Pater mecum est, & non dereliquit me solum?* Patrem optimum in nos demulcendo, eum in se exacerbasset? An nō semper sine rapina vlla ve iniuria, arbitratus est se esse æqualem Deo? 4

D *Cant. 8.*

Philip. 2.

per multitudine malitiæ nostræ. Respice Domine, in faciem Christi tui, nec recedant ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuum, vt memineris quantum ab eo pro peccatis nostris satisfactionem receperis, &c. MINIST. O verba vere aurea & melliflua. Nam cor meum adeo penetrant, delectant, & accendunt, vt horum me nulla vnquam caperet satietas. Sed quoniam adhuc supersunt alia multa de diuinis istis mysterijs discutienda, tantum ex Augustino quædam adijce, & satis mihi erit.

9. Lib Med. c.7. tom.9. DOCT. Christum pro nobis de cruce pendẽtem sic affatur: Quid commisisti dulcissime puer, vt sic iudicareris? Quid commisisti amantissime iuuenis, vt adeo dure tractareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium, ego tuæ passionis liuor, tui cruciatus labor. O mirabilis censuræ cõditio, & ineffabilis mysterij dispositio! Delinquit reus, & vapulat innocens. Offendit impius, & damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat seruus, exoluit Dominus: quod committit homo, sustinet Deus. Quo Nate Dei, quo tua descẽdit humilitas? quo tua flagrauit charitas? quo processit pietas? quo excreuit benignitas? quo tuus attigit amor? quo peruenit compassio? Ego enim inique egi, tu pœna multaris. Ego facinus admisi, tu vltione plecteris. Ego crimen edidi, tu torturę subijceris. Ego superbiui, tu humiliaris. Ego tumui, tu attenuaris. Ego inobediens extiti, tu obediens scelus inobedientiæ luis. Ego gulæ parui; tu inedia afficeris. Me ad illicitam concupiscentiam rapuit ardor, te perfecta charitas duxit ad crucem. Ego præsumpsi vetitum, tu subijsti eculeum. Ego delector cibo, tu laboras patibulo. Ego fruor delicijs, tu laniaris clauis. Ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem. Ecce Rex gloriæ, ecce mea impietas, & tua claret pietas. En mea iniustitia, & tua liquet iustitia, &c.

10. Obiectio. MINIST. Hæc mihi sufficiunt. Video namque vniuersos veteres Theologos, euidentissimis scripturis & rationibus innixos, totius passionis Christi causas in hominum peccata iure optimo reijcere: nusquã vero eundem Christum vt reum, aut diuinæ maledictioni obnoxium (instar Geneuanorum) traducere. Tãtum quædam eorum obiecta dissolue. Isaias (inquit) scribit, *Dominum posuisse in eo iniquitates omnium nostrum.* Esa.53.

A Et postea: *ipse multorum peccata tulit.* DOCT. Id soluunt Ministri Geneuani suis Annotationibus Gallicis in eum locum scribentes: Id debere intelligi de pœnis iniquitatibus nostris debitis, non de culpis.

MINIST. Obijciunt iterum Paulum de Christo dicentem; *Pro nobis peccatum fecit.* Et iterum: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.* Affirmat quoque Petrus, ipsum pertulisse *peccata nostra in corpore suo super lignum.* Aut ergo (subijciunt) Christus reus fuit peccatorum ante tribunal Dei, aut Apostoli non vera locuti sunt. DOCT. Vere ac proprie loquuntur Apostoli, & Dominus Iesus in se semper innocentissimus, purissimus, & sanctissimus fuit coram Patre & Angelis eius. Sed quia in carne, quam ex hominum peccatrice specie assumpsit, tot tantaque persoluit supplicia, quot quantaque necessaria fuerunt ad expiationem & satisfactionem peccatorum nostrorũ, phrasi Hebraica, eademque pereleganti, eadem peccata pertulisse dicitur. Nam Hebræi verbo ASSAM significant tã sacrificium expiatorium peccatorum, quam ipsamet peccata. Quinetiam Græci vocant κάθαρμα oblationem, in quam effunditur pœna peccatis debita. Atque ita Prophetæ & Apostoli his loquendi formulis obseruatis, & Dominum IESVM vocant peccatum, id est sacrificium peccatorum expiatorium; & eundem nihilominus omni peccatorum suspicione atque reatu perpetuo liberant. Aiunt enim, *Eum qui peccatum non fecit, pro nobis factus est peccatum, vt efficeremur iustitia Dei in illo. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, &c.*

11. 1.Cor.5. Rom.8. 1.Pet.2. 2.Cor.5. 1.Pet.2.

QVOD CHRISTVS NVNQVAM SIBI persuasit, Deum Patrem sibi iratum esse, in odium eius se incurrisse: aut quod eum exhorreret, detestaretur, desereret, & malediceret; aut in æternum illum perderet: aduersus 17.18.19. Hugnosticorum errores.

CAPVT XI.

DOCTOR.

EOdem rursum spiritu plurima vestri Ministri efflant aduersus Christum patientem blasphemias, asseuerantes quod sibi persuaserit Deum Patrem in se iratum habuisse animum; quodque ab eo malediceretur

tur & relinqueretur; in ira denique percuteretur, perderetur, & in profundam mortis abyssum perpetuamque damnatorum ruinam detruderetur. Præcipui sectarij vestri verba sunt ista: *Species Christo obiecta est, quasi Deo aduerso, iam esset exitio deuotus, horrore correptus est. Dei alienationem mente concepit, pro vt sensus dictabat. Ad deprecandam mortem adactus fuit, cum iram Dei sibi propositam videret. Diuinæ maledictionis horrore percussus est.* Eadem repetit adaugetque maledicta, Institutionis libro secundo, capite decimosexto, §. 10. 11. & 12. Alij Geneuani Ministri Annotat. Bibliorum Gallicorum præceptoris errores sequuti, aiunt, *Il se sentit frappé en l'ire de Dieu, & abandonné. Sensit se percussum in ira Dei, & derelictum.* Quid de his tibi videatur, libere dicito.

In cap. 26. Matth.

In cap. 27. Matt. v. 46.

Cõfutatio 1.

MIN. Non audeo. DOCT. Non audes? MIN. Non profecto. DOCT. Cur non? MIN. Quia statim me mordebunt magistri. Sed veritatis vis maxima est in vtramq; partem. Proinde existimo superiora verba, velut perditorum hominum statim debere reijci, eo quod in expresso Dei verbo non reperiantur. Nullus etenim Propheta, nullus Euangelista, nullus Apostolus vnquam scripsit, Deum Patrem Filio suo fuisse aduersum ac iratum: Christum exitio aut perditioni deuotum, aut huius exitij horrore correptum: vel eum mente concepisse Deũ à se alienatum. Nullus Sanctorum vnquam sensit aut docuit, Christum percussum fuisse in ira, vel maledictione Dei, vel ab eodem penitus derelictum. Ideoque maximam temeritatem impudentiamq; censeo, isthæc sine vllo verbo Dei confingere ac inuehere. Plantationes sunt, quas non plantauit Pater cælestis.

Matt. 15.

2. DOCT. Imo vero tantum abest vt Pater alienum à prædilecto Filio animum vnquã habuerit: vt è contrario, coram vniuerso mundo palam testatus sit. Hunc esse Filium suum longe carissimum, in quo sibi bene complacuit. Putares ne illum suam mutasse sententiam, & amorem in odium, delectationemve in contemptum traduxisse? Aut Filium patiendo illud ipsum Patris oraculũ obliuioni mandasse, aut fictitium falsumve existimasse? MIN. Id nullo modo verisimile est. Quinimo cum semper exploratum habuerit, eundem Patrem suum esse totius veritatis atq; synceritatis fontem, impossibileq; illum mentiri aut quemquam fallere; nunquam suspicatus est se illi esse vel ingra-

Matt. 3. 17.

Hebr. 6.

A tum vel inuisum. Recte quippe nouerat omnem Dei iram in peccatores accensam esse, non autem in seipsum omnis iustitiæ & sanctitatis exemplar: & vniuersas passionis suæ causas in peccatis hominum collocari, non autem in præclaris atq; diuinis suis virtutibus.

DOCT. Sed neq; debuit aut voluit eum Pater reijcere, maledicere, aut exhorrescere, quod sanctissimis decretis suis obtemperãs vadem ac sponsorem pro nobis seipsum daret; imo magis ac magis eum diligendi causam habuit: & ea propter palam confidenterque idem Christus adfirmat, *Pater di-* B *ligit me, quia pono animam meam pro ouibus meis, vt iterũ assumam eam.* Quid ni dilexisset semper Filium consubstantialem, coæternum, coæqualẽ, sibi tam morigerum, vt eius gratia factus esset obediẽs vsq; ad mortẽ crucis? Opprobrium hominum, & abiectio plebis? 3.

Ioan. 10.

Philip. 2.
Psalm. 21.

MIN. Reipsa sese tam frequenter efferendo de Patris sũmo in se amore, satis patefacit illum nunquam in se excanduisse, nunquam penitus dereliquisse. *Pater & ego* (inquit) *vnũ sumus. Pater me sanctificauit, & misit in mundum. Pater est in me, & ego in Patre. Pater, gratias ago, quod semper me audis. Ego sum in Patre, & Pater in me est. Ego diligo Patrem, & sicut mandatum dedit* C *mihi, sic facio. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Si quid petieritis Patrẽ in nomine meo, dabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Pater amat vos, quia me amastis.* Feruida deniq; ac præcellenti oratione ista satis euincit; quam sancte perpetuoq; ipsum Pater diligeret: *Pater*, inquiens, *venit hora, clarifica Filiũ tuum, vt Filius tuus clarificet te. Nunc clarifica me Pater, apud temetipsum claritate quã habui priusquã mundus fieret. Ego ad te venio Pater sancte, &c.*

Ioan. 10. 11. 13. 14. 15. & 16.

Ioan. 17.

DOCT. Vere non sunt hæc verba hominis Deo inuisi, à Deo maledicti, aut perditi, vt Caluinus blasphemat; sed è contrario, Filij D charissimi atq; dilectissimi. Nunquam autem potuit contra amoris paterni fiducia ex conscientia Filij delere. Aquæ multæ passionum nequaquam potuerunt hanc Patris & Filij mutam charitatem extinguere. Alioqui quomodo vera permansissent ista pronunciata, *Maneo in Patris dilectione? Ego sum in Patre, & Pater in me est? Pater in me est manens, ipse facit opera? Pater mecum est, & non dereliquit me solum?* Patrem optimum in nos demulcendo, eum in se exacerbasset? An nõ semper sine rapina vlla ve iniuria, arbitratus est se esse æqualem Deo? 4

Cant. 8.

Philip. 2.

Ee MIN.

5. Obiectio. MIN. Tot testimonijs conuicti & damnati, non video sane quid hiscere possint, nisi effugium istud quærant, Quod Pater exosum Filium habuerit, non quatenus secum Deus esset, sed quatenus formam serui assumpsisset. DOCT. At nullis vnquam scripturis euincere poterunt, Patrem secūdum vnam formam dilexisse Filium, & secundum alteram eum odio habuisse: imo sub quacunq; spectetur conditione eundem (vt probauimus) dira quæq; perpetientem, obsequentissimum, ac humillimum, & perpetuo, & tanto amore complexus est, vt propter diuinum eius amorem & charitatem cunctos in eum credentes & sperantes in filios, & eiusdem Filij cohæredes assumpserit. Ioan.1. *Dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Ephes.1. *Gratificauit nos in dilecto Filio suo.* Coloss.1. *Transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ, &c.* Ad hæc, huiusmodi turpi effugio Christum, vt olim Nestorius, in duas personas secernunt, quarum vna Deo grata, altera vero inuisa fuerit; sicque negant Verbum caro factum, Ioan.1. 1. Ioan.4. & Antichristi nequitiam auspicantur, qui (vt Ioannes indicat) dissoluere conabitur perfectam maximamque illius diuinæ cum humana natura coniunctionem hypostaticam. Paulo etiam somnia sua obijcient, Ephes.1. 4. 1.Tim.2. frequenter asserenti, Vnicum esse Dei & hominis Filium, vnum Dominum Iesum, vnum mediatorem & redemptorem.

6. MIN. Nec adhuc tamen se victos fatebuntur, sed replicabunt, Patrem quidem, quantum ad se attinet, Filium patientem nō odisse: sed Filium cum tam dure tractaretur, id de Patre existimasse & sibi persuasisse. DOCT. His vero primum sibi aperte contradicunt, atque propriam hæresin refellunt. Deinde, nouam Iesu Christo impingunt iniuriam, affirmantes eum falsa de Patre suo opinione delusum, sibi aliter de Patris dilectione persuadendo in animo, quam reipsa foret. Nam error (ait August.) est approbatio rei falsæ pro vera. Lib.1. cont. Academi. c.4. & l.1. retract. c.1. Atque sic in teterrimam hæresin dilabuntur, dum aliam conantur effugere. Præterea, cum alibi statuunt quoslibet fideles ac pios sibi omni constantia persuadere debere, se Deo gratos, caros, ac electos esse: necesse est profecto vt idipsum animo sibi Christum etiam cum pateretur, retinuisse, fateantur: aut eundem cum ingratis ac reprobis connumerent.

MIN. Nihil amplius video, quo possint suam communire ac tueri opinionem, nisi dicant, Deum maximo odio peccata persequi, horumque authores vehementer auersari, secundum illud. *Similiter est odio Deo impius, & impietas eius.* Sap.14. *Altissimus odio habet peccatores.* Eccl.12. *Deus est non volens iniquitatem.* Psal.5. *Sicut fluit cera à facie ignis, sic peccatores à facie Dei.* Psal.67. DOCT. Et nos idipsum longe constantius affirmamus, & feruentius prædicamus: sed pernegamus Christum vnquam aut verbo, aut cogitatione, aut opere in aliquem peccasse: atque sic in Patris iram vel maledictionem aliquando incurrisse. MIN. Eadem tecum etiam mihi de innocentissimo, & beatissimo Redemptore persuadeo: atq; ideo aliam instituamus disputationem.

DEVM PATREM NVNQVAM REIPSA omninove Filium suum cum pateretur, deseruisse; aduersus 20. hæresin.

CAPVT XII.

DOCTOR.

PRoficientes in peius Vestri, suadere conantur Christi humanitatem fuisse in passionibus ac tormentis suis omnino & reipsa à Diuinitate relictam. Nam Gallus hæresiarcha de illo scribit: *Alienationem Dei mente concepit, prout sensus dictabat.* In cap.27. Mat.v.46. Et paulo antea: *Nec vero ficte, nec theatrice conqueritur se à Patre relictum.* Inst.l.2.c.16.§.12. Easdem cumulans in Christum cōtumelias, ait in suo Catechismo: *Torqueri hac anxietate eius conscientiam oportebat, ac si derelictus à Deo esset: imo ac si Deum haberet infestum. In his angustiis erat, cum exclamaret ad Patrem, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Et cum ætate, crescens in iniquitate easdem repetiuit & auxit blasphemias, Com. in cap. 10. Epistolæ ad Hebræos, vers. 31. & Com. in Psal. 22. iuxta Hebraicam supputationem, vers. 2. Tum etiam Geneuani post eum Ministri, in suis Biblijs Gallicis, absolute scribunt: *Il se sent frappé en l'ire de Dieu & abandonné: Sentit se percussum in ira Dei, & derelictum.*

Cōfutatio 1. MIN. Non me latet vulgatissimam esse inter Caluinianos istam sententiam: sed quid de ea sentiam libere pronuntiare non ausim, perpendens ex vna parte istas Domini querelas, *Deus meus, Deus meus vt quid me dereliquisti*: ex altera vero non satis intelligens aut quando, aut quomodo eū Pater dereliquerit. Interim paratus est animus id de hac re credere, q. expresso Dei verbo, à sanctis Patribus explicato probaueris. DOCT. Ita ergo facile & aperte ex verbo Dei tecū ago:

Credis

Credis æternum Dei Filium naturæ nostræ personali vnitione vere hominem factum? MIN. Toto corde credo & ore confiteor, quoniam Ioannes dicit, *Verbum caro factum est.* Paulus quoque prædicat eum *factum ex semine Dauid secundum carnem.* Item, *factum & natum ex muliere.* Isaias denique appellat eum Emanuelem, id est, Deum nobiscum. Idemque frequentissime seipsum nominat, Filium hominis. DOCT. Credis rursum hanc humanitatem ex corpore & animo conflatam, nunquam seiunctam diuulsamque fuisse ab eiusdem Filij Dei hypostasi, ex quo semel ab eadem assumpta fuit? MIN. Credo animam Christi per mortem eius in cruce, triduo quidem separatam fuisse à proprio corpore: sed neutrum seiunctum à Diuinitate, ne in hæresin impiorum Nestorianorum incidam, qui Diuinitatem ab humanitate in Christo nefarie distraxerunt. Nec vnquam ab ista non solum Damasceni, sed & cunctorum veterum Theologorum sententia discedam: Quod semel Verbum assumpsit, nunquam dimisit. DOCT. Quid ergo iudicas de his Caluinianorum sententijs, *Christus homo alienationem à Deo mente concepit. Vere à Deo relictus fuit. Hac conscientiæ anxietate totus est ac si à Deo derelictus. Sensit se in ira Dei derelictum?* MINIST. Si relictam humanitatem sic intelligant, vt tunc non esset per eandem hypostasin aut personam Deo vere coniunctam ac vnitam; sed ad tempus separatam & derelictam non tantum Nestorij reparant sacrilegia; sed incarnationis mysterium denegantes, totius fidei Christianæ præcipuum subuertunt fundamentum. DOCT. Scite profecto ac pie colligis. Nam ita sentientes abnegant hos Apostolici symboli articulos, *Credo in Iesum Christum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, sepultus, descendit ad inferos.* Paulum etiam affirmantem Iudæos, *Dominum gloriæ crucifixisse*, accusant mendacij: nequiterque præclaram Centurionis confessionem istam, *Vere Filius Dei erat iste, Vere hic homo iustus erat,* nituntur obscurare. itaque certum & manifestum est, Christum hominem nunquam vel ante mortem, vel in morte, vel post mortem à Diuina natura, cui personaliter vnitus erat, vere ac reipsa derelictum fuisse.

Ioan. 7. Rom. 1. Galat. 4. Isa. 1. Symb. 1. Cor. 2. Matth. 27.

2. DOCT. Placet audire perantiquum perdoctumque veterem Theologum, beatum Fulgentium intelligo, de his grauiter disse- A rentem? MIN. Iucundum & commodum erit. DOCT. In hoc diuinitas Christi, inquit ille, virtutem suæ impassibilitatis ostendit, quæ vbique semper atque ineffabiliter præsens, & secundum animam suam in inferno sine doloribus fuit; & secundum carnem suam in sepulchro sine corruptione iacuit: quia nec carni suæ defuit, cum animam suam in inferno dolore non sineret, nec animam suam in inferno deseruit, cum in sepulchro carnem suam à corruptione seruaret. Dignum namque fuit, vt carnem sepulchri non corrumperet locus, quam peccati non corrupit affectus: & animam dolor non B contingeret inferni, quam seruitus nequiuit tenere peccati. *Et postea*: Christus secundum Diuinitatem suam, quæ nec loco tenetur, nec fine concluditur, totus fuit in sepulchro cum carne, totus in inferno cum anima. Ac per hoc plenus vbiq; fuit Christus, quia non est Deus ab humanitate separatus; qui & in anima sua fuit, vt solutis inferni doloribus, ab inferno victrix rediret; & in carne sua fuit, vt celeri resurrectione corrumpi non posset. Hæc ille, quibus aperte conspicis. Verbi diuinitatem nec animam eius à carne diuisam, nec carnem ab anima seiunctam vllatenus dereliquisse. MIN. Id & constan- C tissime credo, & in ore ac oculis omnium confiteor.

Lib. 3. ad Trasim. c. 31. 34.

DOCT. Quid vero de diuino fauore, & gratia, cunctisq; Spiritus sancti muneribus, quibus sanctissima eiusdem Christi anima, etiam à primo creationis & infusionis suæ momento exornata & cumulata fuit, sentiendum existimas? His ne eandem exutam, ac destitutam fuisse quando cum suo corpore patiebatur, iudicas? MIN. Minime gentium quandoquidem diuina gratia tantummodo per peccatum, quod ei penitus aduersatur, tolli possit: Christũ autem perpetuo sanctũ, innocentem, Deoq; Patri longe carissimum & gratissimũ fuisse nunc euicerimus. D Deinde Paulus diserte confirmet, in eodem habitasse omnem plenitudinem Diuinitatis. Isaias deniq; constanter prædicet, super eũ requieuisse Spiritũ sapientiæ, scientiæ, intellectus, & timoris Dei. DOCT. Iam ergo expresso Dei verbo comprobatũ vides, sanctissimam Christi humanitatem tẽpore passionis suæ non fuisse à Diuinitate derelictã. quantum ad hypostaticam vnitionẽ pertinet. Deinde, nec spoliatam ea gratia, innocentia, sanctitate, & puritate, qua Deo Patri erat gratissima & acceptissima. MINIST. Id

Coloss. 1. 2. Isa. 7.

etiam ex animo confiteor verissimum esse. Restat igitur, vt exponas, quonam sensu dolens conquestus est, se à Patre derelictũ esse.

DOCT. Id factum est præsertim secundum corpus assumptum mortale & patibile. Istud namq; sic vere derelictum est à Patre crudelitati Iudæorum & Gentilium vexandum, distorquendum, flagellandum, conspuendum, confingendum, & occidendum; vt nullo tunc cælesti auxilio, nulloq; diuino miraculo eidem subuentum fuerit. In illud ergo accepta omni potestate, tanto odio tãtaq; feritate & rabie hostes sæuierunt, vt regius Propheta eos cum tauris pinguibus, cũ leonibus rapientibus & sæuientibus, cum canibus efferatis, cumq; cornibus vnicornium effecerit simillimos. Nã sine vlla humanitatis ac commiserationis particula cõprehensum in horto, durissimis vinculis constrinxerunt, rapuerunt, & per diuersa Iudicũ subsellia pertraxerunt, ac si omnium totius mundi scelerum conscius esset Dominus. Huius prædæ illecebris flagrantes falsis criminibus aduersus Deum, tẽplum, legem, gẽtem, Cæsarem, accusarunt: colaphis cęciderũt; in vultũ eius fœdissima sputa iecerũt, illuserũt, sicarium ac homicidam ei anteposuerunt, & nudatum, columnæq; alligatum flagris ita notarunt, vt à planta pedis vsq; ad verticem capitis pelles & carnes eius horrẽdum in modum discinderint ac deformarint. Ad hæc, acutissimis cruentissimisque sentibus coronatum tenerrimum caput eius vt magis ac magis infigerentur, percutientes, ac in regni vsurpati ignominiosam suspicionem irrisionemq; vili purpura indutum, & arundineo sceptro manui inserto omniũ impiorum libidini deridendum & illudendum exposuerunt. Nec his contenta hostilis rabies, importunis vociferationibus Pilatum impulerunt, vt eum crucis supplicio cunctorum crudelissimo atque probrosissimo adiudicaret. Itaque huic morti adiudicatum grauissima cruce eum onerant, & à prætorio vsque ad verticem Caluariæ montis per 1321. gressus sic oneratum raptant; iterum nudant, super ferale lignum extendunt, pedibus & manibus vbi neruorum maior concursus, affigunt; sursumque inter duos latrones, quasi eorum socium atque ducem moriturum, in conspectu amicorum & inimicorum ita extendunt ac sustollunt, vt facile quis omnia ossa sanctissimi corporis eius dinumerasset. Tunc porro ab altero latronum blasphematur, & à pontificibus, à Scribis & Pharisæis, à prætereuntibus & astantibus, à militibus & magistratibus, innumeris opprobrijs diuexatur & illuditur, in ardentissima sit felle & aceto potatur. Insuper, effusæ ac vndique sanctissimi cruoris riuis currentibus, sic cunctis humanæ naturæ viribus destituitur, & acutissimis doloribus opprimitur, vt iam iamque omnium terribilium terribilissimum mors pro certo immineret.

Psalm. 21. Matt. 26. Marc. 14. Luca 22. Ioan. 18. 19. Ps. 21. Luc. 23. Matth. 27. Ioan. 19. Ps. 68.

Cæterum, cunctis doloribus, angustijs & mœroribus istis secundum hominem tunc expositum Christum, nec Pater cælestis liberauit, nec Angeli defenderunt, nec Apostoli recrearunt, nec amici sustentarunt, nec curati ab eo, consolati sunt eum; nec pars animæ superior ac beata tam misere affectam inferiorem vllo modo iuuit. Sic ergo ab omnibus derelictus & afflictus, à nemine vero consolatus, ad Patrem cælestem cuius decreto patiebatur, pie confugit, & admirans profundissimos misericordiæ atq; iustitiæ, illius thesauros, quibus Filium tam acerba perpeti volebat, vt seruos ingratissimos saluaret, cum clamore valido & lacrymis apud eundẽ hac luctuosa voce conqueritur; *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Scilicet iuxta singulas corporis mei partes, in omniũ tormentorum & dolorum generibus: & iuxta inferiorem animæ corpori compatientis portionem in grauissimis mœroribus, & mortalibus angustijs. *In te sperauerunt patres, & liberasti eos. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me, &c.* Deus meus, qui Noe ex diluuio, Abraham de Vr Chaldæorum, Isaac de gladio patris, Iacob de manu fratris, Israelem de Ægypto, Ioseph de carcere, Dauidem de manu Goliæ, Ionam de ventre ceti, tres pueros de camino, Danielem de ore leonum, Susannam de supplicio, Tobiam de cacodæmonis potestate, Ezechiam à morte, & Ieremiam de fœtido carcere magnificentissime quondam liberasti, quare me absque vllo cælesti auxilio dereliquisti? Quare oculos meos lachrymis, aures opprobrijs, genas alapis, odoratum fœtoribus, faciem sputis, pilos vellicationibus, linguam siti, palatum ariditati, os felli & aceto; communem sensum mortis apprehensioni, totumque caput spinis acutissimis subiecisti? Deus meus, qui tot in cæcos, surdos, mutos, obsessos, leprosos, paralyticos, mor-

Hebr. 5. Matt. 27. Ps. 22. Gen. 8. Gen. 12. Gen. 22. 32. Exod. 14. 1. Reg. 17.

mortuosq; edendorum miraculorum virtutem & potestatem mihi largitus es, quare manus meas & pedes meos durissimis clauis terebrandos, crura & brachia distendenda, ossa dinumeranda, venas aperiendas, corpus lacerandum, sanguinem effundendum, omnia viscera crucianda, pectus suspiriis vexandum, omnem denique vitam acerbissima morte terminandam dereliquisti? Deus meus, qui gloriam tuam tanto seruas studio, quique seruos tuos tanta curas diligentia, quare Vnigeniti Filii tui famam hominum reproborum calumniis, innocentium opprobriis, sanctitatem vituperationibus, vitam exprobrationibus, veritatem mendaciis, miracula criminationibus, prædicationes reprehensionibus, vniuersam denique gloriam obtrectationibus obscurandam & vexandam reliquisti? Deus meus, iudex viduarum, pater orphanorum, patientia afflictorum, tristium lætitia, omniumque desolatorum suprema consolatio, quare me in tantæ miseriæ profundo absque vlla cælesti visitatione dereliquisti? De⁹ meus, qui alleuas omnes qui corruunt, & erigis omnes elisos, illuminas cæcos, prope es omnibus inuocantibus te in veritate, voluntatem timentium te facis, deprecationem eorum exaudis, & saluos eos facis: sed neque pullos coruorum aspernaris, quare sic me deseris in manibus carnificum? Quare me sic committis insolentiis militum, crudelitatibus lictorum, sibilis gentium & immanitatibus Iudæorum? &c.

Isa. 42. Psalm. 64. Psal. 144. Psal. 146.

5. Huiusmodi fuerunt pro certo iustissimæ Redemptoris nostri querimoniæ, & hoc sensu à Patre se derelinqui conquestus est; non quomodo improbi comminiscuntur Caluiniani, sed quomodo tradiderunt sanctissimi Euangelistæ, & nos ex beatorum patrum veterum doctrina pro viribus explicauimus. MIN. Ille, ille profecto qui huiusmodi querelæ causas non existimauerit satis idoneas & iustas, erit mihi ferro & quauis incude durior, saxumque carnei cordis loco gerere censebitur. Sed ad horum maiorem confirmationem aliqua veterum testimonia in medium adducas vehementer te rogo & obsecro.

Lib. contr. Praxeam. DOCT. Tertullianus vir Apostolicorum temporum, sic de hac re scribit: Pater eum (Christum) sic dereliquit, dum non parcit; sic reliquit, dum tradit. Cæterum, non reliquit pater filium, in cuius manibus spiritum suum posuit. Ita relinqui à Patre, mori fuit

Ioan. 19.

A filio. MIN. Certe hic nullam audio Dei alienationem, nullam conscientiæ anxietatem, nullam cum Patre inimicitiam, nullam aduersus filium iram in qua percutiatur vel derelinquatur, vt Caluiniani confinxerunt.

DOCT. Adamantius Origenes patre martyre natus, martyrii & ipse auidissimus, multorumque vtriusque sexus martyrum præceptor, superiorem Christi querelam sic exponit: Derelictus fuit comparatione gloriæ illius quam habuit apud Patrem, ad confusionem quam contemnens, sustinuit crucem. MIN. Ergo nec simpliciter aut absolute B derelictus fuit, aut percussus in ira Patris, quemadmodum improbi comminiscuntur.

Hom. 35. in Matth. Ioan. 17. Heb. 12.

DOCT. Quod etiam reipsa Deitas non recesserit ab homine patiente, his verbis tradit Epiphanius: Non separata Deitate, & seorsim humana natura existente, dicebat hæc, *Deus meus, vt quid me dereliquisti*, velut alius & alius. Volebat enim Deitas omnia perfici, quæ ad pacis mysterium pertinebant. MIN. Hæc porro fuisse tormenta, quæ in corpore suo super lignum crucis pertulit, vnde & mors consecuta est, nemo Christianus dubitare potest. 6.

Cont. hæres. 69. 1. Pet. 2.

C DOCT. Et Cyrillus magni concilii Ephesini pro Leone summo Pontifice præses, ait. Opus erat certe ad fidem nostram, etiam in ipso passionis tempore, verum se hominem esse ostendere. Ideo ne quis dubitare posset, vt homo clamabat, *Deus meus, Deus meus, cur me dereliquisti?* 7.

L. 10. Thesaur. c. 3.

Doctissimus quoque Hieronymus hanc derelictionem ad solam carnem pertinere docens ait: Humanitas loquitur quomodo derelicta fuerit in Adam, quando præceptum transgressus est. Vel in passione derelictus Christus pro parte carnis. 8.

In Psal. 21.

Maximus quoque Christianorum Pontifex D Leo de hac re, inquit: Sic Pater non abiungebatur à filio, quemadmodum caro nō diuidebatur à Verbo. Ideo ergo clamabat dicens: *Quare me dereliquisti?* vt notum omnibus faceret, quare oportuerit eum non erui, non defendi; sed sæuientium manibus derelinqui: hoc est, Saluatorem mundi fieri, & omnium hominum Redemptorem, non per miseriam, sed per misericordiam: nec amissione auxilii, sed definitione moriendi. 9.

Serm. 17. de Pass.

Mellifluus denique Bernardus ait: Si pendentem consideres Christum, si hunc cru- 10.

Serm. 5. de verb. Isaiæ.

cifixum attendas, ibi maxime euidentissimeque eum sub patre reperies. Dicere ne audebimus, quod aliquando etiam fuerit sine Patre? Nemo id præsumeret, si non prior ipse dixisset, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quasi quædam enim ibi derelictio fuit, vbi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla ostensio maiestatis. MIN. Mihi plusquam faciunt satis septem isti tam Græci quam Latini præstantissimi Patres; nec dubito cunctos alios eiusdem esse sententiæ: nimirum, Christum in cruce derelictum esse, vt omnia in corpore suo pateretur, quæ ad perfectam humanorum delictorum expiationem erant necessaria: non autem vt vel à Deitate, vel à Patris gratia secundum animum derelinqueretur. Ad aliud igitur caput procedamus.

CHRISTVM IN CRVCE NVNQVAM DESPERASSE, quantumuis acerbos pertulerit dolores: aduersus 21. haresin.

CAPVT XIII.

DOCTOR.

NOn tam mirum, quam miserum & lamentabile est, Vestros censores in illud blasphemiarum incidisse barathrum, & desperati animi horribile crimen Domino nostro IESV CHRISTO tribuere nō reformidauerint. Idque verbis primum obscuris & ambiguis, sed tandem apertis: tali etiam impietate lætantes, ac si quid egregiū laudeque dignum commenti essent. MIN. Quænam sunt obscura illa verba, quæ commemoras? DOCT. Hæresiarcha initio instar serpentis sub gramine latenter repentis, abstinet horrendo DESPERATIONIS nomine: sed circuitione vsus, peccatum illud tantum describit, Christoque affingit, *dicens eum de salute sua timuisse: reum ad Dei tribunal stetisse: eundemque Deum Patrem sibi infensum, atque in ira sua eum maledicentem atque percutientem exhorruisse.* Deinde suas magis ac magis insinuans & aperiens blasphemias, prædicat *eum in profundo inferorum gurgite demersum atque sepultum, omnes sceleratorum & damnatorum pœnas pertulisse: hoc vno excepto, quod doloribus mortis non poterat semper detineri.* Nonne hic occulte seminat, vt postmodum aperte colligat, eum prorsus animo fractum DESPERASSE? MIN. Certissimum est, animo sibi male conscio, & in ira Dei percusso, damnato, & maledicto, nihil aliud superesse, quam misera desperatio. Rursum, si Christus omnia irati & percutientis Dei signa expertus est, si omnes sceleratorum pœnas exsoluit, si in inferorum gurgite sepultus, obrutusque flammisque gehennæ addictus, & exitio deuotus fuit, quemadmodum Caluinianos sentire superius ostendisti: apertum est quod etiam animo deficiens plane desperauerit: maxime cum & ipsa desperatio nō minimum sit perditorum & damnatorum supplicium.

DOCT. In secundum impietatis gradum egressi, vtuntur DESPERATIONIS voce, sed quibusdam modis adhuc emollita velut toxico melle temperato. Scribit namque hæresiarcha in Psalmum, ex cuius initio sumpta est supra dicta Domini querela: *Querimonia videtur esse hominis desperati.* Beza quoque illic occinit: *Velut ex ipso inferorum gurgite, eluctantem Christum oculis cernere, & auribus ipsis audire videmur.* Geneuani ministri Annotationibus in Biblia Gallica, aiunt: *Extremi sunt dolores, quos Iesus Christus in cruce pati debuit, desperationi proximus.* Cumq; senserunt auditores & lectores suos ab his nō abhorrere; vlterius progressi pleno gutture prædicarunt, & miseris illis persuaserunt, eundem Christum vere de salute animi sui desperasse, & præ ista desperatione clamasse: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Verba Caluini sunt: *Sed absurdum videtur, elapsam Christo desperationis vocem. Respondeo, facilem esse solutionem, hanc desperationem ex sensu carnis esse profectam. Nihil obstat quo minus Dei alienationem mente conceperit, pro vt sensus dictabat. Sic videmus Christum ex omni parte vexatum fuisse, vt desperatione obrutus ab inuocando Deo absisteret, quod erat saluti renunciare. Illi certamen fuit cum mortis doloribus, quasi Deo irato in labyrinthum malorum proiectus foret.* Marloratus suis Rhapsodiis, quas vniuersalem Ecclesiæ vestræ expositionem appellat, hæc omnia inferens, ostendit cunctos Hugnosticos his sordibus ac erroribus coram Deo & Angelis eius infectos esse. Superest vt libere nunc pronuncies, quid de his rebus tibi videatur.

Psalm. 21.

Impres. Geneu. 1562.

In cap. 27. Matth.

MIN. Nunquam, nunquā profecto credidissem homines sacro lauachro perfusos, verbiq; diuini præcones, quales haberi volunt, tam ignominiose de Christo mundi seruatore ac iudice sensisse, scripsisseque nisi expressis verbis eos reliquisses conuictos. Neque enim ethnici in suis Iædoris, neque Turcæ in suo Alcorano, neque Iudæi in suo Thal-

Cōfutatio I.

Thalmude, acerbius vnquam dominum IESVM blasphemarunt, quam Reformati scilicet, isti blasphemant atq; deformant. Atque idcirco me vehementer dolet ac piget aliquando illaqueatum esse tacitis huiusmodi hominum Hugnosticorum illecebris. DOCT. Ex multis aduersus vestros concertationibus priuatim habitis deprehendi, potiorem vestram partem ab his tanto animo abhorrere, vt præ rei absurditate audacter primo negent. Caluin. tam impie de Christo sensisse: postea vero citatis illius verbis conuicti, hac in parte illum non timeant damnare atq; reprobare. Aliquibus enim hoc proposui exsoluendũ Dilemma: *Christo* iuxta Calui. *elapsæ sunt DESPERATIONIS voces.* Ergo aut veræ, aut fictæ: Si veræ, ergo peccatorum omnium extremo & maximo, quodq; nec in præsenti seculo, nec in futuro remittitur, æternũ Dei filium redemptorem nostrũ coarguitis & damnatis. Si fictæ, ergo illum hypocritam & simulatum hominem fingitis, qui aliud in ore, aliud autem in corde retinuerit. Insuper Caluinum vestrum scribentem, *nec ficte nec theatrice conquerebatur se à Patre relictum, sed alienationem Dei mente concepit*, teterrimæ impietatis reum (vt vere est) nobiscum agitis. Atque cum huic argumentationi nunquam satisfacere potuissent, mihi assentientes, Caluini sententiam vt impiam & Christo maxime contumeliosam abiecerunt.

Dilemma. B

2. MIN. Sentiant alii quicquid de hac re voluerint: ego plane iudico eam impiam & blasphemam. Quinetiam ostendo à suo Authore damnatam & improbatam esse, cum alibi scribit: *Christus tristitia & metu sic turbatus fuit, vt tamen aduersus Deum non insurgeret: sed maneret compositus ad veram temperantiæ regulam. Constanter retinebat Deum sibi esse propitium.* Desperantes vero contumeliose aduersus Deũ insurgunt, omnem abiiciunt fiduciam & temperantiam, non arbitrantur eum sibi propitium, sed hostem infestissimum & crudelissimum. Instar Cain eius detrahunt misericordiæ; cum Pharaone, Herode, Nerone, & similibus, eidem obstrepunt & maledicunt; velut Iulianus in eum fremunt & blasphemant: & cum diutius iudicii ac iræ illius grauitatem ferre nequeunt, sibimetipsis facti carnifices seipsos furiose interimunt, vt Saulem, Achitophelem, & Iudam fecisse sacræ referunt literæ. Luce igitur meridiana clarius est, Dominum IESVM neque mente neque voce

In cap. 26. Matth.

1. Reg. 31. 2. Reg. 17. Matth. 27.

A desperasse: atque idcirco talium blasphemiarum authores ac Prædicantes homines esse flagitiosissimos. Tum etiam quæ in vno loco affirmant, statim in alio accusant atque damnant.

Deinde, idem Caluinus cum suo Beza omni asseueratione contendunt, *cunctos fideles perspectum exploratumque habere, sese à Deo sic electos & dilectos esse, vt ab hac dilectione & electione nunquam cadere possint*, vt superius iam attigimus. Quomodo igitur Dominus huius electionis & dilectionis causa potissima, aut de propria salute dubitasset; aut quod omnium deterrimum est, vnquam aliquando desperasset? Quo consilio sibi persuasisset, Deum à se alienum? Quo pacto suprema spes omnium nostrum, in voces desperatas erupisset? Filius Dei ac Virginis impurissimis Prædicantibus fuisset inferior: his de electione sua omnino securis, illo vero penitus desperante? Oportet sane illos à Deo in manibus Satanæ excæcandos, & pro immanibus quibusdam peccatis suis torquendos traditos homines esse, qui tam sacrilega & blasphema aut fingunt, aut docent, aut credunt, aut tantum patienter audiunt. 3.

In cap. 5. Rom. v. 5.

C DOCT. Hæc tam manifesta quam vera & certa sunt. Sed si quis perditus contumax respondeat, illos tunc de Christo loqui quatenus homo est, non quatenus Deus; vt formam serui assumpsit, non vt Dominus est omnium; & in quantum obses atque sponsor redemptionis & satisfactionis nostræ coram Deo Patre in desperationem incidisse: quid obiicies? MIN. Cum Caluino secum rursum dissidente, *quod vtcunque consideretur non destitit esse mundi saluator, cælesti potentia semper praeditus ad munus suum adimplendum:* proindeque nulla desperatione victus ab implendo munere suscepto vnquam potuit reuocari. Deinde, quod tam prompte, expedite, ac libenter obediendo Patri suo, non potuerit desperando aduersus eundem insurgere. Iterum, DESPERATIONEM tam execrandum scelus esse, Deoque infestum ac inuisum; vt Christus quomodocunque consideretur, non potuerit vnquam in illud incidere. Denique, cum vel hæresiarcha teste, *ad veram temperantiæ regulam Dominus semper compositus manserit*, nulla potuit intemperie, nullo furore, nulla rabie ad desperationem adigi, prout Geneuani Prædicantes blasphemando contendunt. 4.

In cap. 23. Luca.

D

DOCT. Scite profecto præcipue illorum obiectioni satisfecisti: idque etiam ex eiusdem

dem hæresis authore. Sed & his rursum addi potest, quod licet variam dominus subierit conditionem, vtpote Filii hominis, viatoris, serui, redemptoris hominum; nunquam tamen peccare, aut diuinæ voluntati resistere potuerit, cum semper esset agnus Dei, immaculatus, impollutus, Sanctus Sanctorum, Patrisque vnicus & dilectissimus filius. Verum, existimare Deum Patrem odio filium suum habere, actum esse de sua salute viatorem sibi persuadere, & fracto animo DESPERATAS voces emittere; peccata sunt tam horrenda & nefanda, vt dicat Isidorus: Omnia quidem peccata mortem animo adferre, sed desperationem esse paratum ad inferos descensum. Et venerabilis Beda iure nihil existimat desperatione turpius, cum hæc omnem fidei & virtutis auferat cõstantiam in desperato homine. Bernard. quoq; scribit: Desperationem ab ignorantia Dei procedere, qua existimatur crudelis & sæuus, qui est optimus & humanissimus: implicabilis, qui est infinite misericors: difficilis & metuendus, qui est totius mundi amantissimus. Denique desperantes sibi effingere idolum execrandum, pro eo qui verus Deus est peccatumque admittere, quod non remittetur neque in præsenti seculo neque in futuro. Docet etiam Augustinus, desperantem hominem negare in Deo veram esse charitatem, qua nos adoptet in filios: veritatem promissorum, qua salutem præstet quam promisit: & potestatem summam, qua nos ab omni malo redimere valeat. Et idem iterum: Desperatio (inquit) procedit ab ingenti multitudine peccatorum, quibus homines Deum relinquentes, iusteque ab eo derelicti in obstinatam perditamque augendi maleficii voluntatem incidunt, &c. Desperans Deum cum suis perfectionibus odio prosequitur, vellet Deum esse nullum, delicta sua putat Diuinis miserationibus esse maiora, nullum arbitratur esse pœnitentiæ locum, nullam peccatorum remissionem, nullam iustificationem, clamitans cũ Cain, *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Denique idem doctor Augustinus concludit. Qui desperat, negat Deũ esse misericordem, magnam iniuriam Deo facit, &c. Quis porro tam horrenda scelera Christo redemptori sanctissimo, ac vnigenito Dei & Virginis Filio, vel per somnum audebit tribuere?

Ioan. 1. 1. Pet. 2. Heb. 7. Matth. 3. Lib. 2. de sum. bono, c. 12. In cap. 24. Prouerb. Ser. 37. & 38. in Cant. Manual. c. 23. Serm. 88. de temp. Genes. 4. Manual. c. 23.

6\. Præterea, licet maximam in anima tristitiam, & acerbissimos in carne dolores passus sit, personaliter tamen Deus erat sapientissimus, optimus, sanctissimus, atque beatissimus, tam communicata omni diuinitatis plenitudine, quam cunctorum Spiritus S. donorum effusione. Itaque tam impossibile est DESPERATIONEM in eius personam irrepsisse, quam lucem & tenebras, Iesum & Belial, veritatem & mendacium, iustitiam & iniquitatem simul in eodemque subiecto conuenire.

Insuper, quicquid mœroris aut doloris Christo contigerit, nunquam oblitus est se esse Emmanuelem, id est, nobiscum Deum fortem, & Verbum incarnatum, nunquam oblitus est Patrem de cœlis testificatum esse, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, nunquam quæcunque Pater habet eadem sua esse, nunquam eundem Patrem omnia dedisse sibi in manibus: ergo omnino impossibile fuit eum de Patris gratia fauoreque diffidere. MIN. Profecto eiusmodi rationes meam omnino conuincunt conscientiam, efficiuntque vt à Caluinianis conficta Christoque ascripta desperatione penitus abhorream. 7.

Isaiæ 7. 11. Ioan. 1. Matt. 3. 17. Ioan. 3. Ioan. 13.

DOCT. Te rursum vehementer obsecro, vt omni religione mecum perpendas tum verba tum gesta eiusdem domini nostri, cum in grauioribus passionis suæ doloribus & angustiis constitutus esset, & clarissime perspicies quam ab omni DESPERATIONE animum habuerit alienum. Quid rogo, fecit in horto, cum vehementes mortis cogitationes & mœrores eum sic adorirentur, vt sanguineum sudorem ab eo exprimerent? MIN. Paululum à suis digressus, flexis genibus, pronusque in terrã, cum omni demissione Patri supplicauit, oratione que ter etiam repetita, verbis omni humilitate & fiducia plenis, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Abba, Pater, omnia sunt tibi possibilia, &c.* DOCT. Sed dic obsecro. Num hi qui desperatione franguntur, tam sint submissi, temperati, ac modesti? Confugiuntne ad huiusmodi pias, feruentes, frequentesque orationes? Indicant ne se Dei filios esse, vt eum tanquam patrem omnipotentem & optimum inuocent? MIN. Contra, omnino in eum insurgunt, murmurant, frendent, quantumq; possunt maximas in eũ euomunt contumelias. DOCT. Ergo Caluiniani ministri in omni errorum caligine demersi sunt, Iesu Christo DESPERATIONEM tribuentes. 8.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Sed

9. Sed redeo ad eius gesta verbaque contemplanda. Quis amabo, precum eius extremus actus? MIN. Morte sibi pro certo proposita, ad Apostolos reuersus, eorum negligentiam reprehendit, ad constantiam retinendã admonuit: & aduentantibus cum
Ioan. 18. armis & facibus inimicis obuiam perrexit, hisque cum maxima fiducia manifestauit se Iesum Nazarenum esse quem quærebant. Hoc autem solo verbo cunctos in terram prostrauit, exprobrans quod noctu cum fustibus & armis ad opprimendum innocentem procederent. Deinde Iudam accusauit perfidia, reuulsam per Petrum militis sanauit auriculam, Petrum obiurgauit, suos seruauit, se denique impiorum manibus capi, ligari, & in domum Annæ adduci permisit. DOCT. Profecto in his omnibus ne minima quidem apparet desperantis animi suspitio. MIN. Imo vero patientia, & constantia plus diuina quam humana.

10. DOCT. Postea, de subselliis ad subsellia ductus, ab his & aliis iudicibus examinatus, dedit ne impatientis ac desperantis animi signum vel minimum? MIN. Tantum abest, vt è contrario cuncti illius demirarentur patientiam. Aut enim prudens tacebat, aut cum tanta sapientia moderationeque respondebat, vt profanus Præses miraretur vehementer, seque nihil mali in eo inuenire sæpe palamque profiteretur. DOCT.
Matth. 27. Qui à Deo derelicti & desperati istud præsti-
Ioan. 19. terunt vnquam? Cain, Achitophel, Antiochus, Herodes, Iudas, Nero, Iulianus, Diocletianus, animum despondentes, hac ne patientia & constantia fuere præditi?

11. Christus post hæc in Pilati prætorio vesti-
Luc. 23. bus exutus, columnæ affixus, flagris toto
Marc. 14. corpore concisus, spinis coronatus, illusus,
Ioan. 19. cunctis salibus expositus, latrone vilior ac peior existimatus, morti turpissimæ adiudicatus, grauissima prægrauatus cruce, per vicos ignominiose ad scalas gemonias raptus, pedibus & manibus clauis defixis, distractus, extensus, & in altum vsque ad extremum vitæ spiritum suspensus quod, quale, quando vel quomodo, perexiguum edidit fracti ac desperati animi argumentum? MIN.
Psalm. 21. Hominem eo humaniorem & pacatiorem nec cœlum vnquam operuit, nec terra sustinuit, nec oculus vidit, nec auris audiuit, in quo tanta resideret moderatio, tanta patientia, tanta denique animi constantia. Hæc ante quingentos annos quam contigissent, spiritu prænoscens, simulque admirans Isaias

A dixerat: *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Et Petrus de eodem ait: *Cum malediceretur, nõ maledicebat; cum pateretur, non comminabatur, &c.* DOCT. Quantis ergo suppliciis à Christiano magistratu multandi sunt, qui desperatas illi voces arrogant? Isa. 53. 1. Pet. 2.

Sed in crucem leuatus, cum pretiosum sanguinem omni ex parte emanare sentiret, vires imminui perciperet, vndique vel inimicorum contumelias vel amicorum personantes querelas audiret, in ardentissima siti felle & aceto potaretur, mortis comites latrones & infames sicarios se habere cerneret, terram sub pedibus suis concussam fremere animaduerteret, solem suos ei radios denegare, caliginosas tenebras totũ inuoluere mundum, vitam denique suam paulatim deficere, & mortem ad eum deglutiendum properare manifestissime & certissime cerneret: nulla tamen audita sunt murmura, nulla visa sunt impatientis animi signa, nulla insurgentis aduersus Patrem cœlestem apparuerunt indicia, nulla prorsus oppressi aut desperati cordis perspecta sunt argumenta. MIN. Nulla profecto: sed è diuerso, ad obsequendũ patri perpetuo fuit paratissimus, & ad orbem ei recõciliandum obsequentissimus ac promptissimus. Tunc etiam incredibili accensus charitate, inimicorum crucifigentium & insultantium excusans scelera, pro his rogabat dicens: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Hinc pœnitenti & inuocanti latroni paradisum promittebat, velut de proximo triumpho, & regni sui gloria certissimus. Tum & charissimæ purissimæque genitricis suæ studiosissimus, eandem grauiter afflictã & dolentem, vero veri filii affectu eandem amantissimo commisit discipulo. Sed neque in his omnibus apparuit despondentis, ac deficientis à Deo animi vllum signum: quin potius diuina prorsus constantia, temperantia & inexhausta spiritus magnitudo. 12.

B (margin letter beside "ret, terram sub pedibus"); C (beside "obsequentissimus"); D (beside "tius diuina"); Luca 23. (beside "Pater, ignosce"); Ioan. 19 (beside "rissimæ purissimæque").

DOCT. Ad Patrem denique conuersus, & pro tali vere agnitus, suos in eius sinum effundit dolores, refert ægritudines, superius expositas renunciat querelas. Postea, legem prædicat consummatam, absolutũ redemptionis nostræ mysterium, completamque Patris voluntatem. Ad implendam porro scripturam clamat, *Sitio*: tandemque inclinato capite, in manus optimi Patris suum emisit Spiritum. Eiusmodi sunt postrema patientis Christi gesta & verba, postremi ser- 13. Matth. 27. Ioan. 19.

IESVS CHRISTVS NVLLIVS VNquam sceleris conscius fuit: nec vt reipsa peccator iudicio Patris obiectus: aduersus 15. & 16. hæresin Hugnosticam.

CAPVT X.

DOCTOR.

Calu. in c. 3. ad Gal. Idem in c. 5. 2. ad Cor. DVplici rursum iniuria Christi SANCTITATEM ac INNOCENTIAM afficit defæcatæ religionis vestræ, si superis placet, Author, & magister. Priore scribens eum, *in assumpta hominis natura vere peccatorem, ac reū fuisse maledictionis diuinæ.* Id rursum apertius tradens ait: *Quomodo iusti sumus coram Deo? Certe omnino vt Christus peccator fuit.* At vero beati Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, electi omnes reipsa sancti, iusti ac innocentes sunt coram Deo: igitur & Christus (hæresiarchæ iudicio) reipsa vereq; peccator, iniustus, ac nocens aliquando fuit: His si coniunxeris superiores Caluini criminationes contra eundem Christum, vtpote, *quod mollitie animi mortem refugerit*; *vota inconsiderate emiserit, eademque corrigenda & retractanda*; *rem impossibilem à Patre postulauerit*; tum denique, *quod mediatoris officio fungi detrectauerit*, euidenter comperies Caluinum plurima & grauissima peccata Christo Domino, vt propria & personalia tribuere.

In cap. 26. Mat. v. 46 Instit. l. 2. c. 16. §. 12. MINISTER. Quam vero hæresin posteriorem censes? DOCT. Eam qua non horret inflatis buccis proclamare: *Vt pro nobis satisfaceret, reum ad Dei tribunal sisti oportuit.* Et iterum: *Oportuit eum sisti ad Dei tribunal, vt cunctorum nostrorum maleficiorum reus.* Habes igitur censoria Caluini virgula Christum mundi redemptorem ac iudicem non solum nostrorum, sed & propriorum peccatorum reum: ac denique talem oblatum coram diuino tribunali. Quid de his propositis existimas?

Confut. 1. MINIST. Si tantummodo scriberet, Christum vt vadem ac obsidem omnium
Isa. 53. nostrum Patris iudicio sese obtulisse, vt debitas delictis hominum pœnas exsolueret, sane probarem atque prædicarem, docente Isaia; *Langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrū.*
2. Cor. 5. Rursumque Apostolo scribente, *Eum qui non*
Galat. 3. *nouerat peccatum, pro nobis factus est peccatum.*
A *Redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*: quæ omnia secundum Hebraicam locutionem duntaxat pœnas & tormenta, quæ peccatis debentur: non autem peccatū proprie dictum, ac personalem in Christo culpam, significare, nec Caluinus ipse diffitetur. Sed scribere simpliciter & absolute illum fuisse ita peccatorem coram Deo, vt electi sancti sunt; multorumq; delictorum, ac diuinæ maledictionis reum: ac talem oportuisse sisti ante tribunal diuinum: existimo hanc illatam Christo iniuriam, omnes eas superare, quæ à Iudæis, Iuda, Pilato, vel cacodæmonibus eidē vnquam illatæ fuerunt.
B Nam illi vel inuiti, palam cōfessi sunt, quod Io. 7. 11. 19.
bona opera multaq; signa faceret; quod es- Matth. 26.
set iustus, sanctus, innocens, & à Deo ad nos 27.
de cælis transmissus; quod esset sanctus Dei, Luc. 4.
& Messias venturus in mundum: contra ve- Marc. 1.
ro egregius hic Reformator clamat, eum multorum criminum reum, maledictioni diuinæ obstrictum, talemq; oportuisse sisti ante thronum Dei.

Nec veretur sese Spiritus sancti reuelatio- 2.
nibus opponere, quibus asseritur esse *Agnus* Ioan. 1.
Dei immaculatus ac innocens, *qui tollit pec-* 1. Pet. 1.
cata mundi, tantum abest vt propria vnquam Ierem. 11.
C admiserit. Cum etiam dicatur *plenus gratia &* Ioan. 1.
veritate, procul ab eodem fuisse credendum
est omne peccatum & mendacium. Ecquo- Matt. 3. 17
modo coram Patre reus fuisset, qui semper fuit dilectus Filius in quo in effabili gratia & bonitate sibi bene complacuit? Sine cuius gratia & meritis, nullus vnquam sanctorum
aut Angelorum aut hominum, Patri diuino Ioan. 8.
fuit gratus? Aut quomodo reus, quem nemo vnquam coarguere potuit de peccato?

DOCT. Equidem certiores nos facit 3.
Apostolus, *Christum tentatum fuisse per omnia,* Heb. 4.
sed semper peccatum excipit, addens, *absque peccato.* Quis ergo vestrum non abhorret hæresiarcham, clamantem eum fuisse reum, &
D multorum criminum conscium? Idemque vir sanctus ostendit eum solum fuisse idoneum orbis Redemptorem, non sacerdotes
Legis; eo quod fuerit *Pontifex sanctus, inno-* Heb. 7.
cens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus. Quique non habuit necessitatem (quemadmodum Sacerdotes Legis) *prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.* Itaque illum proprium ac idoneum fuisse mundi Saluatorem negat, quisquis alicuius delicti conscium, aut coram diuino tribunali reum oblatum fuisse cum Caluino contendit.

MIN. Reuera, diuini Patris conceptam 4.
aduer-

aduersus hunc mundum indignationem auertere non potuisset, si eadem fuisset implicatus. Nec gratiam nobis mereri atque conferre, si diuinæ maledictioni ac iræ propter peccata propria subiacuisset. Quomodo etiam nobis vitam promercatus esset æternam; si reus, dignusque fuisset mortis? Aut cum Patre cælesti nos in gratiam reduxisset, si propter propria scelera cum eodem gessisset inimicitias? Aut cælesti nos benedictione cumulasset, si instar omnium nostrũ diuina ira & maledictione fuisset obrutus? Heb. 5. Quo pacto etiam *exauditus fuisset pro sua reuerentia*; aut vere dixisset, *Scio Pater, quod semper me audis*, aliquorum delictorum reus, ac sibi conscius; cum peccatores Deus non exaudiat? Ioan. 9. Nunquam ergo reipsa peccator fuit Dominus, nunquam diuinæ maledictioni subiectus, nunquam reus ante diuinum tribunal oblatus est: sed innocens pro peccatoribus, & iustus pro iniustis, vt secundum Ps. 68. Prophetam, *quæ non rapuit, exsolueret*.

5. Pag. 313. Isa. 11. Supra quoque non semel ostensum est, Christum etiam à primo conceptionis humanę exordio, fuisse repletum Spiritu sapiẽtiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ, atque timoris Dei. Cum tanta vero gratiarum abundantia, nulla potest culpa commisceri: sicut nec Deus cũ diabolo, aut Christus cum Belial, aut lux cum tenebris conuenire. Sub quacunq; ergo conditione aut forma consideretur Christus, semper iustus & sanctus, semperq; Deo Patri gratissimus & charissimus fuit.

6. DOCT. Attẽde etiam te quæso, cuiusmodi fuerunt veterum Patriarcharum ac Prophetarum sacrificia quibus futurum Messię cruentum ac viuificum pro mundi redemptione sacrificium adumbrabatur & significabatur. Ex. 12. 20. Num. 19. Leuit. 7. Deut. 14. MIN. Non nisi profecto de volucribus aut animalibus mundis, intactis & ab omni prorsus macula puris. Nam cũcta immunda Deus procul à sacris suis facessere iubebat.

DOCTOR. Oportuit igitur Dominum nostrum, vt pro nobis satisfaceret, nõ reum ad tribunal sisti diuinum, vt Geneuani blasphemant; sed prorsus innocentem, purum, iustum, & ab omni vitio liberum, alias nec veteribus prædictionib. obtemperasset, nec figuras impleset, nec pro peccatis nostris fecisset satis.

7. Sed quamobrem rogo te, Abel à fratre cæsus, Ieremias & Zacharias lapidibus obruti, Isaias medio corpore serra dissectus, Machabęi excarnificati, Eleazarus ab impiis oppressus; aliique innumeri martyres, nec sua morte iram Dei placauerunt, nec fuso sanguine suo totius mundi potuerunt relaxare delicta? MIN. Quod ante diuinum tribunal non essent per naturam omnino puri ac innocentes: sed saltem ob peccatum originis debitores atque filij mortis. DOCT. An non ergo idem censendum & iudicandum esset de Christo, si vere peccator & diuinæ maledictionis reus, si plurimorum delictorum conscius, si deniq; peccatis cõmaculatus ad Dei tribunal accessisset? MINIST. Proh, in quantam impietatem & blasphemiarum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius voraginem sectatores suos Caluinus pręcipitat? Rogo tantum quędam veterum Patrum in rem præsentem adferas testimonia.

DOCT. Piissimus simulque doctissimus 8.
Bernardus post commemorata Christi in horto, in ædibus Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis supplicia; huiusmodi exclamatione eum compellat: Electe puer Dei mei, quid Bern. Ser. de Passione. tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? Prorsus nihil. Ego, ego homo perditus, totius perditionis tuæ causa extiti. Ego Domine, vuam acerbam comedi, & dentes tui obstupuerunt: quia quæ non rapuisti, tunc exoluebas. In omnibus his non est satiata perfidorum Iudæorum impietas, &c. Et ad animam suam conuersus, idem ait: Cognosce anima mea, cognosce, hic est Dominus Deus noster Iesus Christus Saluator tuus, vnigenitus Dei Filius, verus Deus & verus homo, qui solus sub sole sine macula inuentus est. Ecce cum sceleratis quomodo reputatus est, & quasi leprosus, nouissimus virorum, ęstimatus est tanquam abortiuum, quod proiicitur à vulua, sic proiectus est ab vtero matris suæ infelicis Synagogæ. Iste formosus præ filiis hominum, quam deformis factus est? Hic vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & factus in holocaustum suauissimi odoris in conspectu tuo, Pater æternæ gloriæ, vt auerteres indignationem tuam à nobis, & iustam iracundiam pro peccatis nostris cõceptam. Respice Domine sancte Pater, de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, & intuere hanc sanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster sanctus puer tuus Dominus noster IESVS, pro peccatis fratrum suorum, & esto placabilis super

per multitudine malitiæ nostr e. Respice Domine, in faciem Christi tui, nec recedant ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuum, vt memineris quantum ab eo pro peccatis nostris satisfactionem receperis, &c. MINIST. O verba vere aurea & melliflua. Nam cor meum adeo penetrant, delectant, & accendunt, vt horum me nulla vnquam caperet satietas. Sed quoniam adhuc supersunt alia multa de diuinis istis mysterijs discutienda, tantum ex Augustino quædam adijce, & satis mihi erit.

9. Lib Med. c.7. tom.9. DOCT. Christum pro nobis de cruce pendẽtem sic affatur: Quid commisisti dulcissime puer, vt sic iudicareris? Quid commisisti amantissime iuuenis, vt adeo dure tractareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium, ego tuæ passionis liuor, tui cruciatus labor. O mirabilis censuræ cõditio, & ineffabilis mysterij dispositio! Delinquit reus, & vapulat innocens. Offendit impius, & damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat seru⁹, exoluit Dominus: quod committit homo, sustinet Deus. Quo Nate Dei, quo tua descẽdit humilitas? quo tua flagrauit charitas? quo processit pietas? quo excreuit benignitas? quo tuus attigit amor? quo peruenit compassio? Ego enim inique egi, tu pœna multaris. Ego facinus admisi, tu vltione plecteris. Ego crimen edidi, tu torturę subijceris. Ego superbiui, tu humiliaris. Ego tumui, tu attenuaris. Ego inobediens extiti, tu obediens scelus inobedientiæ luis. Ego gulæ parui; tu inedia afficeris. Me ad illicitam concupiscentiam rapuit ardor, te perfecta charitas duxit ad crucem. Ego præsumpsi vetitum, tu subijsti eculeum. Ego delector cibo, tu laboras patibulo. Ego fruor delicijs, tu laniaris clauis. Ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem. Ecce Rex gloriæ, ecce mea impietas, & tua claret pietas. En mea iniustitia, & tua liquet iustitia, &c.

10. Obiectio. MINIST. Hæc mihi sufficiunt. Video namque vniuersos veteres Theologos, euidentissimis scripturis & rationibus innixos, totius passionis Christi causas in hominum peccata iure optimo reijcere: nusquã vero eundem Christum vt reum, aut diuinæ maledictioni obnoxium (instar Geneuanorum) traducere. Tãtum quædam eorum obiecta dissolue. Isaias (inquit) scribit, *Dominum posuisse in eo iniquitates omnium nostrum.* (Esa. 53.) Et postea: *ipse multorum peccata tulit.* DOCT. Id soluunt Ministri Geneuani suis Annotationibus Gallicis in eum locum scribentes: Id debere intelligi de pœnis iniquitatibus nostris debitis, non de culpis.

11. MINIST. Obijciunt iterum Paulum de Christo dicentem; *Pro nobis peccatum fecit.* (2. Cor. 5.) Et iterum: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.* (Rom. 8.) Affirmat quoque Petrus, ipsum pertulisse *peccata nostra in corpore suo super lignum.* (1. Pet. 2.) Aut ergo (subijciunt) Christus reus fuit peccatorum ante tribunal Dei, aut Apostoli non vera locuti sunt. DOCT. Vere ac proprie loquuntur Apostoli, & Dominus Iesus in se semper innocentissimus, purissimus, & sanctissimus fuit coram Patre & Angelis eius. Sed quia in carne, quam ex hominum peccatrice specie assumpsit, tot tantaque persoluit supplicia, quot quantaque necessaria fuerunt ad expiationem & satisfactionem peccatorum nostrorũ, phrasi Hebraica, eademque pereleganti, eadem peccata pertulisse dicitur. Nam Hebræi verbo ASSAM significant tã sacrificium expiatorium peccatorum, quam ipsamet peccata. Quinetiam Græci vocant κάθαρμα oblationem, in quam effunditur pœna peccatis debita. Atque ita Prophetæ & Apostoli his loquendi formulis obseruatis, & Dominum IESVM vocant peccatum, id est sacrificium peccatorum expiatorium; & eundem nihilominus omni peccatorum suspicione atque reatu perpetuo liberant. Aiunt enim, *Eum qui peccatum non fecit, pro nobis factus est peccatum, vt efficeremur iustitia Dei in illo.* (2. Cor. 5.) *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, &c.* (1. Pet. 2.)

QVOD CHRISTVS NVNQVAM SIBI persuasit, Deum Patrem sibi iratum esse, in odium eius se incurrisse: aut quod eum exhorreret, detestaretur, desereret, & malediceret; aut in æternum illum perderet: aduersus 17. 18. 19. Hugnosticorum errores.

CAPVT XI.

DOCTOR.

EOdem rursum spiritu plurima vestri Ministri efflant aduersus Christum patientem blasphemias, asseuerantes quod sibi persuaserit Deum Patrem in se iratum habuisse animum; quodque ab eo malediceretur

tur & relinqueretur; in ira denique percuteretur, perderetur, & in profundam mortis abyssum perpetuamque damnatorum ruinam detruderetur. Præcipui sectarij vestri verba sunt ista: *Species Christo obiecta est, quasi Deo aduerso, iam esset exitio deuotus, horrore correptus est. Dei alienationem mente concepit, pro vt sensus dictabat. Ad deprecandam mortem adactus fuit, cum iram Dei sibi propositam videret. Diuinæ maledictionis horrore percussus est.* Eadem repetit adaugetque maledicta, Institutionis libro secundo, capite decimosexto, §. 10. 11. & 12. Alij Geneuani Ministri Annotat. Bibliorum Gallicorum præceptoris errores sequuti, aiunt, *Il se sentit frappé en l'ire de Dieu, & abandonné. Sensit se percussum in ira Dei, & derelictum.* Quid de his tibi videatur, libere dicito.

In cap. 26. Matth.

In cap. 27. Matt. v. 46.

Cõfutatio 1.

MIN. Non audeo. DOCT. Non audes? MIN. Non profecto. DOCT. Cur non? MIN. Quia statim me mordebunt magistri. Sed veritatis vis maxima est in vtramq; partem. Proinde existimo superiora verba, velut perditorum hominum statim debere reijci, eo quod in expresso Dei verbo non reperiantur. Nullus etenim Propheta, nullus Euangelista, nullus Apostolus vnquam scripsit, Deum Patrem Filio suo fuisse aduersum ac iratum: Christum exitio aut perditioni deuotum, aut huius exitij horrore correptum: vel eum mente concepisse Deũ à se alienatum. Nullus Sanctorum vnquam sensit aut docuit, Christum percussum fuisse in ira, vel maledictione Dei, vel ab eodem penitus derelictum. Ideoque maximam temeritatem impudentiamq; censeo, isthæc sine vllo verbo Dei confingere ac inuehere. Plantationes sunt, quas non plantauit Pater cælestis.

Matt. 15.

2. DOCT. Imo vero tantum abest vt Pater alienum à prædilecto Filio animum vnquã habuerit: vt è contrario, coram vniuerso mundo palam testatus sit. Hunc esse Filium suum longe carissimum, in quo sibi bene complacuit. Putares ne illum suam mutasse sententiam, & amorem in odium, delectationemve in contemptum traduxisse? Aut Filium patiendo illud ipsum Patris oraculũ obliuioni mandasse, aut fictitium falsumve existimasse? MIN. Id nullo modo verisimile est. Quinimo cum semper exploratum habuerit, eundem Patrem suum esse totius veritatis atq; synceritatis fontem, impossibileq; illum mentiri aut quemquam fallere; nunquam suspicatus est se illi esse vel ingra-

Matt. 3. 17.

Hebr. 6.

A tum vel inuisum. Recte quippe nouerat omnem Dei iram in peccatores accensam esse, non autem in seipsum omnis iustitiæ & sanctitatis exemplar: & vniuersas passionis suæ causas in peccatis hominum collocari, non autem in præclaris atq; diuinis suis virtutibus.

DOCT. Sed neq; debuit aut voluit eum Pater reijcere, maledicere, aut exhorrescere, quod sanctissimis decretis suis obtemperãs vadem ac sponsorem pro nobis seipsum daret; imo magis ac magis eum diligendi causam habuit: & ea propter palam confidenterque idem Christus adfirmat, *Pater diligit me, quia pono animam meam pro ouibus meis, vt iterũ assumam eam.* Quid ni dilexisset semper Filium consubstantialem, coæternum, coæqualẽ, sibi tam morigerum, vt eius gratia factus esset obediẽs vsq; ad mortẽ crucis? Opprobrium hominum, & abiectio plebis? 3.

B Ioan. 10

Philip. 2. Psalm. 21.

MIN. Reipsa sese tam frequenter efferendo de Patris summo in se amore, satis patefacit illum nunquam in se excanduisse, nunquam penitus dereliquisse. *Pater & ego* (inquit) *vnũ sumus. Pater me sanctificauit, & misit in mundum. Pater est in me, & ego in Patre. Pater, gratias ago, quod semper me audis. Ego sum in Patre, & Pater in me est. Ego diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi, sic facio. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Si quid petieritis Patrẽ in nomine meo, dabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Pater amat vos, quia me amastis.* Feruida deniq; ac præcellenti oratione ista satis euincit; quam sancte perpetuoq; ipsum Pater diligeret: *Pater,* inquiens, *venit hora, clarifica Filiũ tuum, vt Filius tuus clarificet te. Nunc clarifica me Pater, apud temetipsum claritate quã habui priusquã mundus fieret. Ego ad te venio Pater sancte, &c.*

Ioan. 10. 11. 13. 14. 15. & 16.

C

Ioan. 17

DOCT. Vere non sunt hæc verba hominis Deo inuisi, à Deo maledicti, aut perditi, vt Caluinus blasphemat; sed è contrario, Filij charissimi atq; dilectissimi. Nunquam autem potuit contra amoris paterni fiducia ex conscientia Filij delere. Aquæ multæ passionum nequaquam potuerunt hanc Patris & Filij mutam charitatem extinguere. Alioqui quomodo vera permansissent ista pronunciata, *Maneo in Patris dilectione? Ego sum in Patre, & Pater in me est? Pater in me est manens, ipse facit opera? Pater mecum est, & non dereliquit me solum?* Patrem optimum in nos demulcendo, eum in se exacerbasset? An nõ semper sine rapina vlla ve iniuria, arbitratus est se esse æqualem Deo? 4

D Cant. 8.

Philip. 2.

5. Obiectio. MIN. Tot testimonijs conuicti & damnati, non video sane quid hiscere possint, nisi effugium istud quærant, Quod Pater exosum Filium habuerit, non quatenus secum Deus esset, sed quatenus formam serui assumpsisset. DOCT. At nullis vnquam scripturis euincere poterunt. Patrem secũdum vnam formam dilexisse Filium, & secundum alteram eum odio habuisse: imo sub quacunq; spectetur conditione eundem (vt probauimus) dira quæq; perpetientem, obsequentissimum, ac humillimum, & perpetuo, & tanto amore complexus est, vt propter diuinum eius amorem & charitatem cunctos in eum credentes & sperantes in filios, & eiusdem Filij cohæredes assumpserit. *Ioan.1. Ephes.1. Coloss.1.* *Dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Gratificauit nos in dilecto Filio suo. Transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ, &c.* Ad hæc, huiusmodi turpi effugio Christum, vt olim Nestorius, in duas personas secernunt, quarum vna Deo grata, altera vero inuisa fuerit; sicque negant Verbum caro factum, *Ioan.1. 1.Ioan.4.* & Antichristi nequitiam auspicantur, qui (vt Ioannes indicat) dissoluere conabitur perfectam maximamque illius diuinæ cum humana natura coniunctionem hypostaticam. *Ephes.1.4. 1.Tim.2.* Paulo etiam somnia sua obijcient, frequenter asserenti, Vnicum esse Dei & hominis Filium, vnum Dominum Iesum, vnum mediatorem & redemptorem.

6. MIN. Nec adhuc tamen se victos fatebuntur, sed replicabunt, Patrem quidem, quantum ad se attinet, Filium patientem nõ odisse: sed Filium cum tam dure tractaretur, id de Patre existimasse & sibi persuasisse. DOCT. His vero primum sibi aperte contradicunt, atque propriam hæresin refellunt. Deinde, nouam Iesu Christo impingunt iniuriam, affirmantes eum falsa de Patre suo opinione delusum, sibi aliter de Patris dilectione persuadendo in animo, quam reipsa foret. *Lib.1. cont. Academi. c.4.&l.1. retract. c.1.* Nam error (ait August.) est approbatio rei falsæ pro vera. Atque sic in teterrimam hæresin dilabuntur, dum aliam conantur effugere. Præterea, cum alibi statuunt quoslibet fideles ac pios sibi omni constantia persuadere debere, se Deo gratos, caros, ac electos esse: necesse est profecto vt idipsum animo sibi Christum etiam cum pateretur, retinuisse, fateantur: aut eundem cum ingratis ac reprobis connumerent.

MIN. Nihil amplius video, quo possint suam communire ac tueri opinionem, nisi dicant, Deum maximo odio peccata persequi, horumque authores vehementer auersari, secundum illud. *Similiter est odio Deo impius, & impietas eius. Altissimus odio habet peccatores. Deus est non volens iniquitatem. Sicut fluit cera à facie ignis, sic peccatores à facie Dei.* *Sap.14. Eccl.12. Psal.5. Psal.67.* DOCT. Et nos idipsum longe constantius affirmamus, & feruentius prædicamus: sed pernegamus Christum vnquam aut verbo, aut cogitatione, aut opere in aliquem peccasse: atque sic in Patris iram vel maledictionem aliquando incurrisse. MIN. Eadem tecum etiam mihi de innocentissimo, & beatissimo Redemptore persuadeo: atq; ideo aliam instituamus disputationem.

DEVM PATREM NVNQVAM REIPSA omninove Filium suum cum pateretur, deseruisse; aduersus 20. hæresin.

CAPVT XII.

DOCTOR.

PRoficientes in peius Vestri, suadere conantur Christi humanitatem fuisse in passionibus ac tormentis suis omnino & reipsa à Diuinitate relictam. Nam Gallus hæresiarcha de illo scribit: *Alienationem Dei mente concepit, prout sensus dictabat.* *In cap.27. Mat.v.46.* Et paulo antea: *Nec vero ficte, nec theatrice conqueritur se à Patre relictum.* *Inst.l.2.c.16.§.12.* Easdem cumulans in Christum cõtumelias, ait in suo Catechismo: *Torqueri hac anxietate eius conscientiam oportebat, ac si derelictus à Deo esset: imo ac si Deum haberet infestum. In his angustiis erat, cum exclamaret ad Patrem, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Et cum ætate, crescens in iniquitate easdem repetiuit & auxit blasphemias, Com. in cap.10. Epistolæ ad Hebræos, vers.31. & Com. in Psal.22. iuxta Hebraicam supputationem, vers.2. Tum etiam Geneuani post eum Ministri, in suis Biblijs Gallicis, absolute scribunt: *Il se sent frappé en l'ire de Dieu, & abandonné: Sentit se percussum in ira Dei, & derelictum.*

Cõfutatio 1. MIN. Non me latet vulgatissimam esse inter Caluinianos istam sententiam: sed quid de ea sentiam libere pronuntiare non ausim, perpendens ex vna parte istas Domini querelas, *Deus meus, Deus meus vt quid me dereliquisti*: ex altera vero non satis intelligens aut quando, aut quomodo eũ Pater dereliquerit. Interim paratus est animus id de hac re credere, q; expresso Dei verbo, à sanctis Patribus explicato probaueris. DOCT. Ita ergo facile & aperte ex verbo Dei tecũ ago:

Credis æternum Dei Filium naturæ nostræ personali vnitione vere hominem factum? MIN. Toto corde credo & ore confiteor, quoniam Ioannes dicit, *Verbum caro factum est.* Paulus quoque prædicat eum *factum ex semine Dauid secundum carnem.* Item, *factum & natum ex muliere.* Isaias denique appellat eum Emanuelem, id est, Deum nobiscum. Idemque frequentissime seipsum nominat, Filium hominis. DOCT. Credis rursum hanc humanitatem ex corpore & animo conflatam, nunquam seiunctam diuulsamque fuisse ab eiusdem Filij Dei hypostasi, ex quo semel ab eadem assumpta fuit? MIN. Credo animam Christi per mortem eius in cruce, triduo quidem separatam fuisse à proprio corpore: sed neutrum seiunctum à Diuinitate, ne in hæresin impiorum Nestorianorum incidam, qui Diuinitatem ab humanitate in Christo nefarie distraxerunt. Nec vnquam ab ista non solum Damasceni, sed & cunctorum veterum Theologorum sententia discedam: Quod semel Verbum assumpsit, nunquam dimisit. DOCT. Quid ergo iudicas de his Caluinianorum sententijs, *Christus homo alienationem à Deo mente concepit. Vere à Deo relictus fuit. Hac conscientiæ anxietate totus est ac si à Deo derelictus. Sensit se in ira Dei derelictum*? MINIST. Si relictam humanitatem sic intelligant, vt tunc non esset per eandem hypostasin aut personam Deo vere coniunctam ac vnitam; sed ad tempus separatam & derelictam non tantum Nestorij reparant sacrilegia; sed incarnationis mysterium denegantes, totius fidei Christianæ præcipuum subuertunt fundamentum. DOCT. Scite profecto ac pie colligis. Nam ita sentientes abnegant hos Apostolici symboli articulos, *Credo in Iesum Christum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, sepultus, descendit ad inferos.* Paulum etiam affirmantem Iudæos, *Dominum gloriæ crucifixisse*, accusant mendacij: nequiterque præclaram Centurionis confessionem istam, *Vere Filius Dei erat iste, Vere hic homo iustus erat*, nituntur obscurare. itaque certum & manifestum est, Christum hominem nunquam vel ante mortem, vel in morte, vel post mortem à Diuina natura, cui personaliter vnitus erat, vere ac reipsa derelictum fuisse.

Ioan. 7. Rom. 1. Galat. 4. Isa. 1. Symb. 1. Cor. 2. Matth. 27.

2. DOCT. Placet audire perantiquum perdoctumque veterem Theologum, beatum Fulgentium intelligo, de his grauiter differentem? MIN. Iucundum & commodum erit. DOCT. In hoc diuinitas Christi, inquit ille, virtutem suæ impassibilitatis ostendit, quæ vbique semper atque ineffabiliter præsens, & secundum animam suam in inferno sine doloribus fuit; & secundum carnem suam in sepulchro sine corruptione iacuit: quia nec carni suæ defuit, cum animam suam in inferno dolore non fineret, nec animam suam in inferno deseruit, cum in sepulchro carnem suam à corruptione seruaret. Dignum namque fuit, vt carnem sepulchri non corrumperet locus, quam peccati non corrupit affectus: & animam dolor non contingeret inferni, quam seruitus nequiuit tenere peccati. *Et postea*: Christus secundum Diuinitatem suam, quæ nec loco tenetur, nec fine concluditur, totus fuit in sepulchro cum carne, totus in inferno cum anima. Ac per hoc plenus vbiq; fuit Christus, quia non est Deus ab humanitate separatus; qui & in anima sua fuit, vt solutis inferni doloribus, ab inferno victrix rediret; & in carne sua fuit, vt celeri resurrectione corrumpi non posset. Hæc ille, quibus aperte conspicis. Verbi diuinitatem nec animam eius à carne diuisam, nec carnem ab anima seiunctam vllatenus dereliquisse. MIN. Id & constantissime credo, & in ore ac oculis omnium confiteor.

Lib. 3. ad Trasim. c. 31. 34.

DOCT. Quid vero de diuino fauore, & gratia, cunctisq; Spiritus sancti muneribus, quibus sanctissima eiusdem Christi anima, etiam à primo creationis & infusionis suæ momento exornata & cumulata fuit, sentiendum existimas? His ne eandem exutam, ac destitutam fuisse quando cum suo corpore patiebatur, iudicas? MIN. Minime gentium quandoquidem diuina gratia tantummodo per peccatum, quod ei penitus aduersatur, tolli possit: Christũ autem perpetuo sanctũ, innocentem, Deoq; Patri longe carissimum & gratissimũ fuisse nunc euicerimus. Deinde Paulus diserte confirmet, in eodem habitasse omnem plenitudinem Diuinitatis. Isaias deniq; constanter prædicet, super eũ requieuisse Spiritũ sapientiæ, scientiæ, intellectus, & timoris Dei. DOCT. Iam ergo expresso Dei verbo comprobatũ vides, sanctissimam Christi humanitatem tẽpore passionis suæ non fuisse à Diuinitate derelictã. quantum ad hypostaticam vnitionẽ pertinet. Deinde, nec spoliatam ea gratia, innocentia, sanctitate, & puritate, qua Deo Patri erat gratissima & acceptissima. MINIST. Id

Coloss. 1. 2 Isa. 7.

etiam ex animo confiteor verissimum esse. Restat igitur, vt exponas, quonam sensu dolens conquestus est, se à Patre derelictũ esse.

DOCT. Id factum est præsertim secundum corpus assumptum mortale & patibile. Istud namq; sic vere derelictum est à Patre crudelitati Iudæorum & Gentilium vexandum, distorquendum, flagellandum, conspuendum, confingendum, & occidendum; vt nullo tunc cælesti auxilio, nulloq; diuino miraculo eidem subuentum fuerit. In illud ergo accepta omni potestate, tanto odio tãtaq; feritate & rabie hostes sæuierunt, vt regius Propheta *Psalm. 21.* eos cum tauris pinguibus, cũ leonibus rapientibus & sæuientibus, cum canibus efferatis, cumq; cornibus vnicornium effecerit simillimos. Nã sine vlla humanitatis ac commiserationis particula cõprehensum in horto, durissimis vinculis constrinxerunt, rapuerunt, & per diuersa Iudicũ subsellia pertraxerunt, ac si omnium totius mundi scelerum conscius esset Dominus. *Matt. 26. Marc. 14. Luca 22. Ioan. 18. 19.* Huius prædæ illecebris flagrantes falsis criminibus aduersus Deum, tẽplum, legem, gẽtem, Cæsarem, accusarunt: colaphis ceciderũt; in vultũ eius fœdissima sputa iecerũt, illuserũt, sicarium ac homicidam ei anteposuerunt, & nudatum, columnæq; alligatum flagris ita notarunt, vt à planta pedis vsq; ad verticem capitis pelles & carnes eius horrẽdum in modum disciderint ac deformarint. Ad hæc, acutissimis cruentissimisque sentibus coronatum tenerrimum caput eius vt magis ac magis infigerentur, percutientes, ac in regni vsurpati ignominiosam suspicionem irrisionemq; vili purpura indutum, & arundineo sceptro manui inserto omniũ impiorum libidini deridendum & illudendum exposuerunt. Nec his contenta hostilis rabies, importunis vociferationibus Pilatum impulerunt, vt eum crucis supplicio cunctorum crudelissimo atque probrosissimo adiudicaret. Itaque huic morti adiudicatum grauissima cruce eum onerant, & à prætorio vsque ad verticem Caluariæ montis per 1321. gressus sic oneratum raptant; iterum nudant, super ferale lignum extendunt, pedibus & manibus vbi neruorum maior concursus, affigunt; sursumque inter duos latrones, quasi eorum socium atque ducem moriturum, in conspectu amicorum & inimicorum ita extendunt ac sustollunt, vt facile quis omnia ossa sanctissimi *Ps. 21. Luc. 23. Matth. 27.* corporis eius dinumerasset. Tunc porro ab altero latronum blasphematur, & à pontifi-A cibus, à Scribis & Pharisæis, à prætereuntibus & astantibus, à militibus & magistratibus, innumeris opprobrijs diuexatur & illuditur, in ardentissima siti felle & aceto potatur. *Ioan. 19. Ps. 68.* Insuper, effuse ac vndique sanctissimi cruoris riuis currentibus, sic cunctis humanæ naturæ viribus destituitur, & acutissimis doloribus opprimitur, vt iam iamque omnium terribilium terribilissimum mors pro certo immineret.

Cæterum, cunctis doloribus, angustijs & mœroribus istis secundum hominem tunc expositum Christum, nec Pater cælestis liberauit, B nec Angeli defenderunt, nec Apostoli recrearunt, nec amici sustentarunt, nec curati ab eo, consolati sunt eum; nec pars animæ superior ac beata tam misere affectam inferiorem vllo modo iuuit. Sic ergo ab omnibus derelictus & afflictus, à nemine vero consolatus, ad Patrem cælestem cuius decreto patiebatur, pie confugit, & admirans profundissimos misericordiæ atq; iustitiæ, illius thesauros, quibus Filium tam acerba perpeti volebat, vt seruos ingratissimos saluaret, cum clamore valido & lacrymis apud eundẽ hac luctuosa voce conqueritur; *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* *Hebr. 5. Matt. 27.* Scilicet C iuxta singulas corporis mei partes, in omniũ tormentorum & dolorum generibus: & iuxta inferiorem animæ corpori compatientis portionem in grauissimis mœroribus, & mortalibus angustijs. *In te sperauerunt* *Ps. 22.* *patres, & liberasti eos. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me, &c.* Deus meus, qui Noe *Gen. 8.* ex diluuio, Abraham de Vr Chaldæorum, *Gen. 12.* Isaac de gladio patris, Iacob de manu fra- *Gen. 22. 32.* tris, Israelem de Ægypto, Ioseph de carce- *Exod. 14.* re, Dauidem de manu Goliæ, *1. Reg. 17.* Ionam de D ventre ceti, tres pueros de camino, Danielem de ore leonum, Susannam de supplicio, Tobiam de cacodæmonis potestate, Ezechiam à morte, & Ieremiam de fœtido carcere magnificentissime quondam liberasti, quare me absque vllo cælesti auxilio dereliquisti? Quare oculos meos lachrymis, aures opprobrijs, genas alapis, odoratum fœtoribus, faciem sputis, pilos vellicationibus, linguam siti, palatum ariditati, os felli & aceto; communem sensum mortis apprehensioni, totumque caput spinis acutissimis subiecisti? Deus meus, qui tot in cæcos, surdos, mutos, obsessos, leprosos, paralyticos, mor-

mortuosq; edendorum miraculorum vir-
tutem & poteſtatem mihi largitus es, quare
manus meas & pedes meos duriſsimis cla-
uis terebrandos, crura & brachia diſten-
denda, oſſa dinumeranda, venas aperien-
das, corpus lacerandum, ſanguinem effun-
dendum, omnia viſcera crucianda, pectus
ſuſpiriis vexandum, omnem denique vi-
tam acerbiſsima morte terminandam de-
Iſa. 42. reliquiſti? Deus meus, qui gloriam tuam
tanto ſeruas ſtudio, quique ſeruos tuos tan-
ta curas diligentia, quare Vnigeniti Filii tui
famam hominum reproborum calumniis,
innocentium opprobriis, ſanctitatem vitu-
perationibus, vitam exprobrationibus, ve-
ritatem mendaciis, miracula criminationi-
bus, prædicationes reprehenſionibus, vni-
uerſam denique gloriam obtrectationibus
Pſalm. 64. obſcurandam & vexandam reliquiſti? Deus
meus, iudex viduarum, pater orphanorum,
patientia afflictorum, triſtium lætitia, o-
mniumque deſolatorum ſuprema conſola-
tio, quare me in tantæ miſeriæ profundo
abſque vlla cæleſti viſitatione dereliquiſti?
Pſal. 144. De⁹ meus, qui alleuas omnes qui corruunt,
& erigis omnes eliſos, illuminas cæcos, pro-
pe es omnibus inuocantibus te in veritate,
voluntatem timentium te facis, deprecatio-
nem eorum exaudis, & ſaluos eos facis: ſed
neque pullos coruorum aſpernaris, quare
Pſal. 146. ſic me deſeris in manibus carnificum? Qua-
re me ſic committis inſolentiis militum,
crudelitatibus lictorum, ſibilis gentium &
immanitatibus Iudæorum? &c.

5. Huiuſmodi fuerunt pro certo iuſtiſsimæ
Redemptoris noſtri querimoniæ, & hoc
ſenſu à Patre ſe derelinqui conqueſtus eſt;
non quomodo improbi comminiſcuntur
Caluiniani, ſed quomodo tradiderunt ſan-
ctiſsimi Euangeliſtæ, & nos ex beatorum
patrum veterum doctrina pro viribus ex-
plicauimus. MIN. Ille, ille profecto qui hu-
iuſmodi querelæ cauſas non exiſtimauerit
ſatis idoneas & iuſtas, erit mihi ferro & qua-
uis incude durior, ſaxumque carnei cordis
loco gerere cenſebitur. Sed ad horum ma-
iorem confirmationem aliqua veterum te-
ſtimonia in medium adducas vehementer
te rogo & obſecro.

Lib. contr. Praxeam. DOCT. Tertullianus vir Apoſtolicorum
temporum, ſic de hac re ſcribit: Pater eum
(Chriſtum) ſic dereliquit, dum non parcit;
ſic reliquit, dum tradit. Cæterum, non reli-
Ioan. 19. quit pater filium, in cuius manibus ſpiritum
ſuum poſuit. Ita relinqui à Patre, mori fuit

A filio. MIN. Certe hic nullam audio Dei a-
lienationem, nullam conſcientiæ anxieta-
tem, nullam cum Patre inimicitiam, nul-
lam aduerſus filium iram in qua percutiatur
vel derelinquatur, vt Caluiniani confinxe-
runt.

DOCT. Adamantius Origenes patre *Hom. 35. in*
martyre natus, martyrii & ipſe auidiſsimus, *Matth.*
multorumque vtriuſque ſexus martyrum *Ioan. 17.*
præceptor, ſuperiorem Chriſti querelam ſic *Heb. 12.*
exponit: Derelictus fuit comparatione glo-
riæ illius quam habuit apud Patrem, ad con-
fuſionem quam contemnens, ſuſtinuit cru-
cem. MIN. Ergo nec ſimpliciter aut abſo-
B lute derelictus fuit, aut percuſſus in ira Pa-
tris, quemadmodum improbi commini-
ſcuntur.

DOCT. Quod etiam reipſa Deitas non 6.
receſſerit ab homine patiente, his verbis tra- *Cont. hæreſ. 69.*
dit Epiphanius: Non ſeparata Deitate, &
ſeorſim humana natura exiſtente, dicebat
hæc, *Deus meus, vt quid me dereliquiſti*, velut a-
lius & alius. Volebat enim Deitas omnia per-
fici, quæ ad pacis myſterium pertinebant.
MIN. Hæc porro fuiſſe tormenta, quæ in *1. Pet. 2.*
corpore ſuo ſuper lignum crucis pertulit,
vnde & mors conſecuta eſt, nemo Chriſtia-
nus dubitare poteſt.

C DOCT. Et Cyrillus magni conſilii E- 7.
pheſini pro Leone ſummo Pontifice præſes, *L. 10. Theſaur. c. 3.*
ait. Opus erat certe ad fidem noſtram, etiam
in ipſo paſsionis tempore, verum ſe homi-
nem eſſe oſtendere. Ideo ne quis dubitare
poſſet, vt homo clamabat, *Deus meus, Deus
meus, cur me dereliquiſti?*

Doctiſsimus quoque Hieronymus hanc 8.
derelictionem ad ſolam carnem pertinere *In Pſal. 21.*
docens ait: Humanitas loquitur quomodo
derelicta fuerit in Adam, quando præce-
ptum tranſgreſſus eſt. Vel in paſsione dere-
lictus Chriſtus pro parte carnis.

Maximus quoque Chriſtianorum Ponti- 9.
D fex Leo de hac re, inquit: Sic Pater non ab- *Serm. 17.*
iungebatur à filio, quemadmodum caro nõ *de Paſſ.*
diuidebatur à Verbo. Ideo ergo clamabat
dicens: *Quare me dereliquiſti?* vt notum o-
mnibus faceret, quare oportuerit eum non
erui, non defendi; ſed ſæuientium manibus
derelinqui: hoc eſt, Saluatorem mundi fie-
ri, & omnium hominum Redemptorem,
non per miſeriam, ſed per miſericordiam:
nec amiſsione auxilii, ſed definitione mo-
riendi.

Mellifluus denique Bernardus ait: Si pen- 10.
dentem conſideres Chriſtum, ſi hunc cru- *Serm. 5. de*
ciſi- *verb. Iſaiæ.*

cifixum attendas, ibi maxime euidentissimeque eum sub patre reperies. Dicere ne audebimus, quod aliquando etiam fuerit sine Patre? Nemo id præsumeret, si non prior ipse dixisset, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quasi quædam enim ibi derelictio fuit, vbi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla ostensio maiestatis. MIN. Mihi plusquam faciunt satis septem isti tam Græci quam Latini præstantissimi Patres; nec dubito cunctos alios eiusdem esse sententiæ: nimirum, Christum in cruce derelictum esse, vt omnia in corpore suo pateretur, quæ ad perfectam humanorum delictorum expiationem erant necessaria: non autem vt vel à Deitate, vel à Patris gratia secundum animum derelinqueretur. Ad aliud igitur caput procedamus.

CHRISTVM IN CRVCE NVNQVAM DESPERASSE, *quantumuis acerbos pertulerit dolores: aduersus 21. heresin.*

CAPVT XIII.

DOCTOR.

NOn tam mirum, quam miserum & lamentabile est, Vestros censores in illud blasphemiarum incidisse barathrum, & desperati animi horribile crimen Domino nostro IESV CHRISTO tribuere nō reformidauerint. Idque verbis primum obscuris & ambiguis, sed tandem apertis: tali etiam impietate lætantes, ac si quid egregiū laudeque dignum commenti essent. MIN. Quænam sunt obscura illa verba, quæ commemoras? DOCT. Hæresiarcha initio instar serpentis sub gramine latenter repentis, abstinet horrendo DESPERATIONIS nomine: sed circuitione vsus, peccatum illud tantum describit, Christoque affingit, *dicens eum de salute sua timuisse: reum ad Dei tribunal stetisse: eundemque Deum Patrem sibi infensum, atque in ira sua eum maledicentem atque percutientem exhorruisse.* Deinde suas magis ac magis insinuans & aperiens blasphemias, prædicat *eum in profundo inferorum gurgite demersum atque sepultum, omnes sceleratorum & damnatorum pœnas pertulisse: hoc vno excepto, quod doloribus mortis non poterat semper detineri.* Nonne hic occulte seminat, vt postmodum aperte colligat, eum prorsus animo fractum DESPERASSE? MIN. Certissimum est, animo sibi male conscio, & in ira Dei percusso, damnato, & maledicto, nihil a-

A liud superesse, quam misera desperatio. Rursum, si Christus omnia irati & percutientis Dei signa expertus est, si omnes sceleratorum pœnas exsoluit, si in inferorum gurgite sepultus, obrutusque flammisque gehennæ addictus, & exitio deuotus fuit, quemadmodum Caluinianos sentire superius ostendisti: apertum est quod etiam animo deficiens plane desperauerit: maxime cum & ipsa desperatio nō minimum sit perditorum & damnatorum supplicium.

DOCT. In secundum impietatis gradum egressi, vtuntur DESPERATIONIS voce, sed quibusdam modis adhuc e-
B mollita velut toxico melle temperato. Scribit namque hæresiarcha in Psalmum, ex cuius initio sumpta est supra dicta Domini querela: *Querimonia videtur esse hominis desperati.* Beza quoque illic occinit: *Velut ex ipso inferorum gurgite, eluctantem Christum oculis cernere, & auribus ipsis audire videmur.* Geneuani ministri Annotationibus in Biblia Gallica, aiunt: *Extremi sunt dolores, quos Iesus Christus in cruce pati debuit, desperationi proximus.* Cumq; senserunt auditores & lectores suos ab his nō abhorrere; vlterius progressi pleno gutture prædicarunt, & miseris illis persuaserunt, eundem Christum vere de salute
C animi sui desperasse, & præ ista desperatione clamasse: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Verba Caluini sunt: *Sed absurdum videtur, elapsam Christo desperationis vocem. Respondeo, facilem esse solutionem, hanc desperationem ex sensu carnis esse profectam. Nihil obstat quo minus Dei alienationem mente conceperit, pro vt sensus dictabat. Sic videmus Christum ex omni parte vexatum fuisse, vt desperatione obrutus ab inuocando Deo absisteret, quod erat saluti renunciare. Illi certamen fuit cum mortis doloribus, quasi Deo irato in labyrinthum malorum proiectus foret.* Marloratus suis Rhapsodiis, quas vniuersalem Ecclesiæ vestræ ex-
D positionem appellat, hæc omnia inserens, ostendit cunctos Hugnosticos his sordibus ac erroribus coram Deo & Angelis eius infectos esse. Superest vt libere nunc pronuncies, quid de his rebus tibi videatur.

MIN. Nunquam, nunquā profecto credidissem homines sacro lauachro perfusos, verbiq; diuini præcones, quales haberi volunt, tam ignominiose de Christo mundi seruatore ac iudice sensisse, scripsisseque nisi expressis verbis eos reliquisses conuictos. Neque enim ethnici in suis lædoriis, neque Turcæ in suo Alcorano, neque Iudæi in suo Thal-

[Margin notes: Psalm. 21. — Impres. Geneu. 1562. — In cap. 27. Matth. — Cōfutatio 1.]

Thalmude, acerbius vnquam dominum IESVM blasphemarunt, quam Reformati scilicet, isti blasphemant atq; deformant. Atque idcirco me vehementer dolet ac piget aliquando illaqueatum esse tacitis huiusmodi hominum Hugnosticorum illecebris. DOCT. Ex multis aduersus vestros concertationibus priuatim habitis deprehendi, potiorem vestram partem ab his tanto animo abhorrere, vt præ rei absurditate audacter primo negent. Caluin. tam impie de Christo sensisse: postea vero citatis illius verbis conuicti, hac in parte illum non timeant damnare atq; reprobare. Aliquibus
Dilemma. enim hoc proposui exsoluendũ Dilemma: *Christo* iuxta Calui. *elapsæ sunt* DESPERATIONIS *voces*. Ergo aut veræ, aut fictæ: Si veræ, ergo peccatorum omnium extremo & maximo, quodq; nec in præsenti seculo, nec in futuro remittitur, æternũ Dei filium redemptorem nostrũ coarguitis & damnatis. Si fictæ, ergo illum hypocritam & simulatum hominem fingitis, qui aliud in ore, aliud autem in corde retinuerit. Insuper Caluinum vestrum scribentem, *nec ficte nec theatrice conquerebatur se à Patre relictum, sed alienationem Dei mente concepit*, teterrimæ impietatis reum (vt vere est) nobiscum agitis. Atque cum huic argumentationi nunquam satisfacere potuissent, mihi assentientes, Caluini sententiam vt impiam & Christo maxime contumeliosam abiecerunt.

1. MIN. Sentiant alii quicquid de hac re voluerint: ego plane iudico eam impiam & blasphemam. Quinetiam ostendo à suo Authore damnatam & improbatam esse, cum alibi scribit: *Christus tristitia & metu sic turbatus fuit, vt tamen aduersus Deum non insurgeret: sed maneret compositus ad veram temperantiæ regulam. Constanter retinebat Deum sibi esse propitium.* Desperantes vero contumeliose aduersus Deũ insurgunt, omnem abiiciunt fiduciam & temperantiam, non arbitrantur eum sibi propitium, sed hostem infestissimum & crudelissimum. Instar Cain eius detrahunt misericordiæ; cum Pharaone, Herode, Nerone, & similibus, eidem obstrepunt & maledicunt; velut Iulianus in eum fremunt & blasphemant: & cum diutius iudicii ac iræ illius grauitatem ferre nequeunt, sibimetipsis facti carnifices seipsos furiose interimunt, vt Saulem, Achitophelem, & Iudam fecisse sacræ referunt literæ. Luce igitur meridiana clarius est, Dominum IESVM neque mente neque voce desperasse: atque idcirco talium blasphemiarum authores ac Prædicantes homines esse flagitiosissimos. Tum etiam quæ in vno loco affirmant, statim in alio accusant atque damnant.

In cap. 26. Matth.

1. Reg. 31.
2. Reg. 17.
Matth. 27.

3. Deinde, idem Caluinus cum suo Beza omni asseueratione contendunt, *cunctos fideles perspectum exploratumque habere, sese à Deo sic electos & dilectos esse, vt ab hac dilectione & electione nunquam cadere possint*, vt superius iam attigimus. Quomodo igitur Dominus huius electionis & dilectionis causa potissima, aut de propria salute dubitasset; aut quod omnium deterrimum est, vnquam aliquando desperasset? Quo consilio sibi persuasisset, Deum à se alienum? Quo pacto suprema spes omnium nostrum, in voces desperatas erupisset? Filius Dei ac Virginis impurissimis Prædicantibus fuisset inferior: his de electione sua omnino securis, illo vero penitus desperante? Oportet sane illos à Deo in manibus Satanæ excæcandos, & pro immanibus quibusdam peccatis suis torquendos traditos homines esse, qui tam sacrilega & blasphema aut fingunt, aut docent, aut credunt, aut tantum patienter audiunt.

In cap. 5. Rom. v. 2. 5.

4. DOCT. Hæc tam manifesta quam vera & certa sunt. Sed si quis perditus contumax respondeat, illos tunc de Christo loqui quatenus homo est, non quatenus Deus; vt formam serui assumpsit, non vt Dominus est omnium; & in quantum obses atque sponsor redemptionis & satisfactionis nostræ coram Deo Patre in desperationem incidisse: quid obiicies? MIN. Cum Caluino secum rursum dissidente, *quod vtcunque consideretur non destitit esse mundi saluator, cœlesti potentia semper praeditus ad munus suum adimplendum*: proindeque nulla desperatione victus ab implendo munere suscepto vnquam potuit reuocari. Deinde, quod tam prompte, expedite, ac libenter obediendo Patri suo, non potuerit desperando aduersus eundem insurgere. Iterum, DESPERATIONEM tam execrandum scelus esse, Deoque infestum ac inuisum; vt Christus quomodocunque consideretur, non potuerit vnquam in illud incidere. Denique, cum vel hæresiarcha teste, *ad veram temperantiæ regulam Dominus semper compositus manserit*, nulla potuit intemperie, nullo furore, nulla rabie ad desperationem adigi, prout Geneuani Prædicantes blasphemando contendunt.

In cap. 23. Luca.

DOCT. Scite profecto præcipue illorum obiectioni satisfecisti: idque etiam ex eiusdem

9. Sed redeo ad eius gesta verbaque contemplanda. Quis amabo, precum eius extremus actus? MIN. Morte sibi pro certo proposita, ad Apostolos reuersus, eorum negligentiam reprehendit, ad constantiam retinendã admonuit: & aduentantibus cum armis & facibus inimicis obuiam perrexit, hisque cum maxima fiducia manifestauit se Iesum Nazarenum esse quem quærebant. Hoc autem solo verbo cunctos in terram prostrauit, exprobrans quod noctu cum fustibus & armis ad opprimendum innocentem procederent. Deinde Iudam accusauit perfidia, reuulsam per Petrum militis sanauit auriculam, Petrum obiurgauit, suos seruauit, se denique impiorum manibus capi, ligari, & in domum Annæ adduci permisit. DOCT. Profecto in his omnibus ne minima quidem apparet desperantis animi suspitio. MIN. Imo vero patientia, & constantia plus diuina quam humana.

Ioan. 18.

10. DOCT. Postea, de subselliis ad subsellia ductus, ab his & aliis iudicibus examinatus, dedit ne impatientis ac desperantis animi signum vel minimum? MIN. Tantum abest, vt è contrario cuncti illius demirarentur patientiam. Aut enim prudens tacebat, aut cum tanta sapientia moderationeque respondebat, vt profanus Præses miraretur vehementer, seque nihil mali in eo inuenire sæpe palamque profiteretur. DOCT. Qui à Deo derelicti & desperati istud præstiterunt vnquam? Cain, Achitophel, Antiochus, Herodes, Iudas, Nero, Iulianus, Diocletianus, animum despondentes, hac ne patientia & constantia fuere præditi?

Matth. 27. Ioan. 19.

11. Christus post hæc in Pilati prætorio vestibus exutus, columnæ affixus, flagris toto corpore concisus, spinis coronatus, illusus, cunctis salibus expositus, latrone vilior ac peior existimatus, morti turpissimæ adiudicatus, grauissima prægrauatus cruce, per vicos ignominiose ad scalas gemonias raptus, pedibus & manibus clauis defixis, distractus, extensus, & in altum vsq; ad extremum vitæ spiritum suspensus quod, quale, quando vel quomodo, perexiguum edidit fracti ac desperati animi argumentum? MIN. Hominem eo humaniorem & pacatiorem nec cœlum vnquam operuit, nec terra sustinuit, nec oculus vidit, nec auris audiuit, in quo tanta resideret moderatio, tanta patientia, tanta denique animi constantia. Hæc ante quingentos annos quam contigissent, spiritu prænoscens, simulque admirans Isaias

Luc. 23. Marc. 14. Ioan. 19. Psalm. 21.

A dixerat: *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperit os suum.* Et Petrus de eodem ait: *Cum malediceretur, nõ maledicebat; cum pateretur, non comminabatur, &c.* DOCT. Quantis ergo suppliciis à Christiano magistratu multandi sunt, qui desperatas illi voces arrogant?

Isa. 53. 1. Pet. 2.

12. Sed in crucem leuatus, cum pretiosum sanguinem omni ex parte emanare sentiret, vires imminui perciperet, vndique vel inimicorum contumelias vel amicorum personantes querelas audiret, in ardentissima siti felle & aceto potaretur, mortis comites latrones & infames sicarios se habere cerneret, B terram sub pedibus suis concussam fremere animaduerteret, solem suos ei radios denegare, caliginosas tenebras totũ inuoluere mundum, vitam denique suam paulatim deficere, & mortem ad eum deglutiendum properare manifestissime & certissime cerneret: nulla tamen audita sunt murmura, nulla visa sunt impatientis animi signa, nulla insurgentis aduersus Patrem cœlestem apparuerunt indicia, nulla prorsus oppressi aut desperati cordis perspecta sunt argumenta. MIN. Nulla profecto: sed è diuerso, ad obsequendũ patri perpetuo fuit paratissimus, & ad orbem ei recõciliandum C obsequentissimus ac promptissimus. Tunc etiam incredibili accensus charitate, inimicorum crucifigentium & insultantium excusans scelera, pro his rogabat dicens: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Hinc pœnitenti & inuocanti latroni paradisum promittebat, velut de proximo triumpho, & regni sui gloria certissimus. Tum & charissimæ purissimæque genitricis suæ studiosissimus, eandem grauiter afflictã & dolentem, vero veri filii affectu eandem amantissimo commisit discipulo. Sed neque in his omnibus apparuit despondentis, ac deficientis à Deo animi vllum signum: quin potius D diuina prorsus constantia, temperantia & inexhausta spiritus magnitudo.

Luca 23. Ioan. 19.

13. DOCT Ad Patrem denique conuersus, & pro tali vere agnitus, suos in eius sinum effundit dolores, refert ægritudines, superius expositas renunciat querelas. Postea, legem prædicat consummatam, absolutũ redemptionis nostræ mysterium, completamque Patris voluntatem. Ad implendam porro scripturam clamat, *Sitio:* tandemque inclinato capite, in manus optimi Patris suum emisit Spiritum. Eiusmodi sunt postrema patientis Christi gesta & verba, postremi ser-

Matth. 27. Ioan. 19.

ues & actus, postremæ cogitationes & a- nes: quibus quid posset vnquam exco- ri magis humanum, magis temperatum, gis placidum, magis religiosum atque inum? MIN. Vere, vere à cacodæmone cæcati sunt, & ab eodem impulsi quicun- e eum aut animo à Deo defecisse, aut in ces desperatas erupisse post Caluinum ciferantur. Nec dubito huiusmodi nebu- lones à Satana subornatos esse, vt omnem Christianorum fidem & spem à Christo di- uertant & subuertant, vt tandem Mahome- ti, vel propediem venturo Antichristo vias præparent ac muniant.

14. DOCT. Nec solus profecto, nec absre, tam turpiter quam vere Caluinianos cum Alcoranistis aduersus Christum, & eius fi- dei synceros professores ac propugnatores conuenire iudicas. Constat enim (vt supe- rius dictum est) non solum eius hæreseos Prædicantes ad illos Christo palam eiurato, defecisse; verum & eorum Columina lega- tiones ad Turcarum Tyrannum destinasse, vt illum ad Christianorum prouincias po- pulandas & occupandas plus satis intentum, multo magis adhuc stimularent & accende- rent; his etiam additis, quod plurimum in- ter se Caluinismus & Alcoranismus consen- tirent. Hincque factum est, vt in publico Mompelgartensi Colloquio, Lutherani Mi- nistri coram omnibus exprobrauerint Be- zæ & Comministris: *Si nulla alia dona, præter creata, Christus secundum humanitatem* (vt di- citis) *habeat: manifestum est doctrinam vestram, hac in parte plane eandem esse cum Turcico Alco- rano, qui eadem quoq; dona Christo tribuit.* Ob- murmurantibus Beza & Gallis, respondit Collocutor: *Qui veritatem dicit, non conuicia- tur. Recitabo enim verba Alcorani, &c.* His reci- tatis, tandem conuicti confusique sunt Cal- uiniani: sed non emendati. MIN. De alio quæso te, capite dicamus.

Colloq. pag. 265. 267.

CHRISTVM SVA PASSIONE, OBE- dientia, & morte, quædam sibi homini meruisse, & accepisse; quæ ab initio aduentus sui non habuit: aduersus 22. & 23. hæ- resin.

CAPVT XIV.

DOCTOR.

Triplici errore Christi amplissima me- rita Vestri deprimere ac extenuare ni- tuntur. Primo cum negant ipsum sibi quic- quam meruisse: secundo, quando huius ra-

A tionem designantes, aiunt eum ab initio o- mnem exaltationem, omnemque gloriam possedisse. MIN. Hæc sunt tibi ex eorum scriptis euincenda. DOCT. Caluinus di- sertis verbis, vniuersum Sanctorum cho- rum proscindens, *eos qui dicunt Christum ali- quid sibi meritum esse, appellat Sophistas, à Sata- na ad profanas cogitationes subornatos, qui Chri- sti gratiam obfuscant; à Satana instigatos; Pauli verborum tortores; & Sorbonicos sophistas cum tortis speculationibus detestabiles.* MIN. Tot Satanicas appellationes, & conuitiorum plaustra nemo probationis loco admissurus est. Sed hic de secundo eius errore. DOCT.

In cap. 2. ad Phil. v. 9. Instit. lib. 2. c. 17. §. 6.

B Illum quidem insigni fraude atque malitia conatur abscondere: verum prudens quis- que illum ex his eius interrogationibus de- prehendere potest: *Quis non videat hoc à Sa- tana suggeri, Christum in cruce passum, vt sibi compararet operis sui merito, quod non habebat: Quid noua exaltatione indigebat, qui æqualis erat Patri?* Vult itaque Christum hominem o- mnem exaltationem, omnemq; perfectio- nem sic habuisse ab initio, vt nullam sibi moriendo comparauerit. Quod & alibi as- serit dicens: *Non quod sibi quicquam priuatim acquisierit Christus, sicut Sophistæ fingunt.* Quod tuum de his iudicium? Tacendum ne tibi C tantis de rebus existimas?

In cap. 2. Heb. v. 9.

MIN. Ingenue fateor me in his diuinæ Theologiæ mysteriis parum versatum esse: proinde ad ea paulisper illustranda, mihi ad quædam respondeas velim; tuncque omnia profitebor quæ conscientia dictauerit. Vis- ne Dominum Iesum prius aut potius sui caussa venisse, quam ad saluandum popu- lum suum à peccatis eorum? Sibi prius gra- tiam & gloriam meruisse, quam nobis salu- tem? Operis sui merito sibi nactum esse, quod prius non haberet? Maiorem partem fructus mortis suæ in eo esse, non in nobis? Num absurdum esset cogitare, hominem D meruisse honorem Deo debitum? Imo & ipsum Dei thronũ? Et quid opus erat Chri- sto noua exaltatione, qui Patri æqualis e- rat? DOCT. Agnosco Caluini verba, conuicia, & imposturas, quas vt maiorem sibi pariat fidem, spumando Catholicis im- ponit; simulque multa permiscendo con- fundit, ne facile quis suos errores inuolutos deprehendat. MIN. Explica ergo diligen- tius, & apertius quid de his sentiendum sit. DOCT. Perspicuum ac certum est Chri- stum hominem maximam & intimam il- lam cum Verbo vnitionem personalem nõ meruis-

Cõfutatio 1.

meruisse: cum eam nec duratione aliqua præcesserit; nec præstantissimum illud Dei opus humano merito subesse potuerit. Inde etiam consequitur eundem nec infinitam gratiam, qua animo perfusus est, nec sapientiam, aut potentiam summam, nec denique apertam Deitatis visionem, fruitionem, aut animæ suæ præcipuam gloriam, qua primo creationis ac infusionis suæ momento donatus fuit, meruisse. Hæc namque omnia gratis ei collata, solaque Dei bonitate & liberalitate communicata fuisse, & veteres & recentes orthodoxi Theologi (quos Caluinus tot iniuriis & contumeliis suis dilacerat) vno animo oreque protestantur. B

Tit. 3. Sciunt enim Paulum scripsisse, *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Cum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius.* (*Rom. 5.*) Ioannem quoque prædicare, (*Ephes. 2.*) *Deum prius nos dilexisse*, quam gratiam hanc (*1. Ioan. 4.*) consequeremur. Cum Zacharia concinunt, (*Luca 1.*) *Per viscera misericordiæ suæ visitauit nos Oriens ex alto.* Denique post Augustinum, & in templis, & in scholis constanter docemus, Summam Dei gratiam in eo apparuisse, quod Deus factus sit homo, & homo Deus. Ecce qualia quantaque Christus homo non sibi meruit; sed inæstimabili gratia Dei vniuersa eius merita præueniente, statim ab initio consecutus est. C

(*Aug. lib. de præd. sanct. c. 15. Tract. 105. in Ioan. Ench. c. 40 Lib. de bono perf. c. vlt. Lib. 3. sent. dist. 38.*)

2. MIN. Quid igitur eum sibi meruisse, ac cum tempore accepisse traditis? DOCT. Omissa prioris ac posterioris anxia disputatione, adfirmamus eundem sua obedientia, exinanitione, patientia, & morte, corporis sui in primis resurrectionem, vna cum incorruptibilitatis, immortalitatis, impatibilitatis, subtilitatis, agilitatis, & claritatis dotibus gloriosis promeruisse. Deinde, pro suis etiam eximiis in Deum meritis constanter asserimus, eum secundum humanā conditionem magnificentissime exaltatum super omnes cœlos; super omnes Angelorum ordines; adeoque vsque ad ipsam Dei Patris beatissimam sedem; ac verum summumque caput tam triumphantis, quam adhuc militantis Ecclesiæ constitutum; & vt ad eius nomen, id est, authoritatem & maiestatem, velut supremi iudicis viuorum & mortuorum, omne genu flectatur tam cœlestium, quam terrestrium, ac infernorum. (*Phil. 2.*) Præterea, suis etiam operibus meruit, vt à Patre, quem pro nobis perpetuo im- D

A pensissimeque exorat, nunquam non [...]diatur: cunctosque nomine suo eu[...] Patrem adeuntes & interpellantes, [...]dem liberalissime exaudiri. Habes er[...] lucide & distincte quid sibi Christun[...] meruisse, & cum tempore in sua hum[...]te accepisse, aduersus hæreses doceant Theologi. Tuum nunc est proferre in quam partem magis inclines ac propendeas.

MIN. Sanctior longe ac tutior videtur Theologorum sententia, eo quod summa Dei beneficia in Christi humanitatem collata magis ac magis amplificet; ac eiusdem merita, ingentemque gloriam, vt decet prouehat atque prædicet: Caluini autem è contrario imminuat & conculcet, vt ex eiusdem scriptis facile & aperte commonstrabo. Cum enim hæc postrema Domini verba, *In manus tuas commendo Spiritū meum,* interpretatur, agnoscens Christum eximiū quid sibi meruisse, ait: *Hac prece ius seruandi animas sibi ipse peperit.* DOCT. Igitur proprio opere suo id sibi meruit & peperit: atq; ideo fructus mortis eius non ita totus in nobis est diffusus; quin sibi maximam planeq; diuinam quatenus homo sibi authoritatem atque gloriam acquisierit. 3.

(*Ioan. 19.* — *In cap. 27. Mat. v. 50.*)

MIN. Idem rursum scribit, *Æternam potestatem quam habuit Filius Dei ante mundi creationem, tunc eius humanitati fuisse concessam, cum dixit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: ordinatusque fuit iudex huius mundi.* Et iterum ait: *Christus sedens ad dexteram Patris cœli & terræ potitur imperio: & postquam in cœlum ascendit, data est ei omnis potestas, vt ante eum flectatur omne genu.* Nonne ex his eius verbis aperte consequitur, dominum Iesum iuxta humanam conditionem, nec omnem omnium iudicis authoritatem, nec omnem summi Imperatoris gloriam, ac cultum, ex seipso & ab initio habuisse? Itaque cum hæc post tot tantosq; exantlatos labores, & maxima patientia toleratas passiones à Patre acceperit, in horum proculdubio mercedem & præmium accepit. DOCT. Hæc adeo aperta & certa sunt, vt amens sit, qui contradicat. 4.

(*In cap. 28 Matth.* — *In cap. 14. Luc.*)

MIN. Idem iterum ait: *Christus nostram assumendo carnem, & in ea perpetiendo, sibi hoc acquisiuit priuilegium, vt iam mediator noster Deo assistat.* DOCT. Ergo quid magnum & præstans de nouo sibi acquisiuit. Id vero quonam pacto, nisi abiectionis, obedientiæ & patientiæ meritis? 5.

(*In cap. 9. ad Heb.*)

MIN. Propriis rursum contradictioni- 6.

... se implicans, propriosq; errores suos A superiores coarguens, scribit: *Ostendit (Pau-*
In cap. 14. *lus) quam merito hanc sibi potestatem in nos Chri-*
Rom. v. 9. *stus vindicet, cum eam tanto pretio ipse acquisierit. Nam mortem pro salute nostra obeundo, dominium sibi acquisiuit, quod nec morte solueretur: resurgendo autem, totam vitam nostram in peculium accepit. Morte igitur & resurrectione sua promeritus est, vt tam in morte quam in vita, gloria nominis sui seruiamus.* DOCT. Hæc vere sunt cum superioribus hæresibus eius pugnantia. Enimuero cum Christus quatenus homo sibi omnem in nos, vitamque nostram pretio mortis suæ acquisierit: aliquid consecutus est, quod prius non habuit. Et B cum idipsum mortem obeundo promeruerit, quid magnum ac præstans sibi profecto meruit. Sicque Caluinismus authoris sui sententia manet impietatis in Christi merita conuictus & damnatus. MIN. Hæc sunt quæ ex illius scriptis aduersus eiusdem errores proferenda censui: tu quod ex diuinis literis ac Patribus parasti, in lucem educito.

DOCT. Dauid in primis Christi gloriosissimam secundum corpus resurrectionem, & in cœlos conscensionem, eiusdem meritis tribuens prædixit: *De torrente*, mor-
Psal. 109. tis & passionis nimirum, *in via bibet, propterea exaltabit caput.* Præmittitur laborum eius C meritum, subditur ilico præmium. MIN. Equidem tam certa & manifesta est probatio ista, vt Beza in noua paraphrasi sua vi veritatis superatus dicat: *Bibet tamen ipsemet quoque ex torrente, ante hos triumphos: & ærumnas omnes duræ militiæ perferet, quibus absorptus ac submersus videri possit. Tantum abest vt inde detrimenti quicquam patiatur, vt contra, hac ipsa ratione caput sempiterna gloria coronatum sit altissime sublaturus.* Atqui sempiterna gloria qua vertex eius præcingitur, est gloria resurrectionis, & ascensionis ad dexteram Dei triumphus; tum eius imperium toto orbe diffusum: quod tunc perfecte comple- D tum erit, cum iudex viuorum & mortuorum sedens super sedem maiestatis suæ gloriosus apparuerit. Igitur hæc sibi promeruit bibendo in torrente mortalitatis nostræ humanarum calamitatum & miseriarum maximum & amarissimum, sibi à Patre calicem propinatum. DOCT. Etiam si id non fateretur, atque sic Caluini sui errorem non coargueret Beza, viris cordatis ac vere
Com. in Ps. Christianis satis esse deberet, quod Euthy-
Lib. 5. cont. mius, Chrysostomus, Basilius in Græcis in-
Eutychen. signes; Vigilius martyr, Augustinus, & Ar-nobius inter Latinos nobiles Patres; eo modo Dauidis locum sunt ante multa secula interpretati.

MIN. Vnius & alterius istorum sententias audire percupio. DOCT. Chrysostomus ait: *Hic ostendit humilem eius viuendi rationem, quod nullum fastum præ se ferens, nullis stipatus satellitibus, nullo externo apparatu munitus, hæc fecerit: sed tamen victum persequens, & adeo tenuem, vt ex torrente biberet, mensa panes hordeacei, potus aqua de torrente. Deinde, ostendens quod sit huius vitæ emolumentum, subiunxit, propterea exaltabit caput. Humilitatis enim vitæque austeræ hic est fructus. Hæc non de Diuinitate dicta sunt, sed de carne quæ bibit ex torrente, & ad ineffabilem euecta est altitudinem.* Hactenus Chrysostomus. 8.

Verba porro Augustini aliquanto clariora, sunt ista: *Bibere de torrente Christo erat nasci & mori. Quia ergo de torrente in via bibit, id est, quia humiliatus est, propterea eum Deus exaltauit à mortuis, & donauit ei nomen quod est super omnes.* Hæc iste: ex quibus apparet eos Spiritui sancto, qui per hos Dei sanctos homines scripturarum sensa reserauit, impie resistere, quotquot contrarium asseruerint. Sed institutas meritorum Christi probationes persequor. 9.

Isaias mortis Christi meritis tribuens, 10.
quod Gentes ad eum conuersæ, ipsum vt Isa. 53.
Deum, & Patrem, & caput colere deberent, ait: *Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima videbit, & saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruos suos multos: & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam.* Ecce, ecce quomodo paucis admodum verbis adfirmat Euangelicus Vates Messiam maximas glorias gloriosissimosq; triumphos suscepturum in passionis mortisque propriæ compensationem. Atq; ita hunc locũ Hieronymus, Procopius, Cyryllus Alexandrinus, Vigil. martyr, & alii Orthodoxi sunt interpretati: quibus si Oecolampadiũ addideris, Caluini error omni ex parte conuulsus damnatusq; remanebit.

Accedo ad Apostoli Pauli testimonia. 11.
Cõmemorata Christi humilitate, obedien- Phil. 2.
tia, cruce, & morte, de horum laborũ mercede subinfert, *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua*

lingua cõfiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Plane non potuisset Apostolus merita Saluatoris nostri, quibus corpus illius resurrectione, ascensione, & glorificatione exaltatum super omnes cœlos, eiusdem nomen & numen per triplicem mundum agnitum & religioso cultu adoratum est, apertius aut diligentius commemorare. Quocirca Geneuanus hæresiarcha alibi subsidium quærat necesse est. Nam apud nos confregit tesseram, & suam deinceps alijs diuendat sophisticam subtilitatem dicendo, illatiuam dictionem, *Propter quod*, magis sonare consequentiam, quã causam. Id enim nunquam persuadebit viris veram Iesu Christi gloriam amantibus & quærentibus. MIN. Sunt ne ex sanctis illis ac antiquis Theologis, qui doceant enunciatum illud, *Propter quod*, illationẽ esse causæ meritoriæ? DOCT. Satis quidem esse debet viro Christiano, huiusmodi verum germanumque verborum Apostolicorum sensum: veruntamen vt abundantius tibi satisfiat, scias velim Fulgentium confessorem, Vigilium martyrem, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Basilium, Hilarium, quãta Orientis & Occidentis lumina! ita hunc locum verbis & scriptis exposuisse. Locos, sententiasq; iam pridem notaui in Appendice aduersus hæreses: librum euolues vbi plus otij nactus fueris. Ad Paulum redeo. *Lib. 3.*

12. *Heb. 2.* Idem rursum scribit. *Eum qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Vbi magis conspicua est hæc gloria, vbi magis prostans honor & splendor iste, quam in beata corporis resurrectione, & gloriosa ascensione, per quam eleuata est magnificentia eius non tantum super cælos, vt Chrysostomus ait, sed supra Cherubin ascendit; vltra Seraphin eleuata est, nec ante stetit, nisi sedem Dominicam meruisset & accepisset? Ibi enim apparet sua passione promeritus honos quoniam sic caput Ecclesiæ constitutus est, atq; viuorum ac mortuorum Iudex. Ob eã mortem & passionem (ait Cyrillus) summæ gloriæ coronam promeruit. Quæ eiusdem verba citantur & probantur magno & œcumenico Concilio Ephesino, quod vt sacrosanctum Geneuani ministri se admittere profitentur: qua ex re etiam propria confessione erroris conuincuntur. *Ser. de Ascens. Dom.* *Li. de recta fide ad Reginas.*

13. *Ioan. 10.* Cum etiam dominus diceret, *Pater diligit me, quia animam meam pono pro ouibus meis,* gloriosam significabat remuneratione͂ (ait Vigilius Martyr) passionis suæ merito acquisitam. Beatitudinis munera sunt passionis eius merito acquisita. Id quod rursum apertius declarat, dicens: *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* MIN. Hoc plane tam certum ac dilucidum est, vt nunquam satis mirari possim, quomodo Caluinus tam amens fuerit, vt negaret: torq; probra in affirmantes conijceret. *Lib. 5. cont. Eutych.* *Luc. 24.*

Ecquid etiam Christum impediuisset, ne sibi quidpiam mereretur? Libero voluntatis arbitrio præditus, eodemq; diuino fauore & amore instructus erat. Rursum, secundum corporis ac præsentis vitæ rationem nobiscum viator & peregrinus: vniuersa eius consilia & opera Deo Patri gratissima & iucundissima, secundum illud: *Quæ placita sunt ei facio semper.* Itaq; omnia quæ ad meriti rationem pertinent in eo fuerunt abundantissima & efficacissima. Præterea, cum omnibus electis meruerit gratiam, gloriamque animorum & corporum, quid obsistere potuit, quo minus corporis sui resurrectionem, gloriosam ascensionem, ac nominis exaltationem proprijs laboribus acquisierit & assumpserit? 14. *Ioan. 8.*

Dicere porro illum quatenus homo est (nam sic tantum mereri & exaltari potuit ab aduentu suo) omnem habuisse gloriam & exaltationem; quid magis ineptum ac impium? Constat enim eum imbecilli corpore initio conceptum, natum, lactatum, pannis inuolutum, in cunis vagijsse; circuncisum, in templo oblatum, delatum in Ægyptum, relatum in Galilæam, cunctis corporeis ac infantilibus imperfectionibus circundatum fuisse. Quinetiam post adultam ætatem & baptismum, secundum humanam cõditionem vere esurijsse, sitiuisse, fatigatum dormiuisse, contristatum fleuisse, sanguineo sudore maduisse. Et vt Apostolicis verbis vtar, Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. Minoratus ab Angelis, per omnia fratribus simulatus, tentatus per omnia pro similitudine absq; peccato: qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido ac lachrymis obtulit. Qui deniq; ligatus, consputus, flagellatus, morte turpissima damnatus & affectus est. Cuncta namq; huiusmodi redemptionis humanæ mysteria deneget necessum est, quicunque omnem gloriam & exaltationem Christum hominem ab initio consecutum esse cum Caluino dixerit. Insuper, & eundem glorio- 15. *Luc. 1. Matt. 2. Matt. 4. Ioan. 4. 11. Luc. 22. Phil 2. Heb. 2. 4. 5. Matt. 26. 27. Sap. 2.*

se antequam moreretur, resurrexisse: & priusquam in sepulchrum descenderet, in cœlos cum triumpho conscendisse: quæ penitus absurda sunt & impia. MIN. Aliud quæso, caput attingamus.

QVOD CHRISTVS PRO CVNCTIS *in vniuersum hominibus passus & mortuus sit: aduersus vigesimumquartum errorem.*

CAPVT XV.

DOCTOR.

HOc etiam inter vestrorum errores numero, quod in fidei Geneuanæ Clypeo recensetur, nimirum, Iesum Christum non pro omnibus hominibus mortuum esse. MIN. Non recordor ea me legisse verba. DOCT. In Dialogo 4. pag. 58. Paris à Germano percunctatur: *Christus adimpleuit legē? Mortuus est indifferēter pro omnibus?* Germanus respondet: *Non ædepol, sed tantum pro his qui eū recipiunt in tali iustitia, id est, vt perfectum legis pro seipsis obseruatorem, & qui pro his Deo perfecte satisfecerit.* MIN. Ah, nunc recordor, & quod maius est, eiusdem opinionis authorem esse
In c.17. Io. nostrum Caluinum, scribendo, *Christum proprij gregis solummodo fuisse sollicitum, quodque pro electis suis duntaxat orauit.* Verum errorē esse non existimabam, tum quod dominus dicat, *Pro his rogo quos dedisti mihi, non pro mundo*; tum etiam quod soli electi eiusdem mortis virtute saluentur.

Confutatio 1. DOCT. Meum est igitur euincere hanc sententiam plane erroneam, ac diuinis literis aduersam esse: demumq; explicare quonam pacto dixerit dominus se nō orare pro mundo. Nam agnoscis Christi passionis ac mortis merita longe ad saluandum ampliora fuisse, quam Adæ peccatum ad inficiendum & perdendum? MIN. Impius sum si nō
Rom. 5. credam, dicente Apostolo. *Si vnius delicto mors regnauit, multo magis per vnius iustitiam in vita regnabunt. Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Et ad hæc ver-
In cap. 5. ad Rom. ba, Censor noster fatetur *maiorem esse gratiam per Iesum Christum acquisitam, ea condemnatione quæ totum inuoluit genus humanum.* Item; *certissimum esse, Christum potentiorem esse in saluandis hominibus, quam fuit Adam in his perdendis.* DOCT. Bene habet. Atqui peccato Adæ omnes æque inficiuntur, commaculantur,
Rom. 3. & deprauantur, Apostolo dicente, *Omnes*
Ephes. 2. *peccauerunt: Omnes declinauerunt & inutiles facti sunt. Omnes nascimur filii iræ*: manifestum est igitur Christum pro cunctis indifferenter hominibus sollicitum fuisse, vt hos per passionem & mortem suam sufficienter Patri reconciliaret & saluaret.

MIN. Argumentum istud tam validum est, vt Caluinus hastam abijcere, herbamq; porrigere videatur, scribendo: *Nam & si passus est Christus pro peccatis totius mundi, atque omnibus indifferenter, Dei benignitate; non tamen omnes apprehendunt.* DOCT. Si pro omnibus indifferenter, necesse est Clypeum fidei Geneuanæ frangat & abijciat; & ministrum huius sententiæ propugnatorem & authorē ad Indos relegat & Garamantas. 2. In cap. 5. ad Rom.

Sed ad sacras literas redeo. Amplitudinē salutis humanæ per Christū acquisitæ Ioañes describens ait. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum: & hic est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Hæc autem propitiatio seu reconciliatio, vt Paulus docet, facta est per mortem filij Dei. Sequitur ergo eum non solum mortuum esse pro Apostolis, Discipulis, cæterisque electis, verum etiam pro omnibus indifferenter hominibus. MIN. Tam aperta & firma est hæc probatio, vt Caluinus succumbens, in eum Ioannis locum scribat: *hanc communem scholarum sententiam esse veram, Christus pro toto mundo sufficienter passus est, efficaciter autem pro solis electis.* DOCT. Vester igitur potius ex fœno quam ferro compactus, vt pestifer ac funestus Clypeus procul amandandus est: & hæresiarchæ vestri altera sententia impietatis damnanda, qua solos electos Christo curæ fuisse iudicauit. Sed ad Scripturas redeo. 3. 1. Ioan. 2. Rom. 6.

Isaias tam concinne & apposite de singulis mortis Mesiæ actis, quam si iam contigisset, differens; sine vlla reproborum, exceptione, inquit: *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit: & posuit Dominus super eum iniquitates omnium nostrum.* Audis clarissimam & perantiquam Mesiæ tubam paucis admodum verbis tertio vniuersaliter personantem, *omnes errasse, omnes declinasse*, ac idcirco *omnium iniquitates*, id est, supplicia iniquitatibus debita, ei exsoluenda fuisse imposita: contra vero Seriphias laci Lemanici ranas coaxantes, eum non pro omnibus indifferenter passum ac mortuum esse? Quibus fidem adhibebis? Quorum potius amplecteris sententiam? MINIST. Qui diuino vati non crediderit, 4. Isa. 53.

sancto

sancto Spiritui, qui per eum locutus est, plane contumeliosus existet. A

5. DOCT. Audi rursum etiam ipsummet filium Dei, sese totius indifferenter mundi
Ioan. 3. Ioan. 6. Ioan. 12. saluatorem efferentem, *Sic Deus dilexit mundum vt Vnigenitum daret, vt saluetur mundus per ipsum. Carnem meam dabo pro mundi vita. Non veni vt iudicem, sed vt saluificem mundum.* Ac ideo vniuersos ad se indifferenter inuitans,
Matt. 11. hisq; salutem per se partam offerens, ait: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*
Matt. 7. Monet rursus vnumquemq; petere, quærere, & pulsare ad ostium Patris
Matt. 10. cœlestis. Imo etiam pollicetur confessurum se coram patre suo, omnem eum qui confessus fuerit coram hominibus. Itaq; passionis ac mortis eius merita pro cunctis sine vllo discrimine filijs hominum oblata sunt: eorundemque peccatis expiandis ex se copiosissima & sufficientissima fuisse nemo Christianorum ambigere potest.

6. Eam ob rem vniuersos prorsus ad tanti thesauri participationem, velut ad cœlestes nuptias inuitaturus, Apostolisq; vsus internuntijs ait ad eos:
Marc. 16. Matt. 28. *Euntes in mūdum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluabitur. Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Non ad solos electos ablegat, non solum iustos inuitat: sed prorsus omnes gentes: ergo pro his omnibus indifferenter passus & mortuus fuerat; ringātur, rumpanturq; licet ministri Caluiniani.

7. Matt. 24. Marc. 13. Non semel quoq; prædicēs Euangelium suum (quo totius salutis humanæ munus cunctis offertur & declaratur) prædicādum esse in toto mundo, antequam adueniat illius consummatio, omnes ad salutem sua morte acquisitam conuocandos esse comprobat. Illorum etiam sententiam refellens, qui fructus aduentus Messiæ ad solos Iudæos spectare putarent, dixit:
Mat. 8. 20. Ioan. 11. Act. 1. *Multi venient ab Oriente & Occidente, &c. Multi sunt vocati. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, &c. Eritis mihi testes in Ierusalem, Iudæa, Samaria, & vsq; ad vltimum terræ.*

8. Putasne Apostolos tam studiose Christū prædicasse, Reconciliationem mundi, Saluatorem mundi, si minimam duntaxat eius partem reconciliare & saluare studuisset? MIN. Equidem nec Prophetarum oraculis, eum Gentibus æque ac Iudæis venturum Saluatorem prædicantibus fecisset satis: nec in fine mundi bonorum & malorum æquus iudex venturus esset; nisi pro omnibus indifferenter & sufficienter redimendis & saluandis aduenisset.

Animaduerte etiam quæso te, & maturo iudicio perpende, quam sancte & grauiter 9.
Paulus hanc quæstionem soluat & definiat simulque Hugnosticas exceptiones ac restrictiones improbet. *Æstimantes hoc,* inquit, 2. Cor. 5.
quod si vnus mortuus est pro omnibus, ergo omnes mortui sunt. Pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt, iam non sibi viuant: sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum. MINIST. Magnifice B profecto fructus Dominicæ passionis amplificat, & ad vniuersum genus humanum spectare confirmat: eadem opera refellens eos qui ad solos iustos referre contendunt, cum mortuus sit pro omnibus, mundumq; Patri reconciliarit.

DOCT. Audi & alia eius decreta, superioribus adhuc clariora: 10. Coloss. 1.
Complacuit Patri (inquit) *omnem plenitudinem Diuinitatis inhabitare in eo, & per eum reconciliari omnia, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Et rursum; *In Christo instaurātur omnia quæ in cœlis & quæ in terra sunt.* Ephes. 1.
MIN. Longe certe magnificentius cœlestis Patris C bonitatem, & filij eius secundum hominem patiētis merita, beneficiaq; prædicat, quam faciant laruati isti gratiæ & beneuolentiæ illius æmuli.

DOCT. Alibi rursum iubet idem Apostolus postulationes, gratiarum actiones, orationes, & supplicationes fieri pro omnib. 11. 2. Tim. 2.
nullis demptis, hominibus: & hanc protinus rationem adfert. *Hoc enim bonum est & acceptū coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Alio rursus loco asserit 1. Timot. 4.
D eum esse Saluatorem omnium hominum, maxime autem fidelium. Addit postea, per aduentum eius gratiam Dei apparuisse omnibus hominibus. Et vt concludam, altius quam potest intonat, eundem Christum voluntate & decreto Patris, *pro omnibus mortem degustasse.* Tit. 2.
MIN. Oportet certe illos bene & gnauiter impudentes esse, qui aliter sentiūt: quandoquidem ex tot tamq; certis scripturis diuinis constet summum illud redemptionis humanæ beneficium tam copiosum esse, vt ad vniuersos homines iustificandos & seruandos sufficiat.

Placet

12. Placet quædam huic rei & loco conuenientissima, ex Colloquio Lutheranorum & Bezanorum Mompelgartensi, subijciam? DOCT. Quæcunque voles. MIN. Beza coram Principe Friderico, vniuersoque Germanorum & Gallorum cœtu concionante, *Si Dominus vellet omnibus prodesse passionem & mortem suam, vna gutta sanguinis satis esset pro peccatis totius mundi, etiam damnatorum. Christus autem non est mortuus pro peccatis damnatorum. Non pro impijs & damnatis effudit sanguinē in remissionem peccatorum, &c.* iusta indignatione percitus Iacobus Andreas Tubingensis cancellarius, exclamauit. Hæc in auribus piorum sunt horrenda auditu. Quin toto corpore perhorrescunt pij omnes, quando hanc vocem horrendam audierint: Christū non pro totius mundi peccatis, hoc est, pro omnibus hominibus mortuum esse & satisfecisse. Quis hanc vocem quæso, ferre potest? Ego sane in stuporem conuertor, & toto corpore horreo, quando hæc nūc audio. Non enim ideo damnantur exitio æterno adiudicandi, quod peccauerunt: alias quoq; omnes electi damnarentur: sed quia nolunt vera fide (addo, & matura pœnitentia) amplecti Iesum Christum, qui non minus pro ipsorum peccatis passus, crucifixus, & mortuus est, quam pro peccatis Petri, Pauli, & omnium Sanctorum. Hæc est æterna & immutabilis veritas, aduersus quam portæ inferorum non præualebunt. Sicuti Christus aperte testatur, *Hoc est iudicium, quod lux venit in mundū; & mundus plus dilexit tenebras, quam lucem.* Item: *Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quia nō credunt in me, &c.* Ibidem quoque paulo post subnectitur. Cum tam absurda, horrenda, & manifeste impia diceret Beza de morte Christi, quod videlicet, non pro omnibus peccatis, & peccatoribus sit mortuus: Illustrissimus Princeps Comes Fridericus D. Iacobum monuit, vt finem colloquio imponeret. Pertæsa enim erat Celsitudo eius talia amplius audire, &c. Hæc ibi: ex quibus Caluiniani satis animaduertere possunt, se ob istas admissas in Christum frequētes & graues blasphemias, merito odiosos factos esse Deo & angelis, & hominibus. Si quidpiam ex Augustino in rem præsentē audiero, mihi plane satis factū esse iudicabo.

Ioan. 3. Ioan. 16.

13. DOCT. Ille tomo operum septimo, quēdam habet Libellum, quo sedecim falso sibi à sycophantis impositos articulos refellit, simulq; anathematibus grauissimis ferit, eos quicunque illos asseruerint. Vnus autem eo- A rum is est quem ex fidei vestræ Geneuanæ & Caluinianæ Clypeo disputationis huius principio citauimus, & deinceps coarguimus, videlicet, Christum non pro omnibus indifferenter hominibus mortuum esse.

MIN. Quod de precibus Christi obieci initio, nunc quæso dissolue: & me plurimum tibi debere profitebor. DOCT. Christi preces aliquando singulares ac pro priuatis amicis fuerunt conceptæ, velut cum pro Petro rogauit vt non deficeret fides eius: ac etiam frequenter pro seipso, velut ex suscitatione Lazari, & gestis tam in horto Oliuarum, quam in monte Caluariæ omnibus cō- B pertum est. Aliquando vero magis communes ac vniuersæ, quales fuere quas modo pro suis Apostolis, modo pro credituris per verbum illorum, modo etiā pro crucifixoribus & inimicis suis effudit, dicens, *Pater ignosce illis, &c.* Alias denique preces effudit pro toto mundo, cunctisq; filijs hominum, cuiusmodi fuerunt illæ quas in montibus pernoctans diuino patri offerebat, vt etiam volens, nolens, agnoscit hæresiarcha. Nemoq; dubitare potest Dominicas preces omnino pares & conformes fuisse operibus: cum ergo pro omnibus indifferenter & sufficienter passus & mortuus sit, indubitatum C esse debet eundē etiam preces & orationes suas pro omnibus sufficienter coram Patre suo fudisse & obtulisse. Quod autem soli electi reipsa finalem gratiam æternamque beatitudinem consequantur, cæteri omnes in peccatis suis moriantur ac pereāt; horum culpis efficitur, non meritorum Christi insufficientia: quemadmodum in illis euidenter apparet, quibus dicitur: *Volui vos congregare, & noluistis.* Et alibi: *Perditio tua ex te, Israel, ex me vero salus tua. Vocaui, & audire, venireque renuistis: ego in interitu vestro ridebo. Deus enim reliquit hominem in manu consilii sui, adiecit illi præcepta & mandata, vitam proposuit & mortem,* D *ad quodcunq; voluerit apponat manum.* Si volueris (inquit) *seruare mandata, ipsa seruabunt te, &c.* 14.

Mat. 23. Osee 13. Prou. 1. Eccl. 15. Deut. 30.

SANGVINEM A CHRISTO EFFVSUM *de cruce non computruisse in terra: sed nunc adhuc superesse in salutem hominum: aduersus 25. & 26. errorem.*

CAPVT XVI.

DOCTOR.

Dictu simul & auditu horrendum quod nunc sequitur; nimiru Caluini discipulos

ios eo impietatis & insaniæ aduersus Christum peruenisse, vt iam dicant pretiosissimũ sanguinem eius pro nobis effusum, in terra computruisse, sicque nullius pro nobis amplius esse virtutis ac efficentiæ. MIN. Adeo ne amentes & nefarij quidam euaserunt?

L. Caluinisticæ Theologiæ, l. 1. c. 20. fol. 84.

DOCT. Refert Conradus Schlusselburgi Saxonum in Germania generalis Superintendens quinque Germanos Caluini discipulos, isthæc sentire, palam scribere, & scriptis publicare. Primus est Fridericus Aulakius, secundus Ioachimus Curæus, tertius Thomas Erastus, qui in sua confessione scripserunt: *Sanguinem Christi pro peccatis nostris effusum, ante annos 1500. computruisse, nec amplius esse in rerum natura.* Quarto loco censetur Germanus Banœrus, qui in suo contra Selneccerum Lutheranum Examine ait: *Christi sanguis substantialis non præbetur in cœna, quãdoquidem in terra corruptus sit.* Quinto ordine succedunt Antilutherani VVittebergenses, qui in Exegesi subnectunt: *Sanguis ille iamdudum effluxit, & dissipatus est.* MIN. Isthæc senserint & scripserint illi: quid ad Ioan. Caluinum? DOCT. Multum per omnem modũ: quoniam metunt tantum isti, quod ille prius seminauit. Iecit iste fundamentum, illi impietates illas superædificauerũt. Iste etenim antea scripsit: *Docentes sanguinem Christi, cum carne coniunctum esse, cum ratione furunt:* illi ergo collegerunt. Sanguis ille effusus nec modo est cum carne eius in cœlis, ergo nec cum ea resurrexit, nec immortalis est: igitur in terra computruit, nec vsquam est: quapropter, nec aliquid efficacitatis nec virtutis habet amplius.

In cap. 26. Mat. v. 27

Confut.

1. MIN. Certe tam impia tamq; blasphema mihi videtur hæc sententia, vt hanc detexisse, confutasse & reprobasse mihi videatur. DOCT. Dicam ergo si placet, quæ ante paucos annos in eam disserui. Ac primo quidẽ B. Petrum hunc Christi sanguinem opponere corruptibilibus auro & argento, quibus homines captiui ab hominibus hostibus suis seipsos redimunt, dicens: *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis: sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati.* Ergo omni fide & constantia credidit, docuit, aliisque persuasit hic princeps Apostolorum, illum sanguinẽ corruptum, imo nec corruptibilem fuisse: sed viuum, immortalem, & viuificantem resurrectione iam effectum.

Com. in 1. Petr. c. 1. v. 18. & 19. 1. Epist. c. 1.

2. Hinc, Dauidem virum secundum cor Dei, de tota integraq; Christi humanitate, re-

A surrectione, & incorruptibilitate præcinuisse apertum est. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem;* ergo vt sancta eius caro non computruit in tumulo, sic neque sanguis eius super terram effusus. Hũc autem Psalm. versum & Petrus & Paulus præcipui Apostolorum in publicis tam ad Iudæos, quam ad Gentiles cõcionibus de certissima Christi resurrectione sunt interpretati: quibus patet tam Prophetas quam Apostolos docuisse nihil corruptibile in Christo à resurrectione credendum vel cogitandum esse.

Psal. 15. Act. 2. & 13

Confirmat rursum idem Psaltes à fructi- 3.
B bus consequentibus eandem perpetuamq; Christi immortalitatem dicens eius nomine Patri. *Quæ vtilitas in sanguine meo, si descendero in corruptionem?* Ergo cum multiplex ac infinita sit vtilitas huius sanguinis effusi omnis corruptionis expers fuit, est & in æternum erit.

Psal. 29.

Inde Paulus omnem mortis & corruptio- 4.
nis rationem à corporibus sanctorum post resurrectionem propulsans ait: *Oportet mortale hoc induere immortalitatem, & corruptibile hoc induere ἀφθαρσίαν incorruptibilitatem.* Multo igitur magis decuit ac oportuit Christi sanguinem, corpus, ac totum hominem resur-
C rectione fieri immortalem & incorruptibilem.

1. Cor. 15.

Idem iterum Apostolus confidenter ad- 5.
firmat Christum semper viuentem esse ad interpellandum pro nobis. Non viuit autem caro humana sine suo sanguine, qui dicitur sedes animæ. Ergo Christus quidquid sanguinis naturalis pro nobis effudit, idipsum resurgendo secum resumpsit in vitam cælestem & immortalem.

Heb. 7. Leuit. 17.

His adde, quod resurrectio Christi fuerit 6.
integra, perfecta, & omnibus numeris absoluta. Ad perfectam vero resurrectionem,
D necesse est, vt id reparetur quod morte cecidit, vt à Tertulliano, Ambrosio, Damascen. & aliis Theologis designatur, & ipsum nomen denotat. Cum ergo in terram effusus ceciderit de manibus, de pedibus, de latere, de toto corpore sanguinis Christi, oportuit eum reparari per incorruptibilitatem & immortalitatem.

Præterea, non fuit Christus inferioris vir- 7.
tutis ad corpus suum sanandum, & sanguinem è terra relegendum, quam miles ad vulnerandum & fundendum. At vero, totum debilitauit, fregit, ac effudit. Igitur per resurrectionem totum sanauit, reparauit, & resumpsit in vitam immortalem, nec mini-

nam guttulam siuit in terris absumi vel A corrumpi.

Adhæc, alij omnes siue à Prophetis, siue ab Apostolis, siue ab eodem Christo resuscitati, in hanc vitam cum integris corporibus, ossibus, membris, & sanguinibus suis reuocati sunt. Igitur multo meliori ratione decuit eũdem redemptorem nostrum cum suo cruore rediuiuum suis apparere, & in cœlos integrum ascendere.

9. Deinde, resurrectio Christi pignus & exẽplar fuit futurę resurrectionis omnium nostrum. Etenim sicut omnes in Adam moriũtur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, B quoniam quidem per hominẽ mors, & per hominem resurrectio mortuorũ. Et si credimus quod Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierũt adducet cum eo. Atqui resurgent Apostoli, Discipuli, Martyres, cum integris corporibus & sanguinibus, quos pro Christo fuderũt, vt in ijs præmientur & glorificẽtur, in quibus tanta passi sunt. Resurgemus & nos omnes cum iisdem numero capillis, ossibus, pellibus, neruis, carnibus & sanguinibus, cum quibus mortem subierimus. Igitur & Christus cum toto sanguine suo resurrexit, nihilque illius in terris disperijt.

1. Cor. 15. Matt. 10. Psal. 33. Iob. 19. Matt. 8.

10. Item, si totum naturalem sanguinem non C secum resumpsit in vitam immortalem & incorruptibilem; hoc factum est vel quod noluit, vel quod non decuit, vel quod non potuit. Horum nullum vnquam poterunt Caluiniani per expressas Scripturas peruincere: nos vero iam dominus & quod voluit, & quod decuit. Cum autem asseruit, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam*; item alios integros suscitauit, satis luculenter ostendit se potuisse totum effusum sanguinem resumere: & reuera resumpsisse vt totus ac integer resurgeret, ac D in cœlos totum hominem assumptum referret & saluaret.

Ioan. 5. 13. Matth. 28.

11. Vlterius, si pretiosus sanguis ille ante 1500. annos dissipatus & corruptus est, nihil certe distat à sanguine hircorum, vitulorũ, agnorum, & aliorum animalium, qui à patrib. sub lege naturæ, & Moysis iamdudũ effusus est. Nam ille computruit, nulliusque iam est ad salutem humanam efficientiæ. Atq; sic falsus nos falleret Apostolus dicens magna cõfidentia: *Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum S. semetipsum obtulit immaculatũ Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti?*

Heb. 9.

Addendum, si sanguis iste in terram dilapsus computruit, necesse est Christũ hominem in peccatis conceptum & natum fuisse: quandoquidem in vltionem peccati originis dictum est primo homini, & posteris ei⁹: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* At, istud vel tantum cogitasse, scelus est. Insuper negare eum conceptum esse de Spiritu S. & natum ex Maria virgine: plenum gratia & veritate: item, plusquam Iudaica improbitate, arguere eum de peccato. 12.

Gen. 3. Luc. 1. Ioan. 1. Ioan. 8.

Nec silentio prætermittendum Apostolos hunc sanguinem plurimis ac plane diuinis titulis honorantes satis patefecisse, illum haudquaquam fuisse corruptioni obnoxiũ. Testatur enim Matthæus hunc sanguinem esse N. Testamenti, effusum in remissionem peccatorum. Ioannes, illum vere esse potũ vitæ. Lauisse nos à peccatis nostris. Stolas sanctorum lotas & dealbatas in hoc sanguine agni. Electus diabolum & peccatũ vicisse in sanguine agni. Demum hũc eundem nos emundare ab omni peccato. Paulus asseuerat Christum nobis propositum propitiatorem per sanguinem suum. Hunc esse sanguinem Christi, & Domini nostri. Nos habere redemptionem per sanguinem Christi. Nos factos prope Deum in hoc sanguine. Illum per sanguinem crucis pacificasse omnia quę in cœlis sunt & in terris. Eundem per proprium sanguinem introiisse semel in sancta æterna redemptione inuenta. Hunc sanguinem melius clamare, quam sanguis Abel. Lucas adfirmat Christum acquisiuisse Ecclesiam sanguine suo. Petrus deniq; palam prædicat vniuersum hũc mundum redemptum esse pretioso sanguinę quasi agni immaculati Christi, & incontaminati, &c. Iam vero dicant omnes, si tanta elogia, tamque diuina encomia, de sanguine corrupto & putrefacto rectè iureq; possent palam enunciari & prædicari? An tantos, tamq; salutiferos fructus de re inutili, nihilque adfirmari? 13.

Matt. 26. Ioan. 6. Apoc. 1. 7. 12. 22. 1. Ioan. 1. Rom. 3. Cor. 10. 11. Ephes. 1. 2. Coloss. 1. Heb. 9. 12. Act 20. 1. Pet. 1.

MIN. Minime gentium. Quinimo si putredine corrupt⁹ iam fuisset beatissimus ille sanguis vt blasphemãt improbi, & nulli amplius esset vsui, inanis foret fides nostra, inanis prædicatio Apostolorum, inueniuntur falsi testes Dei: quoniam testimonium dixerũt, quod huius sanguinis virtute ac merito remittuntur peccata, saluaturq; totum genus hominum: quod nequaquam verũ est, si ante 1500. corruptione fluxit & cõputruit. Vana est spes nostra, adhuc sumus in peccatis nostris. Et qui in hac fide & spe dormierunt 14.

1. Cor. 15.

runt in Christo, perierunt, &c. Si quæ sunt ad manum veterum de hoc viuifico sanguine testimonia, eadem paucis expende.

15. *Epist. ad Trallens.* DOCT. Ignatius martyr sic de hoc loquitur. Imitatores estote passionum Christi, & dilectionis eius, qua dilexit nos, dans semetipsum pro nobis redemptionem, vt nos sanguine suo mundaret ab antiqua impietate & vitam nobis præstaret. Origenes velut iam suo tempore natam hanc hæresin refellens *Tract. 2. in Matt.* scribit: Homo quidem non potest dare aliquam commutationem pro anima sua: De⁹ autem pro animabus omnium dedit commutationem pretiosum sanguinem filij sui. Nec enim empti sumus corruptibili argento vel auro, sed pretioso sanguine agni immaculati.] Et vt paucis contrahā, Epiphani⁹ *L. 3. tom. 2.* ait, Christum sacrificiū pro nostris animis, in sanguine suo obtulisse, mūdatione nostra facta, & chirographo contra nos fisso, & in crucem affixo.] Ambrosius. In morte eius *L. 1. de Iac. c. 5. epist. 71* iustificati sumus, vt totus mundus eius mundaretur sanguine. Idem. Veniens Dominus Iesus peccatum omnibus, quod nemo poterat euitare, donauit: & chirographum nostrum sui sanguinis effusione deleuit.] Gregorius ob singularem eruditionem cognomento Theologus tā pie & religiose de hoc *Orat. 2. de Pascha.* sanguine sensit, vt scriberet: Nullum miraculum cum salutis meæ miraculo conferēdū est, in quo exiguæ cruoris guttæ orbem vniuersum instaurauerunt, &c. MIN. His abunde mihi satis factum est. Video enim ex his quinque sanctissimis Patribus, quæ fuerit reliquorum pietas & fides de viuifico semper & immortali Christi sanguine. Pergamus ad sequentia.

DOCT. Imo Deum, si vis, precemur: cras statim exorto crepusculo si adfueris, de his dicemus. MIN. Oremus ergo. DOCT.

Oratio. Domine Iesu Christe, totius huius mundi amplissime redemptor, & iudex, lumen animarum, iustitia volūtatum, summum afflictarum conscientiarum solatium & gaudium, Deus omnipotens, sanctissimeq; Sal- *Phil. 2.* uator, qui forma serui assumpta pro nobis innumeros labores, vigilias, ægritudines, famem & sitim, æstus & algores; insuper ingratissimorum hominum odia, minas, opprobria, flagella, sputa, illusiones, mortem denique omnium acerbissimam & ignominiosissimā incredibili charitate & obedientia pertulisti: vt totius huius mundi peccata deleres, humanumq; genus patri tuo omnipotenti clementer reconciliares: supplices rogamus & obsecram⁹ per sanctos labores & sudores tuos: perq; salutifera vulnera, è quib⁹ emanauit ille pretiosus sanguis quo abluti sumus, placare, miserere nostri, & nō auertas faciem tuam à nobis, qui pro nobis redimendis nō auertisti faciem tuam ab increpantibus & conspuentibus in te. Fatemur quia peccauimus, conscientia meretur damnationem, & pœnitentia non sufficit ad satisfactionē: sed merita incarnationis, conuersationis, & mortis tuæ superant omnem offensionē. Noli piissime & sanctissime Redemptor, noli sic obliuisci bona tua, vt solū intuearis delicta nostra. Noli scribere aduersum nos amaritudines, vt intres in iudiciū cum seruis tuis: noli secundum iniquitates nostras facere nobiscum; sed secundū multitudinem miserationum tuarum eas dele. Miserere, ne desperemus, sed bene de te sperando respiremus. Et si commisimus vnde *Aug. Med. c. 39.* damnare potes, tu non amisisti vnde saluare soles. Tu non vis mortem peccatorum, nec lætaris in perditione morientium: imo vt mortui viuere possent, tu mortu⁹ es: & mors tua mortem peccatorū occidit. Et quia ipsi te moriente vixerunt, obsecramus domine, vt te iam viuente, secūda morte non moriamur. Mitte manū tuam de alto, & libera nos de manibus inimicorum visibilium & inuisibilium, ne supergaudeant nobis dicentes, deuorabimus eos. Quis vnquam, bone Iesu, de tua misericordia diffidat, qui cū inimici tui essemus, redemisti nos in sanguine tuo? Ecce sub crucis, passionis, & mortis tuæ vmbra protecti ad thronum misericordiæ tuæ currentes & accedentes pulsamus, & clamamus donec miserearis nostri. Ergo miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione. Exurge in adiutorium nostrum, & dic animabus nostris. Salus vestra ego sum. Tu itaque Domine, qui iubes petere, fac accipiamus: qui cōsulis quærere, da vt inueniamus: qui doces pulsare, aperi pulsantibus regnum beatorum, in quo viuis & regnas Deus & homo benedictus in secula.

Amen.

LIBER SEXTVS, IN QVO EXAMINANTVR SIMVLQVE REFELLVNTVR, VIGINTI ERRORES CALVINIANORVM, TOTIDEM ARTICULIS DE MORTIS, RESURRECTIONIS, & ASCENSIONIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI FRUCTIBUS CONTRARII. AC PRIMO DE QUATUOR HÆRESIBUS CIRCA DESCENSUM ILLIUS AD INFEROS.

CAPVT PRIMVM.

MINISTER.

EN adsum vt iusseras, optime Doctor, & A promissa exigens obnixe precor, vt Caluinianorum aduersus Mortis, Resurrectionis, & Ascensionis Christi fructus maximasque vtilitates, impia dogmata persequaris. Id enim ad eius amplificandã gloriam, fidemque ac spem omnium piorum augendam & corroborandam plurimum refert.

DOCTOR. Quatuor simul pestiferas hęreses moliuntur cõtra hunc Apostolici Symboli articulum, *Descendit ad inferna*. MIN. Quid ais? Quatuorne aduersus duo verba? DOCT. Ita me saluet Christus, quatuor. Ac primo quidem loco, hunc fidei Christianæ B articulum multis artificiis conantur vel omnino tollere de medio; vel saltẽ suspectũ ac dubium, velut de nouo inuẽtum, & symbolo assutum, reddere. Nam Beza in magna Beza. fidei suæ Confessione tam Latina, quam Gallica, dum singula illius refert, & suo more interpretatur capita, *nullam huius facit mentionem*, ac si nullum de illo verbum extaret. MIN. O vere diabolicam fraudem. DOCT. Idem præterea in suo Græcolatino Nouo Testamento, vbi D. Petrus illud ex Dauide Psal. 15. citat, *Non derelinques animam meam in inferno*, Act. 2. 15. quo constantissime probat Christum vere C secundum animam descendisse ad inferorum loca, Beza vertit, *Non relinques cadauer meum in sepulchro*. Satanica plane malitia, beatissimam Christi animam, in putidum cadauer; & infernum, in tumulum, quo reconduntur humana corpora, transmutans, vt omnem veri descensus ad inferos tollat memoriam. Id quidem semel emendare Collegarum suorum consilio, simulauit; sed postea in suo Psalterio Londini edito 1580. ipse cum Mollero suo velut impurus canis rediit ad vomitum, vertendo, *Non derelinques animam meam in sepulchro*: ac si beatorum spiritus in sepulchris defossi laterent, aut nulla essent inferorum loca præter eadem corporum sepulchra. Rursum ad delendam omnem inferorum memoriam, Christique ad eos descensus, quoties inferni meminit, meminit autem viginti & octo locis, toties aut tumulum, aut sepulchrum vertit, ac si nulli alij essent inferi. Caluinus autem hunc articulum de nouitate suspectum redditurus, ac pondus eiusdem eleuaturus, ait: *Particulam illam quæ legitur in Symbolo, apparet non adeo fuisse olim in Ecclesiis vsitatam. Coniicere licet, post aliquantum temporis insertam, non protinus, sed sensim Ecclesiis insueuisse.* Instit. l. 2. c. 16. §. 8. Quando autem, vel quorum authoritate id factum sit, non indicat: nec enim potuisset, aut poterit vnquam alius Sectarius: quoniam non nisi Apostolos totum symbolum habuerit authores. Hos duces cæcos imitati, insuper audentiores effecti Angliæ ministri, statuerunt in synodo Londinensi *supradictum articulum è Symbolo penitus obliterandum esse*, vt publice testatur Richard. Chœnius, qui huic adfuit: iisdemque obiecerunt Campianus Christi martyr, ac Duręus ex societate IESV insignes Theologi, Buccerani, Ramistæ, Zvvingliani Ad Academ. descen-

dem.Oxon. Confutat. ref.Vvithakeri. *descensum Christi ad inferos* confundentes cum hoc alio articulo, *Passus est*, posteris audaciam suppeditant ad eum delendum, vt superfluam eiusdem rei repetitionem. MIN. Equidem certe quicunque sex allatas per te coniecturas accurate perpenderit, non dubitauit Caluinianos huius fidei Christianæ articuli lituram meditari.

In Catech. Sed quid ad Erasmum dices opinantem hunc articulum Symbolo adiectum à Diuo Thoma Aquinate? DOCT. Eum non solum turpiter, sed & flagitiose aberrasse: quandoquidem ignorare non potuit Veteres omnes illius meminisse.

Expo. Sym. MIN. At Ruffinus scribit, eundem articulum suo tempore neq; in Symbolo Græco, neque in Latino fuisse. DOCT. Fallitur apertissime, quemadmodum plusquam viginti Ruffino antiquorum Patrum manifestis euici testimoniis, tum Annotationibus in Irenæum, tum libro secundo Appendicis, contra nonam hæresin.

MIN. Satis de prima hæresi, seu potius diabolico sacrilegio: secundam nunc propone. DOCT. Ea est Buceri, Caluini, Gualtheri, Vireti, & aliorum eiusdem farinæ virorum, qui aniles putant esse fabulas, quicquid de tertio inferorum loco, (Limbum Patrum, aut Abrahæ sinum communiter vocamus) in quem veterum Sanctorum animæ Christi aduentum expectaturæ descenderent, hactenus docuerunt Theologi. Nam Caluinus hanc piam & Catholicam sententiam superbissime contemnens scribit: *Nescio qui factum sit, vt posteritas locum putaret esse subterraneum, cui affinxit nomen Limbi. Sed hæc fabula est tametsi magnos authores habet, & hodie quoque à multis serio pro veritate defenditur, nihil tamen quam fabula est.* Instit.li.2. c.16.§.9.

MIN. Quam tertiam putas eorum hæresin? DOCT. Illam qua impudentissime pernegant Christi animam illico vt à corpore recessit, terram penetrasse, & in supra nominatum locum reipsa vereque descendisse: sed descensus huius loco, superius commemoratas de salute dubitationes, damnatorum pœnas, flammas inferorum, & horrendas desperationes sine vllo Dei verbo, imo aduersus expressissima Dei verba flagitiosissime comminiscuntur, vt superiori dialogo abunde probauimus.

MINIS. Cedo iam hæresin eorum quartam quæ aduersus illum fidei Christianæ articulum pugnet. DOCT. Negant Christum ab inferorum locis redeuntem, inde secum animas veterum Patrum eduxisse, easdemque cælo in die ascensionis suæ donasse. Nam illas vel alicubi adhuc quasi sopitas dormitantesq; vltimum Christi aduentum expectare; vel longe antea in cælis beatas regnasse contendunt, vt alio in loco fusius disputabimus.

Atque hæ sunt quatuor hæreses nunc examinandæ ac eluendæ: si prius tuam de his sententiam indicaueris.

MIN. Toto corde credo, oreq; confiteor, hæc quæ in Symbolo Apostolorum continentur, idque iuxta ordinem, germanumq; sensum verborum, quibus de Christo dicitur: *Passus, mortuus, sepultus, descendit ad inferna:* quodque iisdem ferme apicibus recitatur & confirmatur in Symbolo Magni Athanasij, *Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.* At vero non descendit ad inferos secundum corpus, sed illud in sepulchro nouo exciso in petra conditum fuit: ergo ad animam solam pertinet hic descensus. Nec anima eius quandiu corpus proprium informauit & vegetauit descendit ad inferos: cum mors præcedat, & descensus iste sequatur: igitur iuxta ordinem à Spiritu sancto per Apostolos in symbolo cõstitutum vere ac reipsa illuc descendit posteaquam moriens exclamauit, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Non autem descendit ad inferos reproborum ac in perpetuum damnatorum, quoniam ex eo nulla est redemptio: igitur ad eum locum descendit, qui vel Sinus Abrahæ, vel communiter Limbus Patrum appellatur. Nec ambigo verba ista, *Descendit ad inferos* tam in propria significatione sua capienda esse, quam ista eisdem coniuncta, *passus, mortuus, sepultus, resurrexit tertia die.* Non autem descendit ad eos Patrum spiritus frustra: igitur vt eos illuminaret, solueret, & beatos secum in cælos abduceret. Cum itaque verus ac germanus sit iste Apostolicorum verborum sensus, eos omnes Apostolicæ fidei ac doctrinæ hostes esse constanter adfirmo, qui glossematibus impiis aut illa peruertere, aut etiam penitus abnegare & delere conantur. Confut. 1. Sym. Nice. & Atha.

2. Accedit, quod etiam hunc fidei articulum ita interpretandum, credendum, ac profitendum esse contestantur non inferioris notæ in Germania ministri Lutherani Illiricus, Iudex, Vvigandus, Faber, quatuor primarum Centuriarum coaceruatores: hinc Vrbanus Rhegius & Lucas Lossius in Catechismis, Erasmus Sarcerus in locis commu-

 nibus,

nibus, & de Sacramentariorum furfure Pellicanus, Bullingerus, in c. 2. Act. ac Oecolampadius. Ex quibus liquet Caluinianos à symmistis & in oppugnanda Romana fide commilitonibus pro sacrilegis iure haberi, cum negant aut obliterant; pro infidelib. cum nō credunt; & pro peruersissimis hæreticis reputari, cum nolunt nobiscum sibi persuadere, Christi animā vere descendisse ad quædā inferorum loca, vt veterum seruorum suorum animas illinc educeret, secumq; in cælis bearet. DOC. Recte hæc quidem: sed si quid in Caluinianis scriptis occurrit, quod his hæresibus suis aduersetur, vt hactenus præclare fecisti, illud ipsum proferas velim.

3. *In cap. 14. Ioan. v. 2.* MIN. Iam non recordor omnes sententias, quibus se suosque condemnat, sed tantum huiusce: *Exoritur quæstio, Qualis fuerit Patrum conditio post mortem, antequam Christus in cælum ascenderet. Vulgo enim colligunt, fideles animas in Limbo fuisse inclusas, quia dicat Christus suo in cælum ascensu paratum iri locum. Sed responsio facilis est, quod locus hic parari dicatur in diem resurrectionis, &c. Ante reconciliationem peractam fideles animæ, velut in specula, erant intentæ ad redemptionem promissam, & nunc beata quiete fruuntur vsque dum compleatur redemptio.* Hinc enim primum agnoscit Limbi sententiam, vulgo, id est communi omnium Christianorum consensu receptam & probatam fuisse: quam & alibi fatetur magnos habere authores, hodieque etiam à multis pro veritate serio defendi: vnde consequitur contrariam sententiam à magnis authoribus, id est, veteribus Theologis, cunctisque piis viris damnari & reprobari. Deinde, nemini ante diem resurrectionis locum in cælo patere: quæ alia hominis hæresis est. Postremo, animas Patrum ante Christi aduentum, quadam quidem fœlici quiete donatas; sed velut in quadam specula, intētas adhuc ad venturam per illū redemptionem. At vero hæc specula, nō erat cælum: hæc expectatio venturæ redemptionis non consistebat in cœtibus angelicis: igitur in subterraneis quibusdam inferorum locis, ex quibus tandem aliquando per Christum sunt liberatæ.

4. *In 1. epist. Pet. cap. 3.* Idem rursum, Commentariis in primam Diui Petri Epistolam, fatetur, *Animas fidelium corporibus egressas in carcere detentas fuisse, vbi erant constrictæ ardenti studio aduentus Christi, quod libertatis spiritu nondum plane essent donatæ.* DOCT. O magnam veritatis vim, quæ etiam ex inuitis hostium faucibus erumpit! Animæ Patrum ante peractam à Christo redemptionem (de his enim nunc sermō est) detinebantur in carcere: ergo non conscendebant in cœlos. Constringebantur ingenti studio ac desiderio aduentus Christi: itaque nondum clara Dei visione & fruitione beatæ erant. Spiritum libertatis necdum erant adeptæ: igitur in receptaculis adhuc inferioribus vinctæ atque constrictæ, suum vindicem & assertorem Christum venturum adhuc præstolabantur. Non sunt autem tot pij viri qui in Saluatorem crediderant & sperauerant, fraudati à desiderio suo, cum ad eos perrexit.

MINIS. Pertractans etiam locum; quo monumenta moriente Christo aperta, & multos ex mortuis surrexisse refertur, ait: 5. *Hoc speciale portentum fuit, quo testatus est Deus Filium suum mortis carcerem ingredi, non vt illic clausus maneret; sed vt omnes educeret qui captiui tenebantur. Nam quo tempore in Christi persona spectata fuit contemptibilis carnis infirmitas, magnifica & diuina virtus eius ad inferos vsque penetrauit.* *In cap. 27. Mat. v. 52.* DOC. Atqui carcer ille, quem ingressus est ad captiuos educendos, non fuit cælestis gloria. Quis enim beatas illas sedes sanctorum carcerem aut captiuitatem esse censeret? Igitur locus subterraneus, qui à Catholicis Limbus seu vestibulum inferni propter viciniam recte nominatur, ante Christi mortem erat: quem anima sua penetrans, inde vinctos seruos suos plane magnifica diuinaque virtute liberauit.

MIN. Scribit etiam alibi, *Manifestationem gratiæ Christi ad animas fidelium peruenisse, efficaciamq; viuificantis spiritus super eas effusam, virtutemq; liberatoris & Redemptoris vsque ad mortuos extensam fuisse.* 6. *In cap. 4. prim. epist. Petri.* DOC. Id autem non potest de reprobatis & damnatis animis intelligi, quoniam non fuerunt in vitam aut gratiam reparati. Sed neque de his qui gloria æterna (si qui tamen tum fuerint) potiebantur: igitur virtus illa Christi vsque ad animas defunctorum effusa, gratia Redemptoris ad eas perueniens, & viuificans spiritus vsque ad mortuos extensus, ad animos bonorum & piorum Patrum pertinet: quos Christi Spiritus de corpore egressus in infernis visitans & illuminans inde in cælos secum abduxit. Atque sic manent Caluinicæ hæreses, ab ipsomet Caluino conuulsæ, & Catholica de Christi ad inferos descensu, Patrumque veterum è Limbo assertione, etiam ab hoste comprobata sententia.

7. Nunc certiores ex Prophetis, Apostolis, Sanctisque Patribus Catholicarum sententiarum

tiarum assertiones, ac hæreseon confutationes adferam. Atque in primis hic Dauidis versus, *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem:* (Psalm. 15. Act. 2. 13.) Beatis Apostolis Petro & Paulo tam expresse & apposite Christi descensum ad inferos, atque gloriosum eiusdem inde ascensum significare visus est, vt ex eo aduersus Iudaicam infidelitatem pro fide Christiana semel & iterum pugnare nequaquam dubitauerint. MIN. Profligata certe impudentia, est, animam immortalem hoc loco in corpus demortuum, aut, vt impurus Beza loquitur, *in cadauer*, commutare: cum Beatus Lucas longe aliter sentiat, doceatq; corporibus sepulturam antea satis expressam his verbis, *Caro mea requiescet in spe* & postea repetitam istis, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Infernum autem in quem descendit ea anima mea, in sepulcrum quo defunctorum corpora conduntur, transmutare, quanta dementia? Itaque ex Dauide & Apostolis recte colligis, & Christi animam ad inferiora terræ loca descendisse; & inde postea remeasse, vt corpus resumeret atque glorificaret, ne quam incurreret corruptionem. Mirarer autem vehementer si priscos Theologos non haberes eiusdem sensus interpretes.

8. DOCT. Ante multa secula Cyprianus Martyr, Hier. & Aug. Ecclesiæ Latinæ præclara lumina; ex Græcis quoque Patribus Euthymius, Theodoretus, Cyrillus Alex. Basilius, Athan. Magnus, vnanimi consensu hunc scripturæ locum de Christi sepultura secundum corpus, de eiusdemque descensu ad inferos, atq; demum reditu, Patrumque inde liberatione constanter sunt interpretati. Loca & verba illorum signaui in Appendice: vnius itaq; tantum Cyrilli Ierosolymitani ante mille & trecentos annos Patriarchæ sententiam vice omnium subiiciam. (Cyrill. Ierosol. Catech. 4.) Descendit Christus ad inferos, inquit, vt & illinc iustos liberaret. Cur enim vellet, viuentes quidem frui gratia, qui vero cum Adam à longo tempore conclusi erant, deinceps nō potiri libertate? Isaias tanta de illo prophetauit, & non vis vt Rex descendens liberet suum præconem? Dauid illic erat, & Samuel, & omnes Prophetæ, ac ipse Ioannes, qui ad eum per suos nuntios dicebat, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* (Matth. 11.) Non vis vt descendens liberet tales? Qui descenderat ad inferos, rursus ascendit: & qui sepultus erat, vere resurrexit. (Cathe. 14. Ps. 15.) Manifestissime etenim dicit, *Quia non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Nō dixit, videre mortem, alioquin non esset mortuus: sed corruptionem inquit, non videbo, in morteque non permanebo. Hæc ille.

MIN. Vis etiam ipsius Lutheri interpretationem his subiiciam? DOC. Quid ni, modo verum dicat? MIN. Ait in hunc Psalmi locum. 9. *Sensus apertissimus est, per Apostolos tanta copia & diligentia explicatus. Verum, & hic cœperunt homines de ingeniis nihil non præsumentes, disputare, An Christus secundum animam seu substantiam fuerit in inferno: & quid sit, eum fuisse in inferno. Magna pars ausa est Spiritui contradicere, animam Christi non fuisse in inferno, nisi per effectum. Optimi scilicet glossatores verbi Dei, Non derelinques animam meam, id est, effectum animæ meæ in inferno. Descendit ad inferos, id est, effectum fecit apud inferos. Verum, contemptis his friuolis & impiis magis, verba Prophetæ: simpliciter dicta, simpliciter intelligamus: & si intelligere non possumus, fideliter credamus. Maior est huius scripturæ authoritas, quam totius humani ingenij capacitas, ait August. Vere enim anima Christi secundum substantiam descendit ad inferos.* (Tom. 3. operatione in Psalm. 15.) Hactenus ille verum & realem Christi secundum animam ad inferos descensum ex præsenti Psalmorum testimonio, aduersus Bezæ, aliorumque satanicas interpretationes comprobans. Sed ad Prophetarum locos redeas.

10. DOC. Christus per Oseam defunctis seruis suis omnem ex inferis liberationem, & morti acerba quæque comminatur his verbis: *De manu mortis liberabo eos: de morte redimā eos. Ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero inferne.* (Osea 13.) MIN. At non sic legitur in Bibliis Geneuæ excusis. DOCT. Caluiniani plus æquo Iudaizantes, à Rabbinis inuectas scripturarum deprauationes nimium sunt amplexi. Nobis autem satis esse debet, Septuaginta interpretes in natiua lingua sua Hebraica nouis his sectatoribus longe peritiores, & post hos, Rabbi Iehosua Ben-Leui, Rabbi Mose Hardasan doctissimos & antiquissimos synagogæ doctores, ita hunc Prophetæ locum extulisse ac intellexisse. MINIS. Equidem quicunque recusauerit Prophetæ per tantos viros explicato assentiri: nec Iesus Christo, opinor, fidem habuisset, sed cum perfidis recutitis aduersus eum subclamasset, *Tolle, tolle, crucifige eum*. DOCT. His connecto veterem aliū Rabbinum, quem ob insignem reuerentiam vocauerunt, *Rabbenum Hoccadosch*, id est, Sanctum magistrum nostrum. Is enim libro, quem nominauit, *Reuelatorem secretorum*, (Ioan. 19.)

Messiam

Mesſiam ita loquentem introducit: Decre- A uidescendere ad inferos ad redimendas animas iuſtorum, quas Pater meus illuc detrudit. Poſtmodum adfert alterius quoque Rabbini longe ſe antiquioris, nimirum R. Schimeonis filij Iochai, huiuſmodi quoque loci Oſeæ paraphraſin. Iudæi poſteriores ſuum Meſsiam occident. Tunc anima eius deſcendet ad inferos, apud quos triduo morabitur, vt inde omnes animas Patrum & iuſtorum educat: & in Paradiſum cæleſtem. que gloriam ſecum deducat, vt ſcribitur in Oſea, *Viſitabit nos infra biduum, tertia die ſuſci-*

Oſea 6. *tabit, & tunc viuemus ante faciem eius.* En verba B ſanctorum Prophetarum, cum veterum Synagogæ Doctorum germanis interpretationibus. Stabunt igitur Iudæi in iudicio contra Caluinianorum generationem prauam, &c.

11. Ecce rurſum & alterius Prophetæ de Lim-

Zach. 9. bo Patrum, Chriſti ad illum profectione, & ſanctorum liberatione apertum teſtimonium. *Tu autem* (ait Zacharias) *in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos tuos de lacu, in quo nõ erat aqua.* Hunc enim locum ad Chriſtum pertinere nemo Chriſtianus ambigere poteſt, cum præcedentem ſententiam, *Dicite filia Sion, Ecce rex tuus venit tibi, &c.* C Euangeliſtæ magno conſenſu ad eum referant. De ſola vero liberatione è captiuitate Babylonica intelligendum cenſere, Iudaica plane cæcitas eſt. Docet ergo Propheta Meſsiam mori oportere, ac ſanguinem ſuum effundere, quo captiuos ſeruos ſuos educat de lacu, id eſt, infernorum loco, in quo non erat aqua ſaliens

Ioan. 7. in vitam æternam. Atq; hunc eſſe prophetiæ ſenſum tradiderunt ante multa ſæcula Remigius, Theodoretus, & Hieronymus: quibus actuarij loco ad conuincendos Sacramentarios addo & Sacramentarium Oecolampadium. MIN. Tuto etiam adiice Luthe- D rum, ſcribentem in hunc Prophetæ locum:

Tom. 5. cõ. in cap. 9. Zach. *Quod quidam ſententiam olim ſic intellexerunt, Hunc lacum eſſe veſtibulum inferni, in quo fuerint Patriarchæ ad quos Chriſtus venerit cum deſcenderet ad infernum, & eos eduxerit, permitto eorum ſimplici deuotioni & arbitrio. Sanguinem Meſſiæ opponit ſanguini veteris teſtamenti, quaſi diceret; Moſes eduxit populum ſuum ex Aegypto in ſanguine ſui teſtamenti: ſed tu Rex, aliud nouum teſtamentum conſtitues in ſanguine tuo, quo tuos captiuos educes ex alia Aegypto, videlicet ex lacu, in quo non eſt aqua.* Hæc ille: ex quibus patet hæreſes Hugnoſticas omni ex parte damnatas manere.

DOCT. A Prophetis ad Apoſtolos acce- 12.
do. Verum ac realem animæ Chriſti ad infe- Epheſ. 4.
rorum loca deſcenſum Paul. hac breui, ſed conſtanti interrogatione confirmat: *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit in inferiores partes terræ?* Nam Primaſius, Auguſtinus, Hieronymus, & Ambroſius Patres Latini; Oecumenius, Euthymius, Theophylactus, Theodoretus, & Chryſoſt. Græci, recte ex hoc loco colligunt, Chriſtum iuxta corpus poſt mortem in ſepulchro inter mortuos iacuiſſe: iuxta animam vero ad inferorum loca circa terræ centrum collocata deſcendiſſe, vt illinc Veterum ſeruorum animas retrahens, cum gloria & triumpho reſurgeret. MIN. Caluinus profecto nugiuendulus imo & impius eſt blatero, dum fabulas aniles reputat quicquid de Limbo Patrum hactenus traditum fuit: quandoquidem Apoſt. tam aperte de illo ſcribat & loquatur. Inſuper, nequiſsimum ſe Scripturarum diuinarum corruptorem manifeſtat, quando comparatiuum *inferiores partes terræ*, per ſuũ poſitiuum gallicum transfert, *es baſſes parties de la terre:* vt ſic Apoſtolici argumenti virtutem pro viribus ſuis eludat & deprimat.

DOC. Paulo coapoſtolum Petrum anne- 13.
cto: Hic duobus locis Chriſti ad inferos profectionem, Patrumq; inde liberationem tã perſpicue ac dilucide prædicat, vt vix clarius fieri poſſet. Ait enim: *Chriſtus ſemel pro peccatis* 1. Pet. 3.
noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo mortificatos carne, viuificatos autem Spiritu. In quo & his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicauit. Idem paulo poſt confirmans & 1. Pet. 4.
explicans ſubiicit: *Propter hoc enim & mortuis Euangelizatum eſt, vt iudicentur quidem ſecundum homines in carne, viuant autem ſecundum Deum in ſpiritu.* Hæc Apoſtolorum princeps, ſummuſq; ſecundum Chriſtum Chriſtianorum omnium pater atque Pontifex: ex quibus tria præſertim quæ ad præſentem quæſtionem maxime pertinent, ſunt diligenter obſeruanda: Primum eſt, quod ſub mortis Dominicæ temporibus, quidam hominum ſpiritus detinebantur in carcere. Quoſnam fuiſſe putas? MIN. Caluinus fatetur *animas fuiſſe fideles è corporibus ſuis egreſſas.* Et Geneuenſes Miniſtri in bibliorum Gallicorum annotationibus, volunt *eas in infernorum pœnis fuiſſe detentas.* DOC. Bene res habet. Spiritus illi è corporibus egreſsi alij non erant quam veterum Patrum qui ante Chriſti mortem ex hac vita migrarant. Hi porro nec beati erant cæleſtis gloriæ fruitione, cum eſſent in carcere

cere

cere & quibusdam pœnis inferorum: sed neque in æternum reprobati, cum postea seruati fuerint: superest ergo vt in tertio quodam ac medio loco Christi aduentum expectarent. Hic autem ille est, quem nos Catholici & sinum Abrahæ, & Limbum Patrum, & tertium animarum receptaculum appellamus. MIN. Non video quomodo his possit contradici. A

DOCT. Secundum in Apostolicis verbis notandum est, Christi spiritum à corpore suo morte digressum, spiritus illos visitasse, completamq; totius mundi salutem eisdem nunciasse atque prædicasse. MIN. Id Caluinus præfracte negat. DOCT. Id vero B. Petrus Apostolus constantissime prædicat & adfirmat. Cuinam magis credendum? Apostolica verba sunt, *In quo (spiritu*, de quo dixerat, *In manus tuas commendo spiritum meum) veniens prædicauit spiritibus qui in carcere erant.* Et paulo post: *Mortuis euangelizatum est.* MINIS. Certe Geneuenses Ministri Annot. fatentur. *Pœnitentiam & remissionem peccatorum his fuisse significatam, qui longe ante è vita migrauerant.* DOCT. Quo præcone significatam & prædicatam, quam Christi spiritu, de quo Petrus ait, *in quo veniens prædicauit*? MINIS. Alius certe nec posset excogitari, aut excogitatus probari. DOCT. His adde, quod veteres omnes tam Græci quam Latini Patres, ac inter hos, August. Hier. Ambr. Hilar. Cyrillus, Athan. Clemens Alex. Origen. Irenæus, Spiritu sancto doctore & illustratore, ita hunc Apostoli locum intelligendum esse docuerunt, &c. B C

Patrum locos & sententias signauimus lib. 3. Append. contr. hæres 9.

MINIST. Quid tertio ac postremo loco in verbis Apostolicis notandum censes? DOCT. Spiritus illorum defunctorum in carcere detentos, per aduenientem ad eos Christi spiritum liberatos & solutos fuisse. Ait enim Petrus, *Vt viuant secundum Deum in spiritu.* MINIS. Geneuenses in suis Annot. idipsum admittunt dicentes, *quod licet secundum corpus, perditi & morti traditi fuerint: attamen non desinunt viuere secundum Deum, eo quod eos Christus suo spiritu viuificauit.* DOC. Patet igitur ex apertissimis scripturis, Patrum, Hebræorum, imo & hæreticorum interpretationibus, tertium quendam olim fuisse locum, quo animæ Patrum ante Christi mortem colligebantur: deinde, Christum à morte sua secundum animam ac spiritum suum vere ad eas profectum esset: præterea, redeuntem ab inferis easdem secum extraxisse: atque sic Descensus eiusdem Christi ad inferos articulum ab Apostolis symbolo insertum, totoq; orbe susceptum & decantatum, summa religione & pietate retinendum atq; prædicandum: quicquid Satanas mendaciorum fœcundissimus parens per Ministros suos contra obganniat & blasphemet. MIN. Mihi plane factum satis confiteor: quare alium discutiamus articulum. D

Vid. Tertull. lib. de Anima c[illegible] & Ire[illegible] cap 31.

CHRISTVM CLAVSO TVMVLO vere resurrexisse: aduersus quintum errorem.

CAPVT II.

DOCTOR.

ABerrant etiam vestri, negando Dominum nostrum Iesum Christum resurgendo lapidem sepulchro impositum corpore suo glorioso, vique diuina penetrasse: sed illi volunt opus fuisse, vt aliquis lapidem reuolueret, viamq; patefaceret. Petrus Vermilius libro de Eucharistia, Rodolph⁹ Gualtherus Homilia 113. in Marcum, Hugo Surreus & Ioannes à spina Disputatione Lutetiæ habita 1568. huius erroris authores sunt & patroni: Propugnatores vero omnes Ministri Sacramentarij: ne cogantur confiteri vnum & idem corpus posse simul esse in multis locis, si duo simul eundem tenuisse locum admittere sint compulsi.

MIN. Noui Caluinianos & Zuinglianos omnes, quantumcunq; dissimulent, in hoc errore volutari. Verum, cum infinitæ Dei omnipotentiæ hac in re sint contumeliosi: deinde, ab vniuersis coarguantur scripturis & miraculis, quæ pro asserenda eadem diuina virtute & omnipotentia superius ad euertendas alias eorum hæreses copiosissime allata fuerunt: satis quoque conuulsa & labefactata ista iam mihi esse videtur. Si enim vere omnipotens est Deus faciens quæcunque vult in cœlo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis, nihilque eidem obesse aut resistere possit: certe IESVS Christus illi per omnia æqualis & consubstantialis potuit gloriosissimum corpus suum per sepulchrum clausum traducere, & sepulcralem lapidem, penetrare. Et quicunque negarit id eum potuisse, aduersus diuinam omnipotentiam blasphemus erit: Deique Filium præcipua virtute atque gloria sua spolians, Deum verum esse negabit. Quare solus hic Christianę fidei articulus, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, satis mihi est ad superiorem hæresin

Confut. 1.

Psal. 134.

conuincendam & refellendam: atque fidem A meam de gloriosissima Christi ex sepulchro clauso resurrectione confirmandam.

Accedit, quod etiam à superioris Germaniæ ministris hac in re Caluiniani damnentur, catholicũ vero dogma de egressu Christi per sepulchrum clausum confirmetur, dicẽte in publico Mulbrunnensi Colloquio, Iacobo Andrea: *Christus corpus suum, corpus gloriosum esse ostendit, cum ad Discipulos suos per ianuas clausas est ingressus, & per clausum sepulchrũ egressus est.* Et postea: *Sancti Patres crediderunt & scripserunt, cum per clausam ianuam, & lapidem sepulchralem transisse, æque ac salua Matris virginitate natus est. Hæc tria illi in insignibus & humanæ rationi imperuestigabilibus miraculis numerauerunt.* Augustinus, Serm. 138. & 139. & Epist. 3. Chrysostomus in illum Ioan. locum. Hieronymus ait: Angelum non putemus idcirco venisse, vt aperiret sepulchrum Domino resurgenti: sed postquam Dominus resurrexit, indicasse quod factum est. Hic quiesco.

Action. 6. p. 95. 112. 113. 114.

3. DOCT. Recte id quidem: veruntamen gloriosior erit aduersus istos potentiæ diuinæ ac miraculosæ resurrectionis Dominicæ hostes victoria, si propriis ipsorum armis eos prostraueris. MIN. Caluinus certe contendit, *eos nimium restricte & maligne sentire de ope-* C *ribus Dei, qui non plus facturum credunt, quam secundum naturam credibile est: quasi eius manus vel sensui nostro subiecta, vel terrenis mediis inclusa esset.* Alibique idem palam contestatur, *Nullum obstaculum par esse diuinæ virtuti: ac proinde nullam contra eius verbum impossibilitatem obiici debere.* DOCT. Eo igitur iudice, & Vermilius & Gualtherus, & Ecebolius Sureus, & omnis Prædicantum Caluinianorum turba, maligne & de operibus Christi & de natura Dei sentit, cum negant eum potuisse clauso prodire sepulchro: atque sensibus suis infinitam Dei potentiam subiiciunt, mediisque terrenis turpiter & flagitiose includunt; di- D centes, opus fuisse vt quis sepulchri apertione viam ei patefaceret.

In cap. 1. Luc. v. 18. & 37.

4. MIN. Idem iterum scribit, *Impiis omnibus nimis esse consuetum, potentiam Dei metiri præsenti aspectu, vt quicquid non facit, existiment non posse, adeoque debilitatis ipsum insimulent, quoties peruersæ eorum cupiditati non obtemperat.* DOC. Quoniam vero superius nominati authores animaduertebant, Lazaro fuisse apertum sepulchrum vt exiret, & in Dominica resurrectione multorum tumulos apertos esse vt rediuiui prodirent; potentiam Dei præsenti aspectu metientes, existimauerunt & Filio Dei prius aperiendum fuisse sepulchrum, vt resurgeret: ideoque per summam impietatem Deum sic debilem ac impotentem fingunt, vt nulla vi sua cælesti id aliter facere potuerit. Sed ad præsentis hæreseos refutationem propius accedas.

In cap. 27. Matth. v. 24

MINIS. Idem insuper diserte tradit, *Angelum non aperuisse tumulum, vt Christus exiret, cum ea virtute & potentia qua resurrexit, eadem exire potuerit, eodem tumulo clauso firmoque manente. Sed reuoluit lapidem, vt mulieribus pariter & Apostolis ostenderet corpus non esse amplius in eo, sed vere resurrexisse, & ante lapidis reuolutionem inde exiuisse.* DOCT. Perpende maxi- B mam veritatis virtutem, quam tantus hostis agnoscere & prædicare compellitur. Si corpus dominicum ante omnem tumuli apertionem exiuit: lapidem profecto penetrauit, sicque duo corpora eundem simul locum tenebant: quod alibi tam peruicaciter (vel Deo ipso authore) fieri posse Caluiniani pernegant. Rursum, si eodem miraculo ac portento exiuit è sepulchro, quo seipsum à morte excitauit: nihil opus fuit, vt quis ei viam patefaceret. Quod si neque Angelus exitum illi parauit, certe ante aduentum illius iam viuens gloriosusque exierat sepulcro clauso remanente: quod hæresin eorum penitus labefactat, & catholicam sententiam omnino probat. 5.

In cap. 28. Matth.

MIN. Præceptori Discipulum subiicio, Bezam nimirum scribentem in Dialogo, cui nomen est κρεωφαγία, siue Cyclops. Ibi enim ad istud Heshusij antecedens, Christi corpus egressum est è sepulchro clauso, respondet. *Ita esto.* Deinde respondendo ad Cancellarij Tubingensis theses, idem rursum confitetur, dicens, *An clauso lapide sepulchro resurrexerit Dominus, quoties à nostris dictum est? Sit ita.* 6.

Quod si Caluiniani vlterius pergant esse impudentes, & id Christum Deum non potuisse facere clamitent, quod legibus naturæ repugnet; Salustij proprij eorum poetæ versibus vt firmissimis vinculis illos coercebo. Canit enim de diuina, absoluta, cunctaque exsuperante potentia: 7.

Gaudet nonnunquã summi Moderator Olympi,
Vt sursum in terris naturæ rumpere leges.

Hebdom. die 2.

Eos igitur sic teneo suis laqueis inuolutos, propriisque testimoniis euictos; vt iam sine turpissima palinodia vel contradictione diffiteri nequeant, Christum potuisse, voluisse, & reipsa fecisse, vt gloriosissimum corpus suum

suum clausi sepulchri obicem penetrarit ac A exiuerit. Atque hæc de eorum codicibus aduersus illos.

8. DOC. Ego vero quatuor simul Euangelistarũ iudiciis eosdem nefariæ hæreseos conuictos & damnatos habeo. Illi enim satis aperte demonstrant, Christum secundũ corpus resurrexisse, & è sepulchro exiuisse antequam Angelus adueniens terram motu concuteret, aut sepulchrum reseraret. Ait namq; Matth. 28. Matthæus, *Ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & dixit mulieribus, Nolite timere. Scio enim quod Iesum qui crucifixus est quæritis. Non est hic, surrexit, sicut locutus est. Venite, & vi-* B *dete locum vbi posuerunt eum.* Marc. 16. Luc. 24. Ioan. 20. Marcus & Lucas aiunt, eas summo mane ad monumentum venisse, & illud iam vacuum inuenisse. Ioannes vero adfirmat easdem perrexisse ad monumentum, *cum adhuc tenebræ essent.* Atqui certissimum est in Angeli aduentu & terræ motum contigisse, & monumenti apertionem factam esse sub aduentu mulierum, vt ipsæ conspicerent antea Dominum à mortuis reuocatum, antequam sepulchrum recluderetur: igitur perspicuum est ac indubitatum, eundem sepulchro clauso resuscitatum exiisse. Etenim magnꝰ Athanasius libro de Virginitate, siue de Meditatione, docet, C Dominum media nocte surrexisse à mortuis: atque ideo factum esse vt pij viri eadem hora excitati, hymnis Dominum Deum religiosissime colant atque celebrent. MIN. Nullũ existimo his contradicere posse, quin simul sanctissimis Euangeliis sese opponat.

9. Et cum id tam constanter ac euidenter iã probatum sit: superest tantum, vt veterum Theologorum sententiis ac consensionibus illud ipsum corrobores, quo omnes videant veterum fidem à verbo Dei non recessisse. DOCT. Bernardus, Hildephonsus, Augustinus, Authorque Responsionum ad orthodoxos apud Iustinum martyrem, tria inter D se conferunt miracula, quorum vnum per alterum, tertiumq; comprobari omni constantia credunt & affirmant. Primum miraculum est, mirandus Christi puerilis exitus ex vtero prorsus integræ atque inuiolatæ Virginis Mariæ: adeo vt æque post partum, & in partu Haalma, id est; virgo clausa manserit corpore, atq; ante conceptum & partũ. Secundũ eiusdem exitus ex sepulchro nondum reserato, sed lapide & sigillis Iudæorum communito & signato. Postremum, ingressus ad Discipulos suos ianuis clausis. Hæc enim diuina virtute ita contigisse non solum isti, sed & tota antiquitas credidit & docuit: nec fuit vnquam, nisi sub his nouissimis temporibus, qui ausus sit contradicere.

MINIS. Alios tantum memora, qui diserte asseruerint Christum clauso sepulcro à mortuis surrexisse, & per consequens sepulchri molem sua virtute penetrasse; vt commodiore otio donatus in horum lectione animum meum solari, & fidem nutrire possim. DOC. Euthymius, Oecumenius, Theophylactus, & Chrysostomus, comment. in cap. 28. Matthæi, & 20. Ioannis: Nicephorus Calixtus historiæ libro primo, cap. trigesimo secundo: Anastasius Antiochenus libro quinto: Eusebius Emissenus homilia prima, & nona in Symbolum: & ex Latinis proceribus, August. serm. 138. de tempore: Hieronymus quæstione sexta ad Hedibiam, & lib. aduersus Heluidium & Iouinianum: Ambros. libro decimo in Lucam: Prudentius in hymnis: Chrysologus Rauennas serm. 75. 77. 80. & 84. Leo Papa Epistola 81. & serm. 1. de Resurrectione Christi. MIN. Hactenus satis, ad alia pergamus.

CHRISTVM IANVIS CLAVSIS intrasse ad Discipulos: easque nec sponte, nec ab Angelis apertas fuisse: contra 6. 7. & 8. errorem Hugnosticum.

CAPVT III.

DOCTOR.

PAri rursum impietate contendunt Vestri, eundem Dominum nostrum non potuisse clausis omnibus forib. Cœnaculi, in quo Discipuli congregati erant propter metum Iudæorum ad illos intrare: sed necesse fuisse, ingressum illi patere quocunque modo id fieri potuerit. Berengarius vt Sacramentariorum primipilus, sic primus hanc hæresin, & diuinæ potentiæ aduersam & in Christũ contumeliosam adinuenit: vti de illo ante aliquot sæcula testatus est Guitmundus Auersæ Episcopus. Eam sequutus est postea Ioannes VVicleffus Anglus: eandemq; hoc sæculo Lib. 3. de Eucha. sibi retinendam, & propagandam sumpserunt Caluiniani, Zuingliani, & reliqua fæx Sacramentariorum, sicut ex Bullingeri, Musculi, Gualtheri, Vermilij, Lauateri, Boquini, Bezæ, Danæi, Spinei, & similium scriptis in Appendice nostra consignauimus.

MINIST. Hic error satis mihi conuictus Confut. esse

1. esse videtur, tam ex his quæ iam superius di- A
cta sunt pro Omnipotentia Dei aduersus multos eorum errores asserenda: tum etiam quæ proxime ad cõfutandum nouissimum errorem sunt producta. Cum enim constiterit virtutem diuinã nihil fugere, ac eius voluntati nullum posse obicem proponi; insuper Christum grauissima sepulchri saxa, cunctaq; humana obstacula tum vi diuina, tum gloriosi corporis sui dotibus penetrare potuisse; facile ei fuisse necessum est, vt Cœnaculi foribus reclusis, intrauerit ad suos discipulos. DOC. Apposite certe: nihilominus si quid nosti ex Caluino, quod Caluinianorum huic errori repugnet, quęso te ne dissimules. B

2. MIN. Superiorem suorum Ministrorum errorem aperte profecto damnat, scribens, *Circumstantiam istam, cum fores essent clausæ, diserte additam fuisse: quia diuinæ in Christo potentiæ illustre specimen continet. Nam quod putant quidam* ait, suos subnotans, *reseratas illi fuisse fores per aliquem, & humano more ingressum prorsus à mente Euangelistæ discrepat. Sic igitur habendum est, Christum non sine miraculo ingressum esse, vt documentum ederet suæ diuinitatis, quo suos discipulos magis attentos redderet.* Ex his autem sic aduersus errorem tam veterum quam nouorum Berengarianorum ratiocinor: Ingressus Christi ad Discipulos ianuis clausis C continet illustre specimen diuinæ in eo potentiæ. Illud autem aliud signari non potest, nisi quod per medios parietes vel asseres penetrauerit. Igitur quantitatum seu dimensionum penetratione facta, duo corpora simul eundem habuerunt locum. Deinde, ab Euangelistæ sententia discrepat, Christo homini fuisse fores reseratas per aliquem. Ego vere ianuis clausis, seu quod in idem (quantumuis inepte reclamet Caluinus) recidit, per ianuas clausas CHRISTVS homo ad Discipulos intrauit.

Com. in ca. 20. Ioan. vers. 19.

3. DOCT. Istud profecto tam manifeste comprobat vel simplex Euangelistæ narra- D
tio, vt mirum ac stupendum sit, Satanam quosdam inuenire potuisse, qui tantæ luci tenebras suas offundere niterentur. Ait enim: *Cum fores essent clausæ, vbi erant Discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit IESVS, & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt Discipuli viso Domino.* Et post pauca. *Post dies octo, iterum erant Discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit IESVS ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Deinde dixit Thomæ. Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* In his primum attende, Christum in eodem numero corpore suo quod in cruce clauis confixum, lanceaq; militis confossum fuerat, seipsum conspiciendum oculis, & contrectandum manib. Apostolorum exhibuisse. Deinde idem corpus, sed iam immortale, impatibile, agile, clarum, subtile, (& vt Paulus loquitur) spiritale factum, vere stetisse in medio Discipulorum suorum: ab hisq; contrectatum, iunctis cœnaculi fenestris, clausisque foribus, ac omni prorsus humano aditu, vt semel & iterum notandum Euangelista proponit. Necesse est ergo eum cuncta naturæ obstacula & obiecta eodem corpore suo viq; cælesti penetrasse, vt verum corpus suum illic sisteret, & palpandum offerret Discipulis; sicq; eos omnino certos de sua vera resurrectione, vita immortali, immensaq; ac inexhausta potentia certissimos redderet: cuius hostes perpetui ac infesti sunt, quicunque negauerint id aut vere fecisse, aut facere potuisse.

Ioan. 20.

1. Cor. 15.

MIN. Hæc tantam fidem apud me faciunt, vt ampliora ex Scripturis argumenta non requiram: Veterum tantummodo Patrum interpretationem consensumq; postulo. DOCT. A magno Cyrillo Alexandrinorum Patriarcha exordior. Clausis foribus repente Dominus omnipotentia sua, natura rerum superata, ingressus est ad discipulos. Nemo quærat, quomodo clausis ianuis corpus Domini penetrauit, cum intelligat non de homine nudo, vt modo nos sumus, sed Omnipotente Filio Dei, hæc ab Euangelista conscribit, &c. Audis fores clausas fuisse? Audis Omnipotentiæ Dei effectum? Audis rerum Communem superatam naturam? Audis denique clausarum ianuarum penetrationem? Is hoc quoque illico referens inter præclara Domini miracula, iniquum iudicat opinari (vt Sacramentarij faciunt) eidem viam aliquam factam fuisse. Eadem quoque est sententia Chrysostomi, adeo vt ille ab isto hausisse videatur. 4.

L. 12. Com. in Ioan. ca. 53.

Hom. 85. in Ioan.

MINIS. Mihi sufficiunt hi duo Græcanicæ Ecclesiæ Patres, totidem Latinæ producas, & mihi satis erit. DOCT. Primus prodeat Augustinus, scribens: Moli corporis Christi vbi Diuinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe foribus non apertis intrare potuit, quo nascente, Virginitas Matris inuiolata permansit, &c. An non his manifeste docet humanitatem Christi per clausas fores ad Discipulos intrasse, pari miraculo 5.

Tract. 121. in Ioan.

culo

culo quo ex inuiolato Virginis vtero exierat? Id rursum confirmat Serm. 156. & 160. de tempore. Has autem grauissimas & sanctissimas adijcit sententias, Serm. 159. Miraculum est quod Dominus noster in carne vera intrauerit ad discipulos per ostia clausa. Requiris à me forsitan ratioñé. O homo, si rationem à me poscis, non erit mirabile. Exemplum quæritur? Non erit singulare. Quibus verbis docet tantum id fuisse miraculum, vt simile non habeat, & ratione inuestigari nequeat. Eadem repetens Epistola tertia, quæ est ad Volusianum, superioribus adijcit: In his ac similib⁹ rebus, totam rationem facti, esse potentiam facientis. MIN. Oportet plane hominem saxo & adamante durius cor in pectore gerere, qui his non flecteretur ad pietatem, aut suum errorem non deponeret.

6. Tantum certe est huius venerandæ antiquitatis pōdus, vt doctiores Germaniæ Ministri huic cedentes, cum Catholicis in hac re aduersus Caluinianos sentiant, adeo vt Brentius Lutheranæ Professor Theologiæ, in Epitome Colloquii Malbrunnensis, Sacramentariis Palatinis exprobrans, quod huiusmodi errore suo Christum nimis infirmum ac imbecillum comminisceretur, ait: *Volui id commemorare, vt videre possitis, quam parum roboris ac virtutis Christus Palatinorum habeat, cui nisi Angelus lapidem amouisset, virtute humanitatis suæ sepulchro exire non potuisset.* Et vt alius testis accedat, Tilemannus Heshusius Libro de præsentia corporis Christi in cœna Domini, huic assertioni plurimum insudat, & Caluinianos contrarium asserentes multis erroribus damnat. Nouerant enim suum præceptorem Martinum Lutherum scripsisse, Libro defensionis verborum cœnæ Domini f. 394. *Testimonia Scripturæ manifesta sunt, quod Christus ad Discipulos suos per fores clausas transierit: & ex suo sepulchro per obsignatum lapidem prodierit, &c.*

7. Sed illorum veterum Patrum locos tantum mihi fideliter designari requiro, vt horum lectione per occasionem datam animū explere valeam. DOCT. Vt recentiores prætermittā, illi sunt ex Latinis Hildephonsus Toletanus, lib. de Parturitione Virginis: Gregor. Papa Homil. 26. in Euangelia: Cassianus lib. 3. de Incarnatione: Leo Magnus Epist. 10. c. 5. Epist. 81. ca. 1. Serm. 1. de Passione, & 15. de Resurrectione: Hieronymus in Epitaphio Paulæ: libro 1. aduersus Iouinian. & libro contra errores Ioannis Ierosolymitan. Sedulius poeta libro 5. Chrysologus serm. 8. Hilarius lib. 3. de Trin. Ambr. lib. 9. in Lucam.

Hos sequuntur & alij nouem Ecclesiæ Græcæ Doctores, Damascen. lib. 4. de Fide cap. 18. & 19. Nicephorus lib. 1. cap. 32. & 34. Euthymius in ca. 20. Ioannis: Amphilochius Iconiensis Dialog. 2. Theodoreti: Sophronius Oratione synodica: Epiphanus aduersus hæresin 34. Gregorius Emissenus homil. 9. & 1[illegible]. in Pascha: Origenes libro 2. contra Celsum: Author responsionum ad Orthodoxos apud Iustinum martyrem, quæst. 117. & vt concludam, quotquot ex Oriente ad sacrum & Oecumenicum Chalcedonense concilium iamdudum conuenerunt. MIN. Certe quisquis post sacras literas tot sanctorum Patrum, id est, Iesu Christi in terra militantis Ecclesiæ consensum, sententiamque non audierit, is mihi perpetuo erit instar ethnici & publicani. 8. *Action. 1.*

CHRISTVM PERFECTE RESVRREXISSE, effusum sanguinem suum quantum oportuit cum carne sua resumendo: aduersus nouum errorem.

CAPVT IV.

DOCTOR.

Integritatem veritatemque resurrectionis Domini nostri Iesu Christi in eo Caluiniani pernegant, q̄ dicant eum resurgendo sanguinem suum non resumpsisse, aut corpori suo iterum iunxisse. Ait enim Caluinus: *Docentes sanguinem Christi cum carne eius coniunctum esse ideoque totum Christum sub vnica specie Sacramenti, cum ratione furunt.* Existimat ergo corpus Christi quantumuis rediuiuum, immortale, & gloriosum effectum, esse penitus exangue, sicque vero atque naturali sanguine suo carere. In eadem hæresi perstiterunt duo sententiæ illius Ministri Sureus & Spina, in ea disputatione quam instituerunt, & postmodum typis euulgauerunt. Lutetiæ 1568. vnde manifeste consequitur vniuersam Geneuanorum & Zvvinglianorum cohortem in hoc eodem luto hærere. Hanc ne amplecteris? *In c. 26. Mat. v. 27*

MIN. Mea me coargueret conscientia. Et enim video illos non veritatis, sed contentionis studio in hanc opinionem incidisse; nimirum vt Communionis sub vtraq; specie Eucharistiæ necessitatem tueantur. Cum itaque *Confut. 1.*

itaque istud confinxerint non vt gloriam Christi, aut veritatem Euangelicam asserãt: sed commenta sua sustineant, nunquam illis hac in re consentiam.

2. Deinde, cum nullo expressi verbi diuini (quod in alijs tantopere requirunt) testimonio, nullius aut Prophetarum, aut Apostolorum, aut veterum Patrum sententia, nulla denique ratione nixi adfirment *sanguinem Christi carne sua immortali reipsa abesse*: certe ipsi potius dementes furunt & insaniunt aduersus perfectam Domini Iesu Resurrectionem. Humanum inuentum est, fermentumque Pharisaicum, à quo maxime cauendum. Plantatio est non quam plantauit Pater cælestis, sed adinuenit Caluinus: ideoque eradicanda est, & in ignem mittenda, vt ardeat.

3. Tert. lib. de Resurr. Ambr. li. de fide resurr. Damasc. Matth. 26. Ioan. 19. Aug. epi. 146.

DOCT. Vere profecto dixisti hanc hæresin aduersus perfectam Resurrectionem Christi militare. Nam resurrectio, consentientibus cunctis Theologis, est eius quod cecidit iterata surrectio. In morte autem Christi sanguis de vulneribus totoque corpore defluens in terram cecidit, ipso prædicente. *Hic est sanguis meus qui effundetur in remissionem peccatorum*: & Ioanne qui aderat testificante, *De latere eius percusso exiuit sanguis & aqua*: ergo necesse fuit vt resurgens à mortuis eundem sanguinem resumeret: alioqui non totus Christus vere resurrexisset, vt totus vere mortuus est; sed adhuc victus, oppressus exanguisque iaceret.

4. Deinde, omni diligentia notandus est hic fidei nostræ articulus, tot scripturis, totque Symbolis expressus, *Tertia die resurrexit à mortuis*. Non enim partim resurrexit, partim autem mortis legibus adhuc subiacet. Nam (Rom. 6.) *resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo*. Itaque perfecte, completeque resurgendo, nihil quod ad perfectionem veri corporis humani pertinet, aut in horto, aut in prætorio, aut in monte Caluariæ dereliquit.

5. A Caluinianis etiam peto, An credant tres mortuos ab Elia & Elisæo suscitatos, vere cum carne, ossibus, & sanguine suo in vitam reuocatos esse? Tres item à Domino huic vitæ restitutos, adolescentem, filiam Iairi, & Lazarum? (Luc. 7. Luc. 8. Ioan. 11. Act. 9. 20.) Duos rursum qui Petri & Pauli precibus simile sunt beneficium consequuti? Resurrectionem denique omnium nostrum futuram cum eadem numero carne, iisdem neruis & venis, iisdem membris & artubus, eodem demum sanguine; Annon? MIN. Id suspicor omnino affirmabũt, quoniam Iob ait, *Rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, & non alius.* (Iob. 19.) Dauid quoque asserit, Deum *custodire omnia ossa sanctorum, adeo vt nec vnicum horum omnino cõteratur.* (Psal. 33. Matt. 10. Luc. 22.) Quinetiam capilli nostri coram Deo numerati sunt, & vnus eorum non peribit. DOCT. Quomodo igitur pretiosissimus Christi cruor à carne illius perijsset? Aut in terram delapsus, in eadem absumptus exhaustusq; perpetuo mansisset? MIN. Oportet sane Christi resurrectionem omnium suscitatorum fuisse perfectissimam & absolutissimam: ergo si alij in completis corporibus surrexerunt, multo magis ipse cum toto sanguine suo resurrexit, nec inde postea fuit, aut vnquam sine eo erit.

DOCT. Post resurrectionem verum ac integrum corpus suum ostentans Apostolis dicebat: *Palpate & videte, quoniam Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* 6. (Luca 24. Ioan. 20.) Ergo nec caro sine venis, nec venæ sine sanguine suo erant: quemadmodum nec corpus sine ossibus, nec ossa sine medullis, reliquaque compage, qua verum corpus humanum coalescit. MINIST. Nemo fidelis contradicet: quare complexum tuum euidentissimum ac certissimum est, quod qui sanguinem Christi reipsa seiunctum facit à corpore suo, veræ ac integræ resurrectioni illius contradicit.

DOCT. Corpus Dominicum eiusdem fuisse substantiæ, essentiæ, ac naturæ post resurrectionem, atque antequam vita fungeretur, fateantur Caluiniani necessum est. 7. Atqui sanguis ad eius substantiam & naturã maxime pertinet. Est enim sedes animæ, scriptura dicente, *Anima eius in sanguine est.* (Leuit. 17.) Igitur eodem prorsus sanguine suo coalescit corpus Christi post resurrectionem, atq; cum adhuc inter mortales ipse mortalis degeret.

8. Denique, totus sanguis non posset abesse à quolibet corpore humano, sine manifesta certaque totius hominis pernicie. Christus autem iam immortalis & impatibilis est. Igitur vbicunque fuerit illius corpus, & sub quacunque specie latuerit, illic & totus eius sanctissimus & pretiosissimus sanguis: adeo vt tam non valeat separari vnum ab altero, quam vlterius mori non pòssit. MIN. Hæc sufficiant, de alio capite agamus.

PRI-

PRIMVM OMNIVM FILIORVM ADAE *Christum hominem in cælos euasisse: aduersus 10. errorem.*

CAPVT V.

DOCTOR.

RVrsum, Vestri eundem Dominum nostrum Iesum Christum quoad possunt, maxima triumphi sui parte & gloria spoliāt, dicentes, Eum non esse primum omnium filiorum Adæ, quæ in cælos ascenderit, in iisdemq; sit receptus: sed Adam, Abel, Noe, & reliquos veteres Patriarchas atque Prophetas ex hac vita commigrantes, non in Limbo (de quo diximus) sed in cælis sedibusque beatorum longe antea receptos esse volunt. Caluinus enim scribit illos similesque *post mortem in sinum Abrahæ collectos esse, quia eiusdem cum eo fidei fructum percipiunt, eodemque in cælis domicilio perfruuntur.* Et paulo post: *Colligere licet, Patres sub Lege cælestis vitæ hæreditatem, in quam mortui recepti sunt, fide amplexos esse dum viuerent.* Superius quoque eum audisti *semel & iterum fabulam appellare* quicquid de tertio & subterraneo loco, seu Limbo, ab antiquis magnisque authoribus dictum fuit. Bucerus, Vermilius, Gualtherus, Marloratus, Beza identidem prædicant. MINISTER. His quoque Poetam Salustium Barthasium addas licet. Nam in primo die septimanæ secundæ, confingit Adamum *in regno cælorum receptum Deo colloqui.* Et paulo post, comminiscitur Henoch ipso raptus sui tempore, *clara Dei visione beatum esse redditum.* Nec ambigere debes vniuersam Caluinianorum scholam in pari opinatione versari. Cum enim Purgatorium quendam locum esse, deinde etiam Limbum pernegent, nec instar Marcionis audeant sanctos veterum spiritus ad inferos relegare: consequens est vt in cælis collocatos fuisse, etiam longe ante quam Christus in hos conscendisset, illos omnes credant ac teneant.

In cap. 16. Luc. v. 22.

Inst. l. 2. ca. 16. §. 9.

Confut. 1. Mihi autem (vt ingenue dicam quid sentiam) videtur hic error, inprimis illi fidei Christianæ articulo repugnare, quo Apostolis doctoribus, profitemur, *Christū descendisse ad inferos*: deinde, cunctis eis Prophetarū & Apostolorū testimonijs, quibus paulo superius ostensum est Descensum illum inniti expresso Dei verbo. Porro si iam in cælis beatorumque sedibus ipsi iam beati collecti fuissent, nec Christus ad inferos descendisset; nec eos inde liberasset. Constat ergo è contrario, cum ad eos illuminandos & eripiendos descenderit, quod nondum in cælis recepti essent.

Symb. Ap.

Nec minus hac in re, quam in plerisque alijs, Caluinus turpissime secum dissidet atque repugnat. Ait enim, etiam vt superius notatum est, *Fidelium animas ante peractam à Christo reconciliationem, velut in specula, intentas fuisse ad redemptionem promissam.* At istiusmodi specula, cælum non est: hæc ad redemptionem promissam attentio, alia esse non potest, quam Spes, id est, certa expectatio futuræ beatitudinis, quæ locum non habet in his, qui iam cælesti hæreditate perfruuntur. 2.

Ait rursum, *easdem Patrum animas ante aduentum Christi, in carcere detentas, & aduentus eius desiderio constrictas fuisse, eo quod libertatis Spiritum nondum essent consequutæ. Virtutem a. Liberatoris ac Redemptoris vsque ad mortuos extensam esse.* Nemo autem Christianorū scriptorum cælum appellauit carcerem; nemo beatos in cælis spiritus iudicauit spiritu libertatis carere: nemo conspectu diuino fruentes, reputauit detineri constringiq; liberatoris desiderio: superest igitur vt Caluiniani proprio authore suo iudice, cum Catholicis fateantur, Animas Patrum sub Mosis lege defunctorum in cælos ante Christū nequaquam conscēdisse: sed gloriam istam Verbo Dei caro facto à Patre cælesti ita seruatam & datam, vt primus omnium ad hāc penetraret; eadēq; reliquos vt caput membra, in sua Ascensione donaret. DOCT. Perge porro, & aliorum Caluinianorum iudicijs istam rursum sectæ nefariam, Christoq; contumeliosam hæresin coarguere.

3. Com. in 1. ep. D. Petrī c. 3. & 4.

MINIST. Qui Marlei Plessæi Dominus vulgo solet appellari, Iudæorum errores Rabbinorum testimonijs expugnans, *fatetur cum Rabbino cognomine Haccadosch, Messiam morte sua Adami stirpem saluasse, Patrum animas ab inferis eduxisse, ac proinde recte iureque Saluatorem appellari.* Quinetiam Carolus Molineus eiusdem sectæ propugnator acerrimus, veritatis pōdere victus, hac in re herbam dexteramq; Catholico dogmati porrexit: cum in Harmonia sua Scholasticorum & priscorum Theologorum sententiam de Limbo, Patrum animabus in eo detentis, Christi autem ad inferos descensu tum demum liberatis, vt sacris literis nixam & probatam plurimum laudauit.

4. L. de verit. relig. Christ. c. 27.

Supe-

5. Superius quoque notatum fuit Pellicanum, Bullingerum, ac Oecolampadium Ministros Sacramentarios, descensum Christi ad inferos Catholicorum more interpretari: quo fit vt animas Patrum in inferis antea fuisse, non in cælis doceant. Atque ita, suo Marte cadunt subiti per mutua vulnera fratres. Hæc quæ mihi venerunt in mentem. Nunc age.

6. DOCT. Omnis scriptura clamat, Deum Patrem Filio suo incarnato hanc gloriam seruasse, vt primus cunctorum hominum in cælos ascenderet, viamq́ aliis præmuniret, & locum pararet. Vbi enim præfiguratum docet fuisse per Iosue filium Nun, qui solus, & post excessum Moysi, populum Hebraicum in terram sanctam fœliciter perduxit: ibi palam ostendit, solius Christi Domini morte & Ascensione, terram viuentium, id est, cælos hominibus reseratos fuisse, non antea. Ad hæc enim spectans Apostolus ait de Christo: *Ad interiora velaminis* (quæ beatificum Dei conspectum significabant) *præcursor pro nobis introiuit.* Quorsum autem & quorum præcursor, nisi primus introisset, alij vero omnes subsequuti essent? Idem etiam obseruat quod vt Iudæi sancta sanctorum nequaquam ingrediebantur, sed solus summus Pontifex, insculpta habens in rationali nomina duodecim tribuum Israelis; sic ascendens in cælos Christus supremus Sacerdos, illos patefecit electis.

Deut. 34. Iosu. 1. 2. &c. Heb. 11. Heb. 6. Heb. 9. 10.

7. Ecqua nam virtute aut industria in illos euasissent, antequam Agnus Dei sustulisset peccata mundi? Carnem suam dedisset pro mundi vita? Sanguinem effudisset in remissionem peccatorum? Cum etiam dicat Apostolus, *Legem ad perfectum nihil adduxisse, sed vmbram fuisse futurorum?*

Ioan. 1. 6. Matt. 26. Heb. 10.

8. Idem de veterum Patrum ante Christi mortem, Resurrectionem, & Ascensionem, conditione palam pronunciat: *Nondum propalata erat sanctorum via, adhuc priore tabernaculo statum habente. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Atqui cælorum via non solum propalata, sed & latissime patens fuisset, si tot Patriarcharum, tot Prophetarum, tot Sanctorum, ac innocentum myriades ante Christum in eos fuissent translati. Christus quoque non futurorum, sed præteritorum bonorum Pontifex exstitisset, si veterum animæ cælestium opum fuissent antea in cælis participes.

Hebr. 9. Hebr. 7.

A Quonam etiam pacto cælos conscendissent sub ea Lege, quam Apostolus appellat imperfectam, inutilem, mortis administrationem in tabulis lapideis descriptam, virtutem peccati? Asserit vniuersos sub illius fide ac religione defunctos, non accepisse repromissiones, sed à longe eas salutasse? MINISTER. Equidem certe cum veteres illi ad exitum festinarent, sese in cælos commigrare nequaquam profitebantur: sed ad portas seu vestibula inferorum. *Descendam ad filium meum lugens in infernum. Deducetis canos meos cum mœrore ad inferos. Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me? Si sustinuero, infernus domus mea est.* B Hinc Samuelis anima visa est ascendere de terra, *vt post mortem* (ait Sapiens) *prophetaret. Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi.* Anima deniq; Lazari dicitur portata ab Angelis, non ad regna cælestia, sed *in sinum Abrahæ.* Ex quibus certum ac manifestum esse puto, neminem veterum sanctorum ante Christum, cælos petiuisse: huicque illam gloriam seruatam à Patre, vt adoptione fratres & cohæredes suos in beatis sedibus illis collocaret, ascendens, vt ait scriptura, *& iter pandens ante eos.*

9. 2. Cor. 3. Rom. 7. Heb. 11. Gen. 37. Gen. 42. 44. Iob. 7. 14. 1. Reg. 28. Eccl. 47. Isa. 37. Luc. 16. Mich. 2.

10. DOCT. Recte omnino. Hac enim de re, C Christus seipsum vocat ostium, quo intrandum est: & viam, qua pergitur ad Patrem: seque hinc pergere ad eum à quo missus fuerat, vt suis pararet locum; quoniam antea nemini hominum paratus aut datus fuerat. Ad quod etiam pertinet, quod Paulus ex Psalte producit, *Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Id enim contigit quando veteres sanctos astu Satanæ in subterraneis locis captos & detentos, in libertatem secum asserendo Christus suos captiuos effecit, educens (iuxta Prophetiam) *vinctos suos de lacu, in quo non erat aqua,* sed sitis incredibilis Mesiæ venturi redem- D ptoris.

Io. 10. 14. Ps. 67. Ephes. 4. Zach. 9.

11. MIN. Si quorundam veterum Theologorum addideris testimonia, sat mihi erit. DOCT. Hieronymus scribit: Ante Christum Abraham apud inferos: post Christū latro in Paradiso. Et alibi: Sanguis Christi clauis est Paradisi. Terram n. viuentiū, quam primus Adam perdidit, secundus inuenit: imo ab illo perditam restituit. MIN. Vere etenim Christus in Euangelio Abrahamum olim constitutum fuisse docet in inferno, ex quo facile cū damnato epulone colloqueretur: Latroni vero pœnitenti dixit, *Hodie mecum*

Epist. ad Heliod. & epist. ad Dardan.

Luc.16.23. *mecum eris in Paradiso*, quod nemini vnquam Veterum sanctorum dictum fuerat.

12. DOCT. Ambrosius quoque tradit, Cælum mortalibus fuisse inaccessibile. Quod veluti latius explicans nō minor præceptore discipulus eius Augustinus, scribit: Filius Dei carnem in sepulchro posuit, & comitāte secum anima ad inferna descendit. Per hanc electi, qui quamuis in tranquillitatis sinu, tamen apud inferni claustra tenebātur, ad Paradisi amœna perducti sunt. Quod ante passionem dixit, in resurrectione sua adimpleuit, *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Omnia etenim traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit. Illos ex inferni claustris rapuit, quos suos in fide & actibus recognouit. Vnde per Oseam dicitur: *Ero mors tua, ô mors ero morsus tuus, inferne.* Quia ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis extitit. Quia vero ex inferno partem abstulit, & partem reliquit, non occidit funditus: sed momordit infernum. Hactenus ille, & ex Prophetis, & ex Euangelio Catholicam sententiam confirmans, hæresin vero refellens.

In c.9. Heb. Serm. 139. de tēp.

Ioan.12.

Osee 3.

13. MINIST. De Latinis Patribus sufficit, his Græcos subijcias. DOCT. Chrysostomus expendens, cur solummodo sub Euangelio dictum fuerit mortalibus, *Appropinquauit regnum cœlorum*, nunquam vero antea, scribit: Legens legem, legens Prophetas, legens & Psalterium, nunquam cælorum regnum audiui, nisi in Euangelio. Quia antequam Christus aperiret ianuam regni, omnes animæ iustæ detinebantur in inferno. Cyrillus Alexandrinus ex beati Petri Apostoli testimonio omni adseueratione cōtendit Christum secundum animam prædicasse spiritibus veterum sanctorum, qui in inferorum carcere detinebantur: simulque sempiternam gloriam tum eis contulisse, cum dixit: *Egredimini*: & existentibus in tenebris, *Reuelamini.* MIN. Iam de hoc satis: aliud persequamur.

Hom. 4. in Marc.

L.12. in Io. c.36. l. de fide ad regin. & l. de fide ad Theodos.

CHRISTVM IN CERTVM AC DEFInitum quendam locum cælorum ascendisse: contra 11. errorem.

CAPVT VI.

DOCTOR.

Gloriosissimæ Ascensionis Christi mysterium sibi quoque multis modis deformandum & lacerandum Ministri Caluiniani sumpserunt, quando post suum hæresiarcham aiunt, *Locum aliquem imaginari non conuenire, in quem ascenderit: quum metaphorice dextera secundam à Deo potestatem significet.*

Calu. in c 16. Mar. v.19.

Confutat. 1. MIN. Aperta sunt eorum verba: sed longe apertior est eorum hac in re contradictio atque repugnātia. Primum enim aduersantur maximo totius doctrinæ suæ Sacramentariæ fundamento ac principio: videlicet, Corpus Christi cum sit creatum, finitū, certisque quantitatum dimensionibus circūmseptum, debere omnino aliquo contineri loco, extra quem vere & substantialiter, etiam per absolutam ac infinitam Dei potentiam, simul consistere non possit. Hæc enim Caluinus, hæc Beza, hæc Vermilius, hæc Zuinglius, & vniuersa Sacramentariorum colluuies; aduersus Brentium, Heshusium, Holderum, Pappum, Iacobum Andream, & alios Lutheri sectatores.

2. Inde factum est, vt Dillerus, Boquinus, Oleuianus, Dathenus, & Vrsinus Sacramentarij Heidelbergensium ministri, in Epitome colloquij Malbrunnensis, contra ministros Vitebergenses sustinuerint, *Christi nostraq; corpora, in cælesti gloria certo aliquo loco esse oportere.* Et paulo post aiunt. *Velint, nolint aduersarii, fateantur necesse est, Christi & electorum corpora, non nisi vno loco esse, siue in cælo, siue alibi pro ipsorum gloriæ ratione.* Itaque contra Caluini pronunciatum, aliquis locus est animo concipiendus, in quem ascendens resideat in cælis.

An.1564. Pag.225. & 230.

3. Adhæc, in nouissimo Caluinianorum & Lutheranorum colloquio Monspelgartēsi, Beza & Faius nomine Geneuanorū, Abrahamus Musculus nomine Bernensiū, Claudius Alberius Lausanensium, cum Iac. And. & Luca Oliandro Tubingensium ministris disputantes, *Professi sunt primum doctrinæ suæ fundamentum esse, Veram carnem Christi ex quo in cælos ascendit, à nobis absentem, & perpetuam eiusdem carnis essentiam, vt circumscriptione organica & localitate sita sit.* Et postea Beza sic Iacob. Andr. alloquitur: *Nos dicimus corpus Christi menti præsens esse, licet in vno loco cæli contineatur, & absens sit à terra.* Eidem postmodo Iac. Andr. à Beza percunctanti, *Quoniam adscensum Christi localem, & commemorationem eius in cælo localem, mihi Reuerentia tua obiecit & vrsit, quæro, An ascensus ad Deum Patrem fuerit localis?* Beza respondit: *Non dubito*: Cum itaq; præsenti errore in quem differimus, videlicet,

An.1586. Colloquium pag.23.

Pag.104.

Pag.145.

cet, *nullum oportere imaginari locum, vbi Saluatoris humanitas in cælis resideat*, sacramentariæ doctrinæ suę fundamentum ipsi subuertunt; etiam sequentibus placitis velut mendaces, ac indigni quibus fides in perpetuum habeatur, proprijs aduersantur. A

4. *In cap. 1. Ephes.* Quarto, semetipsum proprio gladio confodiens Caluinus scribit: *Cum dicitur Christus esse in cælo, non ita debemus accipere, quemadmodũ si inter ipsas resideret sphæras: Sed in his loquendi formulis, cælum significat locum, omnes sphæras superantem, qui destinatus est Filio Dei post resurrectionem suam.* DOCT. Habere vero destinatum, & nullum esse imaginandum locum manifesta sunt contradicentia, necesse est igitur alterum falsissimum esse. B

5. *Epist. 57. & Tract. 30. in Ioan.* Quinto, hanc Augustini sententiam, *Spatia locorum tolle corporibus, nusquam erũt: & quia nusquam erunt, non erunt*; tanquam clypeum Aiacis, nunquam non obijciunt, vrgent, impellunt. Igitur ex hac consequitur Christi in cælis corporis designandum esse aliquem locum. DOCT. Recte Augustinus loquitur de corporibus modo naturali & consueto existentibus: atque secundum hanc expositionem Augustini verba ambabus brachijs excipimus.

Sexto, Henricus Bullingerus libro de duabus naturis Christi, Petrus Vermilius Dialogo de loco corporis Christi, Beza libro de vnione hypostatica, omnibus modis insectantur, dilacerant, damnantq; Brentium, Andream, Osiandrum, aliosq; Tubingẽses, propter nouam suam Vbiquitatem, è contrario vero constantissime adfirmant, Corpus Dominicum etiam post resurrectionem & ascensionem eius, esse in certo ac definito cælorum loco. Necesse est igitur Caluinum turpissime hallucinatum fuisse, cum dixit, *Nullum oportere locum imaginari in quo resideat.* C

7. *Com. in ca. 3. ad Colos.* Septimo, Philippus Melanthon, quem Caluiniani & suum, & totius Germaniæ præceptorem vocitãt, scribit: *Necesse est Christum esse in certo loco cæli quo ad carnem: vbiq; autem quo ad Diuinitatem*, Iuxta huius decretum Saxoniæ ministri, vna cum Leypsensibus, & VVitebergensibus in synodum Dresdensem conuenientes 1571. publicis sententijs decreuerunt, *Corpori Domini immensam naturam attribuere, rem esse prodigiosam, & horrendam articulorum fidei corruptionem.* Insuper, *statuerunt contrariam doctrinam esse vnum ex fidei Christianæ capitibus: atque ita credendum, Corpus illud Seruatoris in determinato cæli loco permanere.* D

DOCT. Sufficiunt hæc septem pugnantia ad sententiam Caluinianorum labefactandam ac omnino expugnandam, catholicam autem doctrinam ab ipsis hostibus constituendam: nunc quæ aduersus hæresin istam in promptu habeo, proponam. Tria Christianæ fidei symbola inter religionis nostræ articulos, istos tres expresse commemorant de Christo: *Ascendit ad cælos, Sedet ad dexteram Dei Patris, inde venturus iudicare viuos & mortuos.* Quicunq; his fidem detrectat, nõ Christianus, sed Iudæus, Turca, aut Ethnicus iure censetur. Caluiniani etiam contestantur illos ab his corrumpi ac deprauari, qui negant corpus Domini in certo cæli loco residere. Necesse est igitur vt Caluinum suum inter hos infideles connumerent. MINIST. Equidem vt verbum *ascendit*, certum connotat locum vnde ascenderit, nimirum, ex monte Oliuarum: ita & alium locum in quem ascenderit. Tum etiam aduerbium *Inde*, non significat infinitam quandam extensionem, sed locum, vnde venturus est ad iudicandum viuos & mortuos. 8.

DOCT. Christus ipse ascensurum se in cælum, deinde assumpturum ad se Apostolos & electos prædicens, locum sibi & illis designatum diserte commemorat dicens: *Vado parare vobis locum, & si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* 9. *Ioan. 14.*

MIN. Cum semel & iterum *locum* nominet, Caluinianam sententiam aperte damnat, prohibentem locum aliquem imaginari. Deinde, aduerbijs loci *quo & vbi* vtens, locum certe designat quo excipiendus erat. Mansiones etiam varias commemorans, docet aperte vnumquemque electorum accepturum esse sedem in illa beatitudine suis laboribus decretam à Deo omnium bonorum compensatore: iuxta id quod à Sapiente scribitur: *Misericordia Dei faciet vnicuique locum: secundum merita sua.* Et Paulus ait: *Vnusquisq; mercedem accipiet secundum proprium laborem.* *Eccl. 16.* *1. Cor. 3.*

DOCT. Iam ipsas Euangelistarum & Apostolorum de Ascensione Christi cõciones erectis animis audiamus. Marcus ait: *Postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.* Lucas vero, *Eleuatis manibus benedixit eis, & ferebatur in cælum*, Et in Actis Apostolorum, *Videntibus illis eleuatus est, & nubes* 10. *Marc. 16.* *Luc. 24.* *Act. 1.*

& nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intueretur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid aspicitis in cælum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemad-
Act. 3. *modum vidistis eum euntem in cælum.* Dicit quoque Petrus: *Oportet eum cælum suscipere, vsque ad tempora restitutionis omnium.* MIN. firma certe ac euidentia argumenta, quæ Ascensionem corporis Dominici in præscriptum cęli locum transuectum denotant. Nam si in cælum elatum est, determinatum locum obtinet. Apostolicis oculis diligenter signatum.

11. Ephes. 1. 2. DOCT. Paulus quoque non solum prædicat eum sua Ascensione cælos penetrasse, sed & in cælestibus exaltatum fuisse super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem: hoc est, super omnes Angelorum ordines, atq; spirituũ hierarchias, qui habitant in cælis. *Qui descendit,*
Ephes. 4. ait idem, *ipse est, qui & ascendit super omnes cælos.* MIN. Hæc Apostoli testimonia nequaquam significant infinitam quandam extẽsionem, in qua Domini verum corpus euanuerit: sed gloriosissimam quandam exaltationem in supremum totius mũdi locum: vt quia infra omnia sese demiserat, super omnia creata exaltaretur.

12. Act. 7. DOCT. Attende etiam morientis beati Stephani gesta. *Intendẽs in cælum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei, & ait: Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.* MIN. Clarum est profecto quod vultum in cœlum erigens, acie oculorum Christum hominem in aliquo certo loco contueretur regnantem, & in auxilium suum paratum: atque ita illos aduersus veri corporis eius naturam, & gloriam cœlestem graues gerere inimicitias, qui huic doctrinæ non consentiunt.

13. DOCT. Præterea vera immensitas, id est, suapte natura præsens esse vbique, ita propria est diuinitati, vt alijs per se conuenire nequeat. Quocirca cœli licet amplissimi, elementa latissime diffusa, habent tamen loca sua terminata & finita, quibus contineantur. Angeli quoque tam boni quam mali, & animæ corporibus suis digressæ, sunt in locis à Creatore sibi definitis. Quare Christi Domini substantia humana, cum sit Dei opificium, à Spritu S. concepta, formata, veraque creatura, etiam post resurrectionem & ascensionem, profecto in certo sibiq; decreto cœli loco cum suis quantitatibus atq; dimensionibus constituitur.

MIN. Quorundam veterum Theologorum, qui de hac re disseruerint, locos tantum mihi designa, vt cum otio abundauero eos consulere possim. DOCT. Augustinus in primis copiose rem pertractat Epistola quinquagesima septima, & Tractatu 78. in Ioannem: deinde Theodoretus Dialogo 2. & 3. Vigilius martyr libr. contra Eutychen: Leo Magnus serm. de Ascensione: Ambros. libro secundo de fide: Fulgentius libro 2. ad Thrasimundum, & alij qui aduersus Eutychianos stylum exercuerunt. 14.

EVNDEM DOMINVM NOSTRVM super cælos sine horum diuisione aut fractione, cum corpore suo glorioso ascendisse; aduersus errorem 12.

CAPVT VII.

DOCTOR.

ERrore decimo tam stupidi sunt Vestri Geneuani, vt nolint cum vniuerso Christianorum cœtu sibi persuadere, Christum cum glorioso suo corpore super omnes cælos conscendisse, *sine vlla ipsorum corruptione aut reali partitione: sed per hiantem fracturam intrauisse contendunt*: ne fateri cogantur diuina potestate fieri posse, vt duo corpora simul eundem locum habeant. Duo Ministri Sureus & Spina in publico Pariensi colloquio, hunc errorem primo verbis, deinde scriptis contra datam fidem euulgatis, sibi peruicaciter propugnandum assumpserunt.

MIN. Legi, & relegi, sed nunquam probaui. Nam impium est tam obcæcate intel- Confutat. 1.
lectus humani limitibus infinitam Dei potestatem & virtutem restringere, vt id nõ credant Christum Dei filium fecisse, aut facere potuisse, quod carnali sensu suo non capiũt: cum tamen data sit ei omnis potestas in cœlo & in terra, qua plura maioraque efficere Matt. 28.
possit, quam capimus aut intelligimus. Ac ideo mihi satius esse videtur intellectum suum obsequio fidei captiuum reddere: 2. Cor. 10.
quando in huiusmodi operibus diuinis tota ratio facti, sit potentia facientis.

Ad confutandum porro errorem istum 2.
mihi sufficere videtur hic prim⁹ Christianę fidei articulus, *Credo in Deũ Patrem omnipotentem.* Symb. Ap.
Cum enim in cælo, terra, & omnibus

Ii 2 abyssis

A abyssis omnia possit efficere, vt scripturæ docent, infinita quoque miracula contestãtur: insuper nemo possit eius resistere voluntati, qua vniuersa ex nihilo facta condidit, regit, administrat; potuit sane idq; nullo labore præstare, vt assumpta humanitate sua Christus aerem, ignem, & cuncta corpora cœlestia magnifice penetraret, & sine eorum apertione aut hiatu eadem transcenderet. Enimuero si radij solis sua luce & virtute vitrum, quod est solidum corpus, sine illius iniuria penetrant, quanto magis cælestia illa corpora verus sol iustitiæ Christus id potuit? Quicunq; ergo istud diuinæ potestati detrahit, B Deum maxima gloriæ suæ parte nequissime exuit.

3. Dum etiam mecum perpendo, quantam hic Filius Dei à Patre suo potestatem acceperit, vtpote qui dicat, & vere dicat, *Omnia quæ habet Pater mea sunt: Pater in me manens, ipse facit opera: Pater dedit illi omnia in manibus: Omnia subiecit sub pedib. eius, &c.* mihi iure optimo videtur intoleranda horum nebulonum audacia, imo diabolica plane temeritas & impudentia, qua sic Deo omnipotenti, & coæquali eius Filio præscribere volunt, vt vilissimus quisq; Ministellus in suæ hæreseos præsidium audeat dicere: Deum hoc aut illud efficere non potuisse: C Cælos ingredi non potuit, nisi prius diuulserit, fregerit, & viam sibi fecerit, eo plane modo quo lupus aut aper obiecta sibi disrumpunt obstacula: aut fures muros sibi effodiunt vt furentur.

Matt. 11. Ioan. 5. 10. & 13. Ps. 8. 109.

DOCT. His adde, quod diuinis priuilegijs, dotibus ac perfectionibus Christi corpus, nostrorum omnium corpora adeo superauerit, vt nulla possit esse inter hæc satis iusta collatio: tametsi natura & substantia plane sint eiusdem generis atque speciei. Nam à Solo Spiritu sancto, sine vlla viri opera conceptum fuit in vtero Virginis, inde miraculo natum, & ad nulla vitia procliue. D In eodem quadraginta diebus & noctibus Dominus ieiunauit, super aquas incessit, in nube sole ipso clarior apparuit, inuisibilem & incomprehensibilem hostibus cum libuit, effecit: quæ omnia caducis nostris corporibus impossibilia sunt. Ea propter, etiamsi in viribus nostris non est situm, vt alia, eaque solida corpora sine apertione vitæ perrumpamus: non tamen inde hoc ipsum statuendum est de glorioso, immortali, atq; Filio Dei in vnitate personæ coniuncto corpore.

Luca 1. Matt. 4. 14. 15. Luc. 4.

MINIST. Hæc tam manifesta & certa sunt, vt nunquam mirari desinam, homines esse, qui velint illis aduersari: atq; sic præfracte diuinæ maiestati, potentiæ, gloriæ, & miraculis sese opponere, vt dicant Filium Dei in suum thronum cælestem integris cælis nequiuisse conscendere. Sed quid ea de re prisci Patres Ecclesiæ censuerunt? DOCT. Satis supra commemoraui, dum egi quo pacto salutis vteri Virginalis claustris, ex matre natus prodijt, sepulchro clauso sigillisq; Iudæorum munito exiuit, deniq; non apertis Cænaculi foribus ad discipulos suos intrauit. Nemini dubitandum, quin idem & senserint & docuerint de eiusdem Christi Domini super omnes cælos Ascensione. 5

Deniq; ex te quæro, An beati Angeli quoties ad nos è cælis descendunt, aut à nobis in cælos redeunt, toties cælos effringant & aperiant, vt viam aditumq; sibi muniant? MIN. Nequaquam. Sunt enim puri spiritus nulla carnis aut quantitatis mole concreti, qui his non indigeant. DOCT. Quale vero corpus Christi à sua resurrectione, aliorumq; corpora Sanctorum, post iudicium postremum futura existimas? MIN. Apostolus certe adfirmat illa fore gloriosa, incorruptibilia, spiritualia, & cælestia. DOCT. Ergo corpora illa, cuiusmodi maxime fuit corpus Christi à resurrectione sua, nihilo plus indigent ostio aut foramine, vt obductum quemlibet locũ ingrediantur, quam Angeli, aut alij beati spiritus, cum & ipsa sint cælestibus & spiritalibus præditi qualitatibus. Atque hoc sensu Paulus scribit, *Iesum Pontificem nostrum cælos penetrasse*, cum super illos ascendit: indeque venturum in voce Archangeli & tuba Dei, vt iudicet viuos & mortuos. MIN. De his iã satis, aliam ineamus disputationem. 6.

1. Cor. 15. Hebr. 4. Eph. 4. 1. Thes. 4.

CHRISTVM PROPRIE SEDERE AD *dexteram Patris: aduersus errorem 13.*

CAPVT VIII.

DOCTOR.

VT Satanas infestissimus gloriæ diuinæ atq; salutis humanæ aduersarius, nihil intactum & inuiolatum relinqueret, Caluino vestro persuasit, ipsam Christi ad dexterã Patris sessionem quibuscunq; posset artificijs & locis deprauare. Ait enim: *Sessio ad dexteram, metaphorice accipitur pro secundo, vel proxi-*

In cap. 21. Mat. v. 44. *proximo gradu, quem Dei Vicarius occupat.* Nec his contentus adhuc alibi reperit: *Dicitur*
In cap. 2. Mat. v. 64. *Christus sedere ad dexteram Patris, quia summus Rex constitutus, quasi secundam ab eo honoris & imperij sedem obtinet, quia eius est vicarius.* Rursumque idem inculcans scribit:
In cap. 16. Mat. v. 19. *Consedit à dextris Dei, perinde est ac si vocetur Dei vicarius, qui eius personam sustinet. Quare locum aliquem imaginari non conuenit, quem metaphorice dextera ... undam à Deo potestatem significet.*

MIN. Hæc Caluini verba esse non diffiteor: sed non satis video quid in his reprehendendum censeas. Num Deum Patrem corporeum esse iudicas, qui in throno aliquo resideat, veram habens dexteram, in B qua Christus & ipse sedens vt sessus resideat? DOCT. Minime gentium: nam Anthropomorphitarum crassa hæresis quondam fuit hæc imaginatio, ex verbo Dei damnata & repressa in veteri Ecclesia. MIN. Quid ergo? Caluinũ damnas, quod dexteram Dei metaphorice intelligendam censeat? DOCT. Nec istud quidem: imo in verbis istis: *Sedet ad dexteram Patris*, duplicem metaphoram cum sanctis Patribus agnoscimus & profitemur. Nõ hoc inquam, in Caluino coarguimus, quod dexteram Dei metaphorice dici iudicet: sed metaphoræ ab eo designatæ interpretationem, impiam, C ac sceleratã esse constanter pronunciamus. Nimirum, quod Sessionẽ Christi ad dexteram, *censeat tantum esse, secundum vel proximum gradum, quem apud Patrem obtineat; quod secundam ab eo honoris & imperij sedem habeat; quodq; sit Vicarius Patris*, quasi absentis vel otiosi. His namque substituuntur vicarii, seu locum tenentes.

Confut. 1. MIN. Cedo autem duplicem metaphoram, quam in hoc symboli articulo constituis: & quo pacto sensuque pio vtraque sit intelligenda. DOCT. Si sessionem Christi ad eius Diuinitatem referas, ipsammet Patris essentiam, maiestatem, gloriamque di- D uinam significat, quæ Filio etiam ab æterno cum eodem Patre vna & communis est, vt-
Lib. de Spiritu S. c. 6. pote consubstantiali, coæterno, & coæquali: Per hunc consessum, ait Basilius, naturam Dei solidam ac immutabilem scriptura
Baruch 3. significat, iuxta illud: *Tu sedes in æternum.* Et
Catech. 14. Cyrillus Ierosolym. adfirmat hanc dignitatem non conuenire Christo post aduentum eius in carnem: sed ante omnia secula: quia vnigenitus Filius Dei à dextris Patris semper
Li. 11. thesauri c. 7. assistebat. Cyrillus quoque Alex. vult, sedere ad dexteram Patris, esse ita propriũ Christo Deo, vt nulli creaturæ conuenire possit. Quæ ex Paulo sumpta videntur, quando ex hac Filii æqualitate, Diuinam eius naturam comprobat dicens: *Sedet ad dexteram Patris* Heb. 1.
in excelsis. Ad quem autem Angelorum dixit, Sede à dextris meis? Psal. 109.
MIN. Hoc sensu explicata Sessionis metaphora verissima & certissima est: Caluini autem interpretatio plane nefaria, quoniam filii Dei consubstantialitati, & cũ Patre æqualitati plane contradicit: quod est Arrianorum, Iudæorum, atque Turcarum impietatem inuehere.

DOCT. Sin vero Sessio ista ad Christum hominem referatur, non vnum significat. 2.
Primo enim denotat, Christum hominem post grauissimos plurimosq; labores, quos propter nos assumpsit, perfectamque salutis humanæ œconomiam, in cœlesti tandem patria conquieuisse. Qua de re dixit in Euangelio: *Oportuit Christum pati, & ita intrare in* Luc. 24.
gloriam suam. Paulus quoque huc respiciens, Heb. 2.
ait: *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Alibi etiam hanc Sessionem constituit velut vltimum terminum & scopum laborũ eius, scribens: *Christus Iesus mortuus est, & resurrexit, & est ad dexteram Dei.* Rom. 8.
Et rursum: *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam, &c.* Ephes. 1.
Et hoc sensu de viuis membris eius etiam dicitur: *Recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob, in regno cœlorum.* Matth. 8.
Dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Apoc. 14.
MIN. Hæc quoque interpretatio valde apposita est, & verbo Dei nixa: Caluini autem nefaria.

DOCT. Significat secundo hæc sessio, 3.
Christum hominem habitare quidẽ in gloria cœlesti, sed cum tanta dignitate, maiestate, & gloria, vt omnis ei potestas data sit in Matth. 28.
cœlo & in terra, constitutus sit caput super Ephes. 1.
omnem Ecclesiam, tanquam summus o- Philip. 2.
mnium Rex præsit omnibus, & velut viuorum & mortuorum Iudex in ipsomet Dei residens solio, à cunctis religiose colatur & adoretur. Hoc enim sensu *Sedere* in scripturis solet assumi, vt diligenter notauit Augu- Lib. 2. de
stinus, videlicet, vt sit gloriose regnantium, sym. c. ...
cum æquitate iudicantium, & cum eximia lib. 3. quæst.
potestate dominantium. MIN. Et hoc aper- in Le...
tis expressisq; verbis diuinis innititur. Hinc quæst. 24.
Dauidis & Salomonis regnum potentissi- 3. Reg. ...
morum throni & solia frequenter comme- 1. Reg. 2.
morantur. Dominus quoque dicitur *sedere* Isa. 6.
in solio excelso & eleuato: & senex dierum in Dan. 7.
Daniele, *sedere*; id est perfecte absoluteque regnare. Paulus quoque *Sessionis* istius meta-

 pho-

phorâm explicat per verbũ regnandi, cum A
1. Cor. 15. dicit: *Oportet illum (Christum) regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus eius:* alludens ad id quod in Psalmo à Patre Christo
Psal. 109. dicitur: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

4\. Atque hactenus satis de priore metaphora, quæ est, *Sedere*, secundum explica, nimirum, quid per *dexteram patris* cogitandum & credendum sit denotari. DOCT. Iam diximus quandam corporis partem quæ dextera nominetur, Deo nequaquam tribuendam esse, cum spiritus sit immensus & omnis materiæ atque quantitatis expers. MIN. Quid ergo designat *dextera* metapho- B
L. de cõ. ess. ra? DOCT. Primo iuxta DD. Athanasium,
L. 4. de fide c. 2. Damascenum, ac vtrumque Cyrillum, diuinam omnipotentiam, maiestatem, gloriam,
Cate. 14. & naturam, quæ filio Dei Christo ab æterno
Li. 12. thes. c. 7. communicata fuit, secundum quod ipse ait,
Matth. 11. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt: Mea omnia tua*
Ioan. 17. *sunt, & tua mea sunt.* Verba magni Athanasii
Orat. 2. cõt. Arrian. sunt; Quid significat sedere ad dexteram Patris, nisi germanitatem filii, ac Deitatem Patris, eandem quoque esse Deitatem filii?

5\. MIN. Sed hæc ad æternam diuinamque naturã eius pertinent: quæro autem de humanitate, secundum quam magis proprie dicitur sedere ad dexteram Patris? DOCT. C Secundo igitur *dextera Patris* designat supremam illam dignitatem, excellentiam, potestatem, & gloriam, quæ ratione coniunctionis hypostaticæ homini Christo conuenit: cuius ratione etiã quatenus homo est, cum Deo pari cultu honoratur & religiose adoratur:
Ioan. 5. iuxta quod ipse dixit: *Pater omnem potestatem dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* Et
Philip. 2. hac de re Paulus: *Dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestriũ, & infernorum.* Hinc
Ser. 1. de Ascens. vero Leo Papa: Neque vllis sublimitatibus D modum suæ prouectionis habitura (humana Christi natura) nisi æterni Patris recepta consessu, illius sociaretur in throno, cuius
Com in c. 1. ad Ephes. naturæ copulabatur in filio. Et Theodoretus exponens hæc Pauli verba, *Sedere eum facit ad dexteram suam*, scribit: Certum est Apostolum hæc omnia posuisse, tanquam de homine: ea enim de causa etiam admiratione ductus est. Quod enim qui Deus est, vna cum Deo sedeat, & qui est filius vna cum patre regnet, non est admirabile: quod autem sumpta ex nobis natura, eiusdem honoris cum eo qui sumpsit, sit particeps, hoc omne miraculum superat?

MIN. Num & aliud vlterius significat 6.
dexteræ Patris metaphora? DOCT. Significat tertio iudiciariam illam in viuos & mortuos potestatem, quæ homini Christo à Patre pro meritis data est: vt idem ipse Christus testatur: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Et Petrus Ioan. 5.
concione publica istud declarat his verbis: *Hic constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Paulus denique ait: *In hoc mortuus* Actor. 10.
est, & resurrexit, vt viuorum & mortuorum do- Rom. 14.
minetur. Hoc clarius latiusque explicat Augustinus lib. 2. de symbolo, c. 7. & 8.

MIN. Quid deniq; *dextera Dei* metapho- 7.
ra nobis de Christo homine sentiendum ac credendum designatur? DOCT. Quarto, quod summa omnium beatitudine in cœlis corpore & animo perfruatur: cum non solum electos omnes, sed & ipsos Angelos, Archangelos, Cherubinos & Seraphinos hac in re tantum superet quantum est à centro terræ ad summum cœlorum fastigium. MIN. Agnosco verba diui Pauli: *Constituit* Ephes. 1.
eum Pater ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Dauid etiam nomine *dextra Dei* omne genus fœlicitatis & beatitudinis comprehendens Psal. 15.
scribit: *Delectationes in dextera tua vsq; in finem.*

DOCT. Explicatis ergo Sessionis Chri- 8.
sti ad dexteram patris duabus metaphoris, earundemq; interpretatione expressis scripturæ ac veterũ Theologorum testimoniis confirmata, superest, vt in quibus quantisq; aduersus hunc fidei Christianæ articulum Caluinus cum suis aberret exponamus: ac deinceps errores illos paucis refellamus. Primo enim fallitur, quando Sessionem ad dexteram Patris, vocat, *secundum vel proximum ab eo gradum:* quoniam huiusmodi diuersitas graduum non potest esse inter diuinas patris & filii personas, in quibus est summa æqualitas: vt iam supra disseruimus. Secundo, aberrat, candem *sessionem* appellans *quasi secundarium à patre honoris & imperij sedem:* quandoquidem eadẽ sit omnino sedes, authoritas, & potestas, idemque Regiũ solium, Patris & Filii & Spiritus sancti. Tertio, dignitatem Christi filii Dei imminuit, vocans eum, *Vicarium patris*, quasi pater ipse cœlis aut terris abesset; aut instar Dei ab Epicuro confi-

confecti alicubi ferians resideret; nec res creatas curaret: atque idcirco *Vicario* illi opus esset. Quarto, cōtumeliosus est in Christum hominem, *nolens eum esse personaliter inuocandum & adorandum*, eodē cultu religioso quo patrem adoramus & inuocamus: quod etiam superioribus dialogismis diffuse confutauimus. Quinto denique à veritate fidei Christianæ omnino deficit, autumans *Christum nō esse enumeratas dignitates & glorias consecutum ex propriis meritis*: cuius contrarium supra ex scripturis verum esse non semel euicimus. Atque hi eius errores: aduersus quos, si quid ex eodem, sibi pro more repugnante, habes in promptu, deprome.

9. MIN. Certe alicubi summum imperiū, ipsamq; Dei maiestatem Christo aperte tribuit, scribens: *Hoc elogio*, Sede à dextris meis, *Christus statuitur summus & vnicus Rex, qui inter omnes fideles emineat. Nec vlla exceptio admitti debet, quin vbi præficitur Ecclesiæ redemptor, ad vnum omnes in ordinem cogantur.* Et non multo post: *Christus pro confesso sumit, eum qui numero hominum eximitur, & in eum honoris gradum euehitur, vt sit summum totius Ecclesiæ caput, non esse merum hominem, sed Dei quoque maiestate præditum.* DOCT. Atqui vnicum est regnum patris & filii: imo pater & filius non duo sunt Reges aut Domini, sed vnus Rex & Dominus: igitur Caluinus impius est secundum tantum gradū tribuens filio. Deinde, vnica quoque est patris & filii eius maiestas: igitur nec Christo secunda quædam honoris sedes adscribenda est, nec pro patris vicario solum reputandus.

In cap. 22. Mat. v. 43.

10. MIN. Alibi rursus ait, Christum dicendo, Data est mihi omnis potestas, &c. non absre de sua potestate præfari. *Nec enim sufficeret mediocris authoritas, sed summo diuinoque imperio pollere oportet, qui suo nomine vitam æternam promitti mandat.* Et paulo post: *Nunquam tam arduum munus aggredi Apostolis persuasum foret, nisi scirent in cœlo sedere suum vindicem, cui summum imperium datum esset.* Denique, eodem loco subiicit: *Meminerimus, quod Christus iure suo semper apud Patrem habuit, hoc illi in carne nostra datum esse. Non enim æternam potentiā iactat, qua præditus fuit ante creatum mundum: sed quam nunc accepit, dum ordinatus fuit mundi iudex, quo etiam pertinet illud Pauli, Exinaniuit seipsum, propterea exaltauit eum Deus, & dedit illi nomen quod est super omne nomen.* DOCT. Recte, & contra eiusdem errores. Etenim non secundam honoris & imperii sedem Christus in dextera patris obtinet; non secundum dignitatis gradum vt aliquis Vicarius possidet, vt in hæresi blaterat; si summo diuinoque (vt hic loquitur) imperio pollet: quoniam nec summo datur maius, nec patris diuinum bipartitum est per varios gradus imperiū, vt ipse quidem primum, filius autē secundum tantum obtineat locum. Deinde, si Christo datum est summum in cœlo imperium, & Sessio eius ad dexteram patris, quid longe augustius & præstantius est, quam simplicem vicarium Dei esse. Præterea, cum sedendo ad dexteram Patris hoc illi datum est in carne nostra, quod iure suo semper apud Patrem habuit, profecto datum est illi vt in carne nostra religioso cultu adoretur & inuocetur: quod Caluinistæ flagitiosissime alibi negant. Postremo, cum tanta gloria, potestas, & authoritas regnandi atque iudicandi, illi donata sit in carne, & donata *propterea quod exinaniuit semetipsum obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis*: equidem certe nequissimus est Caluinus alibi negans Christum sibi quicquam meruisse.

In cap. 28. Mat. v. 18. *Philip. 2.*

Caluinus demum iam nolens Christum vicarium esse, aut in secundis tantum residere; primas eidem cum Patre tribuit, dicens: *Christus per resurrectionem mortis victor emersit, ac de eius potentia triumphauit. Et plus etiam Apostolus addit, nempe ipsum nunc sedere in patris dextera: quo significatur, ipsum cœli ac terræ dominium obtinere, plenumque rerum omniū arbitrium ac moderationem, sicut habetur Ephes. 1. v. 20.* Et in Institutione de hac re ex professo differens, suos vicariatus, & secundas imperii ac honoris sedes penitus oblitus, ait: *In patris dexteram receptus dicitur, ac si diceretur cœli ac terræ dominio inauguratus, commissæ sibi administrationis possessionem solenniter adiisse: nec semel adiisse tantum, sed in ea perstare, donec ad iudicium descendat. Sic enim Apostolus interpretatur, cum ita loquitur: Constituit illum Pater ad dexteram suam supra omnem principatum & potestatem, &c. Vides quorsum pertineat illa sessio, nempe, vt eius Maiestatem tum cœlestes tum terrenæ creaturæ suspiciant, manu eius regantur, virtuti subiectæ sint.* DOCT. At hoc ipsum est proprium & verum imperium, hoc idem regnum Dei Patris: ergo Christo sedenti ad dexteram eius, non est datus tantum secundus locus aut gradus imperii & honoris: sed idem vnicus ac primus, vt vere cum patre sit vnicus & verus omnium rex, imperator, rector, Deus atque dominus. 11.

In cap. 8. Rom. v. 34. & in c. 10. Heb. v. 11. *Lib. 2. c. 16. §. 15.* *Ephes. 1.*

Si quid porro ex Protestantibus etiam 12.
occur-

occurrit tibi, quod vltimam Caluini sententiam corroboret, primam vero ac hæreticam oppugnet, lubens audiero. MIN. Palatini ministri, qui contra VVirtebergicos in Colloquio Malbrunnensi steterunt, multis primum Scripturis euincunt, *Christi sessione ad dexteram patris, significari eius Regale officium, gubernationem & gloriam, vtriusque naturæ summam perfectionem, & cultum ab Angelis & hominibus debitum.* Deinde, idipsum confirmant Augustini, Cypriani, Theodoreti, & Basilii magni testimoniis. Præterea, Melanthonis hic locus productus fuit. *Sedere ad dexteram Dei, est regnare pari potentia cum Deo.* Denique etiam Lutheri scribentis: *Christus iubetur sedere ad dexteram patris, hoc est, idem regnum, eandem potentiam, eundem honorem & gloriam tenere.* Citantur etiam ibidem hæc Brentii verba, *Omnia videre, audire, gubernare, & administrare, vere est ad dexteram Dei sedere. Et ad dexteram Dei sedere, est omnia videre, omnia audire, omnia administrare, quæ summa est Maiestas, quam Deus soli homini Christo, nulli vero Angelorum aut hominum dedit.* DOCT. Sed Christus Deus simul & homo est idem cum patre Rex, eadem præditus perfectione, potestate ac prouidentia, vt simul cum eo cuncta moderetur; & ea ratione dicitur ei adesse in dextera: non ergo ratione cuiusdam vicariatus, aut secundæ potentiæ.

1564. In Epitom. pag. 184. 185. 186. &c.

In Ps. 119. In eundem Psal.

Epitomes pag. 206.

MIN. Atque hæc mea aduersus eum argumenta: tu ex scripturis nunc age. DOCT. Caluiniana figmenta redarguunt, & doctrinam Catholicam de vera Christi ad dexteram patris sessione corroborant plurimi & grauissimi Scripturarum loci, quibus ea exprimitur, declaratur, inculcatur. Quemadmodum in Dauide, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Apud Matthæum: *Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei.* Apud Marcum: *Assumptus est in cœlum, & sedet à dextris virtutis Dei.* Apud Lucam: *Ex hoc erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.* Paulus quoque de eadem frequenter concionatur, vt in Epistola ad Romanos: *Christus Iesus mortuus est, imo resurrexit, qui & est ad dexteram Dei.* Et ad Ephesios: *Suscitauit eum Pater à mortuis, & constituit eum ad dexterã suam in cœlestibus, &c.* Et ad Philippenses, metaphoram dexteræ & sessionis explicans, ait: *Omnis lingua confiteatur, quia dominus noster Iesus Christus est in gloria Dei patris.* Eandem explicationem postea quoq; confirmans, & summum imperium quod vnicum cum patre possidet, describens & annuncians scribit: *Christus est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terris, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Et postea: *In ipso habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Nec multum post: *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.* Denique etiam tertio eiusdem meminit in epistola quæ est ad Hebræos, inquiens. *Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. In perpetuum sedet in dextera Dei. Proposito sibi gaudio, sustinuit crucẽ confusione contempta, atq; in dextera sedis Dei sedet.* MIN. Oportet sane Caluinum hominem fuisse nequissimum & flagitiosissimum, qui tot tamque sanctis de Sessione Christi ad dexteram Dei testimoniis, nescio quæ Vicariatus & secundarum sedium figmenta ausus est substituere: Apostolis præsertim tam clare illam per virtutem, maiestatem, gloriam cœlestem, summum rerum omnium dominium & primatum, plenitudinem denique diuinitatis in eius humanitate inhabitantem, interpretantibus atque declarantibus. Nec ad maiorem hæreseôn eius condemnationem, quid amplius requiro.

Psal. 109. Matth. 22. Matth. 26. Marc. 16. Rom. 8. Ephes. 1. Philip. 2. Coloss. 1. Coloss. 2. Coloss. 3. Heb. 1. Heb. 10. Heb. 12.

QVOD IDEM DOMINVS NOSTER sedens in dextera patris, non solum effusi sanguinis sui efficacia & merito, sed etiam precibus feruentissimis & assiduis pro nobis apud eum intercedat: aduersus errorem 14. & 15.

CAPVT IX.

DOCTOR.

NOn solum à Catholicis, verum etiam à Tilemãno Heshusio Lutheranæ Theologiæ professore, alterius quoque impietatis in Christum damnatur vester Caluinus: eius nimirum, qua negat Christum in cœlis mediatoris officio fungentem, feruentes preces ac orationes assidue pro nobis ad Patrem fundere. MIN. Equidem in eius operibus legi: *Virtus sacrificij Christi, quo semel Deum placauit, semper vigens & efficax sanguis quo expiauit peccata nostra, obedientia quam præstitit, continua est pro nobis intercessio.* Quibus verbis, in toto officio Mediatoris Christi nullas alias preces aut intercessiones agnoscit,

L. de aliquot err. Cal.

In c.16. Io.

scit, quam virtutem passionis & sanguinis effusi efficaciam semper vigentem. Alibi rursum ait: *Christum semper adesse coram patre cum sua morte & resurrectione, quæ locum perpetuæ orationis, & virtutem feruentis intercessionis ad nos patri conciliandos obtinent*: nullas alias preces seu mente conceptas, seu verbo explicatas & fusas agnoscens in toto Mediatoris officii exercitio.

In cap. 8. ad Rom.

Confut. 1.

DOCT. Tu quid de hoc articulo sentias palam edicito. MIN. Plane hæreo, nec in quam partem magis inclinem nondum statui: quoniam eundem Caluinum & Bezam hac in re nutantes comperio. Deinde, quædam obiici, nec facile solui posse sentio; quæ duo in ancipites cogitationes me distrahunt. DOCT. Dic prius in quo vacillent Caluinus & Beza; cætera suo ordine discutiemus. MIN. Caluinus alio à superioribus Ipso cōfitetur, etiam Orationes tam mente conceptas, quam voce expressas ad Mediatoris officium pertinere, quando id explicans quod Matthæus scribit, Christum dimissis Discipulis atque turbis, ascendisse in montem ad orandum, ait: *Verisimile est Dei filium suorum salutem non neglexisse in precibus: mirum tamen est, cur non potius occurrat periculo, quam intentus sit ad orandum. Verum vt mediatoris partes impleret, vere se Deum & hominem esse ostendit, ac vtriusque naturæ documenta præbuit quatenus res ferebat.* His enim verbis, & mente & verbo apud patrem fundere preces pro nobis, ad officium partesque veri Mediatoris spectare docet. Beza vero in colloquio Mompelgartensi palam pronunciauit; *Mediatoris officium est, non solum per passionem & mortem suam, nos Deo patri reconciliare: sed etiam Mediatorem agere in cœlis, vbi pro nobis apud patrem adhuc intercedit. Item officium eius est, nos quoque accersere, vt cum ipso simus, sicut scriptum est: Pater, volo, vt vbi ego sum, sint etiam mecum quos dedisti mihi.* Atqui huiusmodi intercessio non est sola mortis efficacia, aut solius effusi sanguinis virtus: sed oratio tam mente concepta, quam voce effusa coram Patre, pro nobis. Igitur, non sola passionis efficacia, sed & precibus & orationibus assiduis Christus nobis coram Patre suffragatur.

Matth. 14. In cap. 14. Mat. v. 23.

Colloq. pag. 329. 330.

Ioan. 17.

2. DOCT. Recte & scite ita colligis. Nam idipsum nunc apertissimis rationibus, firmissimis scripturis, euidentissimisque veterum Patrum testimoniis aduersus superiorem Caluinianorum errorem comprobabo: tū ea quæ veteribus his repugnantia diluam. Credis sanctissimam Christi hominis

A voluntatem in cœlis non esse otiosam, vel in diuina charitate ac gloria dormitantem aut torpescentem? MIN. Non dubito eā cunctis viribus Deum diligere; & tam in communi quam in particulari cunctorū hominum salutis appetentissimam esse: alioqui non solum otiosa, sed & omni charitate in consanguineos, fratres, & proximos suos exuta esset: quod nefarium est solum cogitare. DOCT. Atqui huiusmodi appetentia, votum, ac desiderium ad eam veræ orationis speciem pertinet, quæ mentalis nominatur. Igitur ex fide certum & manifestum est, eum proprie pro nobis apud patrem etiam B per orationes intercedere atque patrocinari, non sola mortis ac sanguinis efficacia. MIN. Caluinus certe concedit, Angelorum orationes passim in Scripturis reperiri: & quæ in cœlis sunt sanctorum animæ nos magna prosequi dilectione, regni Dei complementum flagrare, charitatem earum inclusam esse in corpore Christi, & eas hoc modo pro nobis precari: vnde concludo, vehementes affectus, sanctaque sanctarum voluntatum desideria, veras & efficaces esse preces coram Deo. Atque ita indubitatum erit Christum etiam expresse fusis precibus suis apud patrem partes Mediatoris adimC plere, non autem solo passionis aut obedientiæ merito.

Inst. lib. 3. c. 19. §. 23. & 24.

DOCT. His adeo, patrem solenni ac religioso iuramento Christum constituisse verum sacerdotem & summum Pontificem nostrum, nō ad breuissimum vitæ suæ mortalis curriculum, neque ad aliquot secula vt lege Mosaica statuti fuerant Leuitici pontifices, *sed in æternum*. Ad officiū autem Pontificis non tantum spectat sacrificia offerre, sed & preces mente & voce pro aliis effundere coram Deo. Quare certissimum est, Christum adesse coram patre, tantum orationibus suis & precibus assiduis, quantum D sua passione morte & sanguine. MIN. Sic omni ex parte scripturis innixum mihi videtur hoc tuum argumentum, vt nullo pacto queat dissolui. Dauid namque & Paulus testificantur, Deum patrem iurasse, quod nullo vnquam tempore retractabit magnū iuramentum, Christo filio suo Seruatori nostro: *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* In lege autem frequens est præceptum de oratione à Sacerdotibus & Pontificibus pro populo apud Deū facienda: prostantque Aaronis, Eleazaris, Heli, & aliorum de his illustria exempla. Nō est ergo du-

3. Psal. 109. Heb. 5. 7. 9.

Leu. 12. 14. Num. 11. 21. 1. Esdr. 6. 1. Reg. 12.

go dubitandum, quin Christus æternus Sacerdos & Pontifex noster perpetuis orationibus pro nobis apud patrem intercedat.

4. DOCT. Ad hoc etiam pertinent hæc
Heb. 7. Pauli clarissima de Christo verba: *Hic eo quod maneat in æternum sempiternum habet Sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Vtitur igitur non sola vi mortis & passionis suæ, sed & interpellationibus precũ, vt patrem nobis conciliet.

5. Quod adhuc apertius idẽ Apostolus de-
Rom. 8. clarat, scribens eundem resurrexisse à mortuis, sedereque ad dexteram patris, & inter-
Epist. 59. pellare pro nobis. Hoc Augustinus explicans ait: Nunquid interpellat, & non etiam postulat? Imo vero quia postulat, pro eo positũ est interpellat. Et hoc altero euidentiori scripturarum testimonio confirmans subiicit. Euidenter quippe alibi de eo dici-
1. Ioan. 2. tur: *Si quis peccauerit, aduocatum habemus ad patrem, Iesum Christum iustum. Ipse est exoratio pro peccatis nostris.* Quod & à Diuo Ambro-
Com. in c. 8. Rom. sio, vtpote discipulus à præceptore didicisse videtur, quoniam hic etiam scribit: Christus semper causas nostras agit apud Patrem: cuius postulatio contemni non potest, quia in dextera Dei est.

6. MIN. Hæc profecto tam certa & aperta sunt, vt etiam Petrus Vermilius, qui viuens in delitiis se Martyrem cognominauit, Caluinismum hac in re condemnans, in hunc
Com. in c. 8. Rom. Apostoli locum scripserit: *Quum regnet in cœlis Christus, patrem pro nobis orat.* Et postea: *Preces quas pro nobis assidue fundit, patri sunt gratissimæ & acceptissimæ.* Quibus apparet Caluinum aduersus Apostolicam doctrinam, etiam à symmistis obseruatam & explicatam insurgere, cum hanc Christi intercessionem ad efficaciam & quandam virtutem tantum restringit.

7. DOCT. Omnium autem apertissimum pro precibus Christi testimonium est hoc quod idem morti vicinus ait: *Ego rogabo pa-*
Ioan. 14. *trem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum Spiritus veritatis.* Non enim potest ad solam mortis efficaciam aut perpetuam obedientiæ, aut effusi sanguinis virtutem restringi, cum tam diserte dicat, *Ego rogabo*: igitur Christus mediatoris officio suo fungitur non solius mortis & passionis suæ coram Patre oblatione: sed & precibus feruentissimis, assiduisque pro salute nostra rogationibus.

8. MIN. Iam de hac parte nihil dubito, tantum postulo, vt si quod tibi occurrit conueniens Augustini testimoniũ, illud nunc de- L. Medi. c. 5.
promas. DOCT. Ille patrem per filii orationes sic pie deprecatur. Sic te omnipotens pater, per omnipotentis filii charitatem postulo, educ de carcere ad confitendum nomini tuo animam meam: Libera me à vinculis peccatorum, per coæternum flagito vnicum tibi natum: neque cui propria merita letalem minantur sententiam, pretiosissimæ ad dexteram tuam consedentis prolis interpellatione restaura placatus ad vitam. Quem enim alium dirigam intercessorem tibi, nescio, nisi hunc qui est propitiatio pro peccatis nostris, qui sedet ad dexterã tuam interpellans pro nobis. Ecce aduocat[9] meus 1. Ioan. 2.
apud te Deum Patrem. Ecce Pontifex sum- Rom. 8.
mus, qui non alieno eget expiari sanguine, Heb. 7.
quia proprio refulget perfusus cruore, &c.

MIN. Hæc mihi satis sunt, quandoqui- 9.
dem videã Caluinianam impietatem apertissimis rationibus, sacris Scripturis, Patrumque testimoniis certissimis refutatam & damnatam. Tantum ad hoc respondeas velim. Cum statuis Christum pro nobis preces ad patrem fundere, num eum imaginaris genua ponere, manus extendere, humiq; prouolui, vt olim in horto oliuarum fecit: Matth. 26.
aut cum clamore valido & lachrymis ad eũ Heb. 5.
exclamare, vt cum adhuc mortalis de cruce penderet? DOCT. Absit, absit à nobis hæc tam crassa de Christo nunc immortali, & glorioso cum patre regnante cogitatio. Huiusmodi etenim demissio ad tempus exmanitionis illius pertinet, non ad tempus glorificationis & exaltationis, in quo data est illi Matth. 28.
omnis potestas in cœlo & in terra; simulque omnis infirmitatis expers sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, vnde venturus est iudex viuorum & mortuorum. Imo vero cum Chrysostomo docemus, eum esse in o- Homil. 15. ad Rom.
mnibus patri æqualem, eiusdem solii ac gloriæ consortem: & cunctam habere nos exaudiendi, saluandi, & liberandi potestatem. Humiles autem supplicis conditiones istas tum ei solum conuenisse, cum adhuc formam serui gereret: non autem cum omnis honoris & gloriæ coronam adeptus, ad excelsum diuinumque thronum euectus est, vbi diuina maiestate collucet & regnat.

MIN. Quid? Negares mortis Christi fru- 10.
ctum semper recentem, virtutem sacrificii in cruce peracti perpetuam, sanguinem pro nobis semel effusum locum efficacissimæ orationis coram Patre obtinere? DOCT.

Imo

Imo hæc omnia constanter credimus atque prædicamus. Insuper, cum sanctis Patribus profitemur, eundem dominum nostrum patri suo suscepta pro nobis vulnera perpetuo contemplanda obiicere, vt peccatorum nostrorum obliuiscatur. Ad hæc, quod seruatæ in corpore suo plagæ salutis humanæ exigant pretium, & obedientiæ donatiuum requirant. Hæc omnia vicem efficacissimæ orationis subeunt. Sed vt ex scripturis, patribus, imo & hæreticorum ipsorum iudiciis ostendimus, super hæc omnia idē Christus vt mediatoris officio omni ex parte respondeat, etiam precibus tam mente conceptis quam ore expressis apud patrem pro nobis interpellare non cessat, nec in æternum cessabit, tam copiosa est apud eum redemptio.

Ambr. lib. 10. in Luc. Aug. serm. 145. de tēp. & Tract. 121. in Io. Hilar. l. 3. de Trinit. Cypr. ser. de bapt. Christi.

CHRISTVM AB ASCENSIONE sua in cælos, aliquoties secundum humanitatem vere apparuisse in terris: aduersus Caluinianorum 16. errorem.

CAPVT X.

DOCTOR.

Contra diuinarum Scripturarum fidem, historiarū Ecclesiasticarum veritatem, veterumque patrum consensionem, Vestri pertinacissime contendunt, Christum secundum assumpti hominis veram præsentiam, ex quo semel cœlos conscendit, nunquam in terris vere apparuisse: ne in Sacramentarii erroris sui præiudicium admittere cogantur, vnum & idem corpus posse vi diuina in duobus aut pluribus locis simul subsistere. Etenim quinque ministri Heidelbergenses Sacramentarii, qui aduersus totidem Tubingenses Lutheranos in Colloquium Mulbrunnense conuenerunt, verbis & scriptis defenderunt, *Christum suo corpore non hic infra in terris, sed supra in cœlo & esse, & manere, donec rursum inde descendat, viuos & mortuos iudicaturus.* Quos perstringens Brentius scripsit: *Facile intelligi potest, qua ratione Cingliani Christum hominem in certam aliquam sedem collocent, in qua vsque ad nouissimum diem permaneat, cuius famulus sit diuinitas, quæ omnia in cœlo & in terra administrat; & ad hominem Christum de omnibus actionibus suo tempore referat. Aliter enim (ita me Deus amet) illorum opinionem intelligere non possumus.* MIN. Quod de Cinglianis dicitur, nō satis capio. DOCT. Mentem adhibe, & facile capies. Legisti ASINVM AVEM? MIN. Ex Africa forsan, nouus hospes reuenis, vt nobis spectra nouaque monstra canas. DOCT. Tubinga, Heidelberga, Tigurum, sunt ne tibi Africæ ciuitates? MIN. Minime gentiū. DOCT. Ex his tamen oris vere prodiit in orbē memoratus Asinus auis: qui à plurimis adhuc videtur, auditur, & legitur. MIN. Dauus sum fateor, non Oedipus: ænigma tu dissolue. DOCT. Tubingensis minister librum edidit in Sacramentarios, quē cum ob plurima alia, tū maxime eorundem argumentorum cocysmos, appellauit CVCVLVM CALVINISTICVM. Vt hi par ei referrent, Libellum & ipsi emiserunt nomine FALCONIS, qui in Vbiquitarium Cuculum ferociter inuolans, illum rostro, vnguibusque deplumaret, laceraret, & misere perderet. Ne causæ suæ tum videretur deesse Tubingensis, hoc quod putas Africanū monstrum, ego vero librum, concepit, peperit, euulgauit, orbi spectandum exhibuit, nuncuparique voluit, *ASINVS AVIS, hoc est, Metamorphosis noua, qua nouitius quidam Sacramentarius Marcus Bomlerus, dum temere in auem falconem transire voluit, ridiculo errore in asinum commutatus est:* ibique quantis potest argumentis efficit, Bomlerum stupiditate, inscitia, & ruditate Asinum se, non Falconem demonstrasse. Hoc igitur Libello Tubingensis, ait: *Scripserat Cinglius* (alii Zuinglium nominant) *de Christo: Abesse sinamus, donec veniat, præsertim cum corpore eius nihil opus habeamus. Id cum nō possit defendere, pernegat, inquiens illud in suorum scriptis non reperiri. Respondeo: Bona verba, mi Aselle, expecta pauca, & patefaciam tibi & tuis socordiam & negligentiam tuam. Sunt ergo hæc Cinglij verba in Exegesi sua. Ecce tibi Asine, librum. Iam attende locum integrum: Abesse ergo sinamus; ait ille, donec redeat: cum corpore eius nihil opus habeamus. Iam iudicent fratres tui Asine, egone calumniator sim, an vero tu ignauus & impudens Asinus.* MIN. Adeone honestis titulis ac verbis inter se fabulari, & de rebus sacris ac seriis colludere, placet Lutheranis & Sacramentariis? Ac in seipsis adimplere, quod Apostoli dudum prædixerunt: *In nouissimis diebus venient illusores, iuxta proprias cōcupiscentias ambulantes?* Nesciunt scriptū esse: *Abominatio Domini est omnis illusor? Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam?* Sed institutum persequamur. Video quidem ex his Cinglianos seu Zuinglianos ita Christum hominem cœlis claudere, & corpus eius sic fastidire, vt eo se nihil opus habere iactitent.

1564. Epitome pag. 215. Pag. 206. Pag. 54. 55. 2. Pet. 3. Iuda v. 18. Prou. 3.

Sed quid hoc ad Caluinianos, quorum gratia instituta est hæc quæstio? DOCT. Multum per omnem modum: quoniam in eodem prorsus hærent luto. Quod vel ex his Bezæ in publico Mompelg. colloq. verbis manifestum ac certum est: *Christus post ascensum suum in cælum*, inquit, *suo corpore in terris nunquam amplius præsens fuit*. (Pag. 150.) Prodiit etiam ex hoc grege quidam nomine Fortunatus, qui responsionibus suis ad argumenta Gregorii Valentiani ex Societate Patrum præclari perdoctique Theologi, eodem se errore inuoluens commaculat. Quinetiam author Clypei vestræ fidei omnem Christi humanam præsentiam è terris relegans, sic in cœlorum quodam loco eandem claudit, vt nec posset inde ad diem vsque iudicii exire, vt alibi vsquam sese exhiberet. *Ecquid* (ait impius domini nostri irrisor atque contemptor) *otiosus degeret in terris, cum sic nec posset docere, nec signa facere, nec nobis nec sibi aliquid prodesse?* MIN. Iam plus satis huiusmodi probationum: superest vt euidentissimis ac firmissimis argumentis sententiã istam refellas, & aduersam constabilias.

Confut. 1. DOCT. Agedum, ab eo exordior, quo Christus aliquanto post Ascensionem suam refertur à beato Luca Paulo apparuisse, idq; (Act. 9. 26. 1. Cor. 15. 2. Cor. 12.) clara luce, atque in via, qua Damascum multo satellitio stipatus pergebat, vt si quos inuenisset religionis Christianæ professores, vinctos perduceret in Ierusalem. Ac primo certum est istam apparitionem nec pure spiritalem, nec imaginariam, sed vere corporeã fuisse, tam ex parte domini in vero corpore sese exhibentis, & humana voce loquentis; quam ex parte Pauli eundem cernentis, audientis, & respondentis. Hoc enim manifeste probat verum colloquium inter hos factum: deinde, ista Christi hominis apposita descriptio: (1. Cor. 15.) *Ego sum IESVS NAZARENVS, &c.* omnino eadem cum illa, qua se Iudæorum militibus in horto vere manifestauerat & exhibuerat: omnium autem maxime, quod Paulus ex hac Christi hominis sibi facta exhibitione, veram eius resurrectionem confirmat. Hoc autem argumentum eius nullum prorsus esset, si non in vera carne sua illum conspexisset & audiuisset. MIN. Non possum non tibi hac in re consentire, adeo ex sacris literis confirmatæ sunt singulæ probationis tuæ partes: nisi cum Beza & Palatinis dixero, Christum de cœlis sursum visum esse, non hic in terris deorsum. DOCT. Imo vero in terris prope & visus & locutus est, dicente ad Paulum beato Anania: *Saule frater, Dominus misit me IESVS, QVI APPARVIT TIBI IN VIA, QVA VENIEBAS.* (Actor. 9.) Item: *Deus Patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres Iustum, & audires vocem ex ore eius.* (Actor. 22.) Itaque non de cœlorum immensa sublimitate Christus Paulo fuit conspicuus: sed de via prope, qua ambulabat: & cum eodem de via collocutus est, ita vt facile vtriusque vox ex ore procedens auribus caperetur. MIN. Hæc omnia aperta & certa sunt: & iccirco Sacramentarii vere contra diuinarum Scripturarum fidem insurgunt, cum omnem Christi hominis in terris à sua Ascensione exhibitionem inficiantur.

2. Istud porro etiam mihi nunc in memoriam reuocat, quod legerim Caluinum huius argumenti pondere & virtute sic superatum & conuictum, vt volens nolens veritati cesserit, scribens. *Quod Christus in vita sua immortali seipsum Paulo manifestauit. Et quia non falsa id visione factũ est, sufficiens fuit ad confirmandam resurrectionis fidem.* (In cap. 15. 1. Cor. v. 8.) His si addideris Theologorum VVittenbergensium, qui Colloquio Malbrunnensi adfuerunt (Pag. 265.) aduersus Heidelbergenses, aperta certaque iudicia de Christo homine Paulo seipsum in via manifestante; adeo vt tunc vere fuerit simul in cœlis & in terris; habebis præsentem Sacramentariorum errorem non solum verbo Dei, sed & Caluini & Lutheranorum iudicio confutatum atque damnatum.

3. DOCT. Audi & alteram non minus certam eiusdem Christi in terris, eidem quoq; Apostolo factam visionem & collocutionem. *Sequenti nocte*, postquam cum Sadducæis & Pharisæis disputauerat Paulus, *assistens ei Dominus ait: Constans esto, sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.* (Actor. 23.) Ecce dominus, nimirum Christus Deus simul & homo: nam duæ istæ in eo naturæ semel vnitæ nunquã postea à se inuicem distractæ sunt. Ille inquam, in vero corpore cum quo resurrexerat, & cœlos petierat, apparet Paulo, cum eodem familiarissime loquitur, addit inter vincula & cruciatus animos; & quid de sua captiuitate sit futurum, indicat. Et ne de hac vera Christi in terris altera manifestatione & secundum hominem vera præsentia dubites, ecce Chrysostomum, Theophylactum, ac Oecumenium doctores Græcos; Bezam quoque inter Latinos venerabilem habes eiusdem interpretes & assertores.

MIN.

4. MIN. De horum fide & assertione non dubito: sed tantum quæro, Quid Bezæ respondendum sit, dicenti, *Reuelatio, de qua Act. 23. scribitur, qua Christus Paulo apparuisse dicitur, nocturna visio fuit?* DOCT. Idem quod Tubingenses responderunt, nimirum: *Inspiciatur textus, & manifestum fiet omnibus, quod hanc glossam, non possit admittere. Sic enim verba sonant: Sequenti autem nocte assistens ei Dominus,* ἐπιστὰς αὐτῷ κύριος, *ait: Bono animo esto Paule, &c. Vbi expresse ponitur vocabulum* ἐπιστὰς. *Assistens, quod non de visione intelligi potest. Id dum vestri interpretes* (subijciunt Tubingenses, ad Bezam & alios Geneuanos) *contra expressam literam negant, tam varias interpretationes adferunt, vt se inuicem misere iugulent & confutent. Quod fieri necesse est, cum veritati manifestæ cedere nolunt.* Hæc Lutherani aduersus Caluinianos.

Colloquij Mompelg. pag. 150. 151.

5. MIN. Inde sane plurimum confirmatur à me concepta ea de re fides, aduersus Hugnosticum errorem: sed ad maiorem eius amoris, quo Deus suos in terris complectitur, probationem, alias rursum ex Patribus, Christi in terris apparitiones referas quæso. DOCT. Ab illa ergo incipiam, cuius antiquissimi & sanctissimi viri Dei Egesippus, Origen. Athanas. & Ambros. sunt authores. Nimirum Christum cum corpore suo, Romæ, apparuisse Petro, ex carcere Neronis consilio & adhortatione Christianorum fugienti. Tam clare autem & familiariter sese ei manifestauit, vt Petrus quæsierit, domine quo vadis? Petro autem cum respondit dominus: Romam, iterũ crucifigi, ilico disparuit, sicut Discipulis euntibus in Emmaus olim contigerat. Quod Petrus intelligens id in persona eius amplius fieri non posse, in carcerem redijt propediem crucifigendus? MIN. Certe vt historia grauissima est, sic adeo graues habet authores, vt fidem illis detrahere insignis sit impudentiæ.

L. 3. de excidio. Tract. 21. in Ioan. Apolog. de Fuga. Epist. 32. Luc. 24.

6. DOCT. Refert etiam vir plane Apostolicus Dionysius Areopagita, beatum Carpum, cuius Paulus quoque meminit, semel vidisse Iesum de sede cœlesti consurgentem, & ad terram descendentem, vt opem ferret quibusdam hominibus, & dicentem, *Paratus sum iterum pro saluandis hominibus pati.* Idem quoque de magno Antonio, & ipse multis nominibus magnus Athanasius refert in eius vita.

Epist. 8.

7. Sed omnium celeberrima fuit illa Christi facta sanctissimæ Matri suæ apparitio, qua cum multitudine Angelorum occurrit beatissimæ illius animæ ilico vt è corporis ergastulo discessit; vt eam secum in cœlestia loca deferens in perpetuum bearet. MIN. Hoc si testibus fide dignis confirmaueris, tecum credam & profitebor. DOCT. B. Anselmus ante quadringentos annos scripsit. Ipse Iesus Deus & dominus omnium, huius castissimæ Virginis & dominæ sicut suæ vnicæ Matri totus festiuus occurrere volebat. Et post pauca subijcit: Stipatus mille millibus, imo innumerabilibus Angelorum agminibus, Deus ipse huic pijssimæ matri suæ, de hoc mundo migranti occurrit. MIN. Hoc quidẽ sancti & perdocti Patris testimonium ædificat: sed antiquiores audire peroptarẽ. DOCT. Hildephonsus Toletanus Anselmo plus 300. annis superior, ea quoq; de re scripsit: Ideo Christus humilis ad humilem Virginem venit, vt de tam profunda humilitate triumphum erigeret salutis, & exaltaret eam super choros Angelicos. Sophronius vtroque adhuc superior, ait: Creditur quod Saluator omnium ipse quantum datur intelligi, per se totus festinus Matri occurrit, & cum gaudio eam secum in throno collocauit. Alias autem quomodo impleuisse creditur, quod in lege præcepit, *Honora patrem tuũ, & matrem tuam?*

Lib. de excell. virg. c. 8. Ser. 3. & c. de Assum. Ad Paulam & Eustoc. Exod. 20. 8.

MIN. Si Patres Græcos ac Orientales idẽ sensisse intellexero, non parua fidei meæ fiet accessio. DOCT. Per hoc non stabit quo minus tibi satisfaciam, & studium tuum expleam, Niceph. Calixt. Ioanne Lango, qui magis vobis quam nobis studuit, interprete, de hoc diuino filij occursu ait: Cœlitus filius eius cum innumerabili Angelorum exercitu descendit, animam illius sanctam assumpturus. Damascenus eo adhuc antiquior, eadem fide scripserat: Christus aduenit ad suã parentem, diuinisque & ab interitu alienis manibus suscepit eius puram, & nulli culpæ affinem animam. Tertium Patrem Græcum adducam, Simeonem Metaphrasten, inquientem: E cœlo quidem descendit Mariæ Filius, illius diuinam assumpturus animam. Et obitum eiusdem Deiparæ ita describit: Videbat iam Dominum ad se venientem cum multitudine Angelorum. Et cum rursus ipsa dixisset, Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum, emisit tanquam in somno spiritum, & eum in amicis deponit filij manibus. Audisti tres Latinos totidemque Græcos Patres constanter credidisse, docuisse, & scriptis posteris reliquisse, Dominum nostrum cum sua humanitate glo-

Lib. 2. hist. c. 21. Serm. de Dormit. Sanctiss. Deiparæ. Orat. de vita & dormit. Deiparæ.

riosa in monte Sion Matris suæ obitui adfuisse, & animam eius ad se suscepisse. MINIS. Profecto si in ore duorū vel trium testium stat omne verbum, multo magis in tam sanctorum, doctorum, & perantiquorum seruorum Dei consensione, veram Apostolorum de hac re traditionem agnosco & tecum profiteor. Lætorque plurimum hodie, tam ex diuinis literis, quam ex multorum veterū vnanimi consensu didicisse, Dominum Iesum tanto amore quosdam electos suos complexum esse, vt etiam post ascensionem in cœlos his seipsum verum Deum & hominem exhibuerit conspiciendum & adorandum: nec à cætero idipsum in concionibus, aut scriptis affirmare dissimulabo, tametsi impiorum Sacramentariorum rumpantur illa.

9. DOCT. Omittam igitur longioribus verbis recitare, quemadmodum testificatur Paulinus, Christum prope locutum esse B. Victori: Sulpitius Seuerus, eum apparuisse beato Martino: Gregorius, beatæ Tarsillæ: Metaphrastes, Mercurio, Theodoro, Acyndino, Menæ, Hermogeni, Epistemo, Eustachio, &c. Sigebertus, Maclouio: Bonauentura, Francisco: & alij alijs pluribus sanctis martyribus, confessoribus, atq; virginibus: quos huiusmodi veris & cœlestibus apparitionibus mirum in modum in sui reuerentiā & amorem accendit.

Epist. 34. In vita S. Martin. Li. 4. Dial. c. 16.

10. MINISTER. Sed quid tum? Num falsum erat, quod legitur, & constanter nobis de eodem persuademus, *Christus sedet ad dexteram Patris*? DOCT. Minime gentium. Sed vsus illa quam recepit à Patre suo, omnipotentia, effectum est, vt idem simul staret in duobus aut etiam pluribus locis: tumque verum ac certum erat, Christum hominem & in cœlis vere residere, simulque cum hoc aut alio electo suo vere in terris colloqui atque differere. MIN. Equidem certe cum hoc ad eius potestatem, maiestatem, & gloriam amplificandam pertineat, totque habeat assertores, nunquam diffitebor. Sed de alio capite differamus.

MANIFESTAS IN CORPORE SVO vulnerum cicatrices seruans, Christus veniens ad iudicium ostentabit: aduersus errorem 17.

CAPVT XI.

DOCTOR.

IN hoc etiam Vestri plurimum fallunt atq; falluntur, quod negent Christū acceptarum in passione plagarum præcipuas cicatrices seruasse; easdemque in futuro iudicio palam in ore ac oculis omnium ostentaturum esse. Nam Caluinus hoc deridens ait: *Stultum & anile delirium fuit, plagis adhuc confossum Christum imaginari, cum aduenteet mūdi Iudex.* MIN. Sed non potuit resurgendo corporis sui plagas oblinire, earundemque vestigia omnino tollere? DOCT. Potuit plane, sed non decuit ob certas & vtiles causas. MIN. Si iustas retuleris, & ex Scripturis Patribusque comprobaueris, me quoq; Caluiniani erroris iudicem & tecum reprobatorem habebis.

In cap. 24. Luc.

Confut. 1. DOCT. Id primo factum docent Theologi, vt Apostolorū, Discipulorum, omnium deniq; nostrū animi confirmarentur de vera, eiusdemq; numero corporis Christi resurrectione; videl. quod cū eodem prorsus corpore quod in cruce clauis & lancea confossum fuerat, omnino resurrexit, ascendit in cælos, sedet in dextera patris, inde venturus iudicare viuos & mortuos: q; certissimis & apertissimis notis comprobādum fuit ad euertendas multorum hæreticorum fanaticas opiniones, huic fidei nostræ articulo repugnantes. MIN. Scio Valentinianos, Cerdonianos, Marcionistas, Manichæos, aliosq; multa nefanda commētos esse aduersus veram veri corporis Christi tum assumptionem, tum passionem, resurrectionem, & ascensionem: ac proinde iustissimū fuisse, vt fides nostra aduersus illorum furores p̄muniretur. DOCT. Secundo cum in hisce vestigijs promptissimæ absolutissimæq; obeditionis suæ, ante faciem Patris se quotidie referat: eum proculdubio nobis conciliat, mitigat, & veri mediatoris munus suum sedulo præstās, homines cum eo in gratiam reducit. MIN. Hæc certe ratio etiam à Paulo desumpta est, scribente, *quod vultui Dei continuo pro nobis apparet.* DOCT. Eadem demum vestigia in die magni iudicij cunctis commonstrando; vt Iudæos ac infideles omnes, qui passionis mysterium irriserunt, magna confusione perfundet: sic pios omnes qui crediderunt, & in eius mortis meritum spem suam reposuerunt, incredibili lætitia & gaudio cumulabit.

Irenæus. Tertull. Epiphan. Theodor. August.

Heb. 9.

2. MIN. Non modo iustæ, sed & magna vtilitate plenæ mihi rationes istæ videntur. Sed ne omnino adhuc tibi assentiar, officit, q; hæ cicatrices molestæ forsitan atque deformes in corpore tam beato ac glorioso videantur. DOCT. Tantum abest, vt è contrario, raræ

raræ potius cuiusdam & eximiæ pulchritudinis interspersa adferant ornaméta, cuiusmodi solent radij, Soli; stellæ, cœlo; gemmæ, annulo; suauissimus odor, rosæ; vel flagrans candor, lilio. Quod si de cicatricibus in corporibus martyrum in gloria cœlesti permanentibus, scite Augustinus scripsit; Nos in earum contemplatione eximiam capturos delectationem: quãto magis cum in corpore Saluatoris collucentes, & omnibus solis radijs splendidiores assumptorum pro salute nostra vulnerum cicatrices intueri licebit? A *Li.22.ciui. c.20.*

3. MIN. Euince prius, illum eas cum resurrexit & ascendit, seruasse in corpore suo, nõ autem deleuisse. DOCT. Dilucida sunt Euangelistarum de Christo resuscitato testimonia: Ingressus ad Discipulos ostendit eis manus & latus, dicens, *Videte manus, & pedes meos, palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Deinde, Thomæ, qui dixerat se non crediturum, nisi videret in manibus eius fixuram clauorum, & mitteret digitum suum in locum clauorũ: & mitteret manum suam in latus eius, demum cum eisdem apparuit. MIN. Audierat profecto à coapostolis suis seruatorem manifesta quinque insignium vulnerum seruare in corpore suo vestigia: quæ contactu suo explorare probareq; cupiebat. *Luc.24. Ioan.20.*

4. DOCT. Nec est fraudatus à desiderio suo. Siquidem post dies octo erant iterum discipuli congregati, & Thomas cum eis: *Venit iterum Iesus, & dixit Thomæ. Infer digitum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis.* Quod & Thomam reipsa contrectando, & eadem vulnerum vestigia palpando, præstitisse, vel ex eo colligunt tam veteres quam recentes Theologi, quod scriptum fuit postea à Ioanne, *Quod manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, annunciamus vobis.* MIN. Audio vbique expressum Dei verbum: perij ergo si non crediderim, Christum in beato ac immortali corpore suo seruasse clarissimas vulnerum cicatrices. Sed doce vlterius, quod cum his cœlos conscenderit: sicque Iudex aliquando sit venturus. *Ioan.20. 1.Ioan.1.*

5. DOCT. Talis in cœlum ascendit quadragesima die, qualis tertia resurrexit, & octaua Discipulis seipsum manifestauit: quoniam nec corpus nec gloriam eius alicubi permutasse legitur. Deinde, *sic veniet*, ait ad Apostolos cœlestis nuncius: *quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Quis ergo iam dubitet eum beatas cicatrices retinuisse, cœlestibus intulisse, & his adhuc notatum venturum esse ad iudicium? MIN. Sunt tibi ad manum loci Veterum, quibus hæc comprobentur? DOCT. Sunt Theophylacti, Chrysostomi, & Cyrilli Alexandrini, suis in Ioannem commentarijs: deinde Athanasij magni epistola ad Epictetum: Ignatij Martyris & Apostolorũ Discipuli Epistola ad Smyrnenses. MIN. Hi omnes Græci sunt, ac Orientis magna lumina. DOCT. Sunt quoq; Occidentis Antistites clarissimi & doctissimi Augustinus tractatu 121. in Ioan. & Serm. 147. de tempore: Ambrosius lib. 10. in Luc. Hilarius lib. 3. de Trinitate: & Leo magnus serm. 1. de Ascensione. Quinetiam ex hæreticorum ministris in hac Euangeliorum interpretatione consentientes habemus Conrardum Pellicanum, & Radulphum Gualtherum Tigurinos ministros: sicq; omni ex parte turpissimi erroris conuicti reiq; permanent Caluiniani. *Act.1.* B *Com. in c. 20. Ioan. Hom.175. in Ioan.*

6. MIN. Suntne & alia tibi in hãc rem Scripturarum testimonia? DOCT. Sunt aliquot veterum Prophetarum expressa oracula, quibus res adeo subijcitur oculis, vt quasi tum geri videatur. Refert enim Isaias eleganti Dialogismo, Angelos à Christo cum cicatricibus cælos conscendente, cum vehementi admiratione percontatos esse: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Nomine vestium sanguine tinctarum, hæc cruentæ passionis eius vestigia significant. Respondet autem Christus: *Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.* Inuestigant rursum illi: *Quare rubra sunt vestimenta tua, velut calcantium in torculari?* More ænigmatico & subobscuro, Prophetis autem vulgari, harum cicatricum rationem inquirunt. Infit ille, *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum*: quibus passionis ac mortis suæ pondus, quo sanguis noui testamenti expressus fuit, satis diserte denunciat. MIN. Quos habes huius interpretationis authores? DOCT. Magnos inter Patres viros Hieronymum & Cyrillum in com. Iustinum martyrem in Dialogo, & Dionysium Areopagitam ipsorum Apostolorum discipulum, in Cœlesti hierarchia, capite septimo. MIN. Qui tam veteres, sanctos, ac sapientes Scripturæ interpretes impudens reiecerit, quos admittet? Perge porro ad alia Prophetarum oracula. C *Isaia 63.* D

DOCT.

7. *Zach.12.* DOCT. Zacharias vnus ex duodecim A vaticinatur, Iudæos ac Gentiles, qui eũ plagis confossum in crucem egerunt, eundem tandem aliquando visuros esse cum inflictarum plagarum notis ad iudicium venientem: tuncque, tametsi sero nimis, præ confusione non parum commouendos. *Aspiciẽt*, inquit, *ad me, quem confixerunt, & plangent.* *Ioan.19. Apoc.1.* MIN. Certe Ioannes & in Euangelio, & in Apocalypsi, hæc de Christo passo, & ad iudicium postremum aduentante, dixisse prophetam non dubitat: vnde constat beatorũ vulnerum cicatrices, in iudicium & confusionem impiorum in corpore Christi euidenter manifestandas esse. DOCT. His adde Chrysostomum, Theodoretum, Emissenum Græcos authores; Hieronymum, Leonem, Remigium, Chrysologum, & Augustinum, Latinos: Rabbinum Kymhi, Dossam, & Thalmudistas veteres Hebræos, hæc de venturo Messia interpretatos esse. MIN. Improbissimus certe est Caluinus, qui tantæ luci tenebras suas nititur offundere. Cæterum, his sacris testimonijs, sanctæ ac doctæ antiquitatis fidem duntaxat adijcito, præsertim vero quid Augustinus senserit.

8. *Serm.5.de Ascension.* DOCT. Ait ille: Videntes Angeli regem suum rediuiuæ carnis spolia referentem, & hominem in altum domito eius aduersario, euehentem, obseruant certaminis in cicatricibus signa, quas habet in carne adorant plagas, sed iam sanatas. Et paulo post subdit: Ascendebat cruoris rubore perfusus, à trophæis victricibus laureatus. Videbant cœlites cuncti speciosum vulneribus Christum, &c. Eadem propemodum verba repetit, & popularibus suis pro sacris concionibus cõstanter inculcat, Serm.6. & 7. in Ascensionis solemnitatem; deniq; & Sermon.49. & 146. de tempore. *L.2.de symbol.c.7. Epist.146.* Alibi rursum idem sanctus pater constanter adfirmat, quod vt cicatrices suas beato Thomæ tum infideli demonstrauit in Cœnaculo; sic & easdem in iudicio vniuersali infidelibus suis ac hostibus suis patefaciet, vt eos coram Angelis ac electis omnibus conuincat atque confundat. *Soliloq.c.1.* Et alio in loco Christum per easdem cicatrices suas his verbis pie ac confidenter obsecrat: Manus tuæ Domine, fecerunt me, manus inquam illæ quæ affixæ sunt clauis pro me. Opus manuum tuarum Domine, ne despicias, vulnera manuum tuarum precor, vt aspicias. Ecce in manibus tuis Domine Deus, descripsisti me: lege ipsam scripturam, & salua me.

9. *Serm.de Passione.* Deuotus quoq; Bernardus sic Patrem affatur: Respice Domine, in faciem Christi tui, qui tibi vsq; ad mortem obediens factus est, nec recedant ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuum, vt memineris quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem receperis. Vtinam Domine, appendas in statera peccata, quibus iram meruimus, & calamitatem quam pro nobis passus est innocens filius tuus. Certe grauior apparebit, & maxime digna vt propter ipsam effundas super nos misericordiam tuam. MIN. Sanctissime loquitur, verbaq; magni sunt ponderis ad æquitatem diuinorum iudiciorum demonstrandam, B animosq; infirmorum erigendos & consolandos.

10. Reliquorum tantum fontes digito commonstra, vt hos pro maiore otio ac libertate consulere possim. DOCT. Consule ergo Leonem magnum epist. 97. & Oration. dogmatica, per Theodoretum citata & probata Dialogo 2. Hieronymum epist. ad Heliodorum: Hilarium lib. 3. de Trinit. Cyprianum martyrem serm. de Baptismo, & serm. de Ascensione Domini nostri. MIN. Sufficiunt tot Latini, Græcos connumera. DOCT. Ducenti patres illi qui ante mille & centum annos concilio Ephesino interfuerunt, *Tom.6. & 16. eiusdem concilij.* C quiq; mirabili consensu ea Cyrilli Alexandrini verba confirmauerunt, Quod dominus noster passionis suæ cicatrices reseruauit, vt eas animis cœlestibus, & omnibus in nouissimo die ostenderet. MIN. Cõcludo igitur Caluinianos insigni errore notatos manere, nisi Christum victoriæ ac triumphi sui signis cicatricibusq; insignitum in cælos ascendisse, & cum eisdem ad iudicium reuersurum, serio nobiscum crediderint. Vlterius progrediamur.

CHRISTVS IN PECCATA HOMINVM inquiret, cum omnes iudicaturus aduenerit: aduersus errorem 18. D

CAPVT XII.

DOCTOR.

AN non etiam in tetro errore Caluiniani versantur, cum hominibus à se fascinãdis suadere conantur, Christum in extremo suo iudicio peccata eorum, modo crediderint, non esse examinaturum? Nam hæresiarchã scribit: *Neque timendum est, vt in Dei iudicium veniant peccata nostra, à quibus tam pretiosa mercede nos absoluit Dei filius.* *In cap.27. Mat.v.26.*

Beza

Beza vero, à non facto ad impossibile pergens, ac errorem præceptoris adaugens ait: *Sanctificatio Christi cum per fidem quasi nostra sit; impossibile est, vt quicquid superest naturalis corruptionis post regenerationem, in iudicium veniat.* Atqui inter corruptionis naturalis post regenerationem manentis reliquias nō possunt numerare peccatum originis, cum per regenerationem deleatur: neq; peccata venialia, quandoquidem post Caluinum, nulla huiusmodi esse opinentur. Quod ergo superest naturalis corruptionis post regenerationem, omnis illa peccatorū mortaliū colluuies, quibus homines post baptismum seipsos commaculant, intelligitur. Vnde fit, vt eorum sententia, nulla Christianorum peccata mortalia in disquisitionem vētura sint.

Conf pūct. 4. art. 12.

Confut. 1. MIN. Tam manifesta est illatio vt negari non possit: sed tam falsum antecedēs, vt nihil magis. Nam in primis sibi ipsis quam maxime aduersantur, cum alibi scribant, *Etiam ipsum Christum reum ante tribunal Dei astitisse, adeoque conturbatum & territum fuisse, vt de salute sua non modo dubitarit: sed & omnia irati ac punientis Dei signa senserit, & in voces desperati hominis eruperit*, vt supra diffuse dictum est. Itaque si metu Pastor ille contremuit, quam sibi fiduciam grex repromittet? Si tantus Dux cecidit animo, quam audaciam pauidus miles retinebit? Si excussum est ædificij nostri fundamentum, quomodo non nutabunt parietes & tecta? Si tam pauidum habuimus peccatorum obsidem, & Patris iudicium adeo pertimescentem patronum, qua possunt audacia nebulones isti eis omnem impunitatem & securitatem repromittere in terribili districto iudicio, quos scimus plurimis & grauissimis sceleribus contaminatos esse?

2. Fatetur quoque Beza *Dominum iuxta verbum suum iudicaturum bonos & malos.* At verbū Domini arguit, damnat, increpat sine vlla personarum exceptione, omnia omniū hominum scelera: eadem igitur in die nouissimo examinabuntur & diiudicabuntur. DOCTOR. Nunquam profecto insigni perfidia seipsos eximere poterunt, cum modo asserunt peccata nostra in Dei iudicium non ventura: mox vero adfirment, eadem iuxta verbum Dei iudicanda & coarguenda.

Conf. pūct. 6.

3. MINISTER. Insuper, hæresis ista cunctis improbis ac sceleratis incredibilem adfert ad peccata omnia perpetranda audaciam & impudentiam. Vniuersi enim grassatores, sacrilegi, adulteri, venefici, parricidæ, blasphemi, arioli, velut habenis immissis sua sine timore persequētur crimina; imo & grauiora in dies his adijciēt: nec poterūt metu futuri iudicij à peccandi libidine coerceri, Caluiniano Euangelio freti, *quod in Dei iudicium ventura non sint hominum credentium peccata.* Quanta vero inde consequutura sit in humano genere confusio, qualis omnium legum, bonorum morum, & rerum publicarum subuersio, hi quibus est adhuc syncerus in corpore animus secum attente recogitent.

4. DOCT. Vere hic error cordibus humanis omnem infliget contumaciam, superbiā, ac Dei diuinorumq; iudiciorum cōtemptum: quæ tamen vt exhorrescenda nobis & ab ipso Domino, & ab Apostolis eius exponuntur & commēdantur. *Timete eum* (inquit) *qui pōt corpus & animā ponere in gehennā. Ita dico vobis, hunc timete.* An non etiam ad terrorem iudicij sui referendum est, quod dixit: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis?* Præstantissimus Apostolus castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, ne cum alijs prędicauerit ipse reprobus efficiatur. Et cæteros omnes in similem euocans formidinem ait: *Timeamus ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex nobis deesse.* Eam quoque ob rem turbis Iudæorum dicebat Præcursor, *Genimina viperarum, quis docebit vos fugere à ventura ira?* Dauid denique metu diuini iudicij, quo iusta lance ponderanda sunt cuncta mortalium delicta perculsus, tremulus exclamat, *Iudicia tua abyssus multa. A iudiciis tuis timui.* MIN. Nimis profecto impudens atque præfractus est Caluinus, cum his sese opponens ait: *Neque timendum est, vt in Dei iudicium veniant peccata nostra.*

Matt. 10. Luc. 12. Luc. 13. 1. Cor. 9. Heb. 4. Matt. 3. Luc. 3. Psal. 35. Psal. 118.

5. DOCT. Putaresne eundem Prophetam tanto cum affectu alioquin rogasse, *Domine, ne in furore tuo arguas me. Non intres in iudicium cum seruo tuo*, si peccata nostra, aut reliquiæ naturalis corruptionis in iudicium Dei non venirent, vt Beza iuxta Lemanicum lacum suum coaxat? MIN. Equidē ex multis quoque alijs Psalmorum locis patet sanctissimū vatem plurimum reformidasse, ne Deus in iudicio sua illi obijceret peccata, vt etiam reliqui Geneuani fatētur ministri suis in illum Psalmum Gallicis annotationibus. Nec n. negare potuissent Dauidem timoris sui magnitudinem prodidisse cū ait: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est*

Ps. 6. 37. Ps. 124. Psal. 18. Ps. 37.

pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea,
Psalm. 50. *&c. Auerte faciem tuam à peccatis meis. Cor*
Psal. 54. *meum conturbatum est in me, & formido mortis*
Psal. 114. *cecidit super me. Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me &c.* Quocirca Dauid tot percitus diuini iudicii terroribus, damnabilem Geneuanorum securitatem, seu potius diabolicam audaciam ac præsumptionem satis reprobat & coarguit.

6. DOCT. Alium rursus hominem quidem
Iob.1.2.7. iustum, simplicem, rectum; sed ad di-
9.42. uina iudicia trepidantem animo contemplemur. Iobum dico, qui postquam vehementiores impetus Satanæ animose propulsauit, ad rationes subducendas coram Deo supremo iudice vocatus, veretur omnia opera sua, propria fatetur peccata, veniam humillime precatur, atque pœnitentiam in cinere & puluere acturum se profitetur. MIN. Inde profecto clarum ac certum est, eum non solum possibile existimasse, reliquias naturalis corruptionis in iudiciũ Dei venire posse: sed reipsa aliquando in eodem esse examinandas atque plectendas: contra id quod tam temere effutiuit Beza.

7. DOCT. Quid porro de piissimo rege
Isa.37.38. Ezechia sentiendum? Nõne & ipse de proxima morte sua certior factus, coram supremo iudice reddendam rationem reformidans, cum dolore cordis, maximaque gemituum & lachrymarum copia, ac si iam in ipso inferorũ vestibulo stetisset, metu perculsus exclamauit? MIN. Equidem Geneuani ministri palam in Annotationibus Gallicis confitentur. *Eius clamoribus atque querelis eum metum horrendum significari, quo fideles corripiuntur, quoties diuinum contra peccata sua iudicium apprehendunt.* DOCT. Suos igitur Caluinos & Bezas infideli ac perdito vitio damnant, in eo quod dictitant, haudquaquam timendum esse, vt peccata fidelium, aut reliquiæ naturalis corruptionis à Deo diiudicentur: cum hi fidelissimi & sanctissimi Dei serui idipsum tantopere timuerint. MIN. Non est dubium quod si Spiritus Domini eandem illos docuisset confidentiam, quam comminiscitur Caluinus, tanto metu nunquam potuissent consternari.

8. DOCT. Quorsum etiam sub lege tam varia Dominus præcepisset offerri sibi pro peccatis sacrificia, si de his nullam esset vnquam rationem requisiturus? Quorsum
Genes. 3. Hebræis toties sua exprobrasset murmura,
Exod. 12. perduelliones, idolomanias, ac simulatam
Deut. 33.
morum integritatem? Acerrimum profe- Ion. 3.
cto sese populi sui peccatorũ iudicem atque 2. Reg.
vindicem satis manifestat, cum ob peccatũ 4. Reg.
Adæ etiã terræ maledicit, lepra Mariam inficit, Mosen & Aaronem extra terram sanctam morte perculit, Ionam in ventre ceti tanquam teterrimo carcere recludit, Dauidem tot aduersis castigat, sanctamq; ciuitatem cũ ciuibus suis tot captiuitatibus ac ruinis subiicit. MIN. Magna horum pars fidelis fuit, insuper spe in futurum Messiã regenerata: quorũ nihilominus delicta in diuinum iudicium venerunt. Ergo fides nõ impedit quominus peccata sanctorum in die nouissimo examinentur & diiudicentur.

DOCT. Euinco rursum eundẽ errorem 9.
Hugnoticũ, omnẽ de futuro vniuersali iudicio doctrinã subuertere, sicq; dominum nostrum Iesum Christum maxima gloriæ & potestatis suæ parte spoliare. Omnes etenim aut fideles sunt, aut sub infidelitatis errore detenti. MIN. Nemo negat. Nam cũ nostri specioso Fidelium titulo sese venditant, alios omnes reputant infideles. DOCT. Sacrum Ioan. 3.
autẽ Euangeliũ adfirmat, infideles ac incre- Matth. 25.
dulos iam iudicatos & condemnatos esse: & Marc. 16.
in ipsa iudicii postremi formula, nulla est infideliũ memoria. Ergo manifestũ est, quod qui nulla fidei veræq; religionis Christianæ nota fuerint insigniti, tum de nouo nõ iudicabuntur, cum de his iam factum sit iudiciũ. MIN. Illud sane verũ, vt expressum Dei verbum. DOCT. Alia porro ex parte, sacrorum vestrorum Antistites nullo nõ loco ac tempore clamitant, *Peccata fideliũ non esse ventura in iudiciũ coram Deo.* Ergo nullũ prorsus hominẽ diuino subiiciunt iudicio: ac sic omne pernegant tam priuatum quam cõmune iudicium diuinum: & Christum cõmissi à Patre iudicii potestate, maiestate, & gloria miserum in modum exuunt. MIN. Certe iam video aut hac in re Caluinismum velut summam impietatem damnandum esse; aut his fidei Christianæ articulis renunciandũ. *Ven-* Symbol.
turus est iudicare viuos & mortuos. Hic constitu- Actor. 10.
tus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. Iudi- Ps. 95. 97.
cabit orbẽ terræ in æquitate, & populos in veritate Ioan. 5.
sua. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filiũ, sicut honorificant & Patrem, qui misit illũ. Mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent, &c.

DOCT. Damnãdus proculdubio ac lon- 10.
ge exsibilandus Caluinismus, fides autem Catholica his diuinis verbis cõfirmanda & erigenda; *Filius hominis veniet in gloria Patris* Matth. 16.
sui, &

Rom. 2. 1. Cor. 4. *sui, & tunc reddet vnicuique iuxta opera sua. Tunc nihil occultum quod non sciatur. Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Dicet quibusdam, qui etiam in nomine suo dæmonia eiecerunt, & multas virtutes fecerunt, *Discedite à me operarij iniquitatis.*
Matth. 7. Virginibus quoque quæ oleum in lampadibus non habuerint: *Nescio vos.* Cunctis etiam
Matth. 25. qui esurientes non pauerint, sitientibus non porrexerint potum, &c. *Ite maledicti in ignem æternum.* MIN. Enimuero hæc omnia Dei viuentis expressa verba sunt; quibus nō eximuntur, sed magis inuoluuntur fideles atque Christiani, qui fructibus bonorum operum abundare neglexerunt: in quorum mala opera grauis erit atque districta inquisitio.

11. DOCT. Spiritus sanctus vniuersalibus notis vniuersos cōprehendens satis indicat neminem fidelium aut regeneratorū posse iudicium postremum subterfugere: veluti
Eccles. 12. Rom. 14. 2. Cor. 15. cum ait: *Cuncta quæ fiant adducet dominus in iudicium siue bonum siue malū. Congregabuntur ante Christum omnes gentes. Omnes stabimus ante tribunal Christi. Vnusquisq; onus suum portabit. Referet vnusquisque pro vt gessit, siue bonum siue*
Matth. 12. *malum. De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, de eo reddent rationem.* Ex quibus re-
1. Pet. 4. cte Petrus concludit: *Iudicabuntur quidem secundum hominem in carne, viuent autem secundum Deum in spiritu.* MIN. Equidem ab hoc numero non demuntur belluli isti Ecclesiæ instauratores, non quicunque Caluiniano Euangelio fidem habuerint, non regenerati: sed omnium examinabuntur opera, cogitata, consilia, verba, commissa, & opera, quicquid à se fascinatis turbis miserrimi hæretici in contrarium repromittant.

VIRTVTE AC POTESTATE CHRIsti omnes tam bonos quam malos resurrecturos esse: aduersus 19. & 20. errorem.

CAPVT XIII.

DOCTOR.

VT neque Resurrectionis mysterium integrum inuiolatumque Vestri relinquerent, visum est Bezæ adserendum, *Improbos*
Quæst. & resp. p. 42. *virtute Christi non resurrecturos, sed potentia & virtute Filij tanquam iudicis.*

Cōfutatio 1. MIN. Ecquid hoc ænigmate intelligit spectabilis? Num Christi, & Filii nominibus diuersas personas, aut duas resurrectionis

A causas constituit? Num eadem erit effectrix tam proborum quam improborum? Aut Christū alia quam diuina authoritate & virtute hos mortuos excitaturum; alia vero quosdam alios? Vellem apertius latentem in animo sententiam hac de re significasset. Nam si Christum & Dei Filium duas personas constituit; iam pridem cū Nestorio confusus & explosus est. Si diuersas seiunctasq; causas resurrectionis bonorum & malorum architectatur, in eiusdem Nestorii errorem incidit: atque sic vnicum Dominum & seruatorē mundi Christum in diuersas distrahendo partes, viā parat Antichristo, secun-
B dum id quod Ioannes Apostolus scribit: *Omnis spiritus qui soluit Iesum, est Antichristus.* 1. Ioan. 4.
Vnde recte mihi concludere videor, Eundem Dominum Iesum Christum, in vnica solaque hypostasi consideratum, qui diuina potestate & virtute electos ad gloriam euocabit, improbos quoque ad veterum peccatorum supplicia suscipienda suscitaturum.

DOCT. Nititur consecutio isto fidei nostræ articulo, quo veluti de vnico authore Christo profitemur: *Venturus est iudicare viuos & mortuos:* quos nimirum prius suscitarit; cum vnicus sit resurrectionis & iudicii author Deus. Ait enim: *Sicut Pater su-* Ioan. 5. 2.
C *scitat mortuos & viuificat, sic & Filius* (qui videlicet diuinitate atque potestate vnus est cum Patre) *quos vult viuificat.* Et vt cunctis innotesceret, huiusmodi viuificandi potestatem humanitati suæ distributam & datam esse, ilico subiungit: *Pater dedit ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est.* Et vt nemo ambigeret, sed omnes crederent & mirarentur, Christus homo, homo inquam palam dixit: *Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit* Ioan. 11.
viuet. Idem rursum Christus homo alibi etiam asseruit, *Qui manducat meam carnem, &* Ioan. 6.
bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in
D *illo: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

Præterea, hi quos ante passionem suam 3.
suscitauit, fuerunt quasi proposita exemplaria, & descripta futuræ omniū resurrectionis pignora. Illos autem vt Christus, id est, Deus & homo in vnica hypostasi Saluator mundi constitutus, vere resuscitauit, voce humana, sed cum diuina authoritate coniuncta, vni dicendo, *Adolescens, tibi dico, surge: & resedit qui erat mortuus.* Alterius au- Luc. 7.
tem manu apprehensa, exclamauit: *Puel-* Luc. 8.
la, surge: & surrexit puella. Et cum ad Ioan. 11.
Lazari monumentum accessit, clamauit

voce magna, *Lazare, veni foras*, tuncq; viuus A prodijt ex tumulo. Certum est ergo atque manifestum, quod vnicus & idem IESVS Dei ac hominis Filius eadem virtute & authoritate viuos & mortuos, probos & improbos ad vitam reuocabit & iudicabit. Sicque plane delirat Beza cum balbutit, *improbos non esse resurrecturos fauore ac virtute Christi, sed potestate & authoritate Filii vt iudicis.*

4. Insuper, cum alibi iam probatum sit, Christum semetipsum propriaq; virtute à mortuis tertia die suscitasse, iuxta quod dixerat de templo corporis sui, *In tribus diebus excitabo illud*: & iterum: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam*: quis dubitare poterit, eadem virtute, mortuos omnes tam bonos quam malos eundem esse suscitaturum & iudicaturum? B

Ioan. 2. Ioan. 10.

5. MIN. Certe clarissimum est hoc eiusdem de eadem re testimonium: *Venit hora, & nũc est, quando omnes qui in monumentis sunt, audiẽt vocem Filii Dei, & qui audierint viuent, & procedent, hi qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* Nullos certe excipit: omnes ergo authore filio Dei resurgent, & ab eodem diiudicabuntur. Nihil inter Christum & Filium Dei secernit, vt alteri resurrectionem & iudiciũ improborum, alteri vero proborum & C sanctorum tribuat. Est igitur prorsus intolerandа lepidi istius Theodori temeritas, ita Christi authoritatem & virtutem à Filij Dei fauore, & potestatem secernentis.

Ioan. 5.

6. DOCT. Notandum denique, nulli hominum concessum esse, à certis verboq; diuino expressis & datis regulis, propria authoritate exceptiones confingere ac obtrudere. Regulæ porro sunt expresso Dei verbo traditæ & promulgatæ, *Sicut in Adam oẽs moriuntur, ita & in Christo* (i.e. Christi virtute & authoritate) *omnes viuificabũtur: Omnes ante tribunal Christi stabimus, vt referat vnusquisque pro vt gessit in corpore suo, siue bonum, siue malum:* D *Per hominẽ mors, & per hominem resurrectio mortuorum: Omnes quidem resurgemus, &c.* Igitur nulla ratione debuit aut potuit vnquam Beza, sic Christum à Filio Dei secernere, vt huius virtuti suscitationem improborum tribueret, illi v. detraheret. MIN. Equidẽ certe tam manifesta sunt hæc Apostoli verba, *Per hominem resurrectio, & In Christo omnes viuificabuntur*, vt non satis mirari, atque stupescere possim, quomodo Theodorus insana capitis sui figmenta illis ausus sit opponere. Sed de his satis: reliqua persequamur.

1. Cor. 15. 2. Cor. 5. Rom. 14.

DOCT. Cernis quod aduesperascat, & inclinata sit iam dies. Ad hęc, quod iam permultos articulos, quibus in vniuersum aduersus sanctissimam Trinitatem, ac ei⁹ perfectiones essentiales aberrãt, in primo & secundo colloquio examinauimus: in tertio autem viginti quatuor, quos aduersus æternum Dei Filium cõminiscuntur: in quarto vero triginta octo, quibus eiusdem sanctissimam natiuitatẽ, conuersationem, doctrinã, dona & merita impio conatu deformare nituntur: in quinto porro viginti sex, quib⁹ feruentissimis votis, passionis & mortis eius fructibus nefarie detrahũt: hodierna deniq; collocutione ea refutauimus, quæ aduersus descensum eius ad inferos, Resurrectionẽ, Apparitionem, Ascensionem, & Aduentum postremum ad orbem iudicandũ æque impie ac temerarie sunt commenti. Hæc summatim collecta & reducta efficiunt numerũ multorum errorum, quos tam ex ipsismet authoribus, q̃ expresis Dei verbis, & totius sanctissimæ ac doctissimæ vetustatis constanti doctrina copiose satis confutauimus. Crastina luce si adesse loco & hora consuetis non piguerit, quadraginta & septem aduersus Spiritus S. personam, perfectiones, dignitatẽ, officia, & opera, ab eisdem Caluinianis adinuẽtos errores persequemur. Nũc itaq; præmissa oratione, ad ꝑpria recedam⁹. 7.

CORPORIBVS & animis proni adoramus & benedicim⁹ te, diuinum VERBVM, pro cunctorum hominum salute hominem factum & natum ex muliere, vere crucifixũ, mortuum, & sepultum. Qui tam prompte, tam copiose, tam misericorditer, tam sancte passus es pro nobis, domine, miserere nobis. Qui in sanguine testamenti tui eos inuisisti, qui in vmbra mortis & vestibulo inferorum sedebant, vt tecum in cœlestem beatamque vitam transferres: animas q̃sumus, nostras erue de potestate tenebrarum, salua nos ex ore leonis, dũ non est alius qui redimat, neq; qui saluũ faciat. Quod tanta liberalitate pœnitenti & inuocanti latroni promisisti & cõtulisti, nobis quoq; resipiscentibus, & per sacra omnia rogantibus ac obsecrantibus, ne tandem aliquando deneges. Potentissime & clementissime Redẽptor, qui tertia die pretiosissimum sanguinem tuum pro nobis effusum collegisti, sanctissimum quoq; corp' rediuiuum, immortale, impatibile, clarum, subtile, & omnibus modis gloriosum, Apostolis contrectandum præbuisti, deniq; vna peractæ redẽptionis nostræ signis cœlos intulisti,

8. Oratio.

tulisti, donec inde redeas iudicare viuos & A mortuos: mysticum corpus tuum, quod est Ecclesia Catholica, tot periculis ac hostibus expositum, quæsumus, benignus attende, illudque tua pietate congrega, rege, sanctifica, vt omnibus membris ac partibus suis sartum tectumque maneat & vigeat, donec tecum, & sanctissimo Patre tuo, ac Spiritu sancto in cœlis beato, fœlici, ac sempiterno æuo omnes perfruamur.

LIBER SEPTIMVS,

QVO EXAMINANTVR ET REFVTANTVR QVINQVAGINTA ET SEPTEM CALVINIANORVM, ADVERSVS SPIritum Sanctum, eiusdemq; perfectiones, officia, & opera, errores. Ac primum de illius æterna à Patre & Filio productione.

CAPVT PRIMVM.

MINISTER.

QVandoquidem video te admodum diligenter inuestigasse, summaque fide retulisse omnes eas hæreses, quas prætensi nostri Ecclesiæ reformatores aduersus sanctissimam Trinitatem in vniuersum, tum priuatim aduersus Dei filium, & ab eo assumptum hominem, peractumque salutis humanæ mysterium sunt impie & nefarie machinati: superest rogo, vt eadem diligentia eos errores persequaris, quos aduersus Spiritus sancti personam, Diuinitatem, Dignitatem, & Officia sunt commenti. Sic enim & fidem exolues, & diuinæ gloriæ inseruies, salutarem Prophetarum & Apostolorum doctrinam propugnabis, meamque ex densissimis tenebris extrahes animam.

DOCT. Credas equidem perditum Satanam suorum ministrorum ac Prædicantum fraudibus, doctrinæ de Spiritu Domini sancto tot tamque varias tenebras offudisse, vt vix singulæ exprimi possint: quatenus vniuersa, quæ de hoc sancto ac perpetuo Ecclesiæ militantis rectore, consolatore, ac doctore habenda est fide ac religione subuersa, eandem quoque Ecclesiam penitus conuelleret atque labefactaret. Sed omissis veteribus Simonis magi, Gnosticorum, Montani, Manichæi ac Eunomij de Spiritu sancto hæresibus; de his tantum dicam, quæ præsenti B sæculo ab Hugnosticis, id est, Caluinianis aut restitutæ, aut de nouo excogitatæ ac inuectæ fuerunt; atque eo breuius id faciam, quo iam in primo & secundo Dialogo easdem ex parte affigimus. Itaque primo & secundo loco Caluinus aduersus diuinam maiestatem Spiritus sancti turpiter aberrauit, cum scripsit, *eum non habere essentiam seu Deitatem à Patre & Filio per æternam productionem aut communicationem: sed à semetipso.* *Inst. l.1.c. 8.§.19 23.*

MIN. Id me in Institutionis eiusdem loco legisse memini, quo Valentinum Gentilem coarguit. Illic enim tuetur Filium & Spiritū sanctum à seipsis diuinam habere naturam C seu essentiam, perinde ac Pater eam à seipso possidet, non ab alio: nec existimabam hoc hæresin esse, quousq; supra, cum de Filio agebamus, ex scripturis & Patribus demonstrasti, eos qui dicunt tres personas Deitatē à semetipsis æqualiter habere, id est, nec in filio per æternam generationem, nec in Spiritu sancto per æternam à Patre & Filio productionem seu spirationem eam esse, deorū pluralitatem, ac turpissimum Paganismum inuehere, eademque opera veterem totius Christianismi fidem atque doctrinam conuellere atque labefactare. *Confut. 1.*

Equidem certe impuri ac flagitiosi Trinitarij, qui nunc in Transiluania, Hungaria, Morauia, Polonia, Lituania, &c. proclamant, *2.*

Tres diuinas personas, tres esse Deos ac Dominos, se nihil adfirmare profitentur, quod non ex Caluini & assectarum libris desumpserint vti etiã de his referunt Volanus, Lasychius, Simlerus atq; Smidelinus, à professione Catholica alieni. Proinde etsi ex superioribus Caluini erroribus non alia ab istis sequerentur absurda & incommoda, eos constanter improbo & abiuro.

3. *Epiphan. Euthym. Nicetas. Basil.*

DOCT. His quoq; addere licet, quod fanaticas Arrianorum, Eunomianorum, Macedonianorum, Photinianorum Massalianorum, Euchytarum, & Sataneanorum opiniones ab inferis pro virib. reuocant: quos iam dudum sacris Scripturis, Apostolicis traditionibus, Patrum consensu, adeoq; totius Ecclesiæ Catholicæ authoritate conuictos, nostri veteres in manus Satanæ iure tradiderunt, vt discerent non blasphemare, cauerentq; posteri in huiusmodi impietates incidere: contra vero profiterentur omnes Filium Dei ex Patris essentia vere genitum esse, & Spiritum sanctum ex vtriusq; vnica Deitate vere quoq; procedere. Patrum locos sententiasq; in Appendice aduersus hæreses designauimus, lib. 3. titulo Christus.

4. *In Catal. Cont. Semiarrian.*

Ad hæc, beati viri Philastrius ac Epiphanius referunt Semiarrianos, cuiusmodi fuerunt Basilius Ancyranus, Georgius Laodicenus, Sylanus, & alij aliquot, inter errores suos hos tres articulos defendisse: *Spiritum sanctum non esse de Diuina Patris & Filij substantia productum: nec Deum verum: sed meram creaturam.* Primum Caluiniani aperte tutantur: à secundo & tertio non longe recedunt, vti paulo post ostendemus. Igitur manifestum est illos inueteratas, & iam obliuione sepultas hæreses pro viribus redintegrare. Athanasius sanctißimæ Trinitatis & consubstantialitatis eximius propugnator de Spiritus S. emanatione sic loquitur: Si Spiritus S. Patris substantiæ non esset, Filius Dei eum non in consortio sanctificationis numeraret. Et idẽ alibi ait: Ideo Dominus inspirans in ora Apostolorum dicit, Accipite Spiritum sanctum, &c. vt intelligeremus, quod ex plenitudine Deitatis ipsius ipse Spiritus existat, qui discipulis tribuitur. Epiphanius quoq; rursum scribit aduersus Photinum: Redarguit te sacra Scriptura, vbi loquitur Dominus de Spiritu sancto, cõfitens eum esse genuinum suæ Deitatis: & dicit, *Qui ex Patre procedit*: &, *De meo accipiet.* Theodoretus autem cum de Arrianis, Macedonianis & Eunomianis loquitur, tradit hos omnes πνευματομάχους, hoc est, Spiritus sancti hostes cognominatos fuisse, quod in eum blasphemantes dicerent, ipsum creatum, & non ex Deitate productum esse. Quid de tantorum Patrum fide doctrinaque iam tibi videtur? MINIST. Hinc colligo eos in primis vetera illa hæreticorum monstra damnasse, quod docerent Spiritum sanctum non esse productum ex Patris Filijque substantia. Deinde, eosdem expreßis Scripturæ testimonijs contrarium probasse. Postremo, Caluinianos propter earundem hæreseon assertionem, ijsdemq; quoque cum Arrianis, Semiarrianis, Eunomianis, atque Macedonianis anathematibus dirisque subiacere. Quocirca cum alibi profiteantur se vetera Concilia, Patrumque qui à Christo quadringentis & quingentis annis in Ecclesia floruerunt, doctrinam amplecti, ac quos damnauerunt errores, sese quoque damnare & reprobare: proculdubio seipsos proprio iudicio reos agere, spontaneisque laqueis præfocare.

De Arim. & cath. conf. L. de humana nat. suscep. Ioan.16. L. 2. hæret. fabular.

5. *Cent.1. l.2. pag.112.*

Præterea, etiam ex Centurijs Magdeburgensium apparet, superioris Germaniæ ministros hac in re cum Caluinianis minime conuenire: quando illi citatis decem firmißimis noui testamenti locis atque sententijs euincunt, Spiritum sanctum non nisi ex Patris Filijq; essentia atque Deitate promanare: atque sic verum quidem esse Deum, sed ab vtroque iuxta substantiam procedentẽ.

6. *L. cont. Apol. L. cont. Eun. Or. de Pent. Li. de Trin. L. de Spir. ad Grat. Ioan.15. Ioan.16. Galat.4. Ioan.8. Ioan.10.*

DOCT. Te quoque nosse cupio Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Ambrosium, Hilarium, & Augustinum, id est, præcipua post Apostolos totius Ecclesiæ Christianæ lumina, perpetua consensione docuisse Spiritum sanctum non à seipso, sed vnica indiuisaque Patris & Filij actiua spiratione, emanatione, seu æterna productione, Diuinitatem habere: idque his Scripturis confirmasse: *Paracletus à Patre procedit. Spiritus veritatis qui à Patre procedit. Spiritum mittam vobis à Patre. Spiritus de meo accipiet. Mitti*[illegible]*s Spiritum Filij sui in corda vestra, &c.* MINIST. Firmißima profecto testimonia. Nam vt Filius docet se omnem Deitatem à Patre per æternam generationem accepisse, dicendo, *Ex Deo processi, Exiui à Patre, A Deo veni, &c.* idem quoque de Spiritu sancto adfirmare docet, cum dicitur *à Patre procedere, & Filii esse Spiritus.*

7. *Ioan.16.*

Sententiam suam rursum confirmant ex eo quod Christus promittit? *Si abiero, mittam eum ad vos.* Mittit, ergo producit atque spirat illum: proindeque Spiritus Deitatem accipit à Filio

à Filio sicut à Patre, idq; æterna & incomprehensibili nobis ratione. MIN. Enimuero si Pater emittendo Filium, significat per huiusmodi missionem illum à se procedere quatenus Deus & Dei Filius est: sic & Filius promittens se Spiritum missurum, satis docet sese omnem ei Diuinitatem communicare ea productione, quæ sibi cum Patre vna prorsus est.

8. DOCT. Cumque de eodem Spiritu adiicit Dominus: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet: Omnia quæcunq; habet Pater, mea sunt. Propterea dixit, Quia de meo accipiet*: diuo interprete Augustino, idcirco dictum est, vt intelligamus eum non esse à semetipso. Subdit quoq;. Quia ergo non est à semetipso, sed ab illo à quo procedit, à quo illi est Essentia, ab illo scientia, ab illo audientia. Et vt huic sententiæ accedat sanctissima Græcorum consensio, sanctissimi Cyrilli, ac Concilij Ephesini præsidis testimonium subiungo. Propterea inquit, præmisit Christus, *qui etiam ventura annunciabit vobis*, ac si diceret: Hoc signum vobis sit ex mea illum substantia esse, & mentem quasi meam esse, quia futura, vt ego, vobis prædicet. Et paulo post: Verum cum insit in substantia Dei, & ex ea procedat, omnia quę Dei sunt in seipso naturaliter habet. Quid rursum tibi de his Patrum testimonijs videtur. MINIST. Primum quidem ea tam sancta diuinaque iudico, vt quicunque his sese opposuerit, is plane sit impius. Deinde, his omnino confirmari Spiritum à Filio, vt & à Patre procedere hacque productione siue emanatione quicquid habet Deitatis ab ijsdem accipere, non autem à seipso habere. Postremo, huiusmodi perpetuam cōtestatamque fuisse tam Græcæ quam Latinæ Ecclesiæ ex sacris literis desumptam fidem atque doctrinam: & propterea Caluinianos his contradicentes, in teterrimas aduersus æternam Spiritus sancti emanationem hæreses incidisse.

Ioan. 16.
Tract. 99. in Ioan.
L. 10. in Io. c. 41. & l. 11. cap. 1.

9. DOCT. Huic autem sententiæ Catholicæ testimonium toties perhibuerunt quotquot à seculo fuerunt Prophetæ Domini, quoties eundem Spiritum sanctum appellauerunt, *Spiritum Domini, Spiritum Dei, Spiritum oris & labiorum Domini, Spiritum Patris, Spiritum qui est ex Deo, Spiritum Dei viuentis, Spiritum virtutis Dei, Spiritum gloriæ, Spiritum sapientiæ intellectus consilii & fortitudinis, Spiritū ex alto, Spiritum principalem, Spiritum replentem orbem terrarum, Spiritum Dei rectum, bonum, dulcem, & sanctum, &c.* His enim satis patefaciunt, hanc tertiam in vna Deitate personam esse Deum, ineffabili nobis emanatione à Deo Patre & Filio procedentem; acceptaque ab his (tanquam ab vno principio) essentia seu natura Diuina, cum his vnicum & solum verum Deum esse.

Gen. 1. 41. Exod. 30. Num. 11. 24. 27. Iud. 3. 6. 11. 13. 14. Ps. 32. 50. 51. Sap. 1. 7. 9. 11. 12. Eccl. 1. Isa. 11. 32. 40. 42. 44. 48.

10. Eandem fidem & doctrinam Apostoli nō modo retinuerunt: sed & per vniuersum orbem multo magis illustratam & confirmatam constanter publicarunt, docendo omnes gentes, & *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Rursumq; verbis & signis suadendo hanc tertiam Trinitatis personam, vere dici & esse *Spiritum Dei, Spiritum Patris, Spiritum virtutis Dei, Spiritum Filii Dei, Spiritum Christi, Spiritum oris Dei, & Spiritum adeo sanctum ac diuinum*, vt si quis aduersus eum verbum blasphemiæ dixerit, non remittatur ei, vel in hoc seculo vel in futuro.

Rom. 8. 1 Cor. 1. & 2. Galat. 4. Philip. 1. Matt. 12.

11. Hæc diligenter perpendentes qui secundo, tertio, vel quarto seculo Apostolis successerunt pastores Ecclesiarum, diuino consensu decreuerunt, ad fidei substantiam hos articulos maxime pertinere: *Spiritus sanctus à Patre Filioque procedit. Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur.* Procedit autem omnem ab his accipiendo Diuinam potestatem, sapientiam, bonitatem, essentiam & maiestatem: quoniam solus Pater eam à semetipso, Filius autem à solo Patre ab æterno possidet. MIN. Certe planum est eum alias. *Spiritum Dei, Spiritum à Patre procedentem, Spiritum Filii, Spiritū Iesu*, nequaquam vocandum fuisse, si non à Patre & Filio procedendo ab his omnino haberet, quod vere Deus esset & appellaretur, quicquid in oppositum Caluinus possit obgannire. Persequere.

Symbol.

SPIRITVM SANCTVM, NON aliam, sed eandem numero Diuinam essentiam atq; naturam habere cum Patre & Filio: aduersus tertiam hæresin Caluinisticam.

CAPVT II.

DOCTOR.

SVperius audiuisti Bezam inter articulos suæ ac Geneuanæ fidei reponentem, *Essentiam diuinam realiter & ab æterno distinctam esse in tribus personis*: Caluinum deinde adfirmantem distinctionē realem in eo consistere, *quo vnum ab altero separetur*: vnde aperte confe-

consequitur, ipsos aliam, separabilemque A Essentiam à Patre & Filio, Spiritui sancto nefarie atque temerarie tribuere.

Confut. MIN. Non est dubium talem esse eorum
1. opinionem: ad quam refellendam alia argumenta non requiro, ab his quibus priorem Bezæ sententiam tum confutauimus. Cum enim omnia Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarumque scripta magno consensu personent, Vnicum & solum verum esse Deum, rationibusque doceant deorum pluralitatem esse omnino impossibilem; manifestum atque certum est Spiritum sanctum, qui vere Deus est, non aliam à Patre aut Filio Deitatem siue Essentiam habere, sed numero prorsus eandem. B

2. Deinde, Seruetum Caluinus reprehendit velut execrando crimine, *quo diuinam Essentiam in tres partes distraxerit*, cũ ea penitus simplex & indiuisibilis existat. Insuper eos Diuinitatis hostes infestissimos pronunciat, *qui in Essentia Dei aliquam distinctionis notam constituunt*: eam tandem eliciens conclusionem, *Essentiam Patris, & Filij, & Spiritus sancti esse omnino simplicem, singularem ac impartibile*. Quare certissimum est Spiritum sanctum eandem prorsus Essentiam habere cum Patre & Filio: ac proinde Bezam realiter eam in tribus personis distinguendo, etiam Caluini C iudicio, vnius veræ ac summæ Diuinitatis hostem teterrimum esse.

3. DOCT. Certe cum ait Ioannes, *Pater Ver-*
1. Ioan. 5. *bum & Spiritus sanctus, hi tres vnum sunt*, aperte docet cunctos sibi persuadere debere non esse aliam Patris, Filij, aut Spiritus sancti essentiam vel naturam: sed prorsus vnicam, eandemque impatibilem.

4. Ecquo iure etiam baptizaremur *in nomi-*
Matth. 28. *ne Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, si non trium esset omnino eadem maiestas, potestas, & gratia? Aut idem Spiritus sanctus diceretur omnium creator, conseruator atque sanctificator, si non eadem prorsus esset cum Deo D Patre & Filio præditus natura, Deitate, atque potestate: quando vnicum & solum credimus atque colimus omnium rerum Creatorem & Seruatorem? An non è contrario tres essent dij, tres omnipotentes, tres Domini, & tres Creatores; si quisque eorum aliam reiq; distinctam haberet essentiam? Aut quã reperiremus in Symbolis fidei nostræ veritatem, in quibus nobis hæc ad credendum proposita sunt axiomata, *Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna est Diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas*?

MINIS. Isthæc me non parum ad fidem 5.
cultumq; diuinum Spiritui S. præstandum promouent: verum multo adhuc magis ad id incitaretur animus, si aliqua eaq; perspicua de his audirem veterum Ecclesiæ Patrum testimonia. DOC. Non solum in his tibi satisfaciam, verum etiam ex his mecũ audies discesque quibus Scripturis innixi idipsum corroborent. In primis vero Fulgentius Ru- L. 2. ad Me-
spensis ostendit Spiritum S. non esse mino- nimum.
rem, imo vero prorsus æqualem & consubstantialem Patri & Filio, quamuis ab his missus sit: cum Filius quoq; missus à Patre, non desinat eiusdem cum illo esse Essentiæ atque naturæ, iuxta quod ab eodem dictum est, *Ego & Pater vnum sumus*. Einsmodi etenim Ioan. 10.
missiones nullam locorum mutationem, Ioan. 16.
aut substantiæ honorisve imminutionem si- Isa. 61.
gnificant: sed certos tantum effectus, quibus Luc. 4.
hæ diuinæ personæ sese mortalibus, modo quodam singulari exhibent atque manifestant. Deinde, cum eadem naturæ immensitas seu infinitas, quæ Patri & Filio conuenit, de Spiritu quoque adfirmetur à Sapiente dicente, *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*: Sap. 1.
similiter & à Dauide concinente, *Quo ibo à* Psal 137.
Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es, &c. oportet plane Spiritum sanctum eiusdem cum his esse diuinitatis & naturæ. Rursum, diuino verbo adfirmatur, *Nos templum esse Spiritus sancti qui habi-* 1. Cor. 3.
tat in nobis. Nos Spiritum seruitutis in timore non Rom. 14.
accepisse, sed Spiritum adoptionis filiorum Dei, in Gal. 4.
quo clamamus, Abba, Pater. Eundemq; Spiritum Rom. 8.
testimonium reddere spiritui nostro, quod filij Dei sumus. Ex quibus clarum efficitur, Spiritum sanctum eundem cum Patre & Filio esse Deũ omnipotentem, omniscientem, omnimisericordem, &c. Præterea, præclara cælestiaq; 1. Cor. 13.
dona fidei, spei, charitatis, lætitiæ spiritalis, Esa. 11.
pacis, longanimitatis, bonitatis, sapientiæ, Rom. 14.
scientiæ, pietatis, externarum linguarum co- 1. Cor. 12.
gnitionis, quæ à Prophetis & Apostolis com- Gal. 5.
memorantur, ab eodem Spiritu S. in sanctos Act. 2.
collocata beneficia diserte palamque referuntur: quapropter necesse est illum vere Deum, ac prorsus eadem cum Patre misericordia, liberalitate, & in homines beneuolentia præditum esse. Denique, præstantissimum Incarnationis & natiuitatis Christi ex Matth. 1.
Maria virgine mysterium eidem Spiritui S. Luc. 1.
acceptum refertur: hoc autem non nisi à summo atque omnipotente Deo perfici potuit. Est igitur Spiritus eadem, non alia, cum Patre & Filio præditus natura virtuteq; Diuina,

uina,&c. En sacræ firmæque probationes, A quibus Fulgentius ante mille annos Spiritus sancti diuinitatem adfirmauit,& hostes illius Arrianos confudit atque repulit.

6. Ante Fulgentium scripserat quoque Augustinus, Si Spiritus non esset verus Deus,eius templa non essent corpora & membra nostra, cum soli Deo templa erigantur. Et quod Petrus dixit Ananiæ, *Quomodo mentitus es Spiritui sancto? Non enim mentitus es hominib. sed Deo:* manifeste docent Spiritum Deum esse,cui nefas sit mentiri. Vnus autem Deus est,plures vero nequeunt consistere: est igitur Spiritus vnicus natura cum Patre Deus. B

Epist.174. & l.3. aduer. Maximin. 2.Cor.6. Act.5.

7. Et vt Græcos Latinis permisceam,Chrysostomus eandem doctrinam sequutus ait: Vbi est Iesus Christus, ibi est quoque Spiritus sanctus, quoniam vbicunq; sanctissimæ Trinitatis vna est hypostasis, ibi & Spiritus sanctus vna ex personis. Inseparabiliter quippe sibiipsi cohæret ipsa Trinitas, atque exactissime vnita est.Et iterum: Vna natura est Filij & Spiritus,vna virtus. Et in illud:*Rogabo Patrem,& alium Paracletum dabit vobis,*ait: Dicendo alium, personæ differentiam: dicendo Paracletum, substantiæ cognationem Christus demonstrat.

In ca.8 ad Rom. in ca. 14.Ioan. Homil. de S.Spiritu.

8. Basilius magnus in fidei suæ professione, C ait: Coniunctum Patri & Filio confitemur Paracletum,& non inter creaturas annumeratum. Nam æque credimus in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & horum trium nomine baptizamur: proinde Spiritus sancti coniunctionem à Patre & Filio nunquam separamus, neque patimur gloriam ei debitam aboleri.

Epist.73. Matth.28.

9. Nazianzenus quoque inquit: Aequissimũ est vt agnoscamus Spiritum sanctum suam à Deo habere substantiam,Patri concedendo quod non gignitur,Filio autem quod gignatur: sed in cæteris(exceptis proprietatibus)e- D iusdem est cum illis naturæ,gloriæ,honoris, & potestatis. Et alio rursus loco ait: Spiritus sanctus erat quidem semper, & est, & erit, neque incipiens,neque desinens: sed semper Patri & Filio coordinatus & connumeratus.

Orat.de Modestia. Orat.5.in Pentecost.

10. Athenagoras insignis simul Theologus & Philosophus profitetur, Christianos in Deo tres personas credere inter se distinctas,Patrem,Filium,& Spiritum sanctum,sed prorsus coniunctas tam in essentia,quam in operibus ac effectis suis. Filium tanquam mentem & rationem Patris: Spiritum sanctum ab eo procedentem, vt ab igne procedit lumen & calor.

Apolog pro Christian.

Cyprianus Martyr docet hunc esse diuinum Spiritum,qui Salomonem sapientia,intellectu Danielem, Ioseph consilio, Samsonem fortitudine,Moysen virtutibus, Dauid pietate,Iob timore donauit; cunctorumque sanctorum mentes variis donis fœcundat.in tantum adfectus pacificos prouehens, vt iam in cælis eorum nostraque sit conuersatio, diffusa in nobis charitate per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Hic in pudicis mentibus sibi statuit habitationem, hic humiles habet domesticos, abominatur auaros,falsarios detestatur.Hic Giezi lepra percutit, Ieroboam de sacerdotiis nundinantem cum apostatis locat. Simonem magum à sanctorum consortio exhæredat, Balaam ad maledicendum conducto silentium imponit,omnibus Ecclesiæ Sacramentis adest, quæ & ipse efficit & consummat.Hic peccata diluit, iustificat impios, & ad vitam mortuos reuocat. An non ergo verus ac omnipotens Deus est? 11.

Ser. de Spiritu sanct. Philip.3. Rom.5.

MIN. Hæc septem sanctorum hominum sufficiunt testimonia. Ex his enim satis perspicio,expresis Dei verbis comprobari Spiritum sanctum verum Deum, ex Patris Filiiq; substantia,ab æterno,incomprehensibili ac ineffabili productione procedere,atq; eandem prorsus cum illis Deitatem, virtutem,& maiestatem retinere. Denique Bezanos & Caluinianos aliam ei essentiam à Patre tribuentes,non modo cum Arrianis, Macedonianis, Eunomianis, aliisque veteribus à Satana contra Spiritum Domini subornatis, impostoribus atque seductoribus infœliciter consentire: sed & pluralitatem Deorum cum impiis gentilibus pro virili reparare. De alio capite iam quæso tractemus. 12.

SPIRITVM SANCTVM NON ESSE *tantum Tertiam rerum causam: aut tertium obtinere imperij aut honoris gradum: contra 4. & 5. hæresin Caluinianam.*

CAPVT III.

DOCTOR.

DE quarta igitur eorum aduersus Spiritum sanctum hæresi dicamus. Per hanc autem nihil Spiritui sancto in mundi creatione, conseruatione atque gubernatione relinquunt, nisi tertium quendam virtutis, imperij,ac honoris locum. MIN. Isthæc in eorum scriptis nondum occurrerũt; quamuis in his euoluendis diu multumque insu-

Cal. in c. 6. Ica. in 16. Mar. in 26. Mat. & in 17. Ioan. v. 11. dauerim, DOCT. Cum hæresiarcha scribit, A *Deum Patrem esse primum vitæ gradum & causam, Filium vero secundum: Patrem esse primam potentiam, Filium secundam: Patrem honoris & imperij primum tenere locum, Filium autem secundum:* sequitur manifesta consecutione Spiritui sancto tantummodo relinqui tertium causæ, vitæ, potentiæ, honoris ac imperij locum. MIN. Id negare non potest nisi nimium proteruus & præfractus. DOC. Cum etiam Dominum Iesum Christum confingat esse *Patris solum ministrum atque vicarium*, eadem opera Spiritus sancti omnipotentiæ ac æqualitati diuinæ plurimum consequenter detrahit. Dicentes rursum in Fidei suæ confessio- B

Art. 6. ne, *solum Patrem esse mundi huius causam primam, Filium secundum*, manifestum est quod Spiritum sanctum in ordinem tantum tertiæ causæ reiiciunt.

Confut. 1. MIN. Tam nefario errore prorsus tenebuntur Caluiniani, nisi Caluinum suum penitus damnauerint, vt & seipsos alibi manifeste damnant atque coarguunt, dum scribunt:

Cal. in c. 1. Ioan. v. 18. Beza in cõf. fidei punct. 1. art. 2. *Arrianorum esse rabiem in eadem simplici essentia Dei aliquam inæqualitem inferre. Tres illas personas diuinas esse coessentiales, coæquales, & coæternas sine proprietatum confusione, vt vetus Ecclesia præclare constituit contra priscos hæreticos.* Cum itaque diuersos & inæquales causa- C rum gradus, cum multiplices atque varios honoris, vitæ, & imperij ordines inter diuinas personas Caluiniani flagitiose comminiscantur, quis negabit eos cum Arrianis plane insanire? Quod si personæ illæ diuinæ prorsus eadem essentia, voluntate, potestate, & maiestate sunt præditæ, nulli profecto sunt inter has diuersi honoris ac imperij loci: atque sic efficitur, Spiritum sanctum eodem honoris, gloriæ, vitæ, atq; totius huius mundi gradu constituendum & colendum esse, quo Patrem & Filium veneramur. Enimuero cum trium sit vna prorsus essentia, vna maiestas, vna voluntas, & vna potestas, D vnus tantum Deus, vnus creator & rector mundi, vna denique omnium rerum prima causa: & vnicum summum principium credendum est, non tria.

2. DOCT. His adde quod nuper ex sacris literis audisti, Spiritum sanctum esse eiusdem cum Patre & Filio naturæ ac Deitatis, quandoquidem hi tres vnum sint, in quorum vnico nomine & numine baptizamur. Adhæc cum non sint tres dij, sed vnus Deus:

Atha. in sym. non tres domini, sed vnus Dominus: non tres æterni, increati, omnipotentes, vel immensi; sed vnus æternus, increatus, omnipotens ac immensus, vere sunt tres personæ coæternæ sibi & coæquales. Est igitur non modo Arriani, verum & impuri cuiusdam Ethnici insana deliratio, primum vitæ gradum illi, secundum huic, tertium autem isti tribuere.

MIN. Et reuera, insanus Auerroes, & post eum Auincenna quosdam graduum ordines ac causarum nexus circulosque in rebus diuinis confingentes, videntur Caluinianis istorum errorum materiam subministrasse. 3.
DOCT. Tanto igitur impudentiores sunt, quanto malunt impurorum gentilium sectari somnia, quam verbo Dei à Patribus sancte pieque explicato adhærere.

MIN. Equidem certe in ea quoque dementia olim versati sunt Porphyrius, Plotinus, Iamblichus, & alij vel fidei Christianæ desertores, vel Platonici; quando conati sunt sanctissimæ Trinitatis & vnitatis diuinæ mysterium suis somniis obscurare atq; deformare. DOCT. Sic vere dixit quondam 4.
Tertullianus, Philosophos esse Patriarchas hæreticorum. Hæreses à Philosophia subornari. Deniq; hæreticum ita conuenit; Discede ab ethnico, hæretice. Redde illi suos sensus, quia nec ille de tuis instruitur. Quid cæco duci inniteris, si vides? Quid vestiris à nudo, si Christum induisti? Quid alieno vteris clypeo, si ab Apostolo armatus es? Ita ergo & nos Caluinistas adoriri possumus. Quid vobis cũ Auerrois deorum, aut primarum, secundarum, tertiarumve causarum gradibus? Quid cum catenæ Auincennæ circulis ac nodis? Reddite Porphyrio Apostatæ suas blasphemias, Plotini deserite somnia, Iamblichi deliramenta valere iubete: & cum Christianis verum Deum Patrem Filium & Spiritum sanctum vnicam rerum omnium effectricem & seruatricẽ causam credite & adorate. L. cõt. Hermog. L. de præsc. L. de resur. carnis.

MIN. Sed quæ fuit doctrina fidesq; Patrum de Spiritu sancto? DOCT. Quotquot pro gloria sanctissimæ Trinitatis aduersus Arrianos, Macedonianos, Eunomianos, vel Photinianos decertarunt, expressis Dei verbis ostenderunt, vniuersa quæ Deo Patri & Filio circa creaturas opera gestaq; tribuuntur, eadem eodemq; modo & Spiritui sancto iure ascribunt, vt & in præcedenti attigimus disputatione. Ex quo sequitur neq; tertium gradum causæ ei tribuendum, neque in tertium honoris ac imperij locum relegandum esse: quando cum Patre & Filio vnica eademq; prima & potissima sit rerum causa. 5. Basil. Athan. Amb. Fulgent.

MIN.

6. MINIS. Certe Moses eum creatorem omnium agnoscens, ait, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Dauid quoque canit: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Orat, *Spiritu principali* confirmari. Denique ait: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ:* quibus verbis satis aperte confitetur, eum cum Patre & Filio vnicum rerum principium, creatorem, & rectorem esse.

Gen. 1. Ps. 32. Ps. 50. Ps. 103.

7. DOCT. Nec aliter vnquam senserunt aut scripserunt Apostoli, cum ea omnino Patris dona, Spiritui quoque accepta ferenda esse prædicauerunt, vtpote, scrutari profunda Dei, vbique natura sua præsto adesse, homines regenerare, viuificare, iustificare, atque saluare: veteres edocere Prophetas, eorum ore loqui, largiri dona sapientiæ, fidei miraculorum, &c. *Hæc omnia* (inquiunt) *distribuit Spiritus prout vult.* MIN. Ista profecto certissima & apertissima sunt argumenta eiusdem cum diuino Patre potestatis efficientiæ atque virtutis. Nec est necesse vlteriores ad id comprobandum rationes adhibere: ideoq; aliud caput attingamus.

1. Cor. 12. Ephes. 4. Luc. 1. 2. Petr. 1.

SPIRITVS SANCTI PERSONAM non esse virtutem aut potentiam essentialem Dei Patris: aduersus. 6. hæresin Hugnosticam.

CAPVT IV.

DOCTOR.

ABerrant rursum turpissime Authores vestri quando personæ Spiritus sancti rationem designantes; nihil aliud esse iudicant, præter virtutem essentialem & naturalem potentiam Dei Patris. MIN. Talem finitionem nondum in horum scriptis animaduerti, proinde horum verba audire velim. DOC. Bezæ igitur verba Gallica sunt: *Nous croions au S. Esprit, qui est la puissance essentielle du Pere & du Fils.* Quæ sic Latine ad verbum redduntur. *Nos credimus in Spiritum sanctum, qui est potentia essentialis Patris & Filij.* Caluinus autem ait: *Spiritus sanctus est quasi essentialis Dei virtus, cuius efficacia se profert ac exerit tam in mundi gubernatione, quam in miraculis.*

Conf. pūct. 4. art. 1. Com. in ca. 12. prioris Cor. & Inst. l. 1. ca. 13. §. 22.

Confut. 1. MINIS. Expresso ne Dei verbo suam corroborant definitionem? DOCT. De hoc ne minimum quidem verbum. MIN. Ergo nec audiendi nec admittendi sunt. Eorum enim regula est. *Nihil esse credendum aut suscipiendum, nisi expresso Dei verbo habeatur: sed omnino reiiciendum tanquam fermentum Pharisæorum.*

Rursum, mihi videntur Caluinus & Beza hac finitione personam Spiritus sancti cum persona Filij misere confundere. Nam in caput primum Ioannis scribit, *Filium esse æternam Patris voluntatem.* Alibi vero nullam differentiam constituit inter Dei voluntatem & potentiam Dei. Ergo cum hic dicit Spiritum S. esse potentiam Dei essentialem, sequitur Spiritum sanctum esse ipsum Dei filium: qui error est veterum Sabellianorum & Noetianorum. 2.

Deinde, idem Caluinus non verbis solum, sed & acerrimis flammis viuum Seruetum aliquando corripuit, eo quod (inquit) *nullam distinctionem realem constitueret inter Verbum & Spiritum sanctum.* Idipsum autem idem nunc affirmat & prædicat. Igitur eadem dignus est mulcta & condemnatione. Atque hæc mea de horum definitione sententia est: tu dicito quæ aduersus eam parasti. 3.

L. Gallic. de actis Serueti pa. 100.

DOCT. Hac eadem definitione sua confundunt etiam Spiritus sancti hypostasin, id est, notationes, proprietates, & res proprietatibus constitutas, cum his perfectionib. quæ à Theologis vocantur attributa: quorum primum est Potentia, quæ passim adscribitur Deo Patri. Proinde non solum hypostases diuinas cum Sabellio confundunt, verũ etiam omnino delent, negant, & pro viribus tollunt de medio. Enimuero sapientia, bonitas, misericordia, gratia, & potentia in Deo non sunt quædam inter se distinctæ personæ, aut quibusdam relationibus notionalibus constitutæ hypostases, sicut sunt Pater, Filius, ac Spiritus sanctus: sed sunt perfectiones ex se communes tribus personis. Quare secundum horum nouorum Sabellianorum nouam Theologiam Spiritus sanctus non est persona diuina suis proprietatibus ab aliis secreta: sed illarum tantum quædam communis perfectio. 4.

Præterea, quicunq; adfirmat Patrem vere & realiter esse sapientiam, bonitatem, misericordiam, gratiam, & potentiam suam essentialem & naturalem, Christiane & Catholice loquitur. Idem de Filio, identidem & de Spiritu sancto asserendum est. Itaque si Spiritus sanctus esset potentia Dei essentialis & improducta, esset idem vere & personaliter Pater & Filius: proinde non esset in Deo vera & distincta Trinitas personarum, sed tantum vna: quod est sacrilegum Iudæorum & Mahometanorum commentum. 5.

6. Adhæc, articulus fidei nostræ est scripturis & symbolis expressus, Spiritum sanctum reipsa procedere atque produci à Patre & Filio. Ait enim Christus, *Spiritus qui à Patre procedit*. Et in symbolo Nicæno dicitur, *Qui ex Patre Filioq; procedit*. Athanasius quoq; ait: *Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Atqui potentia Dei essentialis nō potest dici producta, quod omne productum à producente reipsa distinguatur; tum etiam quod productum ad producentem referatur. Potentia vero Dei essentialis ab eodem re non distinguitur, nec ad aliud refertur: sed est perfectio penitus absoluta, improducta, & tribus personis omnino innata & inti[illegible]. Ergo non modo inepte, impropriеque, sed & impie ac hæretice à Caluino & Beza Spiritus sanctus dicitur esse potentia Dei essentialis.

Ioan.16.

August.

7. Constituimus quoque superius Scripturarum & Patrum authoritatibus, Personam esse talem naturæ diuinæ subsistentiam, quæ non possit aliis communicari, cum ab aliis omnibus sua proprietate naturali seu relatione notionali sit realiter distincta; vt Pater sua paternitate, Filius sua filietate, & Spiritus sanctus sua passiua spiratione. Sed nunquam efficere poterunt Caluiniani, Potentiam Dei essentialem tali constitui proprietate seu relatione notionali, vt aliis prorsus sit incommunicabilis. Nec igitur potest, nec debet cū Spiritus sancti persona in definitione commisceri nihilo plus, quam cum persona Patris & Filij.

8. MIN. Firmissime credo & nullatenus dubito Spiritum sanctum esse personam reipsa distinctam à Patre & Filio, nec sine sacrilegio posse cum Potentia Dei essentiali confundi: sed non satis intelligo, qua ratione in Scripturis appelletur, *Digitus Dei, sempiterna virtus, itemque virtus ex alto*.

Exod.3. Luc.11. Rom.1. Luc.24.

DOCT. Respondet tibi Caluinus illic non agi de persona Spiritus sancti; sed tantum de quadam eius virtute diuina, quæ per opera mirabilia palam manifestata est hominibus. Respondeo & ego, de Spiritus sancti mirandis effectis, singularibusque beneficiis illic mentionem fieri. Eodem enim sensu alibi quoque dicitur. *Spiritus sapientiæ & intellectus, consilij, fortitudinis, timoris, fidei & adoptionis*, eo quod vel per ipsum hæc dona nobis conferantur, vel idem ipse illa nobis benigne conferat. MIN. Mihi factum est satis aliud persequamur.

Esa.11.

SPIRITVM SANCTVM VERE ET proprie esse personam diuinam, & non aliquam tantum proprietatem residentem in essentia, aduersus septimam Caluinianorum hæresin.

CAPVT V.

DOCTOR.

ERrore septimo vestri Caluiniani cum authore suo arbitrantur, *Personam Spiritus sancti simplicem tantum esse proprietatem quandam distinctam & residentem in Deo*. MIN. Certe id nunquam poterunt inficiari, nisi Caluini Institutionem, & in Ioannis caput primum voluerint denegare commentaria. DOCT. Dic porro quid de hac definitione tibi melius videtur.

Confut. 1. MIN. Dico in primis, Authorem nec secum, nec cum veritate bene in hac conuenire. Quando enim vltimo errore adfirmat Spiritum S. esse *Potentiam Dei essentialem*, negat eum esse *Proprietatem quandam in Deo*. Nam proprietates non sunt essentiales aut communes tribus, sicut Potentia, sed duntaxat vni conueniunt, vt paternitas soli Patri, filietas soli Filio, spiratio passiua soli Spiritui sancto: aut ad summum duabus, vt spiratio actiua Patri & Filio. Quare si Spiritus esset *Potentia essentialis Dei*, vt alibi loquitur; proculdubio non potest esse *proprietas quædam*, vt hic adfirmat.

Deinde, seipsum rursus iugulat, scribens in Libro de actis Serueti, *Personam diuinam esse naturam seu substantiam occultam in Deo*. Item, *Hypostases esse subiecta, quorum vnumquodque suam habeat proprietatem*. Quare cum Spiritus sanctus vere diuina sit persona, non potest dici sola aut nuda quædam proprietas distincta & relata in Deo: imo iuxta Caluinicam finitionem, est quoque natura & substantia in Deo ipso, & ipsemet Deus verus. 2.

DOC. His addi potest & hæc argumentatio. Spiritus sanctus à Patre & Filio proprie, & ab æterno producitur, atque ita ad vtrunque refertur, vt res producta ad producentem, resque spirata ad spirantem. At vero proprietas seu relatio personalis nec producitur, nec refertur; cum productio terminetur ad substantiam; & relatio sit medium referendi. Sequitur ergo Spiritus sancti personam nō esse simplicem proprietatem distinctam, & relatam in Deo: sed potius hypostasin 3.

sin tam relatione seu proprietate, quam ipsa essentia seu natura diuina, vere & proprie constitutam.

4. Perpende quoque vniuersa officia ac opera, quę Spiritui S. in diuinis literis tribuuntur, vt condere mundum, Prophetis illucere, Patriarchas regere, Apostolos docere, Euangelistis fauere, Martyres animare, Virgines seruare, peccatores iustificare, iustos, saluare, fidei & aliarum virtutum dona largiri, &c. & nunquam audies isthæc à simplici quadam proprietate donari, sed à vera diuinaque persona, quæ Spiritus S. & Spiritus Dei appellatur. *Spiritus*, inquit, *ferebatur super aquas. Spiritus Domini irruit in eum. Factus est Spiritus Domini super eum. Spiritus Domini rapuit eum. Spiritum S. tuum ne auferas à me. Spiritus Domini ornauit cælos. Spiritus S. superueniet in te. Descendit in eum Spiritus S. Ductus est Iesus à Spiritu. Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, &c.* MINIST. Mirum certe quod nullibi dicatur Proprietas seu relatio distincta in Deo. DOCTOR. Imo nihil prorsus mirum, cum huiusmodi personæ illius per simplicem relationem definitio, impium & absurdum sit inuentum Caluinianum, diuinis Scripturis prorsus ignotum.

Gen. 1. Iudic. 14. 1. Reg. 19. Act. 8. Ps. 50. Iob. 26. Luc. 1. Ioan. 1. Matt. 4. Ioan. 14. Act. 2.

5. His subijcio virorum Apostolicorum de eadem Spiritus S. persona fidem atque doctrinam penitus Catholicã. Ignatius namq; ait: Est vnus Deus Pater ingenitus, vnus Filius genitus, & vnus Paracletus Spiritus veritatis. Et rursum alibi: Est vnus Deus omniũ Pater Domini nostri Iesu Christi, & vnus Dominus noster Iesus Christus vnigenitus Dei, & vnus Spir. S. Non sunt igitur tres Patres, nec tres Filij, nec tres Paracleti: sed vnus Pater, vnus Filius, vnus Paracletus: ac idcirco mittens Dominus Apostolos ad docendum omnes gentes, præcepit *baptizare eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Epist. ad Philadelp. Epist. ad Phil. Matt. 28.

6. Iustinus vt peritissimus Philosophus, ita sapientissimus Theologus, & constantissimus pro Christo Martyr, in Confessione fidei scribit: Certum est in primis vnicum esse Deum in tribus personis cognitum, Patrem videlicet, Filium, & Spiritum sanctum. Cum enim Filius ex propria Patris essentia sit genitus, & ex ea ipsa procedat Spiritus sanctus credendum est eos in diuinitate æquales esse, atque vnicũ esse Deum in tribus personis distinctum: Verum, dicet aliquis, Quomodo fieri potest, vt generans nõ differat à genito, & procedẽs ab eo à quo ꝓcedit? Non est igitur res eadem Pater & Filius, & Spiritus sanctus? Non profecto. Differunt enim in personis, non in essentia: hæcque nomina ingenitum, genitum, & procedens, non sunt nomina essentiam separantia, sed loquendi formulæ, quibus distinctio personalis significatur & declaratur, &c. Nomen enim ingenitum Patris personam demonstrat; & cum genitum audimus, Filij personam apprehendimus; tandemque cum procedens dicitur, Spiritus S. vera nota intelligitur. Persona enim illius eo nomine proprie exprimitur, &c. Hactenus viri Apostolici, ex quorum verbis discimus, Spiritum S. perfectam & omnibus numeris absolutam esse in Trinitate personam, à Patre & Filio sua proprietate notaq; distinctam, non autem ipsam nudam & simplicem proprietatem, qualem noui isti Prædicantes nugantur. MIN. Video sane perspicue quam turpiter hac in re sint hallucinati, aduersus Scripturas, Patrumque doctrinam fœde aberrantes. Reliquos eorum errores perpendamus.

DEVM PATREM AEQVE IN SPIritu sancto, atque vt in Filio à nobis recte adorari: contra 8. hæresin.

CAPVT VI.

DOCTOR.

NOnne perpetua rebus fidei Christianæ detrahendi rumpuntur inuidia, quando vetant Deum Patrem, in persona Spiritus S. colendum & adorandum esse? MIN. Miror vbinam hęc omnia in eorum scriptis inueneris! Id certe nunquam ego comperi aut legi. DOCT. Dialogo vigesimo Clypei Geneuanæ fidei, folio 376. hæc Gallicis verbis continentur: *Comme Dieu le Pere s'est manifesté en la personne de son fils Iesus-Christ, il veut estre adoré en luy tant seulement, & non en autre.* Quæ ad verbũ Latine sonant, *Sicut Deus Pater se manifestauit in persona Filii sui Iesu Christi, sic in eo tantummodo vult adorari, & non in alio.*

MIN. Exclusiua certe illa *tantummodo*, vna cum negatione, *& non in alio*, penitus Spiritum S. excludunt: qui nefarius error est. Cum enim verus ac æternus sit, eiusdem cum Patre essentiæ, potentiæ, maiestatis ac summæ dominationis, non potest certe ille vt omnium bonorum fons & creator adorari, nisi & hic simul adoretur & conglorificetur. Ergo vt Spiritus adoratur in Patre: sic Confut. 1.

& Pater recte adoratur in Spiritu S. Et sicut adoratur à nobis Pater in Filio, credendo eũ esse ab illo genitum consubstantialem, coæternum, & omnino ęqualem, ita & in Spir. S. colitur dum hic prędicatur ab illo in eadem Deitate, maiestate, & potestate ab omni æternitate ꝓcedere. Et vt summatim dicam, Nunquam mihi persuadere possum eos, qui adfirmant Deum Patrem in Spiritu S. adorari non debere, non etiam eundem Spiritum S. omni diuina maiestate spoliare.

2. DOCT. Certissimum id esse paulo post apparebit. Sed vt redeamus ad religiosam Dei Patris in Spiritu S. adorationem, notandum in primis eam satis aperte tradi ab Apostolo, cum dicit, *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Et iterum: *Omnes habemus accessum in vno Spiritu ad Patrem.* Rursumque, *Nos esse templum Dei in Spiritu sancto.* His enim demonstrat Deum Patrem æque in persona Spiritus, atque Filij sui velle agnosci & coli ab omnibus.

1. Cor. 2.
Ephes. 2.
1. Cor. 6.

3. Idem rursum scribens, *Nos abundare in spe virtute Spiritus sancti*: vocationem gentium *per Spiritum S. sanctificatam esse*: item, quod signa & prodigia omne genus ederet *virtute Spiritus diuini*: orando deniq; Deum Patrem *per charitatem eiusdem Spiritus sancti*, æque ac per Dominum nostrum Iesum Christum; eundem Deum Patrem in Spiritu S. adorat manifeste: suoque exemplo adorandum esse docet.

Rom. 15.

4. Quid? Nonne Deum Patrem in Spiritu suo vere colimus & adoramus, cum eum agnoscimus authorem, & credimus largitorem esse omnis sapientiæ, fidei, spei, charitatis, prophetiæ, deniq; omnium linguarum, discretionis spirituum, aliorumq; charismatum spiritalium? Dumque profitemur illum authorem nostræ regenerationis & salutis? Christumq; per Spiritum S. se pro nobis obtulisse immaculatum Deo Patri.

1. Cor. 12.
Tit. 3.
Hebr. 9.

5. Certe cum Apostoli eodem Spiritu S. doctore & ductore, Euangelium per totum mundum sparserint, innumeros vitæ æternæ verbo, exemplo, & miraculis editis pepererint, omniaq; tormentorum genera pro eiusdem assertione incredibili alacritate superauerint, satis ostenderunt Patrem in hoc Spiritu suo à cunctis colendum & summo cultu venerandum esse.

Luc. 24.
Mat. 28.
Marc. 16.
Act. 1. 2.

6. MIN. Hæc perspicua sunt. Insuper, & ad horum assertionem attinere videntur hæc Christi ad mulierem Samaritanam verba: *Venit hora & nũc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum: Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.* Atque hæc ad superioris erroris confutationem satis esse videntur. De alio inquiramus.

Ioan. 4.

RELIGIOSVM CVLTVM SVPREmamque adorationem Spiritui sancto ab omnibus deberi: aduersus nonam Caluinianorum hæresin.

CAPVT VII.

DOCTOR.

A Deo cæci propriaque malitia excæcati sunt Ductores vestri, vt tandem in eam errorum abyssum inciderint, vt nolint diuinam Spiritus sancti personam supremo cultu venerandam esse. MIN. Vnde istud colligis? DOCT. Ex Caluiniani catechismi principio, vbi scribit Gallicis verbis hæresiarcha: *Il faut adorer le seul pere au nom du Fils: Oportet adorare solum Patrem in nomine Filii.* MINIS. Id inficiari nec possum nec debeo. DOCT. Eundem errorem alibi quoq; non modo repetit, sed ẽt verbis adauget, scribẽs: *Solum Christum nobis propositum esse, vt eum ad quem omnis fides nostra dirigatur: & in eo conquiescat.* Vtens enim exclusiua dictione solum, idq; erga vnicam personam diuinam, nonne alias omnes excludit? Deinde, adfirmans solum Patrem adorandum; & in solo Filio fidem nostram directam conquiescere debere: manifeste satis prohibet Spiritum sanctum adorari. In ca. 1. Ro. v. 3.

MIN. Vera sunt hæc omnia. Sed interim quid futurum est de hoc tam aperto certoque fidei Christianæ articulo, *Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur?* Item de his alijs: *Credo in Spiritum sanctum? Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem?* Nonne credendo in eum, fides nostra in eũ dirigitur, in eodemque conquiescit? Et quid est aliquem suprema adoratione colere, si hoc non fuerit? Nonne Caluinus & eius asseclæ palam profitentur se tria Symbola cõplecti, simulque cuncta quæ aduersus Sabellianos & Arrianos in prima synodo Nicena, decreta fuerunt? Confut. 1. Symbol.

Profecto cum in publica fidei suæ confessione Caluiniani contestentur *se omnes abhorrere ac respuere hæreses, quas sancti Dei homines Athanasius, Hilarius, Cyrillus, Ambrosius damnauerunt: & quas prima Concilia vniuersalia anathema-* 2.

thematibus confoderunt; hunc autem vt Arrij, A
Eunomij, Photini, & Macedonij errorem,
quo nolebant in Spiritum S. credere, eun-
demq; cum Patre & Filio adorare; Patres il-
li aperte conſtanterq; reprobauerint: con-
ſequens manifeſtum eſt, iſtos nouos diuini
Spiritus hoſtes cum illis veteribus etiam ꝓ-
prijs iudicijs damnatos eſſe. Atque hoc meũ
de iſto capite iudicium.

3. DOCT. Hoc ipſum iſta ratiocinatione
confirmo. Sacris ſcripturis ſupra probatum
eſt, Spiritum S. cum Patre & Filio eſſentia,
maieſtate, poteſtate, infinitaq; bonitate vni-
cum eſſe Deum; eumque talem ſe ab initio
mundi mirandis operibus comprobaſſe. B
Atqui ſuprema adoratio Deo Patri debe-
tur ratione infinitæ maieſtatis, gloriæ, pote-
ſtatis, clementiæ, & bonitatis: debet igitur
eodem modo pariq; ratione & ipſe Spiritus
ſanctus ab omnibus creaturis ſubmiſſe coli
& adorari.

4. MINIST. Euidentiſsima & firmiſsima eſt
ratio: ſed Scripturas exopto, quæ doceant
Spiritum S. adorandum eſſe. DOCT. Ste-
Act. 7. phanus Iudæos increpans, *quod Spiritui S. re-
ſtitiſſent ſicut & Patres*, ſatis docet omnem o-
bedientiam, cultum, & diuinum obſequium
illi debitum eſſe.

5. Petrus quoque tam ſeuere animaduer- C
Act. 5. tens in Ananiam & Saphiram vxorem eius,
quod mentiti eſſent Spiritui S. *Non enim men-
titi eſtis hominibus* (inquiebat) *ſed Deo*: perſpi-
cue demonſtrat eundem Spiritum ſanctum:
vt Deum ac Dominum omnium à cunctis
verendum & colendum: & quicunq; eum
contumelia affecerint, horrenda morte
tandem plectendos eſſe.

6. Paulus deinde quoſdam coarguens, quod
Rom. 8. in Spiritum ſanctum eſſent contumelioſi, &
Epheſ. 4. alijs prohibens ne contriſtent Spiritum Do-
mini, nonne vult ſacram illius hypoſtaſin
cunctis omni honori eſſe atque reuerentiæ?
1. Cor. 6. Affirmans inſuper membra noſtra templũ D
eſſe Spiritus ſancti, quem vt Deum glorifi-
camus & portamus in corpore noſtro ſatis
diſerte prædicat ſupremum honorem illi
deberi.

7. Ecquam euidentiorem aut firmiorem
Matt. 12. poſtulares huius cultus probationem, his
Chriſti verbis, *Quicunque dixerit verbum con-
Matt. 28. tra Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc ſe-
culo, neque in futuro?* Deinde, quod in eius no-
mine & numine pari iure baptizamur, quo
& in Patre atque Filio? Quinetiam q̃ Cheru-
bim & Seraphim cæleſtium ſpirituum præ-
ſtantiſsimi, eundem cum Patre & Filio con-
glorificent, concelebrent, & coadorent, ſine
fine concinentes *Sanctus, Sanctus, Sanctus?* His Iſa. 6.
enim diuinis plane teſtimonijs Auguſtinus, Apoc. 4.
Baſilius, Hilarius, Dydimus, Athanaſius an-
tiquas hæreſes ſanctiſsimæ Trinitati aduer-
ſas conſtanter propulſarunt: & omni humi-
litate ac pietate adorandum eſſe Spiritum S.
tanquam verum Deum creatorem & ſan-
ctificatorem noſtrum comprobauerunt.

MIN. Quorundam illorum veterum al- 8.
latis teſtimonijs contentus ero. DOCT. Iu- Apol. 2.
ſtinus martyr ac Philoſophus ait: Nos vene-
ramur & adoramus Deum Patrem, & miſ-
ſum ab eo Filium, Spiritumq; propheticum.

Hunc ſequutus Clemens Alexandrinus 9.
ſcribit: Laudemus vnum Patrem, & Filium, L. 3. pædag.
vna cum ſancto Spiritu, qui vnus eſt in quo
omnia, per quem omnia, per quem eſt quod
ſemper eſt.

Athanaſius rem improbam iudicat, affe- 10.
rere Spiritum S. fuiſſe creatum aut factum, L. cont.
cum Scriptura tam veteris quam noui Te- Apol.
ſtamenti illum in eodem ordine cum Patre
& Filio collocet atque conglorificet, vt e-
iuſdem Deitatis, poteſtatis, & eſſentiæ con-
ſortem.

Cyrillus Ieroſolymitanus de eodem ſcri- 11.
bit: Vnus eſt tantum Spiritus ſanctus, & alius Catech. 16.
non eſt ſpiritus, æqualis cum illo dignitatis.
Eſt enim diuinum quiddam & inueſtigabi-
le: viuit enim, & rationalis eſt, ſanctificãs per
Chriſtum omnes qui ſunt à Deo conſcripti.
Hic illuminat animas iuſtorũ, hic & in Pro-
phetis, hic & in Apoſtolis Noui Teſtamenti
fuerat. Nemo ſeparet vetus à nouo Teſta-
mento: nemo dicat, quod alius illic Spiritus,
& alius hic: alioqui reſiſtet Spiritui ſancto,
cum Patre & Filio honorando, & baptiſma-
tis tempore in ſancta Trinitate comprehen-
ſo, &c.

Et vt hac clauſula abſoluam, Ambroſius 12.
tribus libris, de Spiritu ſancto ad Gratianum
Imperatorem, Aug. Epiſt. 174. & lib. 3. cõtra
Maximinum; Cyrillus Alexandr. lib. 13. the-
ſauri c. 7. & lib. 7. Dialogorũ; Baſilius deniq;
quinque aduerſus Eunomium libris, eun-
dem Spiritum vt verum Deum & Dominũ
noſtrum à nobis timendum & adorandum
eſſe plurimis & grauiſsimis argumentis per-
ſuaſerunt: atque contradicentes huic pietati
hæreticos confutauerunt & damnaue-
runt. MIN. De alio articulo iam
ergo dicamus.

SPIRI-

SPIRITVS SANCTI PERSONAM omni fide ac summißione inuocandam esse, aduersus 10. hæresin.

CAPVT VIII.

DOCTOR.

SEctariorum vestrorum perfidia in peius quotidie proficiente, ab ijs eo deuentum est, vt diuinam Spiritus sancti personam nec ipsi suppliciter inuocent, nec ab alijs inuocari permittant. MIN. Id nunquam animaduerti in secta constitutus. DOCT. Comperisti aliquando in Catechismis, Psalmis, aut quibuscunque precibus vestris seu priuatis seu publicis, aliquam ad eum speciatim directam? MIN. Nullam profecto. DOCT. Sublata est ergo illius inter vos omnis inuocatio. Rursum, intellexisti superius quemadmodum Farellus, Caluinus, Beza, Danæus, & alij eius furfuris ministri, preces ad sanctißimam Trinitatem fusas vituperant ac reijciunt: eadem ergo opera ad Spiritum sanctum directam precem reprehendunt & damnant. Nam qui tres simul diuinas hypostases inuocare recusat, & harum vnius inuocationem contemnit. Deinde, cum vbique clamitent, *solum Patrem adorandum & inuocandum*, adeo vt nec Filium adorare & inuocare dignentur: certum est quod nec ipsum Spiritum sanctum inuocandum esse velint. Cum etiam eidem tantummodo tertium causæ, honoris, ac imperij locum relinquant, nihil ambigendum quod nec ad eum vota dirigenda velint. Deniq;, quando semel ac iterum in Clypeo Geneuanæ & Caluinianæ fidei diserte scribitur, *Spiritum sanctum non esse inuocandum si homo liberum habeat arbitrium:* (quod negare impietas est Simonis Magi, Marcionis, & Manichæorum, quorum errores Vestri se abhorrere & damnare palam fatentur) planum est Sectarios vestros quantum in ipsis est, omnem Spiritus S. religiosam inuocationem tollere de medio.

Dial. 2 p. 35.

Confut. 1. MIN. His quinque argumentis, tam aperte illos huius erroris reos effecisti, vt nullus mentis compos id dißimulare valeat. Verum, & hac etiam in re illos proprijs iudicijs conuictos & damnatos teneo. Docent enim alibi, formam Baptismi traditam à Christo apertam continere inuocationem Patris, & Filij, & Spiritus S. Hac autem forma vniuersis Christianis est in Euangelio præscripta & data. Igitur necesse est eos aut omnem Christianißimi rationem damnare & reijcere, aut Spiritus sancti nobiscum inuocationem admittere.

Calu. in c. Matt. 28. Marc. 16.

Præterea, cùm adoratio, cultus supremus, & omne obsequium Spiritui sancto debeatur, vt superiori disputatione fusißime probatum est; inuocatio autem species sit adorationis, quemadmodum & ipsi vltro fatentur: non video cur non debeant vniuersi Christiani eidem, vt & Deo Patri atque Filio supplices fieri. 2.

Adhæc, celeberrimus inter hos poeta Salustius Barthasius cunctis Prædicantibus ac Ministris religiosior, lectißimis versibus ad Spiritum S. qui Zachariæ linguam soluit, & Apostolis omnium linguarum dona côcessit, vota sua dirigit, exoptat vt animum, calamumq; suum regat; eiusdemq; venerationi versus suos consecrat. DOCT. Vere profecto Spiritum S. & adorat & precatur, quæ duo capita sunt Caluinianæ Theologiæ omnino contraria. Id quod spem mihi non exiguam facit, multos adhuc inter Sectarios esse viros modestos, nondumq; omnino deploratos, qui intimis animorum recesßibus hoc genus Ministrorum, ac impurißimorū rabularum clamores oderūt, & magnopere cupiunt ab his tandem aliquando expediri. Sed institutas confutationes persequor. 3. L. 3. Iudit.

Si alibi ex animo confitentur, Spiritum sanctum Deum esse optimum, maximum, omnipotentem, omnimisericordem, ac omniscientem; cur ad illius opem in nostris miserijs non confugeremus, dicentes cum Dauide, *Spiritu principali confirma me? Spiritum S. tuum ne auferas à me? Spiritus tuus bonus deducat me in viam tuam?* An non etiam Sapiens eundem perspicue & submisse se inuocasse palam profitetur, dicens: *Inuocaui, & venit in me Spiritus sapientiæ?* 4. Psal. 50. Psal. 142. Sap. 5.

Si vere etiam dicat Scriptura, illum authorem & largitorem esse fidei, spei, charitatis, prophetiæ, timoris, pacis, gratiæ, omniumq; virtutum: cur eas ab eo supplices non requiremus & postulabimus? Sitientes refugiemus ab vberrimo omnium bonorum spiritualium fonte? 5. Ephes. 5. 1. Cor. 13. Esa. 11.

An non Elisæus summis votis exorauit fieri sibi duplicem Spiritum præceptoris sui? Aut senex Simeon sine multis & feruentißimis ad eum præmissis precibus, responsum accepisset à Spiritu sancto, *non visurum se mortem, nisi prius vidisset Christum Domini.* 6. 4. Reg. 2. Luc. 2.

Nunquam profecto Apostoli ac Discipuli in co- 7.

in cognitionem omnis veritatis venissent, nisi prius Spiritum eius Doctorem & magistrum suppliciter inuocassent. Aut Samaritanis per manus impositionem, aut Cornelij familiæ, aut discipulis Ioannis, alijsque innumeris, vna cum remissione peccatorum, eiusdem Spiritus sancti dona communicassent, nisi præuijs ad eius misericordiam & gratiam supplicationibus. Quomodo putas, Scripturas intellexissent, aut omnium gentium linguis fuissent locuti; edidissent signa; pro Euangelij assertione mortis diuersa genera constanter pertulissent; nisi inuocata ab his Spiritus fortitudo solidasset?

Act.8.10. 13.19. *Luc.24. Act.2.*

8\. MINIST. Omnia vt ipsum verbum Dei & vera & certa sunt. Tantum his aliquot veterum Patrum adijcias testimonia. DOCT. Patres qui ad octauum Toletanum concilium olim conuenerunt, his ad Spiritum sanctum verbis supplicauerunt: Adspira sancte Spiritus, & duc nos in portum voluntatis tuæ, sedatis fluctibus ignorantiæ nostræ Adspira rursus sancte Spiritus, & dato nobis nosse quod iubeas, ac posse implere quod iusseris: vt perlustrando illumines quod nescimus, & adiuuando perficias quod implere pauemus.

Cap.2.

9\. Ante hos Theodoretus scripserat: Nihil dicimus esse Deum ex rebus quæ oculis subiiciuntur. Honoramus quidem & plurimi facimus homines virtutibus & pijs operibus illustres: sed adoramus vnum & solum Deum Patrem huius vniuersi, cum Verbo suo, & Spiritu sancto. Eundem vero, & Filium vnigenitum, & Verbum, & lucem, & veritatem, vitamque vocamus. Sanctum item Spiritum Dominum dicimus & viuificantem.

L. de Principiis.

10\. Augustinus huiusmodi ad eundem fundit preces. O Diuini amor numinis, Patris omnipotentis prolisque beatissimæ sancta Communicatio, omnipotens paraclete Spiritus, mœrentium consolator clementissime, iam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, & tenebrosa afflicti Spiritus mei latibula corusci luminis tui fulgore habitator lætifica, tuiq; roris abundantia longo ariditatis marcentia squalore visitando fœcunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris iaculo, & torpentis medullas iecoris flammis salutaribus penetrando succende: sanctiq; feruoris igne illustrando intima mentis & corporis vniuersa depasce. *Pota me torrente voluptatis tuæ*, vt nihil iam mundanorum degustare libeat venenatæ

Li. Medit. cap. 9. *Ps.42.*

A dulcedinis. *Iudica me Domine, & discerne causam meam de gente non sancta. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, &c.* *Ps.142.*

11\. Ambrosius hæc de Spiritu sancto verba facit. Cum Deus cuiquam suum donat Spiritum, opus diuinum est, non humanum. Non est enim hominis donum, sed à sacerdote inuocatus datur à Deo, per quem absoluitur officium ac munus quod à sacerdote offertur Deo.

L.1. de Spirit. sanct. cap.7.

12\. Cyprianus postquam plurima diuinaque illius recensuit effecta, tandem ita concludit. Hic discordes sanctificat, & vinculo dilectionis astringit & ligat. Hic nos cælos in- B uehit, & à mundi huius vanitatibus auulsos regni constituit hæredes, &c. MIN. Tam pia sanctaq; Veterum emissa ad Spiritum sanctum vota audire nunquam grauaret: cum hinc colligam merito Ecclesiam Catholicam in suis Litanijs suppliciter ad eum ita confugere, *Spiritus sancte Deus, miserere nobis:* sed quia quæ supersunt adhuc multa audire percupio, his iam finem imponamus, & aliam disputationem auspicemur.

Ser. de Spirit. sancto.

SPIRITVM SANCTVM INFINITA eademq; absoluta potentia in rebus agendis; & simplici præscientia rerum futurarum mirabili præditum esse: aduersus 11. & 12. heresin. C

CAPVT IX.

DOCTOR.

Babylonicæ turris, id est, sectæ vestræ authores ac opifices in tantum improbitatis cœnum prolapsi sunt, vt negent Spiritum sanctum tum absoluta in rebus efficiendis potentia, tum in rebus futuris cognoscendis simplici præscientia munitum atque præditum esse. MINIST. Non possum non obstupescere ex quibus lacunis tot eorum fe- D ces haurias. Vix enim mihi persuasero, illos tam impia ac nefaria de diuino Spiritu vnquam vel per somnium cogitasse. DOCT. Meum est igitur hoc de illis nunc probare. Dic autem quæso te, cum de Deo in vniuersum, id est, nulla singulariter designata Trinitatis persona, habetur sermo, nõne Spiritus sanctus æque illo Dei nomine comprehenditur, atque Pater & Filius? MIN. Certissimum ac verissimum est. DOCT. At vester Caluinus de Deo generaliter scribit: *Delirium de potestate Dei absoluta, à Scholasticis introductum, exectandam esse blasphemiam.* Et alibi

In cap.23. Ezechielis *Li. de æter. pradest.*

 rursum;

rursum: *Detestor doctrinam istam, in qua sibi tãtopere placent Papistici Theologi, fingentes in Deo quandam potestatem absolutam.* MIN. Tam aperta est ista probatio tua, vt nihil prorsus habeam, quod pro excusatione aut purgatione Caluini respondeam. Quo autem pacto Spiritum sanctum neget præscium rerum futurarum, vt efficere possis anxius expecto. DOCT. Primo magna ille impudentia nugatores illos vocat qui hoc statuunt, scribens: *Nimis inscite nugantur multi de nuda Dei præscientia.* Postea, semel & iterum cum probris reijcit nomina permissionis & simplicis Præscientiæ: ac postremo de throno suo Geneuano spretis scriptoribus Ecclesiasticis, & vnico profano ac nouissimo authore Valla eis prælato, velut de sacra quadam tripode pronunciat: *Frustra de Præscientia lis mouetur, vti constat ordinatione potius & nutu omnia euenire.* Alibi quoq; eam appellat, *subtilitatem, quæ non potest cum Scripturæ dicendi formis conuenire.*

Inst. l. 1. ca. 16. §. 4.

Li. 3. ca. 23. §. 6.

Confutat 1.

MIN. Diffiteri iam non possum in hos errores Caluinum lapsum esse. Hos autem tecum improbare & damnare paratus, primum aio eum turpiter secum dissidere. Nã vt attigi superius, in Catechismo iubet nos profiteri, *Deum esse omnipotentem.* Deinde, eos pro improbis habendos esse docet, qui non credunt Deum plura posse facere, quam quæ naturæ viribus sunt possibilia. Postremo, non inuitus fatetur, illum posse conuertere lucem in tenebras, & tenebras in lucem. Hæc vero non sunt potestatis eius ordinatæ ac communis: igitur est in Spiritu sancto atque in Patre & Filio potestas omnibus numeris ac legibus soluta.

2. Allata sunt quoq; verba Vireti ministri, quibus ex apertis & certis Scripturæ testimonijs concludit Deo nihil esse impossibile, etiam eorum quæ iudicio humano maxime videntur esse impossibilia: atq; ideo illos Deum negare esse omnipotentem cæli & terræ creatorem atque rectorem, qui eum secundarum causarum ordini subditum vel alligatum esse contendunt: aut quibusdam limitibus volunt absolutam maximamque virtutem illius coercitam & finitam esse. Denique hunc errorem iudicat profectum esse ex Schola Stoicorum, & non inferiore impietate Epicureorum, qui & si verbis Deũ faterentur, effectus tamen prouidentiæ ac omnipotentiæ ab eo tollentes eundem reipsa negabant.

3. DOCT. His adde, Creationem cunctarum rerum ex nihilo, quæ absolutæ potestatis certissimum est argumentum, nõ minus Spiritui sancto, quam Patri & Filio tribui, cũ dicitur, *Spiritus Domini ferebatur super aquas: Spiritus Domini ornauit cælos: Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* His enim Prophetarum testimonijs Athanasius, Basilius, Ambrosius, Augustinus, & Fulgentius diuinam Spiritus sancti maiestatem & inexhaustam potentiã aduersus priscos illius hostes Arrianos, Eunomianos, & Macedonianos constantissime propugnauerunt: quæ nunc aduersus Caluinianos repetita satis euincunt eũdem Spiritum sanctum absoluta infinitaq; quicquid volet agendi virtute præditum esse.

Gen. 1. Iob. 26. Psal. 103.

4. An non etiam amplissima ac euidentissima eiusdẽ absolutæ potestatis suæ testimonia edidit, cum ex pastoribus ouium, agricolis, & idiotis bubulcis sapientissimos statim effecit prophetas, diuiniq; populi pastores & doctores? Cum etiam superueniens in Virginem, effecit vt sine vlla viri vulgata copula vere in vtero conciperet illæsaq; integritate, Deum reipsa nobis pareret & hominem? *Spiritus sanctus*, inquit Gabriel Angelus ad Mariam, *superueniet in te, & virtus Altissimi obũbrabit tibi, &c.* Et rursum ad Ioseph: *Quod in ea natũ est, de Spiritu sancto est.* Quis hic cursus naturæ? Aut quæ potestatis ordinariæ, & causis secundis alligatæ ratio conspici potest? Quis vnquam audiuit simile?

Luc. 1. Matt. 1.

5. De eiusdem stupendis ac omnem humanę rationis captum exsuperantibus effectis, ita ante mille & trecentos annos concionatus est Cyrillus Ierosolymitanus. In virtute Spiritus sancti stans Petrus cum vndecim reti verborum animas circiter trium millium cepit. Talis & in alijs simul Apostolis gratia abundabat, vt etiam ex Iudęis ipsis qui Christum crucifixerant, tot crediderint; & in nomine Christi baptizati sint, & perseuerauerunt in doctrina Apostolorũ. In eadẽ quoq; virtute, Petrus & Ioannes ingredientes templum, claudum ab vtero matris, in nomine Christi curarunt. Spiritalis doctrinæ sagena quinq; millia credentiũ simul ceperũt. Principes autem populi & sacerdotũ errantes redarguerunt: nõ per propriam sapientiã: sed per Spiritus efficaciam, &c. Hæc ille de immensa prorsusq; inexhausta Spiritus sancti per Apostolos orbi manifestata potestate.

Catech. 16. Act. 3. 4. 5.

6. An etiam ordinariæ potestate tribui poterunt tot miracula & stupenda prodigia, quæ idem Spiritus sanctus in Apostolis, & per Apostolos toto orbe quondam operatus est;

eſt; quando ex ruſticis ac ignaris piſcium piſcatoribus, peritiſsimos ſtatim effecit piſcatores hominum? Quādo ſolius maternæ ac Syriacæ linguæ gnaros, docuit varijs linguis loqui magnalia Dei? *Loquebantur varijs linguis*, ait Lucas, *prout Spiritus ſanctus dabat e-*
Act.2. *loqui illis*. MIN. Tam manifeſta ſunt hæc abſolutæ Spiritus ſancti poteſtatis argumenta, vt potiora non requiram: tantum de ſimplici illius rerum futurarum Præſcientia quædam adijce, & vela contrahemus.

7. DOCT. Ecquis inficias ire poteſt Spiritum ſanctum non modo cunctarum rerum futurarum præſcium eſſe, ſed & omnia ab æterno habere ſibi præſentia, ſi eum vt decet, verum ac omnipotentem Deum eſſe crediderit? Num de Deo ſcriptum eſt, *Nouit*
Dan.13. *omnia antequam fiant*? *Omnia nuda & aperta*
Hebr.4. *ſunt oculis eius? Tu ſolus noſti corda omnium.*
3.Reg.8.

8. MIN. Iam etiam recordor me ſuperiori-
Gen.2.3. bus colloquijs euiciſſe Caluinum fateri, *Deum ab æterno præſciiſſe lapſum primi hominis, ac totius per eum poſteritatis illius*. Atqui Spiritus ſanctus Deus eſt: hunc igitur ſimpliciter præſciuit; non etiam operatus eſt. Quis enim niſi demens plane ac furioſus diceret Spiritum ſanctum in Adamo ſuperbum, ingratum, contumacem, ambitioſum, verbo Dei infidelem, aut eiuſdem contemptorem extitiſſe? Ad Satanæ mendacia, potius quam ad Dei veritatem animum adieciſſe? Igitur cū nec horum ſcelerum, nec quorumcunq; aliorū, Spiritus ſanctus nec autor fuerit nec particeps; illa futura eſſe tantum præſciuit ac permiſit.

9. DOCT. Identidem de ſuperba cacodæ-
Luc.10. monum in Deum rebellione, ac miſerabili
Apoc.12. apoſtaſia, cunctiſq; deinceps illorum frau-
13.20. dibus, dolis, vniuerſaq; malitia, quis iure di-
Gen.4.7. xerit: quæ Spiritui ſancto nunquam fuerunt
18.19.&c. ignota. Quinetiam Caini fratricidum, Gigantum ſuperbiam, totiuſq; mundi ante diluuium corruptionem, Sodomæorum præpoſteram venerem, inceſtum filiarum Lot, fratrum Ioſeph æmulationem, Pharaonis infanticidia, Hebraici populi in Deū obmurmurationes & frequentes idololatrias, ac vniuerſi orbis in finem vſq; plurima grauiſſimaq; ſcelera, idem diuinus Spiritus nunquā non præſciuit: abſit vero admiſiſſe dicatur Eſt itaque pro certo in eo rerum futurarum præſertim malarum, ſimplex quædam præſcientia. MIN. Mihi ſatis ſuperq; ſufficiunt iam illatæ confutationes: quapropter de alio capite iam differamus.

A

SPIRITVM SANCTVM NEC AVTHOrem peccatorum: nec alicui reprehenſioni obnoxium eſſe, quicquid aut in cælis aut in terris agitet: aduerſus 13. & 14. Caluinianorum hæreſin.

CAPVT X.

DOCTOR.

SVperbius adhuc incedunt, ac inſolentius aduerſus Spiritus ſancti ſummam bonitatem & innocentiam inſurgunt iſti Gigantes, *quando omnium prorſus peccatorum authorem eū confingunt; tum etiam reprehenſione non eſſe ex-*
B *ceptum comminiſcuntur, quicquid egerit eo quod nulla lege teneatur.*

MIN. Iam recordor te ſuperioribus die- Confutatio
bus horum errorum Caluinianos reos effe- 1.
ciſſe, allatis Caluini, Bezæ, Melanthonis, atq; Buceri haudquaquam obſcuris ſententijs: quibus eas in Deum blaſphemias non ſolum euomūt, ſed & poſtea ſecum turpiſsime pugnantes atq; diſsidentes eaſdem velut Epicureos plane atheiſmos coarguunt & damnant. Hos namque & naturæ communis ſenſus abhorret; & Poetæ, Philoſophique Ethnici execrantur, & diuinæ Scripturæ reprobant, & vniuerſi Patres deteſtantur: ſoli
C Caluiniani laudant atq; vocibus ſcriptiſque prædicant.

Euicimus porro huiuſmodi errorum au- 2.
thores ac patronos, ſummam Dei noſtri bonitatem cum abominanda Satanæ malitia flagitioſiſsime permiſcere atq; confundere: ideoq; mihi hoc loco ſolum adijciendum videtur, quod aut parū aut nihil diſcriminis inter Spiritum Dei ſanctum, & Spiritum impurum ac immundum conſtituant, quando illum æque ac iuſtum totius mundi ſcelerū autorem ac impulſorem prædicare non verentur. Dicitur etenim Satanas *tentator*, eo q̄ Matt.4.
ad omne mali genus homines ſollicitet: di- Luc.4.8.9.
D citur & *ſpiritus malus ac peſſimus*, eo q̄ omnis mali caput ſit & princeps: item *ſpiritus immūdus*, propterea quod ad immundas turpeſq; cogitationes homines fœminaſque alliciat, &c. Itaque ſi Spiritus ſanctus iuxta Caluinianam Theologiam, omnia mundi ſcelera non modo præſciat, *ſed & velit, decernat, ordi-* Inſt.li.1.c.
net, ad eademque committenda prædeſtinet, ſollici- 18.§.1.2.
tet, ac impellat, quinetiam illorum in peccatoribus author ſit, hæc opera ſua eſſe pronunciet, Satan vero aut quiuis peccator tantum miniſter ſit, parum certe ab impuriſsimo cacodæmone ac principe tenebrarum: quod dictu aut cogitatu

 ſupra

supra quam scribi potest nefarium, horrendum, & abominabile est. Atq; hæc mea de his erroribus sententia. A

3. DOCT. Tantum certe abest vt Spiritus sanctus corda vel animas nostras ad peccandum solicitet vel vllo pacto impellat; vt è contrario nec per antonomasiam sanctus esset, nec in verbo Dei appellaretur, si id efficeret. Quin è diuerso hominum animos ad credendum & sperandum, Deum & proximum sincera charitate diligendum potenter inclinat, allicit, inflammat. Rursus ad eius timorem, obeditionem, reuerentiam, & inuocationem cum gemitibus inenarrabilibus perpetuādam prouocat: vt ab omni superbia, ambitu, carnis & mundi affectibus ac illecebris abstineamus inuitat: quæ omnia peccatis quam maxime aduersantur. *Cum venerit Paracletus*, aiebat Christus, *docebit vos omnem veritatem, docebit omnia & suggeret omnia quæcunq; dixero vobis. Arguet mundum de peccato, iustitia & de iudicio.* MIN. Manifestum est ergo, quod nec peccatum velit, nec ad peccandum impellit, tantum abest vt peccatorum quoruncunq; author haberi debeat.

Rom. 8. Galat. 4.

Ioan. 14. 15.

4. DOCT. Immo eidem Spiritui sancto tribuitur remissionis omnium peccatorum nostrorum efficientia, atq; gratiæ diuinæ in corda nostra benigna infusio, cum à Christo dicitur Apostolis, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa erunt: & quorum retinueritis retenta erunt.* Hinc quoque in Prophetis significatur *per aquam mundam qua emundamur ab omnibus inquinamentis nostris*: & in Euangelio *per aquam viuam, fontemque aquæ salientis in vitam æternam*, quod non solum credentes ac pœnitentes à peccatis abstergat & purget; sed & eos donis spiritalibus adeo instruat, vt ad vitam cęlestem continuo aspirent demumq; fœliciter perueniant. Quomodo igitur impurorum hominum turpissima scelera, fœdissimaq; desideria, iuxta Caluinianorum sententiam, *opera sua esse pronunciaret*? quomodo nefariorum flagitiorum aut in nobis aut etiam in diabolis *autor haberetur, Satan vero tantum minister?*

Ioa. 20. Ezech. 36. Ioan. 4. 7.

5. Audi è contrario Apostolum de Spiritus sancti effectis ac fructibus clare disserētem, ac istorum tetras blasphemias damnantem. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Et alibi. *Implēmini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in Psalmis, & hymnis & canticis spiritualibus, cantantes in cœtibus vestris Domino, & gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri.* Et adhuc ampliori enumeratione eiusdem Diuini Spiritus in nobis explicans munera scribit: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* MIN. Certe omni luce clarius est Spiritum sanctum omnino sibiipsi aduersum & contrarium esse, si ex opposito ad prauas cupiditates, ad errores, ad turpia desideria, ad mutua odia, ad impatientiam, ad malitiam, ad immanitatem, ad perfidiam, ad intemperantiam, aliaq; vniuersa flagitia vel sollicitaret vel impelleret, qualis est impijssima Caluini sententia.

Rom. 5. Rom. 14. Eph. 5. Gal. 5. B

DOCT. Ecquid de tertio-decimo illius errore iudicas? MIN. Scio Caluinum libro de æterna prædestinatione Gallico, pagina 239. diserte scribere. *Ie ne reçoi point ce mensonge & reuerie, que Dieu soit sans reprehension, quoi qu'il face, par ce qu'il n'est obligé à aucune Loy.* Quod Latinis verbis expressum sonat. *Non recipio istud mendacium & somnium, quod Deus sit sine reprehēsione, quicquid agat; propterea quod nulli subijciatur legi.* Sicq; velit Deum, ac proinde Spiritum sanctum, qui verus Deus est, in aliquam posse quandoque reprehensionem incurrere. DOCT. Cuius te quæso, nisi Caluiniani consistorij, cuius auspicijs secretum istud nunc primum toti mundo innotuit? Erigant igitur huius sectæ Ministri, seniores, superuigiles, diaconi, & satellites super astra solium suum, in cælum conscendant, sedeant in monte testamenti, superent altitudinem nubium, & similes immo & superiores euadant Altissimo; vt in cuncta Spiritus sancti opera diligentius inquirentes, in quibus reprehensione dignus sit audacter nobis pronūcient: vt sint filij patris sui, qui idcirco apud inferos præcipitatus est illic perpetuo cruciandus, quod his similia aliquando tentauerit. 6.

C Isa. 14. Luc. 10. D

Si posset aliqua in re subiectus esse reprehensioni, quo iure in sacris literis tam grauiter frequenterque diceretur, *Spiritus veritatis Spiritus sanctificationis, Spiritus adoptionis, sobrietatis, dilectionis, vnctionis, gratiæ, charitatis, digitus Dei, donum Dei, deniq; Spiritus Patris atq; Filij?* Aut quomodo peccatum blasphemantium in eum, non remitteretur vel in præsenti sæculo vel in futuro? 7.

Ioan. 14. 15. & 16. Rom. 8. Galat. 4. 1. Thess. 2. 2. Cor. 13. 2. Thess. 2. 1. Tim. 1. 1. Ioan. 2. Matth. 12.

Profecto si posset aliquādo aberrare à iusto &

8. sto & æquo, vel ab aliquo iure coargui; nec
Psal.144. Deus esset, *qui fidelis est in omnibus verbis suis,*
Psal.50. *& sanctus in omnibus operibus suis:* nec sanctis-
Psal.142. simus Propheta tam anxie postulasset, *Spiri-*
Matth.28. *tum rectum innoua in visceribus meis. Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Spiritu principali confirma me. Spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam:* nec denique in eius numine ac nomine æqualiter, ac in nomine Patris & Filii sanctissimis Baptismi laticibus regeneraremur. MIN. Iam hæc sufficiant ad tam apertæ impietatis refutationem: de alia rogo inquiramus.

ÆQVE NOBIS PROPOSITVM ESSE Spiritum sanctum ac Patrem & Filium, vt ad eum fidem nostram dirigamus: contra 15. errorem.

CAPVT XI.

DOCTOR.

AVdentiores effecti hi filii Enach, institutamque persequentes πνευματομαχίαν, non reformidauerint in suis prædicare conuenticulis, deinde per totam Europam suis dispergere chartulis, *Spiritum sanctum non esse nobis propositum, vt in eum fidem nostram dirigamus: sed solum Christum.* MIN. Ex quibus illorũ codicibus istud euinces? DOCT. Ex his Caluini vestri Commentar. in pri-
Vers. 3. mum caput epist. ad Rom. verbis: *Cum ipse (Christus) viua sit & expressa imago Patris, non mirum est, eum solum nobis proponi, ad quem se tota fides nostra applicet, & in quo consistat.* Etenim dictiones exclusiuæ vel vni, vel duabus personis diuinis applicatæ, cæteras omnes excludunt: veluti cum dicitur, Solus Pater gignit Filium, pater & filius tantum producunt Spiritum sanctum; Filius & Spiritus sanctus eximuntur à generatione actiua; & Spiritui sancto satis aperte detrahitur actiua spiratio. Et in actibus circa res creatas, quando enunciatur, filius solum est incarnatus, crucifixus, mortuus, & sepultus; omnino adfirmatur nec Patrem nec Spiritum sanctum incarnatum, crucifixum, mortuum, sepultumque fuisse. Igitur quando Caluinus adiecta Christo excludente particula, inquit, *eum solum nobis proponi ad quem se tota fides nostra applicet, & in quo consistat.* Spiritus sancti diuinam personam manifestissime vt & impiissime ab eadem re proposita excludit.

Cõfutatio 1. MIN. Contra diuinam sempiternamque Spiritus sancti maiestatem improbiora nun-
A quam audiui verba. Si autem fides Christiana ad Spiritum sanctum æque ac in Patrem & Filium non esset referenda & collocanda, quorsum in Symbolo reposuissent Apostoli, *Credo in Spiritum sanctum*, sicut *Credo in Deum Patrem omnipotentem: & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum?* Esset enim Christo facta iniuria, si ad eum solum fides esset dirigenda, quam etiam ad Patrem & Spiritum distinctas ab illo personas applicamus, & in quibus consistit. In tetrum errorem profecto vniuersum mundum coniecissent, docentes non in solum Christum credendum esse, sed et-
B iam in Spiritum sanctum.

Symbola quoque Athanasii, Concilii Niceni & Constantinopolitani ab vniuerso Christianorum orbe tanta fide suscepta, tam sedulo seruata, totque sæculis probata, perniciosis mendaciis ac imposturis scaterent, quando eundem fidei nostræ articulum fusius explicant atque confirmant his verbis: *Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem. Qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas.* Athanasius vero ait: *Hæc est fides Catholica vt vnum Deum in Tri-* 2.
C *nitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.* Quomodo vero fides Catholica ad sanctissimam Trinitatem dirigeretur, & in eadem tota conquiesceret, si soli filio, non autem & Spiritui sancto penitus niteretur?

DOCT. His adde Baptismi nostri formam à Christo filio Dei institutam & traditam satis comprobare nobis æque constanter credendum esse in Spiritum sanctum atque in Patrem & Filium, siquidem regenerari, ac in numerum electorum referri velimus, quando horum trium æquali gratia, bonitate, & misericordia abluimur atq; sanctificamur. *Euntes*, inquit Christus, *Bapti-* 3.
D *zate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* *Matth.28.* Ergo cum Spiritus sanctus noster sit viuificator, & sanctificator, manifestum est quod natura sit verus & æternus Deus: ideoque sicut credendum est in Deum Patrem & Filium, ita etiam credendum ac sperandum est in Spiritum sanctum.

Ecquis etiam in eum nõ totam fidem applicet, ac in eodem securus tutusque non conquiescat, cum natura sit Deus æternus, verus, omnipotens, ac essentia sapientia, & bonitate vnus cum Patre & Filio: Petrus e- 4.
nim ad Saphiram dicens, *Cur satanas tentauit cor tuum mentiri Spiritui sancto? Non enim men-* *Actor.5.*

Cal. in c. 6. Ioa. in 16. Mar. in 26. Mat. & in 17. Ioan. v. 12.

dauerim, DOCT. Cum hæresiarcha scribit, A *Deum Patrem esse primum vitæ gradum & causam, Filium vero secundum: Patrem esse primam potentiam, Filium secundam: Patrem honoris & imperij primum tenere locum, Filium autem secundum:* sequitur manifesta consecutione Spiritui sancto tantummodo relinqui tertium causæ, vitæ, potentiæ, honoris ac imperij locum. MIN Id negare non potest nisi nimium proteruus & præfractus. DOC. Cum etiam Dominum Iesum Christum confingat esse *Patris solum ministrum atque vicarium*, eadem opera Spiritus sancti omnipotentiæ ac æqualitati diuinæ plurimum consequenter detrahit. Dicentes rursum in Fidei suæ confessione, B

Art. 6.

solum Patrem esse mundi huius causam primam, Filium secundum, manifestum est quod Spiritum sanctum in ordinem tantum tertiæ causæ reiiciunt.

Confut.

1\. MIN. Tam nefario errore prorsus tenebuntur Caluiniani, nisi Caluinum suum penitus damnauerint, vt & seipsos alibi manifeste damnant atque coarguunt, dum scribunt:

Cal. in c. 1. Ioan. v. 18. Beza in cõf. fidei punct. 1. art. 2.

Arrianorum esse rabiem in eadem simplicissima essentia Dei aliquam inæqualitem inferre. Tres illas personas diuinas esse coessentiales, coæquales, & coæternas sine proprietatum confusione, vt vetus Ecclesia præclare constituit contra priscos hæreticos. Cum itaque diuersos & inæquales causarum gradus, cum multiplices atque varios C honoris, vitæ, & imperij ordines inter diuinas personas Caluiniani flagitiose comminiscantur, quis negabit eos cum Arrianis plane insanire? Quod si personæ illæ diuinæ prorsus eadem essentia, voluntate, potestate, & maiestate sunt præditæ, nulli profecto sunt inter has diuersi honoris ac imperij loci: atque sic efficitur, Spiritum sanctum eodem honoris, gloriæ, vitæ, atq; totius huius mundi gradu constituendum & colendum esse, quo Patrem & Filium veneramur. Enimuero cum trium sit vna prorsus essentia, vna maiestas, vna voluntas, & vna potestas, D vnus tantum Deus, vnus creator & rector mundi, vna denique omnium rerum prima causa: & vnicum summum principium credendum est, non tria.

2\. DOCT. His adde quod nuper ex sacris literis audisti, Spiritum sanctum esse eiusdem cum Patre & Filio naturæ ac Deitatis, quandoquidem hi tres vnum sint, in quorum vnico nomine & numine baptizamur. Adhæc cum non sint tres dij, sed vnus Deus: non tres domini, sed vnus Dominus: non tres æterni, increati, omnipotentes, vel im-

Atha. in sym.

mensi; sed vnus æternus, increatus, omnipotens ac immensus, vere sunt tres personæ coæternæ sibi & coæquales. Est igitur non modo Arriani, verum & impuri cuiusdam Ethnici insana deliratio, primum vitæ gradum illi, secundum huic, tertium autem isti tribuere.

MIN. Et reuera, insanus Auerroes, & post eum Auincenna quosdam graduum ordines ac causarum nexus circulosque in rebus diuinis confingentes, videntur Caluinianis istorum errorum materiam subministrasse. DOCT. Tanto igitur impudentiores, sunt, quanto malunt impurorum gentilium sectari somnia, quam verbo Dei à Patribus sancte pieque explicato adhærere. 3.

MIN. Equidem certe in ea quoque dementia olim versati sunt Porphyrius, Plotinus, Iamblichus, & alij vel fidei Christianæ desertores, vel Platonici; quando conati sunt sanctißimæ Trinitatis & vnitatis diuinæ mysterium suis somniis obscurare atq; deformare. DOCT. Sic vere dixit quondam Tertullianus, Philosophos esse Patriarchas hæreticorum. Hæreses à Philosophia subornari. Deniq; hæreticum ita conuenit; Discede ab ethnico, hæretice. Redde illi suos sensus, quia nec ille de tuis instruitur. Quid cæco duci inniteris, si vides? Quid vestiris à nudo, si Christum induisti? Quid alieno vteris clypeo, si ab Apostolo armatus es? Ita ergo & nos Caluinistas adoriri possumus. Quid vobis cũ Auerrois deorum, aut primarum, secundarum, tertiarumve causarum gradibus? Quid cum catenæ Auincennæ circulis ac nodis? Reddite Porphyrio Apostatæ suas blasphemias, Plotini deserite somnia, Iamblichi deliramenta valere iubete: & cum Christianis verum Deum Patrem Filium & Spiritum sanctum vnicam rerum omnium effectricem & seruatricẽ causam credite & adorate. 4.

L. cõt. Hermog. L. de præsc. L. de resur. carnis.

MIN. Sed quæ fuit doctrina fidesq; Patrum de Spiritu sancto? DOCT. Quotquot pro gloria sanctißimæ Trinitatis aduersus Arrianos, Macedonianos, Eunomianos, vel Photinianos decertarunt, expresßis Dei verbis ostenderunt, vniuersa quæ Deo Patri & Filio circa creaturas opera gestaq; tribuuntur, eadem eodemq; modo & Spiritui sancto iure ascribunt, vt & in præcedenti attigimus disputatione. Ex quo sequitur neq; tertium gradum causæ ei tribuendum, neque in tertium honoris ac imperij locum relegandum esse: quando cum Patre & Filio vnica eademq; prima & potißima sit rerum causa. 5.

Basil. Athan. Amb. Fulgent.

MIN.

6. Gen.1. Ps. 32. Ps. 50. Ps. 103. MINIS. Certe Moses eum creatorem omnium agnoscens, ait, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Dauid quoque canit: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Orat, *Spiritu principali* confirmari. Denique ait: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ*: quibus verbis satis aperte confitetur, eum cum Patre & Filio vnicum rerum principium, creatorem, & rectorem esse.

7. 1. Cor. 12. Ephes. 4. Luc. 1. 2. Petr. 1. DOCT. Nec aliter vnquam senserunt aut scripserunt Apostoli, cum ea omnino Patris dona, Spiritui quoque accepta ferenda esse prædicauerunt, vtpote, scrutari profunda Dei, vbique natura sua præsto adesse, homines regenerare, viuificare, iustificare, atque saluare: veteres edocere Prophetas, eorum ore loqui, largiri dona sapientiæ, fidei miraculorum, &c. *Hæc omnia* (inquiunt) *distribuit Spiritus prout vult*. MIN. Ista profecto certissima & apertissima sunt argumenta eiusdem cum diuino Patre potestatis efficientiæ atque virtutis. Nec est necesse vlteriores ad id comprobandum rationes adhibere: ideoq; aliud caput attingamus.

SPIRITVS SANCTI PERSONAM non esse virtutem aut potentiam essentialem Dei Patris: aduersus. 6. hæresin Hugnosticam.

CAPVT IV.

DOCTOR.

ABerrant rursum turpissime Authores vestri quando personæ Spiritus sancti rationem designantes; nihil aliud esse iudicant, præter virtutem essentialem & naturalem potentiam Dei Patris. MIN. Talem finitionem nondum in horum scriptis animaduerti, proinde horum verba audire velim.

Conf. pũct. 4. art. 1. Com. in ca. 12. prioris Cor. & Inst. l. 1. ca. 13. §. 22. DOC. Bezæ igitur verba Gallica sunt: *Nous croions au S. Esprit, qui est la puissance essentielle du Pere & du Fils*. Quæ sic Latine ad verbum redduntur. *Nos credimus in Spiritum sanctum, qui est potentia essentialis Patris & Filij*. Caluinus autem ait: *Spiritus sanctus est quasi essentialis Dei virtus, cuius efficacia se profert ac exerit tam in mundi gubernatione, quam in miraculis*.

Confut. 1. MINIS. Expresso ne Dei verbo suam corroborant definitionem? DOCT. De hoc ne minimum quidem verbum. MIN. Ergo nec audiendi nec admittendi sunt. Eorum enim regula est. *Nihil esse credendum aut suscipiendum, nisi expresso Dei verbo habeatur: sed omnino reiiciendum tanquam fermentum Pharisæorum.*

Rursum, mihi videntur Caluinus & Beza hac finitione personam Spiritus sancti cum persona Filij misere confundere. Nam in caput primum Ioannis scribit, *Filium esse æternam Patris voluntatem*. Alibi vero nullam differentiam constituit inter Dei voluntatem & potentiam Dei. Ergo cum hic dicit Spiritum S. esse potentiam Dei essentialem, sequitur Spiritum sanctum esse ipsum Dei filium: qui error est veterum Sabellianorum & Noetianorum. 2.

Deinde, idem Caluinus non verbis solum, sed & acerrimis flammis viuum Seruetum aliquando corripuit, eo quod (inquit) *nullam distinctionem realem constitueret inter Verbum & Spiritum sanctum*. Idipsum autem idem nunc affirmat & prædicat. Igitur eadem dignus est mulcta & condemnatione. Atque hæc mea de horum definitione sententia est: tu dicito quæ aduersus eam parasti. 3. L. Gallic. de vita Serueti pa. 100.

DOCT. Hac eadem definitione sua confundunt etiam Spiritus sancti hypostasin, id est, notationes, proprietates, & res proprietatibus constitutas, cum his perfectionib. quæ à Theologis vocantur attributa: quorum primum est Potentia, quæ passim adscribitur Deo Patri. Proinde non solum hypostases diuinas cum Sabellio confundunt, verũ etiam omnino delent, negant, & pro viribus tollunt de medio. Enimuero sapientia, bonitas, misericordia, gratia, & potentia in Deo non sunt quædam inter se distinctæ personæ, aut quibusdam relationibus notionalibus constitutæ hypostases, sicut sunt Pater, Filius, ac Spiritus sanctus: sed sunt perfectiones ex se communes tribus personis. Quare secundum horum nouorum Sabellianorum nouam Theologiam Spiritus sanctus non est persona diuina suis proprietatibus ab aliis secreta: sed illarum tantum quædam communis perfectio. 4.

Præterea, quicunq; adfirmat Patrem vere & realiter esse sapientiam, bonitatem, misericordiam, gratiam, & potentiam suam essentialem & naturalem, Christiane & Catholice loquitur. Idem de Filio, identidem & de Spiritu sancto asserendum est. Itaque si Spiritus sanctus esset potentia Dei essentialis & improducta, esset idem vere & personaliter Pater & Filius: proinde non esset in Deo vera & distincta Trinitas personarum, sed tantum vna: quod est sacrilegum Iudæorum & Mahometanorum commentum. 5.

 Adhæc,

6. Adhæc, articulus fidei nostræ est scripturis & symbolis expressus, Spiritum sanctum reipsa procedere atque produci à Patre & Filio. Ait enim Christus, *Spiritus qui à Patre procedit.* (Ioan.16.) Et in symbolo Nicæno dicitur, *Qui ex Patre Filioq; procedit.* Athanasius quoq; ait: *Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* (August.) Atqui potentia Dei essentialis nō potest dici producta, quod omne productum à producente reipsa distinguatur; tum etiam quod productum ad producentem referatur. Potentia vero Dei essentialis ab eodem re non distinguitur, nec ad aliud refertur: sed est perfectio penitus absoluta, improducta, & tribus personis omnino innata & intima. Ergo non modo inepte, impropriequé, sed & impie ac hæretice à Caluino & Beza Spiritus sanctus dicitur esse potentia Dei essentialis.

7. Constituimus quoque superius Scripturarum & Patrum authoritatibus, Personam esse talem naturæ diuinæ subsistentiam, quæ non possit aliis communicari, cum ab aliis omnibus sua proprietate naturali seu relatione notionali sit realiter distincta; vt Pater sua paternitate, Filius sua filietate, & Spiritus sanctus sua passiua spiratione. Sed nunquam efficere poterunt Caluiniani, Potentiam Dei essentialem tali constitui proprietate seu relatione notionali, vt aliis prorsus sit incommunicabilis. Nec igitur potest, nec debet cū Spiritus sancti persona in definitione commisceri nihilo plus, quam cum persona Patris & Filij.

8. MIN. Firmissime credo & nullatenus dubito Spiritum sanctum esse personam reipsa distinctam à Patre & Filio, nec sine sacrilegio posse cum Potentia Dei essentiali confundi: sed non satis intelligo, qua ratione in Scripturis appelletur, *Digitus Dei, sempiterna virtus, itemque virtus ex alto.* (Exod. 3. Luc.11. Rom.1. Luc.24.)

DOCT. Respondet tibi Caluinus illic non agi de persona Spiritus sancti; sed tantum de quadam eius virtute diuina, quæ per opera mirabilia palam manifestata est hominibus. Respondeo & ego, de Spiritus sancti mirandis effectis, singularibusque beneficiis illic mentionem fieri. Eodem enim sensu alibi quoque dicitur. *Spiritus sapientiæ & intellectus, consilij, fortitudinis, timoris, fidei & adoptionis*, (Esa.11.) eo quod vel per ipsum hæc dona nobis conferantur, vel idem ipse illa nobis benigne conferat. MIN. Mihi factum est satis aliud persequamur.

SPIRITVM SANCTVM VERE ET proprie esse personam diuinam, & non aliquam tantum proprietatem residentem in essentia, aduersus septimam Caluinianorum hæresin.

CAPVT V.

DOCTOR.

ERrore septimo vestri Caluiniani cum authore suo arbitrantur, *Personam Spiritus sancti simplicem tantum esse proprietatem quandam distinctam & residentem in Deo.* MIN. Certe id nunquam poterunt inficiari, nisi Caluini Institutionem, & in Ioannis caput primum voluerint denegare commentaria. DOCT. Dic porro quid de hac definitione tibi melius videtur.

MIN. Dico in primis, Authorem nec secum, nec cum veritate bene in hac conuenire. (Confut. 1.) Quando enim vltimo errore adfirmat Spiritum S. esse *Potentiam Dei essentialem*, negat eum esse *Proprietatem quandam in Deo.* Nam proprietates non sunt essentiales aut communes tribus, sicut Potentia, sed duntaxat vni conueniunt, vt paternitas soli Patri, filietas soli Filio, spiratio passiua soli Spiritui sancto: aut ad summum duabus, vt spiratio actiua Patri & Filio. Quare si Spiritus esset *Potentia essentialis Dei*, vt alibi loquitur; proculdubio non potest esse *proprietas quedam*, vt hic adfirmat.

2. Deinde, seipsum rursus iugulat, scribens in Libro de actis Serueti, *Personam diuinam esse naturam seu substantiam occultam in Deo.* Item, *Hypostases esse subiecta, quorum vnumquodque suam habeat proprietatem.* Quare cum Spiritus sanctus vere diuina sit persona, non potest dici sola aut nuda quædam proprietas distincta & relata in Deo: imo iuxta Caluinicam finitionem, est quoque natura & substantia in Deo ipso, & ipsemet Deus verus.

3. DOC. His addi potest & hæc argumentatio. Spiritus sanctus à Patre & Filio proprie, & ab æterno producitur, atque ita ad vtrunque refertur, vt res producta ad producentem, resque spirata ad spirantem. At vero proprietas seu relatio personalis nec producitur, nec refertur; cum productio terminetur ad substantiam; & relatio sit medium referendi. Sequitur ergo Spiritus sancti personam nō esse simplicem proprietatem distinctam, & relatam in Deo: sed potius hypostasin

sin tam relatione seu proprietate, quam ipsa essentia seu natura diuina, vere & proprie constitutam.

4. Perpende quoque vniuersa officia ac opera, quę Spiritui S. in diuinis literis tribuuntur, vt condere mundum, Prophetis illucere, Patriarchas regere, Apostolos docere, Euangelistis fauere, Martyres animare, Virgines seruare, peccatores iustificare, iustos, saluare, fidei & aliarum virtutum dona largiri, &c. & nunquam audies isthæc à simplici quadam proprietate donari, sed à vera diuinaque persona, quæ Spiritus S. & Spiritus Dei appellatur. *Spiritus*, inquit, *ferebatur super aquas. Spiritus Domini irruit in eum. Factus est Spiritus Domini super eum. Spiritus Domini rapuit eum. Spiritum S. tuum ne auferas à me. Spiritus Domini ornauit cælos. Spiritus S. superueniet in te. Descendit in eum Spiritus S. Ductus est Iesus à Spiritu. Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, &c.* MINIST. Mirum certe quod nullibi dicatur Proprietas seu relatio distincta in Deo. DOCTOR. Imo nihil prorsus mirum, cum huiusmodi personæ illius per simplicem relationem definitio, impium & absurdum sit inuentum Caluinianum, diuinis Scripturis prorsus ignotum.

Gen. 1. Iudic. 14. 1. Reg. 19. Act. 8. Ps. 50. Iob. 26. Luc. 1. Ioan. 1. Matt. 4. Ioan. 14. Act. 2.

5. His subijcio virorum Apostolicorum de eadem Spiritus S. persona fidem atque doctrinam penitus Catholicã. Ignatius namq; ait: Est vnus Deus Pater ingenitus, vnus Filius genitus, & vnus Paracletus Spiritus veritatis. Et rursum alibi: Est vnus Deus omniũ Pater Domini nostri Iesu Christi, & vnus Dominus noster Iesus Christus vnigenitus Dei, & vnus Spir. S. Non sunt igitur tres Patres, nec tres Filij, nec tres Paracleti: sed vnus Pater, vnus Filius, vnus Paracletus: ac idcirco mittens Dominus Apostolos ad docendum omnes gentes, præcepit *baptizare eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Epist. ad Philadelp. Epist. ad Phil.

Matt. 28.

6. Iustinus vt peritissimus Philosophus, ita sapientissimus Theologus, & constantissimus pro Christo Martyr, in Confessione fidei scribit: Certum est in primis vnicum esse Deum in tribus personis cognitum, Patrem videlicet, Filium, & Spiritum sanctum. Cum enim Filius ex propria Patris essentia sit genitus, & ex ea ipsa procedat Spiritus sanctus credendum est eos in diuinitate æquales esse, atque vnicum esse Deum in tribus personis distinctum: Verum, dicet aliquis, Quomodo fieri potest, vt generans nõ differat à genito, & procedẽs ab eo à quo ꝓcedit? Non est igitur res eadem Pater & Filius, & Spiritus sanctus? Non profecto. Differunt enim in personis, non in essentia: hæcque nomina ingenitum, genitum, & procedens, non sunt nomina essentiam separantia, sed loquendi formulæ, quibus distinctio personalis significatur & declaratur, &c. Nomen enim ingenitum Patris personam demonstrat; & cum genitum audimus, Filij personam apprehendimus; tandemque cum procedens dicitur, Spiritus S. vera nota intelligitur. Persona enim illius eo nomine proprie exprimitur, &c. Hactenus viri Apostolici, ex quorum verbis discimus, Spiritum S. perfectam & omnibus numeris absolutam esse in Trinitate personam, à Patre & Filio sua proprietate notaq; distinctam, non autem ipsam nudam & simplicem proprietatem, qualem nouiisti Prædicantes nugantur. MIN. Video sane perspicue quam turpiter hac in re sint hallucinati, aduersus Scripturas, Patrumque doctrinam fœde aberrantes. Reliquos eorum errores perpendamus.

DEVM PATREM AEQVE IN SPIritu sancto, atque vt in Filio à nobis recte adorari: contra 8. hæresin.

CAPVT VI.

DOCTOR.

NOnne perpetua rebus fidei Christianæ detrahendi rumpuntur inuidia, quando vetant Deum Patrem, in persona Spiritus S. colendum & adorandum esse? MIN. Miror vbinam hęc omnia in eorum scriptis inueneris! Id certe nunquam ego comperi aut legi. DOCT. Dialogo vigesimo Clypei Geneuanæ fidei, folio 376. hæc Gallicis verbis continentur: *Comme Dieu le Pere s'est manifesté en la personne de son fils Iesus-Christ, il veut estre adoré en luy tant seulement, & non en autre.* Quæ ad verbum Latine sonant, *Sicut Deus Pater se manifestauit in persona Filii sui Iesu Christi, sic in eo tantummodo vult adorari, & non in alio.*

MIN. Exclusiua certe illa *tantummodo*, vna cum negatione, *& non in alio*, penitus Spiritum S. excludunt: qui nefarius error est. Cum enim verus ac æternus sit, eiusdem cum Patre essentiæ, potentiæ, maiestatis ac summæ dominationis, non potest certe ille vt omnium bonorum fons & creator adorari, nisi & hic simul adoretur & conglorificetur. Ergo vt Spiritus adoratur in Patre: sic Confut. 1.

 & Pa-

& Pater recte adoratur in Spiritu S. Et ficut adoratur à nobis Pater in Filio, credendo eũ esse ab illo genitum consubstantialem, coæternum, & omnino æqualem; ita & in Spir. S. colitur dum hic prędicatur ab illo in eadem Deitate, maiestate, & potestate ab omni æternitate ꝓcedere. Et vt summatim dicam, Nunquam mihi persuadere possum eos, qui adfirmant Deum Patrem in Spiritu S. adorari non debere, non etiam eundem Spiritum S. omni diuina maiestate spoliare.

2. DOCT. Certissimum id esse paulo post apparebit. Sed vt redeamus ad religiosam Dei Patris in Spiritu S. adorationem, notandum in primis eam satis aperte tradi ab Apo-
1. Cor. 2. stolo, cum dicit. *Nemo potest dicere Dominus Ie-*
Ephes. 2. *sus, nisi in Spiritu sancto.* Et iterum: *Omnes habe-*
1. Cor. 6. *mus accessum in vno Spiritu ad Patrem.* Rursumque, *Nos esse templum Dei in Spiritu sancto.* His enim demonstrat Deum Patrem æque in persona Spiritus, atque Filij sui velle agnosci & coli ab omnibus.

3. Idem rursum scribens, *Nos abundare in spe*
Rom. 15. *virtute Spiritus sancti*: vocationem gentium *per Spiritum S. sanctificatam esse*: item, quod signa & prodigia omne genus ederet *virtute Spiritus diuini*: orando deniq; Deum Patrem *per charitatem eiusdem Spiritus sancti*, æque ac per Dominum nostrum Iesum Christum; eundem Deum Patrem in Spiritu S. adorat manifeste: suoque exemplo adorandum esse docet.

4. Quid? Nonne Deum Patrem in Spiritu
1. Cor. 12. suo vere colimus & adoramus, cum eum agnoscimus authorem, & credimus largitorem esse omnis sapientiæ, fidei, spei, charitatis, prophetiæ, deniq; omnium linguarum, discretionis spirituum, aliorumq; charismatum spiritalium? Dumque profitemur il-
Tit. 3. lum authorem nostræ regenerationis & sa-
Hebr. 9. lutis? Christumq; per Spiritum S. se pro nobis obtulisse immaculatum Deo Patri.

5. Certe cum Apostoli eodem Spiritu S.
Luc. 24. doctore & ductore, Euangelium per totum
Mat. 28. mundum sparserint, innumeros vitæ æter-
Marc. 16. næ verbo, exemplo, & miraculis editis pepe-
Act. 1. 2. rerint, omniaq; tormentorum genera pro eiusdem assertione incredibili alacritate superauerint, satis ostenderunt Patrem in hoc Spiritu suo à cunctis colendum & summo cultu venerandum esse.

6. MIN. Hæc perspicua sunt. Insuper, & ad
Ioan. 4. horum assertionem attinere videntur hæc Christi ad mulierem Samaritanam verba: *Venit hora & nũc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum: Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.* Atque hæc ad superioris erroris confutationem satis esse videntur. De alio inquiramus.

RELIGIOSVM CVLTVM SVPREmamque adorationem Spiritui sancto ab omnibus deberi: aduersus nonam Caluinianorum hæresin.

CAPVT VII.

DOCTOR.

A Deo cæci propriaque malitia excæcati sunt Ductores vestri, vt tandem in eam errorum abyssum inciderint, vt nolint diuinam Spiritus sancti personam supremo cultu venerandam esse. MIN. Vnde istud colligis? DOCT. Ex Caluiniani catechismi principio, vbi scribit Gallicis verbis hæresiarcha: *Il faut adorer le seul pere au nom du Fils: Oportet adorare solum Patrem in nomine Filii.* MINIS. Id inficiari nec possum nec debeo. DOCT. Eundem errorem alibi quoq; non modo repetit, sed ẽt verbis adauget, scribẽs: *Solum Christum nobis propositum esse, vt eum ad* In ca. 1. Ro.
quem omnis fides nostra dirigatur: & in eo con- v. 3.
quiescat. Vtens enim exclusiua dictione solum, idq; erga vnicam personam diuinam, nonne alias omnes excludit? Deinde, adfirmans solum Patrem adorandum; & in solo Filio fidem nostram directam conquiescere debere: manifeste satis prohibet Spiritum sanctum adorari.

MIN. Vera sunt hæc omnia. Sed interim Confut. 1.
quid futurum est de hoc tam aperto certo- Symbol.
que fidei Christianæ articulo, *Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur?* Item de his alijs: *Credo in Spiritum sanctum? Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem?* Nonne credendo in eum, fides nostra in eũ dirigitur, in eodemque conquiescit? Et quid est aliquem suprema adoratione colere, si hoc non fuerit? Nonne Caluinus & eius asseclæ palam profitentur se tria Symbola cõplecti, simulque cuncta quæ aduersus Sabellianos & Arrianos in prima synodo Nicena, decreta fuerunt?

Profecto cum in publica fidei suæ con- 2.
fessione Caluiniani contestentur *se omnes abhorrere ac respuere hæreses, quas sancti Dei homines Athanasius, Hilarius, Cyrillus, Ambrosius damnauerunt; & quas prima Concilia vniuersalia anathema-*

thematibus confoderunt; hunc autem vt Arrij, A
Eunomij, Photini, & Macedonij errorem, quo nolebant in Spiritum S. credere, eundemq; cum Patre & Filio adorare; Patres illi aperte constanterq; reprobauerint: consequens manifestum est, istos nouos diuini Spiritus hostes cum illis veteribus etiam, proprijs iudicijs damnatos esse. Atque hoc meũ de isto capite iudicium.

3. DOCT. Hoc ipsum ista ratiocinatione confirmo. Sacris scripturis supra probatum est, Spiritum S. cum Patre & Filio essentia, maiestate, potestate, infinitaq; bonitate vnicum esse Deum; eumque talem se ab initio mundi mirandis operibus comprobasse. B
Atqui suprema adoratio Deo Patri debetur ratione infinitæ maiestatis, gloriæ, potestatis, clementiæ, & bonitatis: debet igitur eodem modo pariq; ratione & ipse Spiritus sanctus ab omnibus creaturis submisse coli & adorari.

4. MINIST. Euidentissima & firmissima est ratio: sed Scripturas exopto, quæ doceant Spiritum S. adorandum esse. DOCT. Stephanus Iudæos increpans, *quod Spiritui S. restitissent sicut & Patres*, satis docet omnem obedientiam, cultum, & diuinum obsequium illi debitum esse. *Act. 7.*

5. Petrus quoque tam seuere animaduer- C
tens in Ananiam & Saphiram vxorem eius, quod mentiti essent Spiritui S. *Non enim mentiti estis hominibus* (inquiebat) *sed Deo*: perspicue demonstrat eundem Spiritum sanctum: vt Deum ac Dominum omnium à cunctis verendum & colendum: & quicunq; eum contumelia affecerint, horrenda morte tandem plectendos esse. *Act. 5.*

6. Paulus deinde quosdam coarguens, quod in Spiritum sanctum essent contumeliosi, & alijs prohibens ne contristent Spiritum Domini, nonne vult sacram illius hypostasin cunctis omni honori esse atque reuerentiæ? *Rom. 8. Ephes. 4.*
Affirmans insuper membra nostra templũ D
esse Spiritus sancti, quem vt Deum glorificamus & portamus in corpore nostro satis diserte prædicat supremum honorem illi deberi. *1. Cor. 6.*

7. Ecquam euidentiorem aut firmiorem postulares huius cultus probationem, his Christi verbis, *Quicunque dixerit verbum contra Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro?* Deinde, quod in eius nomine & numine pari iure baptizamur, quo & in Patre atque Filio? Quinetiam q; Cherubim & Seraphim cælestium spirituum præstantissimi, eundem cum Patre & Filio conglorificent, concelebrent, & coadorent, sine fine concinentes *Sanctus, Sanctus, Sanctus*? His enim diuinis plane testimonijs Augustinus, Basilius, Hilarius, Dydimus, Athanasius antiquas hæreses sanctissimæ Trinitati aduersas constanter propulsarunt: & omni humilitate ac pietate adorandum esse Spiritum S. tanquam verum Deum creatorem & sanctificatorem nostrum comprobauerunt. *Matt. 12. Matt. 28. Isa. 6. Apoc. 4.*

MIN. Quorundam illorum veterum allatis testimonijs contentus ero. DOCT. Iustinus martyr ac Philosophus ait: Nos veneramur & adoramus Deum Patrem, & missum ab eo Filium, Spiritumq; propheticum. 8. *Apol. 2.*

Hunc sequutus Clemens Alexandrinus scribit: Laudemus vnum Patrem, & Filium, vna cum sancto Spiritu, qui vnus est in quo omnia, per quem omnia, per quem est quod semper est. 9. *L. 3. pædag.*

Athanasius rem improbam iudicat, asserere Spiritum S. fuisse creatum aut factum, cum Scriptura tam veteris quam noui Testamenti illum in eodem ordine cum Patre & Filio collocet atque conglorificet, vt eiusdem Deitatis, potestatis, & essentiæ consortem. 10. *L. cont. Apol.*

Cyrillus Ierosolymitanus de eodem scribit: Vnus est tantum Spiritus sanctus, & alius non est spiritus, æqualis cum illo dignitatis. Est enim diuinum quiddam & inuestigabile: viuit enim, & rationalis est, sanctificãs per Christum omnes qui sunt à Deo conscripti. Hic illuminat animas iustorũ, hic & in Prophetis, hic & in Apostolis Noui Testamenti fuerat. Nemo separet vetus à nouo Testamento: nemo dicat, quod alius illic Spiritus, & alius hic: alioqui resistet Spiritui sancto, cum Patre & Filio honorando, & baptismatis tempore in sancta Trinitate comprehenso, &c. 11. *Catech. 16.*

Et vt hac clausula absoluam, Ambrosius tribus libris, de Spiritu sancto ad Gratianum Imperatorem, Aug. Epist. 174. & lib. 3. cõtra Maximinum; Cyrillus Alexandr. lib. 13. thesauri c. 7. & lib. 7. Dialogorũ; Basilius deniq; quinque aduersus Eunomium libris, eundem Spiritum vt verum Deum & Dominũ nostrum à nobis timendum & adorandum esse plurimis & grauissimis argumentis persuaserunt: atque contradicentes huic pietati hæreticos confutauerunt & damnauerunt. MIN. De alio articulo iam ergo dicamus. 12.

SPIRI-

SPIRITVS SANCTI PERSONAM *omni fide ac summißione inuocandam esse, aduersus 10. heresin.*

CAPVT VIII.

DOCTOR.

SEctariorum vestrorum perfidia in peius quotidie proficiente, ab ijs eo deuentum est, vt diuinam Spiritus sancti personam nec ipsi suppliciter inuocent, nec ab alijs inuocari permittant. MIN. Id nunquam animaduerti in secta constitutus. DOCT. Comperisti aliquando in Catechismis, Psalmis, aut B quibuscunque precibus vestris seu priuatis seu publicis, aliquam ad eum speciatim directam? MIN. Nullam profecto. DOCT. Sublata est ergo illius inter vos omnis inuocatio. Rursum, intellexisti superius quemadmodum Farellus, Caluinus, Beza, Danæus, & alij eius furfuris ministri, preces ad sanctißimam Trinitatem fusas vituperant ac reijciunt: eadem ergo opera ad Spiritum sanctum directam precem reprehendunt & damnant. Nam qui tres simul diuinas hypostases inuocare recusat, & harum vnius inuocationem contemnit. Deinde, cum vbique clamitent, *solum Patrem adorandum & inuocandum*, adeo vt nec Filium adorare & C inuocare dignentur: certum est quod nec ipsum Spiritum sanctum inuocandum esse velint. Cum etiam eidem tantummodo tertium causæ, honoris, ac imperij locum relinquant, nihil ambigendum quod nec ad eum vota dirigenda velint. Deniq;, quando semel ac iterum in Clypeo Geneuanæ & Caluinianæ fidei diserte scribitur, *Spiritum sanctum non esse inuocandum, si homo liberum habeat arbitrium:* (quod negare impietas est Simonis Magi, Marcionis, & Manichæorum, quorum errores Vestri se abhorrere & damnare palam fatentur) planum est Sectarios D vestros quantum in ipsis est, omnem Spiritus S. religiosam inuocationem tollere de medio.

Dial. 2 p. 35.

Confut. 1. MIN. His quinque argumentis, tam aperte illos huius erroris reos effecisti, vt nullus mentis compos id dißimulare valeat. Verum, & hac etiam in re illos proprijs iudicijs conuictos & damnatos teneo. Docent enim alibi, formam Baptismi traditam à Christo apertam continere inuocationem Patris, & Filij, & Spiritus S. Hac autem forma vniuersis Christianis est in Euangelio præscripta &

Calu. in c. Matt. 28. Marc. 16.

A data. Igitur necesse est eos aut omnem Christianißimi rationem damnare & reijcere, aut Spiritus sancti nobiscum inuocationem admittere.

Præterea, cum adoratio, cultus supremus, & omne obsequium Spiritui sancto debeatur, vt superiori disputatione fusißime probatum est; inuocatio autem species sit adorationis, quemadmodum & ipsi vltro fatentur: non video cur non debeant vniuersi Christiani eidem, vt & Deo Patri atque Filio supplices fieri. 2.

Adhæc, celeberrimus inter hos poeta Salustius Barthasius cunctis Prædicantibus ac Ministris religiosior, lectißimis versibus ad Spiritum S. qui Zachariæ linguam soluit, & Apostolis omnium linguarum dona concessit, vota sua dirigit, exoptat vt animum, calamumq; suum regat; eiusdemq; venerationi versus suos consecrat. DOCT. Vere profecto Spiritum S. & adorat & precatur, quæ duo capita sunt Caluinianæ Theologiæ omnino contraria. Id quod spem mihi non exiguam facit, multos adhuc inter Sectarios esse viros modestos, nondumq; omnino deploratos, qui intimis animorum recessibus hoc genus Ministrorum, ac impurißimorũ rabularum clamores oderũt, & magnopere cupiunt ab his tandem aliquando expediri. Sed institutas confutationes persequor. 3. L. 3. Iudit.

Si alibi ex animo confitentur, Spiritum sanctum Deum esse optimum, maximum, omnipotentem, omnimisericordem, ac omniscientem; cur ad illius opem in nostris miserijs non confugeremus, dicentes cum Dauide, *Spiritu principali confirma me? Spiritum S. tuum ne auferas à me? Spiritus tuus bonus deducat me in viam tuam?* An non etiam Sapiens eundem perspicue & submisse se inuocasse palam profitetur, dicens: *Inuocaui, & venit in me Spiritus sapientiæ?* 4. Psal. 50. Psal. 142. Sap. 5.

Si vere etiam dicat Scriptura, illum authorem & largitorem esse fidei, spei, charitatis, prophetiæ, timoris, pacis, gratiæ, omniumq; virtutum: cur eas ab eo supplices non requiremus & postulabimus? Sitientes refugiemus ab vberrimo omnium bonorum spiritualium fonte? 5. Ephes. 5. 1. Cor. 13. Esa. 11.

An non Elisæus summis votis exorauit fieri sibi duplicem Spiritum præceptoris sui? Aut senex Simeon sine multis & feruentißimis ad eum præmissis precibus, responsum accepisset à Spiritu sancto, *non visurum se mortem, nisi prius vidisset Christum Domini.* 6. 4. Reg. 2. Luc. 2.

Nunquam profecto Apostoli ac Discipuli in co- 7.

in cognitionem omnis veritatis venissent, nisi prius Spiritum eius Doctorem & magistrum suppliciter inuocassent. Aut Samaritanis per manus impositionem, aut Cornelij familiæ, aut discipulis Ioannis, alijsque innumeris, vna cum remissione peccatorum, eiusdem Spiritus sancti dona communicassent, nisi præuijs ad eius misericordiam & gratiam supplicationibus. Quomodo putas, Scripturas intellexissent, aut omnium gentium linguis fuissent locuti; edidissent signa; pro Euangelij assertione mortis diuersa genera constanter pertulissent; nisi inuocata ab his Spiritus fortitudo solidasset?

Act.8.10.13.19. *Luc.24.* *Act.2.*

8. MINIST. Omnia vt ipsum verbum Dei & vera & certa sunt. Tantum his aliquot veterum Patrum adijcias testimonia. DOCT. Patres qui ad octauum Toletanum concilium olim conuenerunt, his ad Spiritum sanctum verbis supplicauerunt: Adspira sancte Spiritus, & duc nos in portum voluntatis tuæ, sedatis fluctibus ignorantiæ nostræ. Adspira rursus sancte Spiritus, & dato nobis nosse quod iubeas, ac posse implere quod iusseris: vt perlustrando illumines quod nescimus, & adiuuando perficias quod implere pauemus.

Cap.2.

9. Ante hos Theodoretus scripserat: Nihil dicimus esse Deum ex rebus quæ oculis subiiciuntur. Honoramus quidem & plurimi facimus homines virtutibus & pijs operibus illustres: sed adoramus vnum & solum Deum Patrem huius vniuersi, cum Verbo suo, & Spiritu sancto. Eundem vero, & Filium vnigenitum, & Verbum, & lucem, & veritatem, vitamque vocamus. Sanctum item Spiritum Dominum dicimus & viuificantem.

L. de Principiis.

10. Augustinus huiusmodi ad eundem fundit preces. O Diuini amor numinis. Patris omnipotentis prolisque beatissimæ sancta Communicatio, omnipotens paraclete Spiritus, mœrentium consolator clementissime, iam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, & tenebrosa afflicti Spiritus mei latibula corusci luminis tui fulgore habitator lætifica, tuiq; roris abundantia longo ariditatis marcentia squalore visitando fœcunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris iaculo, & torpentis medullas iecoris flammis salutaribus penetrando succende: sanctiq; feruoris igne illustrando intima mentis & corporis vniuersa depasce. *Pota me torrente voluptatis tuæ*, vt nihil iam mundanorum degustare libeat venenatæ

Li. Medit. cap. 9. *Ps.42.*

A dulcedinis. *Iudica me Domine, & discerne causam meam de gente non sancta. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, &c.*

Ps.142.

11. Ambrosius hæc de Spiritu sancto verba facit. Cum Deus cuiquam suum donat Spiritum, opus diuinum est, non humanum. Non est enim hominis donum, sed à sacerdote inuocatus datur à Deo, per quem absoluitur officium ac munus quod à sacerdote offertur Deo.

L.1. de Spirit. sanct. cap.7.

12. Cyprianus postquam plurima diuinaque illius recensuit effecta, tandem ita concludit. Hic discordes sanctificat, & vinculo dilectionis astringit & ligat. Hic nos cælos inB uehit, & à mundi huius vanitatibus auulsos regni constituit hæredes, &c. MIN. Tam pia sanctaq; Veterum emissa ad Spiritum sanctum vota audire nunquam grauaret: cum hinc colligam merito Ecclesiam Catholicam in suis Litanijs suppliciter ad eum ita confugere, *Spiritus sancte Deus, miserere nobis*: sed quia quæ supersunt adhuc multa audire percupio, his iam finem imponamus, & aliam disputationem auspicemur.

Ser. de Spirit. sancto.

SPIRITVM SANCTVM INFINITA EAdemq; absoluta potentia in rebus agendis; & simC plici præscientia rerum futurarum mirabili præditum esse: aduersus 11. & 12. hæresin.

CAPVT IX.

DOCTOR.

Babylonicæ turris, id est, sectæ vestræ authores ac opifices in tantum improbitatis cœnum prolapsi sunt, vt negent Spiritum sanctum tum absoluta in rebus efficiendis potentia, tum in rebus futuris cognoscendis simplici præscientia munitum atque præditum esse. MINIST. Non possum non obstupescere ex quibus lacunis tot eorum feD ces haurias. Vix enim mihi persuasero, illos tam impia ac nefaria de diuino Spiritu vnquam vel per somnium cogitasse. DOCT. Meum est igitur hoc de illis nunc probare. Dic autem quæso te, cum de Deo in vniuersum, id est, nulla singulariter designata Trinitatis persona, habetur sermo, nône Spiritus sanctus æque illo Dei nomine comprehenditur, atque Pater & Filius? MIN. Certissimum ac verissimum est. DOCT. At vester Caluinus de Deo generaliter scribit: *Delirium de potestate Dei absoluta, à Scholasticis introductum, execrandam esse blasphemiam.* Et alibi rursum:

In cap.23. Ezechielis *Li. de æter. prædest.*

rursum: *Detestor doctrinam istam, in qua sibi tãtopere placent Papistici Theologi, fingentes in Deo quandam potestatem absolutam.* MIN. Tam aperta est ista probatio tua, vt nihil prorsus habeam, quod pro excusatione aut purgatione Caluini respondeam. Quo autem pacto Spiritum sanctum neget præscium rerum futurarum, vt efficere possis anxius expecto. DOCT. Primo magna ille impudentia nugatores illos vocat qui hoc statuunt, scribens: *Nimis inscite nugantur multi de nuda Dei præscientia.* Postea, semel & iterum cum probris reijcit nomina permissionis & simplicis Præscientiæ: ac postremo de throno suo Geneuano spretis scriptoribus Ecclesiasticis, & vnico profano ac nouissimo authore Valla eis prælato, velut de sacra quadam tripode pronunciat: *Frustra de Præscientia lis mouetur, vti constat ordinatione potius & nutu omnia euenire.* Alibi quoq; eam appellat, *subtilitatem, quæ non potest cum Scripturæ dicendi formis conuenire.*

Inst. l. 1. ca. 16. §. 4.

Li. 3. ca. 23. §. 6.

Confutat. 1. MIN. Diffiteri iam non possum in hos errores Caluinum lapsum esse. Hos autem tecum improbare & damnare paratus, primum aio eum turpiter secum dissidere. Nã vt attigi superius, in Catechismo iubet nos profiteri, *Deum esse omnipotentem.* Deinde, eos pro improbis habendos esse docet, qui non credunt Deum plura posse facere, quam quæ naturæ viribus sunt possibilia. Postremo, non inuitus fatetur, illum posse conuertere lucem in tenebras, & tenebras in lucem. Hæc vero non sunt potestatis eius ordinatæ ac communis: igitur est in Spiritu sancto atque in Patre & Filio potestas omnibus numeris ac legibus soluta.

2. Allata sunt quoq; verba Vireti ministri, quibus ex apertis & certis Scripturæ testimonijs concludit Deo nihil esse impossibile, etiam eorum quæ iudicio humano maxime videntur esse impossibilia: atq; ideo illos Deum negare esse omnipotentem cæli & terræ creatorem atque rectorem, qui eum secundarum causarum ordini subditum vel alligatum esse contendunt: aut quibusdam limitibus volunt absolutam maximamque virtutem illius coercitam & finitam esse. Denique hunc errorem iudicat profectum esse ex Schola Stoicorum, & non inferiorẽ impietate Epicureorum, qui & si verbis Deũ faterentur, effectus tamen prouidentiæ ac omnipotentiæ ab eo tollentes eundem reipsa negabant.

3. DOCT. His adde, Creationem cunctarum rerum ex nihilo, quæ absolutæ potestatis certissimum est argumentum, nõ minus Spiritui sancto, quam Patri & Filio tribui, cũ dicitur, *Spiritus Domini ferebatur super aquas: Spiritus Domini ornauit cælos: Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* His enim Prophetarum testimonijs Athanasius, Basilius, Ambrosius, Augustinus, & Fulgentius diuinam Spiritus sancti maiestatem & inexhaustam potentiã aduersus priscos illius hostes Arrianos, Eunomianos, & Macedonianos constantissime propugnauerunt: quæ nunc aduersus Caluinianos repetita satis euincunt eũdem Spiritum sanctum absoluta infinitaq; quicquid volet agendi virtute præditum esse. Gen. 1 Iob. 26. Psal. 103.

4 An non etiam amplissima ac euidentissima eiusdẽ absolutæ potestatis suæ testimonia edidit, cum ex pastoribus ouium, agricolis, & idiotis bubulcis sapientissimos statim effecit prophetas, diuiniq; populi pastores & doctores? Cum etiam superueniens in Virginem, effecit vt sine vlla viri vulgata copula vere in vtero conciperet illæsaq; integritate, Deum reipsa nobis pareret & hominem? *Spiritus sanctus,* inquit Gabriel Angelus ad Mariam, *superueniet in te, & virtus Altissimi obũbrabit tibi, &c.* Et rursum ad Ioseph: *Quod in ea natũ est, de Spiritu sancto est.* Quis hic cursus naturæ? Aut quæ potestatis ordinariæ, & causis secundis alligatæ ratio conspici potest? Quis vnquam audiuit simile? Luc. 1. Matt. 1.

5. De eiusdem stupendis ac omnem humanę rationis captum exsuperantibus effectis, ita ante mille & trecentos annos concionatus est Cyrillus Ierosolymitanus. In virtute Spiritus sancti stans Petrus cum vndecim reti verborum animas circiter trium millium cepit. Talis & in alijs simul Apostolis gratia abundabat, vt etiam ex Iudęis ipsis qui Christum crucifixerant, tot crediderint; & in nomine Christi baptizati sint, & perseuerauerunt in doctrina Apostolorũ. In eadẽ quoq; virtute, Petrus & Ioannes ingredientes templum, claudum ab vtero matris, in nomine Christi curarunt. Spiritalis doctrinæ sagena quinq; millia credentiũ simul ceperũt. Principes autem populi & sacerdotũ errantes redarguerunt: nõ per propriam sapientiã: sed per Spiritus efficaciam, &c. Hæc ille de immensa prorsusq; inexhausta Spiritus sancti per Apostolos orbi manifestata potestate. Catech. 16. Act. 3. 4. 5.

6. An etiam ordinariæ potestate tribui poterunt tot miracula & stupenda prodigia, quæ idem Spiritus sanctus in Apostolis, & per Apostolos toto orbe quondam operatus est;

est; quando ex rusticis ac ignaris piscium piscatoribus, peritissimos statim effecit piscatores hominum? Quãdo solius maternæ ac Syriacæ linguæ gnaros, docuit varijs linguis loqui magnalia Dei? *Loquebantur variis linguis*, ait Lucas, *prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* MIN. Tam manifesta sunt hæc absolutæ Spiritus sancti potestatis argumenta, vt potiora non requiram: tantum de simplici illius rerum futurarum Præscientia quædam adijce, & vela contrahemus.

Act.2.

7. DOCT. Ecquis inficias ire potest Spiritum sanctum non modo cunctarum rerum futurarum præscium esse, sed & omnia ab æterno habere sibi præsentia, si eum vt decet, verum ac omnipotentem Deum esse crediderit? Num de Deo scriptum est, *Nouit omnia antequam fiant? Omnia nuda & aperta sunt oculis eius? Tu solus nosti corda omnium.*

Dan.13. Hebr.4. 3.Reg.8.

8. MIN. Iam etiam recordor me superioribus colloquijs euicisse Caluinum fateri, *Deum ab æterno præsciisse lapsum primi hominis, ac totius per eum posteritatis illius.* Atqui Spiritus sanctus Deus est: hunc igitur simpliciter præsciuit; non etiam operatus est. Quis enim nisi demens plane ac furiosus diceret Spiritum sanctum in Adamo superbum, ingratum, contumacem, ambitiosum, verbo Dei infidelem, aut eiusdem contemptorem extitisse? Ad Satanæ mendacia, potius quam ad Dei veritatem animum adiecisse? Igitur cũ nec horum scelerum, nec quorumcunq; aliorũ, Spiritus sanctus nec autor fuerit nec particeps; illa futura esse tantum præsciuit ac permisit.

Gen.2.3.

9. DOCT. Identidem de superba cacodæmonum in Deum rebellione, ac miserabili apostasia, cunctisq; deinceps illorum fraudibus, dolis, vniuersaq; malitia, quis iure dixerit: quæ Spiritui sancto nunquam fuerunt ignota. Quinetiam Caini fratricidum, Gigantum superbiam, totiusq; mundi ante diluuium corruptionem, Sodomæorum præposteram venerem, incestum filiarum Lot, fratrum Ioseph æmulationem, Pharaonis infanticidia, Hebraici populi in Deũ obmurmurationes & frequentes idololatrias, ac vniuersi orbis in finem vsq; plurima grauissimaq; scelera, idem diuinus Spiritus nunquã non præsciuit: absit vero admisisse dicatur. Est itaque pro certo in eo rerum futurarum præsertim malarum, simplex quædam præscientia. MIN. Mihi satis superq; sufficiunt iam illatæ confutationes: quapropter de alio capite iam differamus.

Luc.10. Apoc.12. 13.20. Gen.4.7. 18.19.&c.

A

SPIRITVM SANCTVM NEC AVTHOREM *peccatorum: nec alicui reprehensioni obnoxium esse, quicquid aut in cælis aut in terris aguet: aduersus 13. & 14. Caluinianorum hæresin.*

CAPVT X.

DOCTOR.

SVperbius adhuc incedunt, ac insolentius aduersus Spiritus sancti summam bonitatem & innocentiam insurgunt isti Gigantes, *quando omnium prorsus peccatorum authorem eũ confingunt; tum etiam reprehensione non esse exceptum comminiscuntur, quicquid egerit eo quod nulla lege teneatur.*

B

MIN. Iam recordor te superioribus diebus horum errorum Caluinianos reos effecisse, allatis Caluini, Bezæ, Melanthonis, atq; Buceri haudquaquam obscuris sententijs: quibus eas in Deum blasphemias non solum euomũt, sed & postea secum turpissime pugnantes atq; dissidentes easdem velut Epicureos plane atheismos coarguunt & damnant. Hos namque & naturæ communis sensus abhorret; & Poetæ, Philosophique Ethnici execrantur, & diuinæ Scripturæ reprobant, & vniuersi Patres detestantur: soli Caluiniani laudant atq; vocibus scriptisque prædicant. Confutatio 1.

C

Euicimus porro huiusmodi errorum authores ac patronos, summam Dei nostri bonitatem cum abominanda Satanæ malitia flagitiosissime permiscere atq; confundere: ideoq; mihi hoc loco solum adijciendum videtur, quod aut parũ aut nihil discriminis inter Spiritum Dei sanctum, & Spiritum impurum ac immundum constituant, quando illum æque ac iustum totius mundi scelerũ autorem ac impulsorem prædicare non verentur. Dicitur etenim Satanas *tentator*, eo ꝙ ad omne mali genus homines sollicitet: dicitur & *spiritus malus ac pessimus*, eo ꝙ omnis mali caput sit & princeps: item *spiritus immũdus*, propterea quod ad immundas turpesq; cogitationes homines fœminasque alliciat, &c. Itaque si Spiritus sanctus iuxta Caluinianam Theologiam, omnia mundi scelera non modo præsciat, *sed & velit, decernat, ordinet, ad eademque committenda prædestinet, sollicitet, ac impellat, quinetiam illorum in peccatoribus author sit, hæc opera sua esse pronunciet, Satan vero aut quiuis peccator tantum minister sit*, parum certe ab impurissimo cacodæmone ac principe tenebrarum: quod dictu aut cogitatu 2.

Matt.4 Luc.4.8.9

D

Inst.li.1.c. 18.§.1.2.

8. sto & æquo, vel ab aliquo iure coargui; nec
Psal. 144. Deus esset, *qui fidelis est in omnibus verbis suis,*
Psal. 5. *& sanctus in omnibus operibus suis:* nec sanctis-
Psal. 142. simus Propheta tam anxie postulasset, *Spiri-*
Matth. 28. *tum rectum innoua in visceribus meis. Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Spiritu principali confirma me. Spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam:* nec denique in eius numine ac nomine æqualiter, ac in nomine Patris & Filii sanctißimis Baptismi laticibus regeneraremur. MIN. Iam hæc sufficiant ad tam apertæ impietatis refutationem: de alia rogo inquiramus.

ÆQVE NOBIS PROPOSITVM ESSE Spiritum sanctum ac Patrem & Filium, vt ad eum fidem nostram dirigamus: contra 15. errorem.

CAPVT XI.

DOCTOR.

AVdentiores effecti hi filii Enach, institutamque persequentes πνευματομαχίαν, non reformidauerint in suis prædicare conuenticulis, deinde per totam Europam suis dispergere chartulis, *Spiritum sanctum non esse nobis propositum, vt in eum fidem nostram dirigamus: sed solum Christum.* MIN. Ex quibus illorũ codicibus istud euinces? DOCT. Ex his Caluini vestri Commentar. in pri-
Vers. 3. mum caput epist. ad Rom. verbis: *Cum ipse (Christus) viua sit & expressa imago Patris, non mirum est, eum solum nobis proponi, ad quem se tota fides nostra applicet, & in quo consistat.* Etenim dictiones exclusiuæ vel vni, vel duabus personis diuinis applicatæ, cæteras omnes excludunt: veluti cum dicitur, Solus Pater gignit Filium, pater & filius tantum producunt Spiritum sanctum; Filius & Spiritus sanctus eximuntur à generatione actiua; & Spiritui sancto satis aperte detrahitur actiua spiratio. Et in actibus circa res creatas, quando enunciatur, filius solum est incarnatus, crucifixus, mortuus, & sepultus; omnino adfirmatur nec Patrem nec Spiritum sanctum incarnatum, crucifixum, mortuum, sepultumque fuisse. Igitur quando Caluinus adiecta Christo excludente particula, inquit, *eum solum nobis proponi ad quem se tota fides nostra applicet, & in quo consistat.* Spiritus sancti diuinam personam manifestißime vt & impiißime ab eadem re proposita excludit.

Cófutatio 1. MIN. Contra diuinam sempiternamque Spiritus sancti maiestatem improbiora nun-

A quam audiui verba. Si autem fides Christiana ad Spiritum sanctum æque ac in Patrem & Filium non esset referenda & collocanda, quorsum in Symbolo reposuissent Apostoli, *Credo in Spiritum sanctum*, sicut *Credo in Deum Patrem omnipotentem: & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum?* Esset enim Christo facta iniuria, si ad eum solum fides esset dirigenda, quam etiam ad Patrem & Spiritum distinctas ab illo personas applicamus, & in quibus consistit. In tetrum errorem profecto vniuersum mundum coniecissent, docentes non in solum Christum credendum esse, sed et-
B iam in Spiritum sanctum.

Symbola quoque Athanasii, Concilii Niceni & Constantinopolitani ab vniuerso Christianorum orbe tanta fide suscepta, tam sedulo seruata, totque sæculis probata, perniciosis mendaciis ac imposturis scaterent, quando eundem fidei nostræ articulum fusius explicant atque confirmant his verbis: *Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem. Qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas.* Athanasius vero ait: *Hæc est fides Catholica vt vnum Deum in Tri-*
C *nitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.* Quomodo vero fides Catholica ad sanctißimam Trinitatem dirigeretur, & in eadem tota conquiesceret, si soli filio, non autem & Spiritui sancto penitus niteretur? 2.

DOCT. His adde Baptismi nostri formam à Christo filio Dei institutam & traditam satis comprobare nobis æque constanter credendum esse in Spiritum sanctum atque in Patrem & Filium, siquidem regenerari, ac in numerum electorum referri velimus, quando horum trium æquali gratia, bonitate, & misericordia abluimur atq; sanctificamur. *Euntes,* inquit Christus, *Bapti-* Matth. 28.
D *zate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ergo cum Spiritus sanctus noster sit viuificator, & sanctificator, manifestum est quod natura sit verus & æternus Deus: ideoque sicut credendum est in Deum Patrem & Filium, ita etiam credendum ac sperandum est in Spiritum sanctum. 3.

Ecquis etiam in eum nõ totam fidem applicet, ac in eodem securus tutusque non conquiescat, cum natura sit Deus æternus, verus, omnipotens, ac essentia sapientia, & bonitate vnus cum Patre & Filio: Petrus e- 4.
nim ad Saphiram dicens, *Cur satanas tentauit cor tuum mentiri Spiritui sancto? Non enim men-* Act. 5.

 titus

titus es hominibus, sed Deo. Quis vero non hominum duntaxat dico, sed & cacodæmonum, aperte auderet dicere, Non esse credendum in Deum, cum etiam ipsi dæmones in eum credant & contremiscant? (Iacob. 2.) Quid igitur de Caluinismo iudicandum arbitraris, in quo traditur, non credendum in Spiritum sanctum, *sed solum Christum nobis propositum esse ad quem se fides nostra applicet, ac in eodem consistat?*

5. MIN. Horret animus tales blasphemias, doletque vehementer huic perditissimæ sectæ aliquando adhæsisse, quæ Scripturas tam impudenter corrumpit, religionem extinguit, diuinumq; timorem & amorem è cordibus hominum stirpitus euellit. Nam si in solum Christum fides sit dirigenda & collocanda, quemadmodum Caluinus autumat, non autem & in Spiritum sanctum; solus Christus esset Deus, solus creator & dominator omnium, solus omnipotens, solus saluator, solusque glorificator hominum & Angelorum: Spiritus autem sanctus nihil eorum omnino esset. Miror que vehementer, si non iam aliqui his pestiferis suasionibus efflati, insurrexerint, qui cum Sadducæis, Iudæis, Mahometanis, ac Ethnicis Spiritum sanctum esse penitus negauerint. Si quid eius impietatis nosti ac obseruasti ne reticeas quæso, vt & ipse ab illis diligenter caueam, & alios vt caueant pro Christiana charitate admoneam.

SPIRITVM SANCTVM VERE AC proprie diuinam esse personam; à Patre & Filio realiter quidem distinctam; sed essentia, potentia, sapientia, bonitate, &c. cum his prorsus eandem: aduersus 16. 17. & 18. hæresin.

CAPVT XII.

DOCTOR.

EX superioribus Caluinianorum hæresibus tantus ac talis secutus est Spiritus sancti personæ ac maiestatis diuinæ inter huius seculi Sectarios contemptus, vt horũ nonnulli (cuiusmodi fuit Seruetus, cum suis) palam scripserint, *Inter Verbum aut Filiũ Dei, & Spiritum sanctum nullam esse distinctionem realem:* sic cum damnato Sabellio duas istas personas confundentes, vt neutra earum vere esset persona diuina, à Patre distincta. Hoc enim Caluinus eidem Serueto impingit, Libro suo de Actibus eius, pagina centesima. A Atque iste sit error numero decimus octauus.

Decimusnonus in eo consistit, quod idem Seruetus eiusdem Spiritus sancti æternam diuinamque negans hypostasin, illius nomine *ventum quendam volatilem* tantum in sacris Scripturis significari contendebat. Hoc enim de eo refert idem Caluinus, nec suo more coarguit aut damnat, eodem lib. Gallico de Actis Serueti, pag. 352.

Vicesimum errorem primum Geneuæ disseminauerunt illi quos idé Caluinus appellat *Animos rabie correptos*; in concionibus palam asserentes, *vocabulum Spiritus sancti in* B *scripturis nihil essentiale significare: sed quædam solum diuinæ liberalitatis dona, & potestatis mirabiles operationes vel effectus:* quos nec idem Caluinus confutauit, nec Geneuensis magistratus, vt decebat, coercuit. (Com. in c. 12. prioris ad Corint.)

MIN. Sed quid hæc ad Caluinianos, vt eos cum hostibus Spiritus sancti nunc inuoluere ac infamare debeas? DOCT. Primum, quod hæc monstra inter eos nata, ex horum erroribus concreta, adulta, diuque publicis concionibus has blasphemias inter illos rudi & ad omnem hæresin admittendam propenso populo suadere permissa; nec (vt dicere incipiebam) à Caluino acriter C reprehensa, nec à Geneuano aut Bernensi senatu pro meritis castigata fuerint. Deinde, quod Farellus Caluini antecessor, plurimumque ab eodem & Beza commendatus, & vt charissimus collega dilectus atq; probatus, in Summa scripturæ Gallica, palam cum Macedonio sentiens definit, *Spiritum sanctum esse Motum in rebus creatum:* quod est eius æternam diuinamque personam penitus negare & abolere. Præterea, quia idem Caluinus Spiritui sancto (quemadmodum superius attigimus) *tertium tantummodo causæ, imperij, & honoris gradum relinquit: & Dei & Creatoris nomen, ad solum Patrem per excel-* D *lentiam pertinere affirmans*, illud Spiritui sancto detrahit; & eundem personaliter *adorandum atque magna fide inuocandum esse negans*, illius se infestissimum hostem plane ostendit: & quod denique in publicis Lausanensi & Bernensi Synodis, tria religionis Christianæ symbola, quibus in Spiritum sanctum fides continetur & explicatur, palam irridens atque blasphemans, *istis nec credendum nec discredendum esse, donec ad Gnomin scripturarum* (sic enim græcissabat) *examinata fuissent, contestatus sit.*

Atque hinc factum est, vt Petrus Carolus inter

Refut. blasphem. Farell. inter hos aliquando non infimæ notæ Prædicans, quique intima sectæ penetrauerat & nouerat, eosdem de superioribus erroribus valde suspectos habens, scripserit: Si Macedonium execramini, Spiritum sanctum non solum esse Deum illum qui Pater ac filius est; nec Motum aut agitationem quandam nostris superne cordibus infusam: sed personam à Patre Filioque simul distincte procedentem celebrate, &c. Quisquis enim has quatuor accusationum mearum partes pro rei dignitate expenderit, quantosque in impietatibus quotidie cumulandis & augendis progressus Caluiniana secta faciat diligenter & prudenter animaduertit; haudquaquam dubitabit huius professores & propugnatores inter hostes Spiritus sancti iure connumerandos esse, vt eadem opera cum illis expugnari debeant.

Confut. 1. MIN. Iam agnosco postremam Satanæ in Caluinianis fraudem atque versutiam: quando per hos aliquanta iacit summæ in Spiritum sanctum perfidiæ semina, vt tandem copiosissimã zizaniorum messem colligat. Perspicio huic venenato colubro & callidissimo serpenti hæreseôn initiis paruo foramine tantum opus esse, quo caput immittat, hinc facile totũ corpus introducturo. Nouit, nouit certe ex latentib. inter cineres igniculis tantum incendium excitare, vt omnia longe lateque incendat, vastet, populetur, & consumat. Conqueruntur enim grauissime Volanus, Illyricus, VVigandus, Faber, Iudex, ac Hypperius superioris Germaniæ ministri Lutherani, istas aduersus Spiritum sanctum Geneuæ, Bernæ, Lausanæ, & inter Sabaudiæ excelsa montium iuga clanculum initio disseminatas hæreses, etiam ad suos & alios exteros vsque penetrasse: quando Georgius Blandrata Transyluanus disputatione publica inter Lutheranos, Caluinianos, & nouos Arrianos, abhinc paucis annis Albæ habita, tum voce inclamauit, cũ postea scripto euulgauit: *Quæstio est, vtrum Verbum & spiritus sint personæ? Nos dicimus non esse personas, aut indiuidua, aut aliud sophisticũ: sed esse Altissimi Dei Patris virtutes: quibus & olim & nunc quoq; in noui mundi creatione vtitur.* DOCT. Hanc blasphemiam *Pag. 73. 74. &c.* hausit plane ex lacubus Caluini, scribentis, *Personas diuinas esse proprietates in Deo consideratas:* & Spiritum sanctum duntaxat *virtutem esse Dei essentialem*, vt superius dictum fuit.

2. MIN. Sine me adhuc de istius pestilentiæ cathedræ Magistris, & Caluinianæ schola A læ discipulis differentem. Blandrata in erroribus socium & cõmilitonem habuit Franciscum Dauid Claudiopolitanum ministrũ, qui has disputationes typis excusas per Transyluaniam, Hungariam, Poloniam, & Germaniã quantum potuit euulgauit. Illis portentosis signiferis continuo nomina sua dederunt Ioãnes Sonierus, Matthias Polonus, Budneus Transyluanus, & alii permulti Superintendentes ac ministri, qui distento gutture, ac ore in cœlum aperto, non minus impie sanctissimi Spiritus diuinam personam ac maiestatem blasphemant & palam nunc traducunt, quam Simon Magus, Valenti- B nus, Montanus, Sabellius, Arrius, Macedonius, aut alii veteres hæretici olim effecerint. Dum vero de tam tetris erroribus coarguuntur, in ore ac oculis omnium gloriantes iactant sese nihil adferre ac proponere, quod non ex Caluinianorum scriptis hauserint atque didicerint. Atque hi Caluinianæ arboris fructus, & vineæ vuæ fellis, ac botri amarissimi: quorum attenta consideratio valentissimæ confutationis locum vimque maximam apud cordatos viros obtinere mihi videtur.

DOCT. Verum id quidem: sed si Calui- 3. C num propriis iudiciis ac sententiis, vt consueuisti, conuincere; & diuini Spiritus æternam maiestatem ac personã vindicare possis, id iucundum & commodum erit. MIN. Id mihi in promptu est. Nam commentariis suis in illud Pauli: *An nescitis quod tem-* *1. Cor. 3. vers. 16.* *plum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* ipsa rei euidentia conuictus scribit: *In hoc loco habemus clarum testimonium ad asserendam Spiritus sancti Diuinitatem. Neque enim si creatura esset, aut donum tantum, efficeret in nobis habitando, vt templa Dei essemus.*

Et licet ille plurimos scripturæ locos, quibus veteres aduersus Arrianos & Macedo- D nianos Spiritus sancti diuinitatem adseruerunt, incredibili peruersitate deprauet, & in fauorem antiquorum hæreticorum interpretetur; nõ potest tamen dissimulare quin per istum: *Hæc autem efficit vnus & idem Spiri-* *1. Cor. 12. v. 11.* *tus, distribuens vnicuique prout vult*, æterna illius hypostasis ac diuinitas significetur. *Iam dum spiritui voluntas tribuitur*, inquit, *& quidem cum imperio coniuncta: hinc colligere licet, spiritum vere & proprie Deum esse.* Et in Institutione eundem locum pertractans ait: *Nisi* *Lib. 1. c. 13. §. 14.* *Spiritus sanctus esset aliquid in Deo subsistens, minime ei daretur arbitrium & voluntas. Clarissime ergo Paulus Spiritum insignit diuina potentia, &*

in Deo

in Deo hypoſtatice reſidere demonſtrat. DOCT. A
Appoſite ſane aduerſus ſeipſum & ſectatores ſuos. Cum enim ex Paulo ſequatur ſpiritum ſanctum eſſe hypoſtaſin diuinam: nõ eſt tantum quædam proprietas, non eſt motus in rebus creatis, non eſt ſimpliciter donum, non eſt agitatus ſeu volatilis ventus, non eſt ſola Dei virtus: ſed cum patre & filio vnus & verus natura Deus, perſonaliter tamen & realiter ab vtroque diſtinctus. Adhæc, cum vere & proprie Deus ſit; perſonæ autem diuinæ ſibi coæternæ ſint & coæquales: non relegandus eſt Spiritus ſanctus in tertium honoris & imperii diuini gradum: ſed eodem prorſus cum patre & filio ſimul adorandus, & conglorificandus ab omnibus in ſecula ſeculorum.

5\. MIN. Si tria hæc Caluini pro Spiritu ſancto teſtimonia ſatis ſunt, tu nunc age ex apertis certiſque Scripturis. DOCT. Quando illi Moyſes, Iob, & Dauid ſtupendum Creationis cunctarum rerum opus ac myſterium tribuunt, in eundem certe cum patre & filio omnipotentiæ, ſapientiæ, & imperii gradum illum conſtitutum eſſe & credunt, & alios docent. *Spiritus Domini*, inquit
Gen. 1. ille, *ferebatur ſuper aquas*, id eſt, ex confuſa
Iob. 33. mole ac ipſo chao, non modo huius mundi ornatum, ſed & omnium ſpecierum formam, naturam, exiſtentiamq; diſponebat: quod plane diuinæ ac infinitæ virtutis fuit. Iſte vero ſcribens, *Verbo Domini cæli firmati*
Pſal. 32. *ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*, oſtendit non minus Spiritus ſancti opus eſſe mundum, quam filii.

6\. Deinde, diuino plane conſilio ac opere veteribus Prophetis illuceſcens, cæleſtia ſecreta eiſdem reuelauit, & futura tum populi Hebraici commoda & incommoda, venturique Meſsiæ cuncta myſteria tali certitudine ac ſerie patefecit, vt æterna infinitaque rerum ſapientia veritate atque virtute præ-
Gen. 1. ditum ſe manifeſtauerit. Quis enim Moyſi
Iſa. 7. poſt tot ſecula Creationis mundi ſeriem, I-
Pſal. 21. ſaiæ Virginem Deum & hominem parituram, aut Dauidi manus & pedes Meſsiæ fodiendos, cæteriſque alia mundo abſtruſa & ignota manifeſtaſſet, niſi verus Deus? *Ac-*
Iſa. 41. *cedant & nuntient nobis quæcunque ventura ſunt,* inquit Iſaias, *priora quæ fuerint nuntiate, & ponemus cor noſtrum. Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dij eſtis vos.* Hinc
Apol. c. 20. acute & breuiter Tertullianus: Idoneum teſtimonium diuinitatis, veritas diuinationis, id eſt, Prophetiæ.

Præterea, quis ex abiectis pecuariis ac exulibus, legiſlatores ſapientiſsimos, duceſque præſtantiſsimos; ex agaſonibus, Reges clariſsimos; ex opilionibus, Prophetas & Imperatores; ex agricolis, ſummos Doctores; ex bubulcis, ſacros vates; & ex rudiſsimis piſcatoribus, peritiſsimos totius mundi antiſtites diuinoſque legatos repente potuit efficere, niſi dextera excelſi; id eſt Spiritus, plane Deus, qui omnia poteſt in cœlo, in terra, & in omnibus abyſsis. 7.

Aut quis præter Deum omnipotentem, 8.
poteſt ab hominum pectoribus auferre cor Ezech. 11.
lapideum, & conferre cor carneum, id eſt, 36.
B molle & tractabile? Quis dare leges ſuas in Ierem. 31.
viſceribus mortalium, & in cordibus eo- Heb. 10.
rum illas ſcribere, niſi idem digitus Dei vi- 1. Cor. 6.
ui? Quis peccata remittere; gratiam animis infundere; conſcientiam diurnis nocturniſque furiis diuexatam, tranquillam reddere; & de vaſis iræ ac contumeliæ, facere
vaſa gratiæ & gloriæ; niſi ſolus & verus Rom. 9.
Deus? Quis denique præſtare poteſt, vt Vir- Matth. 1.
go ſine viri copula, vere concipiat, & illæſa Luc. 1.
corporis ac mentis integritate pariat Deum ſimul & hominem; niſi virtus Altiſsimi? Cum igitur hæc, & innumera alia miracula Spiritui ſancto in diuinis literis paſsim adſcribantur; ille profecto eiuſdem eſſentiæ, C ſapientiæ, & virtutis eſt cum Patre & Filio, tametſi ſua proprietate ab vtroque perſonaliter & ab æterno ſecretus.

Idem ſuperueniens in Apoſtolos, eoſque 9.
induens virtute ex alto, cunctis mundi ſa- Luc. 24.
pientibus effecit ſapientiores; oratoribus in
cunctis linguis ac idiomatibus facundiores; Actor. 2.
ac tyrannis immanibus, virtute, animo & conſtantia ſuperiores. Idem ipſe coarguit totum mundum de peccato, de iuſtitia, & de
iudicio: Chriſtum per vniuerſum orbem Ioan. 16.
clarificauit; ac eius Eccleſiam Catholicam Ioan. 14.
inuitis inferorum portis, ab Oriente in Oc- Matth. 16.
D cidentem, à Septentrione in Meridiem dilatauit, propugnauit, docuit, & ſeruauit. Quis nõ dicam hominum, vel Angelorum; ſed & Cherubinorum aut Seraphinorum hæc præſtitiſſet? Eſt igitur Spiritus ſanctus cum patre & filio verus ac omnipotens Deus ac dominus.

Nec deſunt ad huius fidei noſtræ confir- 10.
mationem veterum Prophetarum teſtimonia. Iſaias namque dicens, *Et nunc Dominus*
miſit me, & ſpiritus eius: ſummum in mitten- Iſa. 48.
dis Prophetis imperiũ patri & Spiritui ſancto commune eſſe docet. Sicut etiam Eccle-

siæ Catholicæ Episcopos, Pastores, & Doctores idoneos præficere; de qua re ait Apo-
Actor. 20. stolus: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Ex hoc enim relucet Spiritus sancti æqua eademque cum Patre & Filio diuina maiestas.

11. Eum rursus de quo Isaias ait, *Dicit domi-*
Isa. 6. *nus exercituum, Vade, dic populo huic, audite audientes, & nolite intelligere, &c.* Paulus in Actis,
Actor. 27. docet esse Spiritum sanctum, cum ait, *Bene locutus est Spiritus sanctus per Isaiam dicens, Vade ad populum istum, & dic eis, Aure audietis, & non intelligetis, &c.* Quoties etiam alii Prophetæ ingeminant singulis fere oraculis atque vaticiniis, *Hæc dicit dominus: Os domini locutum est: Factum est ad me verbum domini:* toties Spiritus sancti diuinam sapientiam & maiestatem adfirmant & inculcant; docente beato
2. Pet. 1. Petro, *Spiritu sancto inspirante locutos esse sanctos Dei homines.* Quod & hoc fidei articulo satis corroboratur, quo de eodem spiritu profitemur, *Qui locutus est per Prophetas.* Est igitur spiritus non motus in rebus creatis, non ventus volatilis, non tertia quædam rerum causa, non simplex proprietas animo concepta in Deo, vt Seruetiani, Farellistæ, & Caluiniani impie iudicant: sed ille Dominus exercituū, ille Dominus Deus Israel,
Luc. 1. *qui locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum eius.*

12. Nulli porro tergiuersationi patet clarissimus ac firmissimus iste Euãgelii locus, quo
Matth. 28. dominus præcepit, *Baptizare omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Nisi enim Spiritus sanctus esset vere Deus, veram æternamq; salutem filiis hominū tribuens, non coniungeretur æquali nomine ac virtute in eadem salutis operatione cum Patre
Orat. 5. de Theologia. & filio. Quomodo, inquit Nazianzenus, posset nos per baptismum regenerare, &
Psal. 83. deos quosdam facere, nisi esset ipse verus Deus? *Nam gratiam & gloriam dabit Dominus,* ait Dauid in Psalmis.

13. Manifesti quoque sunt isti apud Ioannem loci, quibus filius Dei spiritum sibi & patri potestate ac Deitate coæqualem, persona
Ioan. 14. vero distinctum prædicat, dicens: *Rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in eternum, spiritū veritatis, quem mundus non potest accipere, &c.* Et postea: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Et rur-
Ioan. 15. sum postea: *Cum venerit paracletus, quem mit-*

A *tam vobis à patre spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, &c.* Enimuero cum dicitur, *alius paracletus*, insuper, *mittendus à patre in nomine filii*, deinde etiam *à patre procedere*, manifeste declaratur personam æternam esse à patre & filio sua proprietate distinctam; sicque Serueti damnatur impietas. Cum vero dicitur, *Spiritus veritatis, doctor omnium, & mansurus in æternum*, diuina plane maiestas eius satis manifestatur.

Vnde & in Baptismo Christi, quando Pater seipsum cœlesti voce patefecit; Filius autē carnis mortalis assumptione; & Spiritus 14. Matth. 3. Luc. 3.
B sanctus per speciē columbæ seipsum quoq; mundo declarauit; satis indicauit quod cum patre & filio eiusdem esset Diuinitatis & gloriæ, distincta tamen ab his persona. Marc. 1.

Nequaquam etiam prætermittendus est euidentissimus & firmissimus isti diui Petri in Actis Apostolorum locus, quo Spiritus sanctus aperte Deus nominatur. Ait enim D. Petrus ad Ananiam: *Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Est igitur verus & æternus Deus vnus cum patre & filio: non illius potestatis effectus, nec liberalitatis duntaxat beneficium. 15. Actor. 5.

C Accedit, quod & magnus Athanasius scite ac diligenter obseruat, quod etiam quæcunque diuina opera & officia in Scripturis tribuuntur patri ac filio, eadem quoque adscribuntur Spiritui sancto: vt quorum est eadem voluntas & potestas, eadem quoque sit operatio. Primum enim liberos nos facere, viuificare, ac legem mortalibus præscribere dicuntur Pater & filius: de spiritu quoque sancto scribitur, *Vbi spiritus domini, ibi libertas: spiritus viuificat: lex spiritus vitæ eius, quæ est in Christo, liberauit nos.* Deinde, pater frequenter appellatur dominus Deus, & 16. L. de communi essentia patris, filii, & Spiritus sancti. 2. Cor. 3. Rom. 8.
D filius dominus Deus: sic quoque non raro nominatur Spiritus sanct⁹ ab Apostolo scribente, *Cum conuersus fuerit ad dominum, detrahetur velum, dominus autem spiritus est.* Ac rursum spiritum ipsum dominum appellari liquido in libro Iudicum scriptura ostendit, vbi ait de mirandis operibus Samsonis. *Et spiritus domini venit in Samsonem.* Atque iterum: *Venit spiritus domini in Samsonem.* Cognoscite (inquit) *quoniam dominus Deus est.* Et apud Apostolum: *Deus qui dixit, vt lux ex tenebris illucesceret, spiritus est.* Ac rursum: *An nescitis vos templum Dei esse, & spiritum Dei habitare in vobis?* Insuper, pater & filius Apostolos 2. Cor. 3. Iudic. 14. 1. Cor. 4. 1. Cor. 3.

los in mundum miserunt: de spiritu autem A
Actor. 13. in Actis dicitur, *Qui autem missi erant à Spiritu sancto, venerunt Seleuciam.* Pater dicitur filium suscitasse à mortuis: de spiritu quoque scribitur:
Rom. 8. *Spiritus qui excitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, &c.*

17. Huic subnecto beatum Fulgentium his
Lib. 2. ad Trasim. c. 15. scripturis & rationibus pro Spiritus sancti immensitate, æternaque deitate aduersus Arrianos disserentem. Immensus est Spiritus sanctus, dicente Propheta,
Psal. 138. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* De quo &
Psal. 50. dicit Deo: *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Quem spiritum Dei ipsum esse Spiritum sanctum Apostolus quoque hac atte- B
Ephes. 4. statione significat: *Nolite contristare Spiritum*
1. Thess. 4. *sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.* Et alio loco: *Qui autem hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis.* Idem rursum alibi ait:
Lib. ad Dona. c. 8. Spiritum sanctum Creatorem vera fides asserit, nō creaturam. Quomodo enim Creator esse negetur, à quo firmata cœlorū virtus ostenditur, dicente Dauid,
Psal. 32. *Verbo domini*
Psal. 103. *cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum?* Et alio loco: *Emitte spiritum tuum, & creabuntur.* Creator quippe est omnium, qui factor est omnium. De quo beatus Iob dicit: *Spiritus diuinus qui fecit me.* Spiritus ergo sanctus, sicut omnia creauit, sic omnia replet immensus. Et quia omnia replet, naturaliter est verus Deus. Scriptum est enim,
Sap. 1. *Spiritus domini repleuit omnem terrarū, &c.* Quomodo autem negant Arriani Deum esse spiritum sanctū, cum ita simus templū Spiritus
1. Cor. 3. 6. sancti, sicut sumus templū patris & filii? &c.

MIN. De his iam satis, tantummodo aliorum veterum Patrum, qui hanc fidei nostræ partem ex professo sunt persecuti loca designare velis, vt in horum lectione animum meum exerceam, & fidem reuerentiamque meam erga sanctum Spiritum multo magis confirmem. DOCT. Pertractant diligentissime Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi decima-sexta, & decima septima: Basilius libris quinque aduersus Eunomium, & libro ad Amphilochium de Spiritu sancto: Didymus Alexandrinus libris de Spiritu sancto: Hilarius lib. 12. de Trinitate: Ambrosius Mediolanensis tribus libris de Spiritu sancto: Epiphanius aduersus hæresin 74. Augustinus libro tertio contra Maximinum Arrianum, & alii plures, quorum monumenta consulere poteris, & ex horum fontibus sitim extinguere.

DE SPIRITVS SANCTI MVLTIplicibus donis, mirisque effectis in beatos Apostolos ac Euangelistas: aduersus viginti & septem Caluinianorum errores.

CAPVT XIII.

DOCTOR.

POsteaquam Spiritus sancti æternæ diuinæque maiestati, essentiæ, ac personæ Authores vestri detraxerunt; adorationem, inuocationem, & fidem quæ in eum est, pro viribus imminuerunt & sustulerunt; tandemque bonitati, sanctitati: præscientiæ, infinitæque potestati eius sese opposuerunt; eo demum peruenerunt, vt mirabilium operum ac officiorum eius maiorem partem surripiant; & alia quæ ad eum nullo modo pertinent, per summum nefas eidem adscribant. MIN. In his quæso te, magna fide, sinceritate, ac recto ordine pergamus. DOCT. Cum ad eundem Spiritum sanctum maxime spectarit Apostolos ac Euangelistas tanta virtutum copia induere ex alto, vt idonei essent ministri noui Testamenti: hunc è contrario tantæ socordiæ ac negligentiæ insimulant, *vt eos omnes deseruerit ac siuerit in plu-* C *rima eademque grauissima, tum contra veritatem fidei, tum contra bonos mores, scelera & scandala frequenter incidere*, cum à die Pentecostes in vniuersum mundum profecti sunt Euangelicam doctrinam disseminaturi. MIN. Quibus modis illos probas hoc errore conuictos esse? DOCT. Priuatis accusationibus & calumniis, quibus singulos fere, præcipuos saltem eorum, magna contumacia proscindunt atque diuexant. MIN. Fac fidem dictis tuis.

DOCT. Caluinus diuum Petrum principem Apostolorū ferociter aggressus, eum multis criminibus accusat. Ac primū, quod D in simulatione (qua Antiochiæ prudenter vsus est ad Gentiles & Iudæos, in eadem fide Gal. 2.
& religione coadunandos, vtrorumque infirmitati subseruiens ac sese pro tempore accommodans) *grauissimum scandalum admiserit.* Reiiciens Chrysostomi sententiam di- Com. in c.
centis, Petrum & Paulum vitandi scandali 2. ad Gal.
causa, collocuturos fuisse priuatim, si quid v. 11.
habuissent dissensionis, subdit: *Alia enim minora scandala huic perniciosissimo posthabenda erant.* MIN. Dominus grauissima maledictione illum percellit, per quem scandalum venit. affirmatque expedire, *vt ei mola asina-* Matth. 18.

ria ie

via de collo appendatur, & demergatur in profundum maris. Itaque cum Petrus accusatur *perniciosissimi scandali*, grauissimi certe criminis arguitur. DOCT. Atque hic error Caluini aduersus Spiritum sanctum & officia eius, erroris decimi noni locum obtineat, Nam decimus octauus est superior omnium Apostolorum de peccatis mortalibus post susceptum Spiritum sanctum admissis, generalis accusatio. A

3. MIN. Cuiusmodi putas esse vigesimum?
L.6.hist.c.34.Lib.1.adu.Par.L.2.de baptis.c.8. DOCT. *Schismatis, per quod Ecclesia scinderetur*, quo nihil perniciosius ac damnabilius committi Eusebius, Optatus, & Augustinus ex eo colligunt, quod Dominus Cain fratricidæ, Dauidi adultero, aliisque permultis grauissimis sceleribus contaminatis locum pœnitentiæ ac veniæ reliquerit: Core vero, Dathan, & Abiron schismaticis nullũ concesserit, sed horribili ac insolenti supplicio continuo mulctauerit. *Num.16.* B Cyprianus quoque ac Hieronymus schismaticos Iudæis Christum crucifigentibus improbiores idcirco constanter pronunciant, quod isti tunicam illius inconsutilem partiti non sint; illi vero sanctissimum corpus eius (quod est Ecclesia Catholica) crudelissime conuellunt, discindunt, lacerant. *Li.de vnit. Eccles. Epi. ad Damasum. Ioan.19.*

4. MIN. Cedo vigesimum primum errorem. DOCT. In eo consistit, quod Petri simulatione, inquiunt, *periclitabatur Christiana libertas*. MIN. Quid audio? Christi regnũ, escã esse ac potum? Christi passione & morte acquisitam, datamque Christianis libertatem, in ventris expletione aut inanitate consistere? Et cognatis apponere lardum? Cerinthi & Mahometis more Paradisum in carnalibus delitiis constitui? Apagete tantam amentiam. C *Rom.14.*

5. DOCT. Vigesimo secundo errore Petro impingit, *quod per eum obruebatur Christi gratia.* MIN. Ergo grauiori crimine seipsum inuoluisset, quam cum tertio dominum nostrum in ædibus Caiphæ abnegauit: Tunc namq; horrendæ mortis metu ad id impulsus est; nunc vero & omnino liber, & amplioribus diuinæ gratiæ donis perfusus erat. D *Matth.26.*

6. Sed quinam est error vigesimus tertius? DOCT. *Petrus*, inquit Caluinus, *ita iudaizabat, vt Gentes cogeret in seruitutem: & simul hoc quasi præiudicio derogaret Pauli doctrinæ.* MIN. Quasi videlicet, idem Paulus coarguisset in altero, quod sibi laudi ducebat. Gloriatur etenim *se Iudæis factum esse Iudæum, & iis qui sine lege erant, tanquam sine lege esset; infirmis, infirmum; & omnibus, omnia; vt omnes faceret saluos.* *Galat.3. 1.Tim.2. 1.Cor.9.* Accedit, quod iuxta Christi feruentissimas preces, Apostoli sic in Euangelica doctrina propaganda & asserenda vnum, & vnanimes fuerunt, vt vere de illis dictum sit: *Erant cor vnum & anima vna.* *Ioan.17. Act.2.4.* Vanissimus est igitur & confictus hæresiarchæ metus, ne Petrus derogaret Pauli doctrinæ, cum idem Spiritus sanctus & viueret, & loqueretur, & doceret in vtroque.

DOCT. Vigesimo quarto loco eundem coryphæum Apostolorum calumniatur, *quod in agendis non tenuerit modum: quia gratificandi maiorem curam quam ædificandi habuit: magisque respexit quid Iudæis placeret, quam quid vniuerso corpori expediret.* 7. MIN. Negat ergo summum primumque Apostolorum tunc verum fuisse Christi discipulum, Paulo scribente, *Si hominibus placerem Christi seruus non essem.* *Gal.1.*

DOCT. Scribit 25. loco: *prauam, intempestiuam, ac Ecclesiæ noxiam fuisse Petri simulationem.* 8. Contra vero, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, & Græci omnes, istam Petri simulationem cum ex optimo fine ac animo processerit, omni culpa carere docent: quibus ex Latinis subscribit Hieronymus. *Com. in c.1. ad Gal. v.12.* Latini vero & si reprehensibilẽ fateantur, mortale tñ peccatũ fuisse pernegãt; sed veniale ac leue, idque potius in priuata morum praxi accidisse, quam in doctrina. *Tertul.l.4. adu.Mar. c.3. Aug. ep.ad Hieron.*

Subiicit & hunc sequentem errorem: *Petrus discessione facta à Gentibus, ab Ecclesia communione eas arcebat: nisi abdicata Euangelij libertate, Legis iugum subirent.* 9. MIN. Impudentissima certe impostura. Idem enim Petrus cœlesti visione & oraculo monitus, Cornelium centurionem virum gentilem, cum tota familia, in Ecclesiæ communionem iam admiserat, sine vlla ceremoniarum legalium obseruatione, aut grauioris iugi ceruicibus eorum impositione. *Act.10.*

DOCT. Idem Caluinus multas & graues adhuc in hunc secundum Christum, Ecclesiæ summum Pastorem congerens, scribit eum, *Euangelium deformasse: nimis seruiliter Iudæis obsecutum esse: in discrimen Euangelij puritatem adduxisse, ne Iudaico fermento inquinaretur, publico malo peccasse, iniquum fuisse erga Gentes, quia eas ad seruandam Legem adigeret: denique, quod necessitate seruandæ Legis obstringeret piorũ conscientias: & silentio libertatis doctrinam sepeliret.* 10. *Com. in c.2. ad Gal. v.12.14.* Quæ omnia & varia pro vno, id est, 27. aduersus sancti Spiritus effecta, duntaxat errore cõputo, ne videar in multiplicãdis ac

numerandis eorum erroribus delectari. MIN. Ohe, ex his conspicio Caluinum tanto conuiciandi & calumniandi studio intumuisse, vt instar Iudæ vel Arii medius crepuisset, nisi tot maledicta in hunc feruentissimum Apostolorum Christi euomuisset. Nec mirabor deinceps cum intelligam eum suosque in Romanum Pontificem, Cardinales, ac Episcopos oblatrare, quando in hunc sanctissimum Christi discipulum tanta rabie furit & bacchatur. Quid porro de aliis Apostolis sentiat, iam audiamus.

11. DOCT. Suas persequitur aduersus Iacobum fratrem domini, alteram Ecclesiæ columnam, & primum sacrorum Ierosolymorum Christiani gregis Episcopum iniuriosas accusationes, quando censet eum cū vniuerso clero suo, *Nimio popularium suorum amore, in stolidam indulgentiam incidisse, dum Legis quasdam ceremonias vitioso & superstitioso zelo retinuit; vota superstitiosa probauit, & in earundem culparum consensionem Paulum perduxit.* Com. in c. 21. Act. Atq; in his error eorum vigesimus octauus constituatur. MIN. Proh Deum immortalem? Ecquis vnquam synceram, religionem coluit, retinuit, docuit; si recte pieque docet Caluinus, sanctissimos Apostolos post acceptum tanta copia & amplitudine Spiritum sanctum, in ea superstitiosos, ineptos, & vanos fuisse? Ex quo vero errorem vigesimum nonum desumis?

12. DOCT. Ex eo quod diuum Ioannem Deiparæ Virginis ex sorore nepotem, Christi Domini nostri secundum carnem cognatum, & dilectissimum discipulum, simulque Prophetam, Apostolum, Euangelistam, Doctorem, Martyrem atque Virginem, *teterrimo idololatriæ crimine commaculant atque prægrauant*; Apoc. 19. 22. propterea quod excellenti quidem, sed ciuili tamen adoratione, Angelum ad se missum colere voluerit: quod Angelus præ modestia, & culminis Apostolici reuerentia fieri prohibuit. Com. in Apo. 19. 22. MIN. Qui sycophantæ & obtrectatores isti? DOCT. Henricus Bullingerus Gallice Geneuæ excusus; & furcifer Marloratus in Rhapsodiis, quas Vniuersalem Ecclesiæ vestræ expositionem nominauit: tantum dictitantes hunc sanctissimum discipulum hac in re peccasse, *quantum vel Petrus ante susceptum Spiritum sanctum trina negatione sua, vel Thomas infidelitate antea peccauerant.* Nec his contenti, adiiciunt: *Necesse est dicamus eum, apostasia peccasse, &c.* MIN. Puto plane Satanam his putidis calumniis, vniuersum Christi Euangelium suspectæ fidei & authoritatis reddere conatum esse: quando illius primos scriptores ac prædicatores tam imperfectos, vitiosos, ac miseros fuisse per hæc organa sua disseminauit.

Existimo tamen Ministros nostros diuo saltem Paulo, ob Christi qui in eo viuebat & loquebatur, reuerentiam, plurimum deferre. 13. Galat. 2. 2. Cor. 13. DOCT. Fallit te nimia probitas & credulitas tua: quandoquidem illum aliis omnibus peius vellicant, & crudelius proscindunt ac maledictis criminationibusque dilacerant. MIN. Non credo. DOCT. Ostendam manifeste Caluinus namque de illo iam conuerso ad Christum, iamque Spiritu sanctificato dicere non veretur, *quod reptans in terra multis sordibus inquinaretur.* Com. in c. 7. Rom. v. 25. Alibi quoque ait: *Erat enim homo communibus hominum passionibus alioqui obnoxius, non frigori tantum & calori: sed peruersæ confidentiæ, temeritati, & similibus.* In 2. Cor. c. 1. v. 9. Sed præceptoris mentem clarius & amplius expressit Marloratus Caluini discipulis in Rhapsodiis, iam semel & iterum Geneuæ excusis, his de eodem beatissimo Apostolo verbis: *Vixit aliquādo quasi securus Epicureus, maximus Dei contemptor, profanus, abhorrens à spiritalibus & cœlestibus, carni prorsus deditus, &c.* In c. 9. ad Rom. v. 9. 10. 14. Iam à te quæso, an istud sit Christum vereri in eo viuentem & loquentem? An Spiritus sancti dona in eo suspicere & colere? MIN. Immo impudentius obscurare & blasphemare, quam vnquam fecerint cacodæmones, qui verbis eius coacti de corporibus obsessorum exeuntes, vociferabantur eū esse seruum Dei excelsi, vixq; salutis doctorem. Actor. 16. DOCT. Possem ex his in Paulum contumeliis aliquot errorum enumerationem colligere: sed contentus omnes ad vnum redigo, qui numero sit nouissimi huius Dialogi trigesimus.

Adaugent rursum errores suos plurimis 14. in sanctissimos Euangelistas contortis opprobriis, criminationibus, & calumniis, ac si Spiritu sancto in describenda Euangelica de Christi Domini nostri natiuitate, prædicatione, passione, atque resurrectione historia eos destituisset. In cap. 2. Mat. v. 15. in c. 4. v. 13 in c. 8. v. 17. in c. 27. v. 9. MIN. Istud ne fieri potuit? DOCT. Immo reuera factum est à vestro Caluino scribente, *Matthæum improprie, sæpeque citasse veterum Prophetarum sententias contra germanum & proprium sensum.* Atq; id trigesimi primi erroris locum in hoc Dialogo retineat.

MIN. Ecquid contra Marcum obgannit? 15. DOCT. Plurima & grauissima conuitia:

tia: nempe quod fuerit *homo inconstans, perfidus, improbus, apostata, sanctaque vocationis suæ desertor*. His enim verbis à Marlorato vestro
In cap. 15. Act. v. 40. transcriptis vtitur. *Longe grauius erat Ioannis Marci peccatum, quam vulgo putetur. Vocationis suæ desertor erat, & apostata. Nec vero infirmitas perfidiam excusat, qua violata fuerat vocationis sanctitas. A suo munere turpiter exciderat sua culpa*. MIN. Beatus Petrus equidem multo melius
1. Pet. 5. de illo sentit, cum eum appellat filium
Euseb. li. 3. hist. c. 3. suum, eundemque secum Romam vt cooperatorem abducit, ac editum ab eodem
Coloss. 4. Euangelium sua authoritate comprobat, &
2. Tim. 4. cunctis Ecclesiis legendum & amplexandũ proponit. Eundem quoque Paulus Colossensibus commendat; iubetque Timotheo eum assumere, & secum adducere ad se, vt hominem sibi vtilem in Euangelico ministerio: quod nunquam de viro perfido aut apostata (qualem eum pro consueta modestia sua confingunt ministri) tantus Apostolus præcepisset. Atque iste sit 32. error aduersus officia Spiritus sancti.

16. Sed quid aduersus Lucam, virum Græco sermone excultum, & Pauli peregrinationum, periculorum, summorumq; laborum fidissimum Achatem effutiunt? DOCT. Multas eum sententias Euangelio suo ex ab-
In cap. 5. Matt. v. 13. & in c. 6. Luc. v. 40. rupto infartiisse. Verba Caluini sunt: *Hæc sententia, Vos estis sal terræ, &c. ex abrupto ponitur apud Lucam*: Et alibi rursum: *Non est discipulus supra magistrum. Lucas sententiam hanc quasi inter alios sermones ex abrupto prolatam, absq; contextu refert*. MIN. Quasi videlicet, Spiritus sanctus, qui illius dum scriberet regebat articulos, ignorasset quid cuique loco ac ordine reponendum foret.

17. Nunquid vero Ioanni Christo longe charissimo saltem pepercerunt isti Momi? DOCT. Nihil minus, quoniam vt superius audiuisti, teterrimis idololatriæ & apostasiæ criminibus illum prægrauarunt. Et cum Caluinus de Euangelio eius loquitur, ex Ge-
In c. 8. 17. Ioan. neuano solio suo talia profert decreta: *Euangelista improprie fidem nominat, quod est tantum præparatio ad fidem*. Et postea: *Verbo credendi improprie vsus est Euangelista, pro cognoscere*. Atque hic error trigesimi quarti locum in hoc septimo Dialogo, criminationum vero Caluinicarum aduersus sancti spiritus in Apostolos ac Euangelistas diuina officia cœlestiaque opera, decimum septimum obtineat. Nemo autem ambigere potest, iam annumerata omnia & singula peccata, eorundem Caluinianorum iudicijs ac senten-

A tijs, plane mortalia, æternisque Gehennæ flammis dignissima fuisse: quandoquidem authore Caluino, *Peruersa sit insanorum & delirantium Sophistarum* (en quo decore vniuersam antiquitatem exornet!) *distinctio peccati in mortale & veniale, cum omnia prorsus suapte natura mortalia sint*. His itaque palam feci, Vestros ministros tot sanctissimorum Discipulorum Christi criminationibus, Spiritus sancti officijs ac donis grauiter detrahere: illosque in die Pentecostes sic in gratia & fide confirmatos fuisse, vt inde cadere non possent, flagitiose pernegare. Instit. lib. 2. c. 8. §. 58. 59. & li. 3. c. 4. §. 28.

MIN. Id nemo potest inficiari: qua- Confutatio
B propter superest vt his erroribus refutatis, contrarium omnino probetur. DOCT. 1.
Non exiguum est in primis aduersus nouos criminatores & vitilitigatores istos præiudicium, quod in inferendis huiusmodi contumelijs ac probris peruersos illos pseudofratres & Pseudoapostolos imitentur, qui aduersus Paulum insurgentes, & famæ, & doctrinæ, & authoritati illius detrahentes, eum cunctis suspectum ac exosum reddere satagebant. Hi porro sunt de quibus coram Deo, Angelis, & toto mundo conqueritur;
Eiusmodi Pseudoapostoli sunt operarij *subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non* 2. Cor. 11.
C *mirum, ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ: quorum finis erit secundum opera ipsorum*. Et iterum:
Periculum in falsis fratribus. Iterumque: *Subintroierunt falsi fratres, vt explorarent libertatem nostram*. Paulo siquidem nomen ac ius Apostoli detrahebant, obijcientes quod non vidisset Dominum in carne; non audiuisset Euangelium ex ore eius; non fuisset ab eo electus & ascitus in numerum duodecim Apostolorum; nihil fieret ab illo, velut qui antea persecutor & blasphemus fuisset: quæ omnia si conferantur cum his quæ à Caluino Gal. 2.
D & suis eidem obiecta sunt, certe præ illis leuissima erunt.

Illos rursus Petrus & Iudas viuis admodum coloribus suis depingunt, quando vo- 2.
cant eos, *nubes sine aqua quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosas, bis mortuas, eradicatas, fluctus feri maris, despumãtes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum. Murmuratores querulosos, secundum desideria sua ambulantes, illusores, sectas introducentes perditionis, segregantes semetipsos, animales, spiritum non habentes, irrationabilia pecora, in conuiuiis luxuriantes, oculos* Iud. c. vnic. 2. Petr. 2.

los plenos habentes adulterii, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum auaritia habentes, libertatem promittentes, cum tamen ipsi serui sint corruptionis, &c. Quæ omnia non tam superiorum sæculorum hæresiarchis, quam Caluino, Bezæ, Bullingero, Marlorato, & reliquis huius æui Apostolorum conuitiatoribus apprime conuenire mihi videntur.

3. MIN. Præterea, maledicentissimi homines isti aut nihil aut parum certe distāt à priscis Ethnicis ac idololatris, qui varijs calumnijs eosdem Apostolos, primosque Christianos deformabant, vt aliquam persequēdi ac diuexandi illos occasionem prætexerent. Imponebant enim eis, vt est apud Iustinum, Tertullianum, ac Eusebium, *quod promiscuos admitterent concubitus; cœnas agitarent Thiesteas, in deos, imperatores, & rempublicam impii essent*; & alia plurima: quæ si cum his, quæ aduersus Petrum, Paulum & Ioannem effutiuerunt superius Ministri comparaueris, non admodum dissimilia inuenies. Quātum enim distant *epicureismus, Dei contemptus, apostasia, & idololatria*, quæ Paulo & Ioanni à Caluinianis tribuuntur; ab impietate in Deū, & legitimum Magistratum? Quantum *carni prorsus deditum esse*, quod Paulo affingitur, à promiscuis concubitibus? Cætera horret animus persequi.

Iust. Dial. & Apolo. Tert. Apolo. Cyp. ad Demetr. &c.

4. DOCT. Persequar igitur ego, & nouos obtrectatores istos cum Porphyrio, Celso, Luciano, Peregrino, Iuliano, Hierocli, alijsque veteribus apostatis iure comparabo. Nam vt illi ad eleuandam impijssimam suam à religione Christiana defectionem, & Domini nostri summam innocentiam, & præcipuorum Apostolorum ac Euangelistarum mores innocentissimos, scriptaque diuina omni contumeliarum & sycophantiarum genere traducebant & opprimebant: sic & isti vt hæresibus suis viam præmuniant; & turpitudinibus, incestis, adulterijs, sacrilegijs, mendacijsque suis adblandiantur, tot confictis à se criminibus & probris sanctissimos Apostolos diuexant.

Origen. Euseb. Cyril.

5. Rursum vt ne lato quidem vngue discederent à vestigijs Simonis Magi, Carpocratis, Ebionis, Cerinthi, Menandri, Marcionis, Manetis, & aliorum veterum patrum & magistrorum suorum discipuli, vt illi Discipulos Domini in multis accusabant (vt est apud Irenæum, Tertullianum ac Epiphanium) vt homines ab eorum doctrina Euangelica abstractos, in suarum hæreseon nassam pertraherent: sic & isti nullis sibi parcendum duxerunt, vt solos se perfectos veritatis Euangelicæ assertores & vindices, solos se ex vteris matrum sanctificatos, solos se Euangelicissimos superbissime & arrogantissime vendicent: & quod à Turcarum vastationibus Christianismi superest, suis erroribus facilius inficiant, fascinent, subuertant.

Iren. l. 1. c. ... Tert. ... & ...

Denique, tam impudenter ora soluentes in Apostolos ac Euangelistas, præcursores ac strenuos satellites sese produnt propediē venturi illius magni Antichristi, de quo ab vtriusque Testamenti certissimis Prophetis scribitur, *quod faciet bellum aduersos sanctos, sermones contra Excelsum loquetur, sanctos Altissimi conteret, & putabit quod possit mutare tempora, & leges.* Et iterum: *Aperiet os suum in blasphemias contra Deum, blasphemare nomen eius, & eos qui in cœlo habitant.* Hi ergo superioribus tam in Spiritus sancti officia, quam in sanctos ac electos eius conuitijs, istud iam auspicantes, non solum, vt diximus, viam aperiunt filio perditionis: verum etiam quasi inflatis tubis classicum canunt, & hinc inde ex antris suis Libertinos & Atheos omnes aduocant, & sub signis colligunt, vtque extremum bellum Apostolicæ doctrinæ inferant, pro viribus incitant, accendunt, atque inflammant. 6.

Dan. 7.

Apoc. 13.

MIN. Hoc nimium (eheu!) verum est. Nam posteaquam hi lepidi reformatores calamos & linguas suas eum in modum aduersus Apostolos acuerūt, subito exorti sunt viri, qui omni posito pudore ac Dei metu, quemlibet eorum quantis potuerunt ledorijs ac probris sunt persecuti: adeo vt etiam ipso Caluino referente, & in sinu suauiter ridente, Paulum appellauerint *vas fractum*: Ioannem, *iuuenem stolidulum*: Petrum, *Domini sui abnegatorem*; Matthæum, *fœneratorem*. Authores porro laudat Copinum ex insula, Quintinum, Picardum, Bertrandum Moletrinum, Claudium Perseualum, & Antoniū Pocquinum, quos asserit se Geneuæ, conspexisse. MIN. Et illic proculdubio, non à Deo, sed à tetro dæmone didicerunt huiusmodi conuitia, & aduersus Spiritum sanctum, Apostolorum doctorem atq; ductorem diabolica euomere sarcasmata, eademque ex concionibus, lectionibus, & libellis impurissimorum qui illuc degunt ministrorum & apostatarum deprompserunt. In eadem cathedra pestilentiæ & schola derisorum hos didicerunt sales; quibus inter Dei contemptores & filios huius seculi belluli & faceti videan- 7.

Instr. aduersus Libert. c. 3. 4.

Psal. 1.

videantur, interim dum his amarulentis iocis omnem Apostolicam doctrinam, omnem fidei pietatem, omnem religionem, in risum & contemptum corruptissimorum hominum exponunt. DOCT. Reuera superius recitatæ Caluini aduersus Petrum & Iacobum, Bullingeri aduersus Ioannem, Marlorati aduersus Paulum, aliorumque ministrorum aduersus quatuor Euangelistas calumniæ, multis modis atrociores & damnabiliores sunt, quam satyrica Libertinorum dicteria. MINIST. Et eam ob rem tam impia absurdaque ex superioribus erroribus consecuta incommoda, valentissimæ refutationis illorum apud cordatos viros locum obtinere mihi videntur. Nam si
Mat. 5. hi qui per iram fratribus dixerint RACHA, vel FATVE, digni sunt iudicio aut gehennæ ignis, quanto magis hi qui sanctissimis Dei legatis, Christi charissimis discipulis, amicis & fratribus, nostrorum autem omnium in spiritu pastoribus & parentibus, tam atroces inferunt contumelias? Nunquam profecto, Dathan, Core, vel Abyron aduersus Moysen, nunquam duo quinquagenarij aduersus Heliam, nunquam Bethelis paruuli aduersus Elisæum, vel Semei aduersus Dauidem tam fuerunt iniuriosi; ac proinde digni qui cœlesti vindicta plecterentur; quantum hi, si dijs placet, reformati Euangelij ministri, aduersus seruos Dei omnium fidelissimos atq; sanctissimos. Atq; de his iam mihi satis est.

Num 16. 4. Reg. 1. 4. Reg. 2. 2. Reg. 16. 3. Reg. 2.

8. DOCT. Sed fortasse alijs non ita: & idcirco expedit vlterius progredi, firmissimisq; argumentis palam facere, Apostolos sic in die Pentecostes in gratia diuina per Spiritum sanctum superuenientem confirmatos fuisse, vt deinceps nunquam permiserit eos aliqua culpa mortali, siue in doctrina, siue in moribus, corripi ac labefactari. Primo autem loco diligenter obseruãdum est, quod Christus his verbis Apostolis suis
Ioan. 14. pollicitus est: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletũ dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* MIN. Equidem dulcissima, simulque amplissima est ista promissio: quoniam nec semel, nec simpliciter, nec ad certum aliquod tẽporis spatium, adfirmat Spiritum sanctum dandum esse Apostolis, sed sic vt cum illis in æternum tanquam in templis, & sacrarijs suis mansurus & permãsurus esset.

A Ait enim: *Vt maneat vobiscũ in æternũ.* Nec his contentus superaddit: *Apud vos manebit, & in vobis erit.* Est igitur æque verũ & certũ, Petro, Iacobo, Ioanni ac reliquis Apostolis & Euangelistis Spiritus sancti præsentiam ac gratiæ efficaciam à die Pẽtecostes & deinceps vbiq; locorum atque temporum adfuisse: quam constans atque indubitatum est, Christum æternum Dei filium in verbis ac promissis suis fidelissimũ & verissimum esse. DOCT. His adde: Peccata mortalia, vel nefarios errores non magis posse cum Spiritu sancto consistere, quam densissimæ tenebræ cum clarissimo lumine, aut Belial cum Christo,
B aut denique iniquitas cum iustitia permanere. Quicunque ergo sanctissimos Apostolos à confirmatione sua in gratia, vel in moribus, vel in doctrina lethaliter aberrasse confingit, & Filium Dei magno accusat mendacio, vt Spiritum sanctum neglecti officij criminatur, & cœlum terræ, Satanicam quoque malitiam cum diuina gratia flagitiose commiscet.

MIN. Hæc quidem generalem Apostolorum in gratia confirmationem euidenter comprobant: verum eisdem intentatas à Caluinianis criminationes sigillatim discutiamus atq; repellamus. Si Christi gloriam, 9.
C & doctrinam eius de libertate Christiana oppressissent, simulque Gentes ab Ecclesiæ communione prohibuissent, quod hæreticus illis imponit, quo iure ille appellasset eos, non seruos, sed amicos & fratres suos? Certe non est amicorũ aut fidelium seruorum, sepelire gloriam heri sui: nõ est fratrũ, germanorum suorũ inuidere libertati: sicut nec legatorum, Regis sui ditioni sese addicentes præpedire, vt Apostolos fecisse insimulant. Si periculosis scãdalis Ecclesiæ vnitatẽ lacerassent, in ea potius luporum rabiẽ, quam Pastorum officiũ ac munus exercuissent. Pastor namq; oues colligit, & aberran- *Ioan. 15. Ioan. 20. Psal. 21.*
D tes reducit ad ouile: *lupus vero*, vt ait Dominus; *rapit & dispergit oues.* Quomodo etiam conscientias hominũ ad repudiandã Christi libertatẽ impulissẽt hi, qui tot labores, tot vigilias, tot peregrinationes, tot vincula, tot flagra, tot ergastula, tot cruces, tot gladios, tot flãmas, tot feras, tot mortes deniq; constanter subierũt, vt libertatem morte Christi partã, ac Euangelio descriptam toti mundo pdicarent, suaderent, inculcarent? Aut quomodo magis hominibus, quam Deo, placere conati essent hi, qui reliquerant patres, matres, cõiuges, liberos, domos, nauiculas, imo *Ioan. 10. Matt. 28. Marc. 16. Psal. 18. Rom. 10. Matt. 19.*

etiam

etiam proprias voluntates, vt illi penitus in-
seruirent? Qui propter nominis & numinis
eius propagandam gloriam facti sunt vt a-
gni inter lupos, ac oues occisionis? Vt mun-
Matt.10. di peripsema? Spectaculum mundo, & An-
Rom.8. gelis, & hominibus? Qui tyrannis constan-
1.Cor.4. ter respondebant: *Oportet obedire Deo magis*
Act.4.5. *quam hominibus*? Qui magnæ laudi ac gloriæ
ducebant, pro nomine eius contumelias pa-
ti? Impudentissimæ sunt igitur calumniæ, &
Satanica mendacia, quæcunque Caluinus
aduersus primum Apostolorum tam impu-
denter effutiuit.

10. DOCT. Nec magis vera sunt, quæ ad-
uersus beatissimum Apostolum & Euange-
listam Ioannem alij Ministri cum magno
blaterant sermone, furuntque. Nec enim est
verum nec verisimile, illum in tenebras ido-
lolatriæ aut apostasiæ incidisse, qui à verita-
tis magistro dictus est *lux mundi, & sal terræ.*
Mat.5. Qui discipulus Christi fuit inter omnes ma-
Ioan.13.21. gis dilectus, *qui in Cœna recubuit super pectus*
Ioan.19. *eius*, qui acerbissimæ passioni eius non de-
fuit, qui Matrem domini in suam curam re-
cepit, quique vt omnem ex animis homi-
num idololatriam extirparet, veram autem
Tertul. lib. veri Dei agnitionem & adorationem inse-
præsc. reret; in feruentis olei dolium immissus, ad
Metaphr. toxicum damnatus, denique in pestilentissi-
mam insulam exilio relegatus est: Qui inter
Euangelistarum adumbrationes, propter
Ezech.1. diuinas reuelationes, contemplationes, &
Apoc.4. sententias, cum aquila est comparatus; & to-
tius vetustatis consensu per excellentiam
Theologus nominatus?

11. Sed quis in orbe Christiano natus ac edu-
Act.9. catus toto corde non execrabitur probra,
1.Tim.2. quibus tam petulanter tamq; præfracte Vas
Gal.2. electionis, Doctorem gentium, Tubam Eu-
2.Cor.13. angelicam, Paulum dico, in quo Christus
Iesus & viuebat & loquebatur, vestri Mini-
stri vexant atq; proscindunt? Quo putas eos
illaqueari sacrilegio, cum vociferant *eum ho-*
minem fuisse Epicureum, profanum, ac maximum
Philip.21. *Dei contemptorem*, cuius vita & morte glorifi-
2.Cor.4. catus est Deus? Qui omni hora periclitaba-
tur, & in mortẽ tradebatur propter Iesum?
MIN. Certe insaniæ ac rabiei extremæ est,
2.Cor.12. scribere, illum *à rebus spiritualibus abhorrere*,
qui raptus in tertium cœlum, audiuit arcana
Galat.1. verba quæ non licet homini loqui. Qui Eu-
1 Cor.9. angelium non didicit neque ab homine, ne-
Galat.6. que per hominem, sed per reuelationem Ie-
Philip.3. su Christi. Qui assidue corpus suum castigãs
in seruitutem redigebat: qui conuersationẽ

A suam locaret in cœlis: cuiq; mundus cruci-
fixus erat, & ille mundo. Qui tam arcte Deo
adhærebat, vt neq; mors, neque vita, neque
Angeli, neq; principatus, neq; creatura ali- Rom.8.
qua posset eum separare à charitate Dei.

DOCT. Totius etiam Euangelij maie- 12.
statem imminuunt, & veritatem in graue su-
spicionem falsitatis adducunt ij, qui alicuius
inconstantiæ, perfidiæ, infidelitatis, aposta-
siæ, aut prophetiarum deprauationis tam te-
mere, quam nefarie quosdam Euangelista-
rum insimulant: quod tamen Caluinum fe-
cisse superius demonstratum est. MIN. Tan-
B ta hæc mihi videtur impietas, ac in Spiritum
sanctũ, qui per hos & scripsit & locutus est,
blasphemia, vt potius suppliciis à Magistratu
decretis castiganda sit, quam prolixioribus
Theologorum argumẽtis refutanda. Enim-
uero Christus eis dixit: *Qui vos audit, me au-* Luc.10.
dit: & qui vos spernit, me spernit. Et qui me spernit,
spernit eum qui me misit. Et rursum: *Dabo vobis* Matt.10.
os & sapientiam, cui contradicere & resistere non
poterunt aduersarii vestri. Non vos estis qui loqui-
mini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.
Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, &c. Non Ioan.20.
possunt itaque illos Sectarij arguere, ac cu-
iuscunque vitij damnare, quin eundem Spi-
C ritum sanctum, eundem filium Dei, eundẽ-
que patrem omnipotentem ac omniscium,
simul reprehendant, coarguant, & damnẽt;
qui eos elegit, inspirauit, probauit, & misit in
hunc mundum, cunctisque mortalibus præ-
cepit vt eis omnino velut sibi ipsi obaudirẽt
atque crederent. MIN. Non est dubium in-
iurias Legatis principum illatas, in Dominos
resilire quorum personas referunt: atq; ita
omnes Caluini contumeliæ in Matthæum
& Marcum, obtrectationes in Lucam & Io-
annem totidem sunt iniuriæ in æternum
Dei filium qui eos ablegauit effusæ.

DOCT. Præterea, si quis vt decet attente 13.
D meditatus fuerit feruentes illas preces, quas
instante morte, Christus illorum nomine
patri suo fudit, nunquam profecto tot tan-
tarumque iniquitatum, vt faciunt Caluinia-
ni, illos accusabit; præsertim postquam in
gratiam recepti, in eaque confirmati fuerũt.
Ait enim sanctissimus Dei filius: *Pater, rogo te* Ioan.17.
pro his, quos dedisti mihi: nam tui sunt, & eos mihi
dedisti Pater sancte serua eos in nomine tuo, vt sint
vnum sicut & nos vnum sumus. Non rogo, vt tol-
las eos de mundo, sed vt serues eos à malo. Sanctifica
eos in veritate. Sicut tu me misisti in mundum, ita
& ego eos misi in mundum. Pro eis sanctifico me-
ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.
Ego

Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnū, & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos sicut & me dilexisti, &c. MIN. Diuinæ profecto orationes, & summo amoris ardore affectuque plenissimæ: quæ corda etiam ferrea emollire, & adamātina frangere possent. Nec ambigo quin Pater cœlestis, tam demissas ad se dilecti filij sui preces plane exaudierit: cum præsertim alibi dicat, *Pater, scio quod semper me audis*: & Paulus adfirmet, *eum exauditum esse pro sua reuerentia.* Atque ita Apostoli per solennem Spiritus S. in eos aduentum, sic fuerunt Dei Patris custodia paternaq; solicitudine ab omni malo seruati, vt in nullum lethale delictum siue in moribus, siue in doctrina sint deinceps prolapsi. Etenim cum fuerint à Patre seruati, Satanæ fraudibus patere & subiacere non potuerūt. Deinde, cum fuerint vnum, videl. fide doctrina, & animo: impium est q̄ fingit Caluinus; *Petrum doctrinæ Pauli derogasse.* Rursum, si seruati sunt à malo, atq; sanctificati in veritate; certe nefarium est illos *vel apostasiæ, vel idololatriæ, vel perfidiæ*, vel cuiuscunque alterius lethalis criminis insimulare. Postremo, si Christus semper in eis; seipsumque Deo patri consecrauit, vt & Apostoli vere sancti essent; denique Pater cœlestis dilexit eos, sicut & Christum dilexit; nullus nisi palam impius poterit illis *stolidam indulgentiam, superstitiosum zelum, perniciosa scandala, schismata*, aliave grauissima delicta obijcere. Quocirca euidentissimum est in Caluini verba iurantes ministros ac Prædicantes, Christi Iesu superiores preces tot efficere contumelijs, quasi omnino fuissent inanes & vanæ; quot superioribus criminationib. peccata mortalia beatissimis tribuunt Euangelistis & Apostolis, posteaquam signis visibilibus immensa Spiritus sancti gratia fuerunt perfusi.

Ioan.11. Heb.5. Act.2.

14. DOCT. Hoc vltimum orationis membrum prudenter & scite addidisti, quoniam ante magnificam illam sancti Spiritus in eos effusionem, quidam illorum grauissime sane deliquerant, vt Petrus trina negatione, Thomas incredulitate, cæteriq; concertantes quis eorum futurus esset maior, & cum scandalo Dominū initio passionis deserentes: quoniam nondum erant induti virtute ex alto. Hinc & præclare Cyrillus: Nondum inerat Apostolis, ne cadere possent, q̄ postea superiore virtute roborati, id est Spiritus S. gratia muniti, habuerunt. Quod & Dominus eisdem promiserat dicens: *Baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies.* MIN. Firmissimum sane confirmationis Apostolorum in gratia Dei argumentum: quo omnino ex scriptura & Patribus docemur, illos deinceps in nullum delictum mortale cecidisse. Sed quis, qualisve fuerit iste baptismus Apostolorum in Spiritu sancto, velim ex sanctissimis Patribus audire.

Luc.24. L.9.in Io. c.29. Act.1.

15. DOCT. Ex antiquissimo & doctissimo sacrorum Ierosolymorum Patriarcha Cyrillo iam disces. Non est ista gratia ex parte, inquit, sed perfecta virtus. Vt n. is qui mergitur in aquas & baptizatur, vndique ab aquis circundatur: sic & illi à Spiritu baptizati sunt perfecte. Sed aqua quidem exterius circundat: Spiritus autem interiorem animam abluit incomprehensibiliter. Et quid miraris? Accipe exemplum corporeum. Si ignis per ferri spissitudinem interius transiens, totum efficit ignem, & frigidum fit feruens, & nigrum fit lucidum: quid miraris si Spiritus S. in animæ interiora ingreditur? Ne autem tantæ gratiæ descendentis lateret magnitudo, tanquam tuba cœlestis intonuit: *Repleuit totam domum vbi erant sedentes.* Facta est receptaculum spiritalis aquæ illa domus: Discipuli intus sedebant, & domus vniuersa repleta est. Baptizati ergo sunt sine vllo defectu, secundum promissionem. Induti sunt in animo & corpore diuino & salutari indumento: *& apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis: & repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Ignem non vrentem accipiebant, sed salutarem ignem comburentem delentemque spinas peccatorum, animam autem illuminantem. Hæc Cyril. ex quibus facile conspicis, nomine Baptismi, quo Christus Apostolos suos in die Pentecostes abluit, significatam fuisse perfectam amplissimamq; illam Sp.S. gratiam, qua illorum animæ modo ineffabili fuerunt circumunitæ; ipsiq; redditi adeo toti ignei, feruentes, ac lucidi effecti, vt iuxta Christi promissionem, deinceps essent sine defectu siue loquerentur, siue scriberent, siue quid aliud Apostolici muneris exercerent.

Catech.16 Actor.2. Luc.24.

16. Acceperant quidem antea eiusdem Spiritus sancti aliqua dona in Circumcisione, Baptismo, prima missione, & ordinatione, Domino insufflante ac dicente, *Accipite Spiritum sanctum, &c.* sed in die Pentecostes tāta vbertate & copia gratiarū eius perfusi sunt, & amore Spiritus S. repleti, sanctificati, atq; regenerati; vt in homines prorsus spirituales, diuinos, cœlestes, & per gratiam impeccabiles

Luc.9. Matt.10. Ioan.20.

cabiles euaserint: adeo vt omnes vnius eorum ore vere dicere possent: *Nostra conuersatio in cœlis est.* Item: *Viuo ego, iam non ego: viuit autem in me Christus. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Iam non sumus hospites & aduenæ; sed sumus ciues sanctorum, & domestici Dei, &c. Mortui sumus peccato, & consepulti cum Christo; & quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulamus. Nihil ergo damnationis est in nobis, qui sumus in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulamus. Quia sumus Christi, carnem nostram crucifiximus cum vitiis & concupiscentiis, &c.* Iam quæro, quomodo per tot dona Spiritus sancti, virtutumque præsidia Satanas omnium vitiorum author & princeps irrupisset? Potuisset ne aut occultis fraudibus, aut vi aperta eundem Spiritum Domini è suis templis depellere?

Phil. 3. Gal. 2. 2. Cor. 13. Ephes. 2. Rom. 6. Rom. 8. Gal. 5.

17. MIN. Certe eiusdem Spiritus sancti infestos hostes esse se manifestant, qui tot innocentiæ ac cœlestis conuersationis Apostolicæ contemptis testimonijs, eosdem superius commemoratis criminibus accusant. Sed si quod habes adhuc Veterum in hanc rem testimonium, illud te quæso proferas: nam horum sententijs valde delector. DOCTOR. Athanasius magnus explicans quid his contulerit Spiritus S. scribit: Enimuero virtus ista Altissimi descendit, vt contra omnem aduersariam virtutem vigerent, idéoque Spiritus superuenit essentialiter, cum omnibus suis dotibus, vt efficaciam acciperent omnibus signis, prodigijs, & portentis ad confirmandam, certamque & indubitatam reddendam promissionem Christi. MIN. Si contra omnem virtutem aduersariam viguerunt, clarum est, quod nec communibus nostris sordibus, nec peruersa cõfidentia, nec temeritate, nec Dei contemptu, nec carni prorsus addicti fuerunt, velut de Paulo Marloratus improbe comminiscitur.

In Euang. de sanctiss. Deipara.

18. DOCT. De iisdem rursum ait Cyrillus Ierosol. Christus tantam exhibuit Discipulis gratiæ Spiritus sancti abundantiam, vt non modo ipsum Spiritum S. in seipsis haberent: sed per manuum impositionem ipsorum, participationem ipsius credentibus traderent. Paulo post illos cũ veteribus prophetis comparans inquit: Non pudeat te Apostolorum: non n. sunt Mose deteriores, neq; Prophetis inferiores, sed boni cum bonis, & bonis meliores. Elias assumptus est in cælum: sed Petrus habet claues regni cœlorum. Elias in cælum tantum: Paulus autem & in paradisum raptus. Decebat enim Christi discipulos ampliorem gratiam capere. MIN. Profecto cum omnibus modis Prophetis fuerint meliores, oportuit eos nec docẽdo, nec viuendo, nec scribendo vlla in re mortaliter aberrare: alioqui ampliorem gratiam non fuissent consequuti.

Catech. 14. Act. 8. 10. 19. 4. Reg. 2. Matt. 16. 2. Cor. 12.

DOCT. Porro, si de vnius Pauli laudibus amplissimam cupias commendationem, Chrysostomi de hac re cõscriptas homilias legito: comperies certe illum longe maiore reuerẽtia & honore à sancto & vetere Theologo excipi, quam à profanis & nouitijs istis ministris vestris. Non enim eũ solum ab eorum sycophantijs superioribus expurgat; sed & tot tantisque virtutibus ornatum fuisse demonstrat, vt etiam multis in rebus Angelis ipsis superior & potior euaserit. 19. Chrysost.

MIN. Iam hæc mihi sufficiunt: quandoquidem etiam apud eundem legam, in summis discriminibus & tentationibus dictum sibi fuisse à Domino: *Sufficit tibi gratia mea.* Gratia igitur sic eum & coapostolos omnes præueniebat, comitabatur, & subsequebatur, vt eius efficacia omnibus peccatis lethalibus superiores essent: hoc enim decebat eos, quos filius Dei constituerat *sal terræ, lucem mundi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Hacque freti gratia & dignitate, vere dicere potuerunt: *Legatione pro Christo fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, &c.* Quare vt paucis hanc disputationem absoluamus, de illorum scriptis ac rebus gestis non aliter sentiendum aut loquendum est, quam de mundissimis organis Spiritus sancti, perfectisque imitatoribus Christi Iesu. Et quicunque aliter senserit, erit mihi tanquam Ethnicus & Publicanus.

20. 2. Cor. 12. Matt. 5. 1. Cor. 3. 2. Cor. 5. Ephes. 6.

SPIRITVM SANCTVM EXIMIAM efficaciam virtutemque communicare tam verbo Dei, quam Ecclesiæ Sacramentis: aduersus 46. & 47. Caluinianorum hæresin.

CAPVT XIV.

DOCTOR.

Spectabilis vester Beza paucis admodum verbis duos rursum complectitur errores contra officia Spiritus sancti, pernegans eum aliquam virtutem communicare aut verbo Dei, aut per Christum institutis ac

Eccle-

Ecclesiæ Catholicæ traditis Sacramentis. A Sic enim in fidei suæ Confessione loquitur:
Conf. pūct. 4. art. 4. 34 *Spiritus sanctus ita verbo & sacramentis vtitur, vt illis suam non communicet virtutem.* Et postea: *Spiritus S. duobus modis ordinariis vtitur, quibus tamen suam non impertit virtutem: sed his operatur ad creandam in nobis fidem.* Sic enim ad verbum Gallica eius scripta reddimus. Quid de primo articulo sentis?

Confut. 1. MIN. Sentio Bezam turpissime secum pugnare. Nam peritum paulo superi⁹ simulans chirurgum, contra scripserat: *Spiritus prædicatione Euangelij vulnera purgare, quæ Legis prædicatio in nobis detexit: in nobisque donum fidei creare.* Si verbo Euangelico Spiritus purgat; B insuper, fidem creat in animis humanis, aliquam sane eamq; secretam & maximam sanandi & creandi virtutem eidem impertit: alioquin illud esset prorsus inane atque superfluum. Quemadmodum ergo Sole illustrat, igne fouet, aqua refrigerat, pane nutrit, vinoq; potat mortalia corpora nostra, quadam corporea vi ac communicata reb⁹ illis efficientia: ita cum animas & sanat & fide donat verbi diuini prædicatione, quandam vim spiritalē illi tribuat necessum est.

2. Io. 6. v. 63. Sed & Caluinus velut Bestiæ suæ insipientiam castigans & damnans, in horum verborum Christi, *Spiritus est qui viuificat, caro* C *non prodest quicquam. Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt,* explicatione, arcanam viuificandi virtutem verbis Euangelicis per Spiritum sanctum dari palam agnoscit, dum scribit: *Quia de arcana spiritus virtute loquutus erat, eleganter hoc ad doctrinam suam transfert, quod spiritualis sit. Porro spiritualis vocatur sermo qui nos sursum inuitat, vt Christum duce spiritu, in cœlesti gloria sua quæramus. Vitam ab effectu nominat sermonem suum quasi viuificum, &cæt.*

3. In 1. Cor. c. 14. v. 24. Alibi rursum magnifice loquens de verbo Dei communicata dataq; efficientia, ait: *Verbum Dei vsque in vltimos animi recessus penetrat, & quasi illato lumine tenebras discutit, & excutit mortiferum illum torporem, quo torpent hominum conscientiæ, ne malorum suorum displicentia tangantur, quandiu ignorantiæ tenebris sunt obuolutæ.* Vnde vero tanta vis ac energia in verbo, vt non modo aures feriat, vel demulceat; sed etiam intimos animæ recessus
Psal. 67. peruadat, collustret, commoueat, nisi à Spiritu diuino, qui dat verbum Euangelizantibus virtute multa? An nō ergo expresso Dei verbo, insuper & præceptoris sui iudicio impietatis conuictus est Beza, inquiens Spiritum sanctum verbo Dei suam non communicare virtutem?

Vt vero peramplius coarguatur, verbiq; virtus constantius defendatur, id tantum Bezæ mihi dicendum videtur, quod olim Christus cacodæmoni: *Vade retro satana. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Si ergo verbum Dei vitam confert mortalibus, maxima cum virtute communit Spiritus S. Atqui domin⁹ palam adfirmat Prophetas cæterosq; verbi sui præcones, velut os suum esse, quo nobiscum loquens patefacit voluntates suas. Isaias enim absoluta concione sua, palam adfirmat: *Os domini loquutum est:* Vere etenim illi, vt & Ieremiæ, dictum fuerat à Domino: *Ecce, dedi verba mea in ore tuo.* Et rursum: *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meū eris, &c.* certe perspicuum est verbum Dei non esse tam euanidum ac imbecillum, vt Beza confingit. 4. Mat. 4. Isa. 1. 40. 51. 58. Ier. 1. 5. 6. 15. 25.

Sed & idem Spiritus Bezæ vesaniam ac impudens mendacium increpando clarissime personat: *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petras?* Et rursum ingentes vtilitates eius referens ait: *Quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur; sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit & dat semen serenti, & panem comedenti. Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunq; volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Qua potuisset concinniori re verbi maximam potentiam ostendere, quam malleo durissimas petras cōterente, ac igne omnium elementorum efficacissimo? Aut qua magis aperta & vulgata similitudine idipsum ruditati nostræ intimare & inculcare, quā aquæ de cœlo cadentis & terram vt innumeros fructus adferat, fœcundantis? Ad id etiam mihi pertinere videtur, quod Christus idem verbum suum comparat cum aqua viua, & fonte sa- D liente in vitam æternam. Hac enim metaphora satis indicat, verbum suum pios auditores ac discipulos eius illuminare, purgare, sanctificare, viuificare, ac demum glorificare. 5. Ier. 23. Isa. 55. Ioan. 4. 7.

6. DOCT. Paucis admodum sed grauissimis verbis multas virtutes effectaq; miranda complexus es, quæ verbo Dei à Spiritu S. tribuuntur. Nam per hoc ille corda nostra tanta fidei luce collustrat, vt in diuinæ maiestatis, ac perfectionum, proprietatum, iudiciorum, atque decretorum illius certissimam cognitionem subuehat, ac velut in sa-

crarium eiusdem tametsi adhuc super ter-
ram sicut repentes vermiculos, perducat.
Psal.18. *Lex Domini*, inquit Dauid, *illuminat oculos, sa-*
Psal.118. *pientiam præstat paruulis*. Et rursum: *Declaratio*
sermonum tuorum illuminat. Lucerna pedib. meis
verbum tuum: & lumen semitis meis. Da mihi in-
tellectum secundum verbum tuum. Reuela oculos
Ioan.5. *meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Hinc
filius Dei excæcatos Iudæos ad scrutandum
verbum Dei scriptum remisit, vt illinc testi-
monia de Messiæ aduentu clarissima in sei-
pso completa cernerent & desumerent. Sese
igitur omnibus his opponit Beza, affirmans
Spiritum sanctum nihil virtutis aut efficaciæ
verbo Dei concedere.

7. Præclare quoque secundo loco dixisti,
Spiritum S. verbo Dei purgandi vim contu-
lisse: siquidem intellectum humanum ab er-
roribus, voluntatem à prauis desideriis, me-
moriam à iudiciorum & beneficiorum di-
uinorum ingrata obliuione, adeoque totam
animam ab innumeris sordibus potentissi-
me repurgat & mundat. Nã verbo à se præ-
dicato hanc efficaciam adscribens Christus
Ioan.15. ait ad Apostolos suos: *Iam vos mundi estis pro-*
pter sermonem, quem locutus sum vobis. MIN.
Et ego certe non video quibus aliis artibus
Apostoli, Discipuli, Martyres, Patres, innu-
merabiles populos ab omnibus idololatriæ,
aliorumque delictorum fœtoribus emun-
darint, nisi assidua feruentique diuinorum
Ioan.9. verborum prædicatione: quod adumbra-
Matt.8. tum in cæci nati, leprosorum & aliorũ lan-
Luc.17. guentium curationibus, multi Theologi
constanter docuerunt. Nam vt hi simplici
ad se facto verbo Christi magna fide cre-
dentes, ilico mundatos se esse senserunt: sic
& Gentes idolorum immunditijs deditæ
mox vt verbum Dei auribus & animis exce-
perunt, à Spiritu sancto illustratæ atque mũ-
dæ factæ sunt. Non quod in se, aut ex se, tan-
tum virtutis ac efficaciæ habeant voces ho-
minum linguis prolatæ: sed quod his Spiri-
tus sanctus tanquam viuis organis ac instru-
mentis suis velit vti ad hominum sanctifica-
tionem. Ideo enim volunt Paulum de Ec-
clesia ex Gentibus potissimum collecta di-
Ephes.5. xisse; quod *Christus eam mundauit lauacro aquæ*
in verbo vitæ.

8. DOCT. Tertiam verbo diuino per Spi-
ritum sanctum datam virtutem in eo consi-
stere docuisti, quod animos hominum iusti-
ficet. Enimuero cum per illud de peccato-
rum nostrorum grauitate, suppliciisque eis
debitis monemur; deinde etiam de horum

A remissione per Christi Passionem & mor-
tem nobis parta & oblata adhortationes a-
nimis excipimus, confestim vt ab illis iusti-
ficemur & liberemur contendimus atque
festinamus. MIN. Hoc ipsum profecto ser-
monis sui obseruatoribus Christus pollice-
tur, cum dicit: *Si quis diligit me, sermonem meũ* Ioan.15.
seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ve-
niemus, & apud eum mansionem faciemus. Et A-
postolus certiores nos reddit, *factores verbi* Rom.2.
diuini iustos esse apud Deum.

DOCT. Viuificandi quoque vim verbo 9.
Dei recte tribuisti: siquidem Christ⁹ diserte Ioan.8.
dixit: *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem* Luc.7.
B *non videbit in æternum.* Etenim vt verbo suo Luc.8.
Adolescentem in porta Naim, filiam archi- Ioan.11.
synagogi, & Lazarum à morte reuocauit in Ioan.5.
vitam: sic tandem aliquando fiet, vt omnes
mortui audiant vocem Filij Dei, & viuent.
An non ergo omni ratione, fideque destitu-
tum se fuisse ostendit Geneuanus hæresiar-
cha, cum illud omni virtute ac spiritus effi-
cacia destituit?

Rursum, Moyses & Dauid referentes Deũ 10.
(cuius nomine æq; spiritus, ac filius & pater Gen.1.
comprehenditur) omnia verbo suo condi- Psal.32.
disse, quantam illi quæso te, efficaciam ad- Heb.11.
scribunt? Cumque Dominus noster solo
C verbo leprosos mundauit, cæcos illumina-
uit, claudos, paralyticos, surdos, mutosque
curauit, dæmones profligauit, mare ac de-
cumanos fluctus eius tranquillauit, mor-
tuosque reuocauit ad vitam, an non omni-
potentissimo verbo suo hæc patrauit? Quo
igitur ore, qua fronte, audet Beza scribere,
spiritum diuinum nullam verbo Dei virtu-
tem communicare? An non etiam eodem Ioan.18.
verbo Iudæorum in se irruentem cohor-
tem terruit, deiecit, prostrauit? Saulum mi- Act.9.
nas & cædes in Christianos spirantem, eius-
dem virtute coercuit, fregit, & in alium
prorsus virum conuertit?

D Quantæ etiam virtutis ac potentiæ ver- 11.
bum Dei esse prædicauerit Apostolus, vel ex
hoc vnico eius testimonio aduersus Bezanã
impietatem collige. *Viuus est sermo Dei*, in- Heb.4.
quit, *& efficax, & penetrabilior omni gladio anci-*
piti: & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac
Spiritus, compagum quoque ac medullarum, &
discretor cogitationum & intẽtionum cordis. MI-
NIST. Tam clara certaq; de verbi diuini ef-
ficacia disputatio satis ostendit, illud impu-
ne non posse cõtemni. Deinde, docet Deum
per illud tanquam propria voce sic agere
nobiscũ, vt omnes interiores sensus nostros
afficiat,

afficiat, adeo vt nulla sit nostri corporis vel animæ facultas, quæ non eius virtute percellatur. Hoc exemplo suo comprobauit Adam, cum audita in horto voluptatis voce diuina, non est ausus consistere, sed in abditissimas fugit latebras, ex quibus vi extractus dixit: Audiui vocem tuam & timui. Et Apostolus testatur, quod Deo Moysi loquente, dixerit idem Moyses. *Exterritus sum & tremebundus.*

Gen. 3. *Heb. 12.*

Et reuera hic ipse gladius est vtraque parte acutus, qui ex ore filij hominis procedit: cuiusque virtute muniti Apostoli totum orbem vicerunt, expugnarunt, & Christi crucifixi legibus subiecerunt. Hic gladius Spiritus quem assumere Paulus hortatur, vt possimus resistere in die malo, & constanter stare aduersus insidias diaboli. Hic murus ahæneus, quem sanctissimi Patres omnibus hæreticis & schismaticis opposuerunt, vt & Christus Dominus quondam Satanæ impressionibus obiecerat. Hoc totius fidei ac doctrinæ Christianæ firmissimum ac tutissimum fundamentum. Hoc denique vere dicitur forma omnium Sacramentorum, bonorum operum regula, electorum perfugium, afflictorum solatium, hostium Christi terror, quo etiam ipse Antichristus tandem conficiendus est. Atque hæc sufficiant pro asserenda diuini verbi multiplici maximaque virtute, aduersus Bezæ insaniam: nunc de Sacramentis à Spiritu sancto communicata vi ac energia dicamus.

12. *Apo. 1.* *Mar. 16.* *Ephes. 6.* *Mat. 4.* *Isa. 11.* *2. Thess. 2.*

SPIRITVM SANCTVM MAXIMAM saluberrimamq; Sacramentis Ecclesiæ Christianæ contulisse virtutem: aduersus Bezæ inficiationem.

CAPVT XV.

MINISTER.

Confut. 1.

EXordiar ego, & ex ipso Beza contra Bezam & asseclas eius probabo, Spiritum sanctum ingentem vtilemque Sacramentis indidisse virtutem: atque sic eum eiusdem Spiritus sancti veris effectis ac officiis nimis præfracte sese opponere commonstrabo. Scribit enim in confessione fidei suæ, *Se non posse satis efferre dignitatem, vsum legitimum, & fructus qui à Sacramentis procedunt. Ea vere esse stillicidia & conductus, quibus DEVS in cordibus suorum gratiam suam infundit.* Caluinus insuper fatetur Sacramentis quandam inesse cõmunicatam efficaciam, cum ait: *Verbum Dei annexum Sacramento, externa ceremonia vitam conferre.* Ex quibus ita mihi ratiocinari liceat. Si tantus Poeta, Rhetor, Theologus, diuinique verbi præco, qualis Beza vult haberi, non potest verbis satis efferre fructus Sacramentorum; oportet sane illos adeo multiplices, copiosos, & abundantes esse, vt nullus eos valeat percensere numerando. Sed hoc qui fieri potest, si nullam eis virtutem Spiritus diuinus communicat? Vnde tanta eorum dignitas, si omni virtute cœlesti sunt destituta? Vnde vita, visque viuificandi eorum, nisi à Spiritu sancto, qui per illa operatur?

Ex confut. pũct. 4. art. 35. & pũct. 5. art 27. vt Gallica Latine ad verbum reddimus. *In c. 3. Luc. v. 3.*

2\. Aut existimarent eum qui per impurum os Balaam Israeli benedixit, per proditorem Iudam multos tinxit & sanauit, per Caipham prophetauit, & per hominem reprobatorum ministerium immundos spiritus expulit ex corporibus obsessorum; aut non posse, aut non dignari quandam diuinis Ecclesiæ Sacramentis efficaciam conferre? Eum qui per virgam Moysi tanta in Aegypto edidit miracula, mirabilia fecit in terra Cham, terribilia in mari rubro; per maxillam aridam Samsoni potum suppeditauit; arcæ præsentia Ierichuntinos muros disiecit, Iordanem siccauit, solidum Accaronitarum idolum contriuit, aut nolle, aut non posse, aut non dignari aliquantum copiosissimæ virtutis suæ Sacramentis à Filio Dei institutis & traditis impartiri?

Num. 24. *Luc. 10.* *Ioan. 11.* *Matth. 27.* *Exo. 6. 7. 8.* *Psal. 105.* *Iudic 15.* *Iosu. 2.* *1. Reg. 5.*

3\. Minus efficere per aquam Baptismi in animabus nostris, quam per aquam Iordanis, qua Naaman Syrus corpore à lepra curatus est? Aut minorem vim habitura sit vnda regenerationis in paruulos, quam aqua zelotipiæ in fœminas, quæ se adulterij contaminarant? Profecto si Angelus descendens in piscinam probaticam, eamque commouens & turbans, tantam ei vim conferebat, vt qui prior in eam descendisset, sanus euaderet à quacunque detinebatur infirmitate; nemini dubium quin Spiritus diuinus longe potiorem sanandarum animarum virtutem sacro Baptismi lauacro tribuat. Denique, si fonti Siloe concessit, vt cæco nato visum restitueret, cur non dabit fonti Baptismatis, super quem sanctissimæ Trinitatis facta est sacra solennisque inuocatio, vt animas à delictis omnibus expurget? Certe quo veritas figuris ac cunctis adumbrationibus est præstantior; superiores autem aquæ Baptismi sacrum lauacrum præsignauerunt; certum est huius vndæ ac immersioni maximam à Spiritu sancto virtutem concessam fuisse, quicquid

4. Reg 5. *Num. 5.* *Ioan. 5.* *Ioan. 9.* *Tertul. l. de Baptism.* *Naz. orat. in sanct. lau.* *Basil. lib. de Baptis.* *Greg. Nyss.*

quicquid è contrario demurmuret Beza. A

4. DOCT. Hæc perspicua & certa sunt: verum rem si placet, propius discutiamus, & virtutem quam singulis tribuit Sacramentis breuiter explicemus. Cum enim Dominus adfirmat nos ex aqua & Spiritu S. sic renasci, vt tanquam filij ac hæredes intremus in regnum Dei; Paulusq; aperte doceat, *Ecclesiam sanctificari atq; mundari lauacro aquæ, in verbo vitæ*; quod etiam alibi vocat *lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S.* Petrus deniq; asserat nos *saluari per Baptismum, sicut octo quondam saluati fuerunt per arcam*, maximam proculdubio virtutem mundandi & saluandi efficaciam docent traditam esse huic omnium Sacramentorum primo. De hoc ante mille & ducentos annos scripsit Cyrillus Ierosolym. Per Baptismum soluitur mortis stimulus. Descendis quidem in aquam ferés peccata, sed gratiæ inuocatio signans animã non permittit deinceps ab horrẽdo illo submergi dracone. Mortuus in peccatis descendisti, & ascendis viuificatus in iustitia. Insitus factus es similitudini mortis Saluatoris, etiam resurrectione dignus efficeris. Ante Baptismum aduersariis reluctari non audebas: accepta vero gratia, deinceps confidens armis iustitiæ, decertato; & si vis, etiam Euangeliza. Si simulatam non habueris religionẽ, descendet in te Spiritus S. Vox etiam tibi paterna desuper intonat, quod nunc per adoptionem sis filius Dei. Hæc ille de mirandis Baptismi effectis: qui & alibi etiam de spiritali eo charactere, quo ibidem signamur, sic loquitur: Spiritus sanctus hic paratus adest obsignare animam tuam, & dare tibi signaculum, quod dæmones tremunt, cæleste quoddam & diuinum, sicut scriptum est: *In quo etiam credentes signati estis Spiritu sancto promissionis*. Spiritus sanctus simul inuisibilia magna efficit. Hactenus Cyrillus, hæresin Bezanam plurimis ante seculis coarguens quam nata esset.

Ioan.3. *Ephes.5.* *Tit.3.* *1.Pet.3.* *Catech.3.* *Catech.17.* *Ephes.1.*

5. Quanta vero per sacramentum Confirmationis idem Spiritus in animis piorum hominum operatus sit, non est opus multis comprobare, quando toties Scriptura referat Apostolos per manuum impositionem dona eiusdem Spiritus non tantum externa & visibilia, verum & interna spiritaliaque contulisse. *Imponebant manus super illos*, inquit, *& accipiebant Spiritum sanctum.* Et Paulus de spiritali gratia scribit ad Timotheum: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum mearum.*

Act.8.9.10.13.19. *1.Tim.4.* *2.Tim.1.5.*

De sanctissimæ Eucharistiæ virtute ac efficacia, quid amplius & magnificentius dicere possemus, quam quod ipsemet Dei Filius ait, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo: & ego resuscitabo eum in nouissimo die? Panis Dei est qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo? Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum? Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam? Qui manducat me, viuet propter me?* Paulus quoque de eodem ait: *Quotiescunque manducabitis panem hunc; & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat:* Ex quibus cunctis peruium est, digna B Eucharistiæ participatione nobis per Spiritum offerri planeque conferri tam intimam cum Christo vnitionem, vt tanquam viua veraque membra corporis eius eidem inhæreamus; ipse cum donis suis nobiscum maneat, & nos cum illo maneamus; summum passionis eius beneficium grata commemoratione celebremus, eiusdemque meritorũ efficiamur participes; denique (vt innumeros alios fructus prætercam) futuræ gloriæ, beatæq; resurrectionis sanctorum tandem aliquando simus consortes. An non ergo Beza vere monstrosissima bestia reputandus est, affirmans nihil virtutis aut efficaciæ C Sacramentis à Spiritu sancto communicari. 6.

Ioan.6. *1.Cor.11.* *Irenæ. l.5.* *Tert. lib. de resur. carn.*

MIN. Quoniam longum esset singula percurrere, mihi factum satis putabo, si quorundam veterum Patrum testimoniis efficacias Spiritum sanctum omnibus Sacramentis adesse, & his iustitiam & salutem nostram operari. DOCT. Nec me labor iste grauabit. Atque in primis Tertullianum virum omnium iudicio antiquissimum, & doctissimum tibi propono. Is quatuor Sacramentorum, videlicet Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, & Vnctiones mirabiles effectus his verbis perstringit. Caro abluitur, vt anima emaculetur. D Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro signatur, vt & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur. Iam vero emaculari, consecrari, muniri, atque illuminari, manifestum est opus Spiritus sancti: certum est igitur potenti magnaque virtute illum per Sacramenta operari. 7.

L. de resur. carn. cap. 8.

8. Cyprianus Martyr nulla re Tertulliano præceptore suo inferior, Sacramentis tantam vim adesse docet, vt per Baptismum ani-

Epistol. ad Donatum.

mo

mo ac mente homo renouetur, superioris æui labes detergatur, & lumen desuper infundatur, Spiritu cælitus adueniente.

9. *Li. 1. Pæda. cap. 6.* Clemens Alexand. superioribus æqualis, vocat Baptismum, lauacrum, per quod peccata abstergimus; gratiam, qua remittuntur pœnæ peccatis debitæ; illuminationem, per quam salutarem lucem intuemur; & perfectum, cui nihil deest.

10. *L. de Bapt.* Gregorius Nyssenus appellat quoque illud Sacramentum, peccatorum expiationem, remissionem delictorum, & caussam renouationis & regenerationis nostræ.

11. *Lib. 2. in Ioan. c. 42.* Cyrillus Alexand. de eodem scribit: Quemadmodum viribus ignis aqua intensius calefacta, non aliter vrit quam ipse ignis: sic Spiritus sancti operatione aqua, qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad diuinam virtutem & potentiam.

12. *L. 19. cont. Faust. ca. 11. & li. 2. de Sym. ad Cat. c. 6. Ioan. 19.* MIN. Vnius Augustini sententiam propone, & disputationem claudemus. DOCT. De his in vniuersum sic loquitur: Quorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas. *Et alibi*: Percussum est Christi latus, & statim manauit sanguis & aqua, quæ sunt gemina Ecclesiæ sacramenta. In aqua sponsa est purificata, sanguine inuenitur esse dotata. MINIST. Aliam disputationem instituamus.

SPIRITVM SANCTVM ECCLESIAE Christianæ & Catholicæ promissum & datum sic illi perpetuo adfuisse, vt nunquam è terris defecerit; sed neque eam in fidei atque bonorum morum definitionibus vnquam aberrare permiserit: aduersus 48. & 49. hæresin.

CAPVT XVI.

DOCTOR.

BIfariam rursus in Spiritus sancti officia & munera vestri Autores impingunt, cum volunt eum Ecclesiam Christianam & Catholicam ita deseruisse, vt non solum de Fide & bonis moribus constituendo frequenter aberrauerit; verum etiam multis sæculis in terris esse omnino desierit. MIN. Non est opus vt in alterius accusationis parte probanda labores, quandoquidem Caluinus omnia prorsus Concilia, quantumuis

A antiqua, vniuersa, & pura (in quibus Ecclesiæ facies conspicitur) grauiter frequenterque aberrasse, nihil affirmare veretur. Nam de secundi Niceni, cui sexcenti & supra ex toto orbe adfuerunt sancti & docti Antistites, decreto circa imaginum vsum, ait: *Tale placitum palam est à Satana manasse. Quid quod totam Scripturam deprauando, & lacerando, ludibrio eam sibi fuisse demonstrauit?* Postea de reliquis conciliis scribit? *Quanquam in illis quoque antiquis & purioribus est quod iure desideres, vel quod eruditi alioqui & prudentes viri qui tunc aderant, præsentibus negotiis districti, multa alia* *Inst. li. 4. c. 9. §. 9. 10.*
B *non prospiciebant: vel quod simpliciter, vt homines imperitia falli poterant.* Quin & ipsum primum ac maximum Nicenum (quod omnes hactenus cum omni fide ac reuerentia susceperunt) etiam à vero & recto aberrasse dictitans, de sequentibus infert. *Quam multis partibus & alia quæ deinde sequuta sunt Concilia, lapsa fuisse verisimile est? Si quis acta perlegat, multas illic infirmitates animaduertet: ne quid dicam grauius.* Alibi quoque scribit: *Inter Papistas non modo sepultam iacere veritatem, sed horrendum in modum dirutam & euersam pedibus calcari.* Est denique communis totius Sectæ
C sententia, Ecclesiam Roman. *Hactenus docuisse cultum idolorum, & Christo abnegato, hosti eius Antichristo militasse*: quæ peccata omnium grauissima sunt cum aduersus fidem, tum aduersus bonos mores. *Com. in 1. ad Tim. c. 3. vers. 15.*

Quod vero Ecclesia Christi aliquando hic esse desierit, quod est alterum accusationis tuæ caput, non legi apud eos: sed omnino diuersum. DOCT. Meum est igitur & istud asserere. Caluinus Præfatione institut. conqueritur, *ante tempus suum, tam altis tenebris immersa fuisse omnia, vt nulla vera Ecclesiæ facies extaret.* Ibidemque affirmat, *aduersarios à vero aberrare, dum Ecclesiam non agnoscunt, nisi* *Præfat.*
D *quam præsenti oculo cernant; quod eius formam semper apparere, & spectabilem esse contendunt: cum Heliæ tempore nullam formam haberet, & ab aduentu Christi deformis latuerit; & multoties ab eo tempore bellis, seditionibus, hæresibus sic oppressa fuerit, vt nulla parte fulgeret.* Vbi vero tenebris immersa sunt omnia, vbi Christus abnegatur vt colatur Antichristus, vbi nulla veræ Ecclesiæ facies apparet, vbi sic oppressa est vt nulla parte fulgeat; quę Ecclesia Christiana, vna, sancta, Apostolica, & Catholica esse potest? Equidem certe aut Ecclesia ex visibilibus hominibus, aspectabilibus Sacramentis, & scripturis haudquaquam occultis confici; atq; constare debet; aut

aut Ecclesia non est. Huiusmodi autem sem- A per fuisse Caluinus inficiatur quæ oculis cerneretur, quæ forma spectabilis esset, & quæ aliqua ex parte fulgeret. Quod & tandem ipse palam fatetur de Catholicis scribens: *Fremunt nisi Ecclesia digito semper ostendatur.* Et

Præf. Inst. postea: *Quin potius (ait) permittamus Deo, vt quando ipse solus nouit, qui sui sunt, interdũ etiam Ecclesiæ suæ exteriorem notitiam ab hominum aspectu auferat.* Iudicat ergo eam posse omnino deficere. Vult itaque Ecclesiam vnam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam (quæ sola est vera Ecclesia) & vere & frequenter in or-

In iconib. be desiisse. His accedit, quod Beza prædicat, B *primos per Europam veros Apostolos fuisse Ioannem Hus & Lutherum in Germania, Zuinglium & Oecolampadium in Helnetia, Sauanarolam in Italia, Farellum & Caluinum in Gallia, VVicleffum & Bucerum in Anglia, Cnoxum & Buchananum*

Argu. in Ps. 91. *in Scotia*: addit insuper, *fetum primum pedem intulisse in publicum cœtum Christianorum, cum Geneuæ Caluinianam concionem audiuit.* Itaque nec vniuersos maiores nostros atque suos Christianos fuisse; nec tot viros Apostolicos, Episcopos, Martyres, Pastores, & Doctores, quibus per mille & quadringentos annos abundauit Europa, verum Christi Eu- C angelium prædicasse, nec denique Spiritum sanctum tanto temporum lapsu Ecclesiam Catholicam sartam tectam ab omni errore conse[r]uasse, tam impudenter quam impie pr[on]unciat. Quid de his tibi videatur, iam dicito.

Confut. 1. MINIS. Vtramque partem accusationis veram legitimamque conspicio: sed Caluinum simul & Bezam sibi in superioribus sententiis non semper similes fuisse, iam ostendo. Etenim ille in eadem Præfatione Institut. magna confidentia scribit: *Vixit sane Christi Ecclesia, & viuet quandiu Christus regnabit ad dexteram Patris, cuius manu sustinetur, cu-* D *ius præsidio defenditur, cuius virtute suam incolumitatem retinet. Præstabit enim ille indubie quod semel recepit, se adfuturum suis vsque ad consum-*

Matth. 28. *mationem seculi.* DOCT. Recte sane. Atqui Ecclesia non potest consistere sine baptismo visibili, sine aspectabili prædicatione verbi diuini, & Eucharistiæ, aliorumque sacramentorum visibilium administratione: ergo nunquam est intermortua, nunquam sic pressa aut deformata Ecclesia Catholica, quin semper aliqua parte fulgeret.

2. Inst. l. 4. c. 1. §. 17. MINIST. Idem alibi rursum ait: *Statuendum est nullum fuisse ab orbe condito tempus, quo Ecclesiam suam Dominus non habuerit: nullum etiam fore ad consummationem vsque seculi, quo non sit habiturus. Quod certis promissionibus testatum fecit, quales sunt istæ, Ordinaui testamentum electis meis: iuraui Dauid seruo meo, Vs-* Psalm. 89. *que in æternum propagabo semen tuum: in generatione & generationem ædificabo sedem tuam. Item.* Psal. 132. *Elegit Dominus Sion, elegit eam inhabitationem* Ierem. 31. *sibi. Hæc requies mea in sæculum sæculi, &c. Item: Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumen diei, lunam & stellas in lumen noctis. Si defecerint leges istæ coram me, tunc & semen Israel deficiet.* Hæc ille, quibus conspicis eum docere, Ecclesiam & semper fuisse, & semper in terris futuram vsque ad consummationem sæculi: nec id simpliciter, sed & amplissimis certissimisque diuinis promissionibus, hoc idem ratum & firmum esse. DOCT. Aberrat igitur ipsemet à vero & recto scribens, nullam vere Ecclesiæ faciem aliquando extitisse, nullamque illius formam pro tempore in terris apparuisse.

MINIST. Adhæc, Caluinus & Beza se 3. suosque hac in re satis aperte damnant, cum Inst. l. 4. c. rursus sponte *fatentur vsque ad Irenæi, Tertul-* 2. §. 3. l. 1. *liani, Origenis, imo & Augustini ætatem, nihil à* c. 11. §. 13. *principio mutatum fuisse in doctrina Ecclesiæ; sed* Beza Conf. *Apostolicam constanter & vnanimi consensu re-* punct. 5. *tentam esse.* Insuper, *quingentis circiter annis à* art. 1. 41. *Christo adhuc floruisse religionem, & synceriorem doctrinam viguisse.* Denique, cum agnoscant, *Et semper extitisse, & semper futuram Ecclesiam vnam extra quam nulla salus expectanda sit.* DOCT. Nullo ergo tempore periit, nullis bellis exterminata, nullis seditionibus aut hæresibus sic oppressa fuit super terram Ecclesia Catholica, vt præsenti oculo aspectabilis non cerneretur. Deinde, si quingentis circiter annis à Christo doctrina retineretur Apostolica, floreret religio, & syncerior adhuc vigeret in vniuersis Ecclesiis ea quæ ab Apostolis & Discipulis tradita fuerat fidei persuasio; certe impium & nefarium est quod alibi scribunt Caluiniani, sepultam fuisse veritatem, Scripturam ludibrio habitam, ac primos per Europam veros Apostolos extitisse, quos numerant ac censent miserrimos Apostatas.

MIN. Præterea, à Caluino & Beza lubens 4. quærerem, si tyrannide Antichristi, vt loquuntur, tam oppressa & deformata fuit Ecclesia, sublataque ex toto orbe veritas & doctrina Apostolorum, in qua Ecclesia fuerunt baptizati? quorum legitimorum Pastorum ministerio regenerati? A quibus sacra Biblia, in quibus tantummodo purum Dei verbum

verbum contineri volunt, hactenus seruata A fuerunt, vt ab his ipsi eadem susciperent? Quorum opera & studio sanctissima fidei Christianæ Symbola tam eximia fide custodita, vt etiam ad eos pura & integra peruenerint? A quibus veræ religionis principia initio didicerunt, præsertim cum fides sit ex auditu? Non à Iudæis, Turcis, aut Ethnicis, inter quos non fuerunt educati: quique huiusmodi sacra mysteria nec sciunt, nec tradunt, sed persequuntur. Nonne ergo à Pontificiis? Extitit igitur hactenus inter hos sanctum Dei verbum, sanctus Sacramentorum vsus, legitimum ministerium, vera fides, vera doctrina, veraq; Christi sponsa Ecclesia viguit atque floruit. B

Rom. 10.

5. Denique, si quibusdam bellis, seditionibus, ac cruentis Tyrannorum persequutionibus omnino vastari & opprimi; si aliquibus hæresibus & schismatibus deformari, lacerari, ac funditus deleri aliquando potuisset vt Caluinus existimat; hoc præsertim decem illis vniuersalium persecutionum, quas totidem Imperatores Romani aduersus eam olim exercuerunt, impressionibus atque durissimis certaminibus; ac veterum Gnosticorum, Arrianorum, Manichæorum, Donatistarum, Nestorianorumq; prauis dogmatibus ac erroribus, peractum atque completum fuisset. C Tantum abest vero vt persecutionibus illis vel exterminata, vel etiam imminuta fuerit Ecclesia Christiana; vt è contrario, docente Hieronymo, persecutionibus creuerit, & martyriis coronata sit: & vere à Tertulliano teste oculato scribatur ad persecutores, Semen est sanguis Christianorum, plures efficimur quoties metimur à vobis. Hæretici quoque, ait Augustinus, Ecclesiæ prosunt, non verum docendo quod nesciunt, sed ad verum quærendum & aperiendum Catholicos excitando. D Hinc præclaræ beati Hilarij voces: Ecclesia dum persequitur floret, dum læditur vincit, dum arguitur intelligit, tunc stat cum superari videtur. Falsum est igitur quod assumit Caluinus Ecclesiam Catholicam & visibilem (de hac enim agitur) à tempore Christi multoties bellis, seditionibus, ac hæresibus sic oppressam fuisse, vt nulla mundi parte fulgeret. Atque hoc meum de illius errore iudicium: tuum mihi nunc aperias oportet.

De vita Malchi. Apolog. cap. 50. *Li. de vita religione cap.* 8.

6. DOCT. Velim scias, eos qui contendunt Ecclesiam Catholicam ex quo à Christo & Apostolis per totum orbem disseminata & plantata fuit, vel omnino exterminatam ac deletam esse; vel adeo oppressam latuisse, vt penitus forma faciesque illius non appareret; Donatistarum veterem impietatem, toties ab Augustino conuulsam & labefactatam, pro viribus reparare. Conuicti enim de nefario schismate, omnis excusationis ac defensionis loco vociferabantur, *Ecclesiam toto orbe aberrasse, ac sic defecisse, vt tantum esset in parte Donati*: vti nunc contendunt Sacramentarij veram Ecclesiam apud se solos consistere. Sed attende quid Donatistis respondeat eximius antistes Augustinus: O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es? Vide, ne tu ideo non sis: nam illa erit, & si tu non sis. In libris porro aduersus Parmenianum, longe lateque de hac re disserens, contendit ex variis locis Prophetarum & scriptis Apostolorum sic illam fuisse toto orbe diffusam, & Spiritus virtute seruatam, vt nullis persecutionibus, nullis schismatibus, nullis vnquam hæresibus pessundari aut extingui potuerit. Hæc pauca tantum ex eo proferam: Quid se ipsi iactant, (de Donatistis loquitur) quod habeant aliquam Ecclesiam, si iam illis temporibus superioribus esse destiterit? Dicant vnde natus est Maiorinus, aut Donatus, vt per eos nasceretur Parmenianus atq; Primianus? Et rursum alibi: Sed forte ista ciuitas quæ mundum tenuit, aliquando euertetur? Absit. *Deus fundauit eam in æternum.* Si ergo eam Deus fundauit in æternum, quid times ne cadat firmamentum? Hæc ille, quæ mutatis tantum nominibus, ad Caluinum, Farellum, Bezam, cæterosque schismaticos ac Hæreticos, qui Ecclesiam Catholicam ante tempora sua periisse volunt, eodem iure referenda sunt.

Aug. epi. ad Vincent. & epi. ad Bonifaciū.

In Ps. 101. & 147.

Li. 3. *cont. epi. Parm. cap.* 2. &c.

In Ps. 47.

Rursum, Ecclesiæ Catholicæ ac visibilis amplitudinem perpetuamque stabilitatem ex eo probat, quod Dominus ad eam attendens, non semel dixerit Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Christoque Filio suo pollicitus sit, *Dabo gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Eandem porro hæreditatem Christi explicari postea, cum in aliis Psalmis dicitur: *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium.* Rursumque latitudinem & perpetuitatem huius hæreditatis ac regni Christi, quod est Ecclesia Catholica alibi describens ait: *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gen-* 7.

Gen. 22. 22. *Psal.* 2. 23.

Psalm. 21.

Psal. 71.

tes seruient ei. Et benedicentur in ipso omnes tribus A *terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* His namque regni Mesiæ amplitudinem, maiestatem, atque splendorem describi, nec ipsi Rabbini Iudæorum diffitentur: quandoquidem nec Salomon tam late imperauerit, nec à cunctis Gentium regibus adoratus fuerit, nec in ipso, aut propter ipsum omnes tribus terræ diuinam benedictionem sint assecutæ: sed tantummodo per Christum Dominum nostrum, quemadmodum Apostolus diligenter obseruauit. Quod autem hoc Christi regnum in terris semel constitutum, nullis machinis euerti, nullis fraudibus B corrumpi, nullis denique quorumcunque hostium viribus superari posset, asserit ibidem Psaltes, dicens: *Permanebit cum sole & ante lunam in generatione & generationem.* Sed clarius id quoque explicat Daniel, referens *Antiquum dierum*, id est, Deum Patrem, *dedisse Filio hominis potestatem, & honorem, & regnum; & omnes populi,* (ait) *tribus, & linguæ ipsi seruient. Potestas autem eius, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.* Ad quod allusit Angelus dicens Mariæ Deiparæ de Filio suo, *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Hæc porro ad quandam inuisibilem Ecclesiam, C id est, Platonicam ideam, quæ nunquam extitit, cum hæreticis referre, non solum inepta tergiuersatio, sed & manifesta insania est: quasi videlicet, omnes Gentes, & omnes Reges, ac termini terræ res essent inaspectabiles. Fuit igitur regnum Christi, quod est Ecclesia Catholica & visibilis, semper inuictum, semper de hostium suorum spoliis ac triumphis tandem decoratum, sicut in veteri Israele pridem enituit, atque apparuit.

Gen. 22. 22 & 23. Gal. 3. Psal. 71. Dan. 7. Luc. 1. Exod. 14. & 15.

8. Confirmat iterum Psaltes istud Mesiæ regnum insuperabile ac inuictum futurum D esse, cum ait: *Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.* Potius ergo Tyranni, potius Schismatici ac hæretici solem aut lunam dentibus lacerabunt, & de sedibus ac ordinibus suis detrahent; quam regnum Christi, id est, Ecclesiam Catholicam possint delere. Addit quoque Psaltes: *Ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cæli.* Hoc autem semen Christi sunt Apostoli, discipuli & pij omnes quos in Christo publica Euangelij prædicatione conceperunt, deinde aspectabili Baptismo pepererunt, aliis denique visibilibus Sacramentis confirmauerunt, educauerunt, & ad vitam æternam perduxerunt: ne quis de inuisibili ac imaginaria quadam Ecclesia hic rursum obstrepat.

Psal. 88. 1. Cor. 4. Gal. 4. 1. Ioan. 2.

MIN. Hæc certe præclaræ sunt de Ecclesiæ perpetuitate atque constantia confirmationes: sed quidpiam nunc adiicias de noui testamenti testimoniis. DOCT. Iam apertum certumque beati Gabrielis Angeli de perennitate Ecclesiæ oraculum exaudisti: accipe nunc eiusdem Christi firmas constantesque de eadem promissiones: *Tu es Petrus*, inquit ad potissimum Apostolorum suorum, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Et rursum: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Audis Ecclesiam fundatam *super petram*; & non super terram, quæ cuniculis pateat; aut super arenam, inconstantem ac mobilem? Audis rursus *portas inferorum*, quæ sunt fraudes dæmonum, tyrannorum furores, & hæreticorum fallaciæ, aduersus eam nullo vnquam tempore præualituras? Audis & ipsum omnipotentem Dei Filium, non vno aut altero tantum sæculo, *sed in perpetuum* suam illi præsentiam, virtutemque repromittentem? MIN. Exaudio, atque inde Caluinianam malitiam satis damnare ac execrari non possum, qua contra tot diuina promissa & oracula contendere non formidat, *sic eam multoties bellis, seditionibus, ac hæresibus oppressam fuisse, vt nulla parte fulgeret.* Oporteret enim & Christum non fuisse veracem in promissis; & eundem multis non solum diebus, sed & annis, & sæculis à suis abfuisse. 9.

Matth. 16. Matth. 28.

DOCT. Præterea, perstringens Apostolus lectissimum ordinem à Christo per Spiritum sanctum in Ecclesia visibili ac in terris adhuc militante institutum, ait: *Eum dedisse quosdam quidem Apostolos, alios Euangelistas, alios Prophetas, alios Pastores & Doctores*: adfirmans perpetuandam hanc Hierarchiam, *donec occurramus omnes in vnitate fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, & mensuram ætatis plenitudinis Christi.* MINIST. Nihil ergo dubitandum quin omni sæculo extiterint ac deinceps futura sint in Ecclesia, isthæc pastorum & ouium, doctorum ac discipulorum externa officia atque visibilia ministeria; donec ad cœlestem illam Ecclesiam peruenerimus, in qua solus Christus pastorum omnium princeps præsidebit; & Deus euacuato omni principatu, erit omnia in omnibus. Sed iam ad Patrum doctrinam accedamus. 10.

Ephes. 4. 1. Pet. 5. 1. Cor. 15.

DOCT.

11. *Epist. ad Burdeg. c. 11.* DOCT. Primus occurrit Martialis vnus A ex 70. Discipulis, de perpetua Ecclesiæ Christianæ constantia scribens: Inimicus venturus est, vt superseminet in populo Dei grana errorum: sed firma Ecclesia Dei & Christi, nec cadere, nec disrumpi poterit vnquam. MIN. Egregia sane viri Apostolici verba: & quæ multam piis animis ingerunt fiduciam & consolationem.

12. *Lib. 4. Hexamer. c. 2. Lib. de Salom. c. 4.* DOCT. Non credo tantum, sed & auro digna mihi videntur ista Ambrosij de perennitate Ecclesiæ Catholicæ verba: Ecclesia videtur sicut Luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest: quia B aliquorum quidem persecutionibus discessione minuitur, vt Martyrum confessionibus impleatur. Et idem rursum alibi: Et si vndarum fluctibus aut procellis sæpe (Ecclesia) vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium: quia in arbore eius, id est, in cruce, Christus erigitur: in puppi Pater residet gubernator: proram, paracletus seruat Spiritus: hanc per angusta huius mundi freta duodeni Apostoli & totidem Prophetæ in portum remiges ducunt: &c. Hæc nauis Ecclesia est, quæ etsi quotidie seculum istud tanquam aliquod pelagus sortitur infestum, nunquam eliditur ad saxum, C nec mergitur in profundum. Hucusque Ambrosius.

13. *Epist. ad Fabiolam. Exod. 3. Quæst. 2. ad Algas. Isaia 11. 27.* Huic adiungo beatum Hieronymum scite ac eleganter comparantem statum Ecclesiæ Catholicæ cum Rubbo, quem inflammari quidem cernebat Moyses, non consummari. Sic videmus inflammari Ecclesiam persecutionibus, inquit, & cum, loquente in ea Domino, non perire. Perstringens quoque illud Isaiæ, *In lege eius sperabunt insulæ, &c.* ait; Quomodo insulæ turbine statuque ventorum, & crebris tempestatibus feriuntur quidem, sed non subuertuntur, in exem- D plum Euangelicæ domus, quæ supra petram robusta mole fundata est: ita & Ecclesiæ *Matth. 7.* quæ sperant in nomine Domini loquuntur per Isaiam: Ego ciuitas firma, quæ non expugnatur.

14. *Serm. 79. in Cant. Matth. 16. 1 Cor. 10.* His si placet, addam & Bernardum; stabilem & perpetuam Ecclesiæ in fide, spe, & charitate permansionem & Scripturis, & rebus pridem gestis comprobantem. Ait enim: Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit: eo quod fundata esset supra petram: petra autem erat Christus. Itaque nec verbositate Philosophorum, nec cauillationibus hæreticorum, nec gladiis persecutorum, potuit *Rom. 8.* ista aut poterit aliquando separari à charitate Dei.

15. *Obiectio.* MIN. De his iam satis. Sed quoniam superiorum ac similium argumentorum pondere presʃi ac omnino superati hæretici, tanquam ad tutissimum asylum confugere solent ad tempus Eliæ, quo persecutione Achab & Iezabelis, tanta facta est populi Israelitici à diuina lege, Patrumque veteri religione defectio, vt cum graui gemitu & lamentatione pius Vates ad Deum conquestus, quod solus fidelium remansisset, *petiuit* *3. Reg. 19.* *animæ suæ*, inquit Scriptura, *vt moreretur*. Itaque cum nulla tunc esset veteris Ecclesiæ forma, nulla illius externa vel aspectabilis species aut facies in terris appareret; *nihil mirum*, inquiunt, *si istud quoque multoties Ecclesiæ Christianæ contigerit*. Hæc itaque obiectio tibi nunc est dissoluenda.

DOCT. Et facile, & multis modis id faciam. Primo enim etsi illis concederemus, quod (falso tamen) præsupponunt, nimirum veteris Synagogæ externam formam ex orbe tunc omnino defecisse; nihil tamen idcirco aduersus Ecclesiæ Christianæ & visibilis perennitatem obtinerent: quoniam & amplioribus & longe melioribus repromissis hæc quam illa, à Christo sponso suo constabilita & confirmata est. Illa vmbram tan- *Hebr. 10.* tum habuit futurorum bonorum, Iudæis- *Galat. 4.* que pro tempore pædagogus fuit ad Chri- *Rom. 4.* stum. Illi nunquam dictum est, *Super hanc pe-* *Matt. 16.* *tram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*: nunquam, *Tibi dabo* *Luc. 22.* *claues regni cælorum*: nunquam, *Rogaui pro te, vt* *Ioan. 14.* *non deficiat fides tua*: nunquam, *Manebit vobis-* *Matth. 28.* *cum in æternum Spiritus veritatis*: nunquam, *Ecce vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*: quæ Ecclesiæ Catholicæ atq; visibili, ab æterno Dei Filio, qui mentiri non potest, apertissime & constantissime dicta & repromissa fuerunt. Atque ideo etiam si illa ad tempus suppressa & deleta fuisset; non tamen consequitur, vt hęc aliquando de mundo sublata sit.

Secundo, pernegamus externam veteris Synagogæ formam tunc omnino periisse; quandoquidem in tribu Iuda & Beniamin verus Dei cultus, adeoque in ipso sacrorum Ierosolymorum templo, tunc palam vigeret ac floreret: atq; in ore & oculis omnium Legis & Prophetarum extarent passim in Synagogis lectiones & conciones: exsoluerentur ac offerrentur decimæ atq; primitiæ;

denique, totius religionis sacratissimæ Circumcisionis & Paschatis cæremoniæ palam adhuc seruarentur. Illis etenim temporibus, Ierosolymis imperauerunt Asa, deinde Iosaphat, piissimi Reges, qui fecerunt rectum coram Domino, (ait scriptura) sicut Dauid Pater eorum; abstulerunt effœminatos de terra, purgaueruntque vniuersas sordes idolorum, quas statuerant antecessores eorum. Erat & Michæas filius Iemla, constantissimus Legis præco, &c. Itaque tametsi Ecclesiæ illius temporis exterior facies in regno Israelis valde deformis & obscura esset, in regno tamen Iudæ non parum resplendebat.

3. Reg. 18. & 22.

Tertio, nec quidem tam vniuersalis ac communis fuit in decem tribubus apostasia, quam iudicauit Elias, putans se solum relictum; vel ipso Domino contestante, *plus septem millia virorum adhuc in his superesse, qui non curuauerunt genua ante Baal.* Supererat etiam in ipsa crudelissimi Achab & Iezabelis aula pius princeps Abdias, timens Deum. Supererant centum Prophetæ, id est, diuini verbi præcones, quos iste alebat in speluncis. Supererat Elisæus cum ampla piaque familia. Superat denique & ipse Elias diuinæ Legis feruentissimus præco, qui magnis miraculis non exiguam populi partem ad hanc publicam Dei veri confessionem perduxit, *Dominus ipse est Deus: Dominus ipse est Deus:* atque ideo nihil Caluinianis criminationibus aut defectionibus patrocinari potest, quod de historia temporum Eliæ, ab eis aduersus Ecclesiæ Catholicæ perpetuam firmitatem producitur.

3. Reg. 18. & 19. Rom. 11.

SPIRITVM SANCTVM NVNQVAM siuisse Ecclesiam Catholicam aberrare in fidei ac morum definitionibus.

CAPVT XVII.

MINISTER.

ABsoluto primo capite, quod est de Ecclesiæ Catholicæ constanti perennitate; nunc superest, vt eam nunquam à vero rectoque aberrasse demonstres. DOCT. Et id quoque Deo bene propitio nunc efficiam: atque ab incommodis & absurdis quæ sequerentur, si ea in communi de fide ac bonis moribus doctrina hactenus, (quemadmodum Caluiniani volunt) aberrasset, primum ductis argumentis. Nam inde conficeretur, Deum non tanta beneuolentia & charitate complexum esse, nec tanta solicitudine curasse populos credentes & sperantes in Christum vnice dilectum Filium suũ, quanta passim in sacris literis iactatur & prædicatur, si tot millia fortissimorum martyrum, tot centurias sanctissimorum pastorum, Episcoporum, Doctorum & confessorum, tot cœtus castissimarum virginum & matronarum, tot examina piissimorum Anachoretarum & monachorum, tot denique myriades gentium & nationum; post sacri initiationem lauacri, post sanctissimæ Trinitatis inuocationẽ, post ieiunia, preces, lacrimas & vota innumera ad se fusa, post tantos labores pro nominis sui gloria exantlatos; tot inquam, filios hominum regeneratorum ab Oriente ad Occidentem & à Septentrione vsq; ad Meridiem penitus dereliquisset sine legitima Sacramentorum administratione, sine veris pastoribus, sine vera verbi sui interpretatione, sine fide, sine spe, sine charitate, sine peccatorum remissione, sine Ecclesiæ vera communione, sine religione, sine lege, denique etiam sine vero Deo, turpissime deseruire idolis, Antichristo, atque diabolo. Idque per mille ducentos, trecentos, ac etiam quadringentos annos; id est, donec Zuinglius ac Oecolampadius ex horridulis Heluetiorum saltib. Farellus & Viretus ex Alpium Delphinianorũ antris, Caluinus ex Nouiodunensibus popinis; Beza ex ganeis, Bucerus & Vermilius ex monasteriis & claustris desertis, Cnoxus & Buchananus ex lustris suis in publicum prodierint; & hactenus maximis Europæ prouinciis inauditam Euangelicam veritatem tãquam primi, si diis placet, Apostoli reuelauerint, protulerint, omnibusq; prædicauerint & annunciauerint. Donec, vt dicere institui, aliquot miseri concubinarij suas parœcias, aliquot omnib. modis dissoluti monachi suas cucullas deseruerint, & aliquot velut silentes vmbræ in foro patroni, aliquot sine arte ac lucro medici, aliquot ludiones, sartores, fullones, tinctores, sutores, pelliones, decoctores, spretis negotiationibus suis, Caluinianæ Theologiæ Doctores ac Prædicantes repente facti, solam in Christũ fidem ac salutem requiri; opera vero quantumuis bona videantur, peccata mortalia coram Deo censeri, suis putidissimis orationibus toti excæcatæ Europæ patefecerint, docuerint, persuaserint. Interea vero, vtar verbis Tertulliani, perperam Euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera

Tert. Præ-

scrip.c.28. & 29. Io.14.16. opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata. Aut si nec perperam, nec in vacuum, quale est vt ante res Dei currerent, quam cuius Dei notum esset? Anti-Christiani, quam Christus inuentus? Ante hæreses, quam vera doctrina? Equid veresimile est, vt tot ac tantæ Ecclesiæ in vnam fidem errauerint? Nullam respexerit Spir. S. vti eam in veritaté deduceret; ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de Patre, vt esset doctor veritatis? Neglexerit officium Dei villicus, sinens Ecclesias aliter interim B intelligere: aliter credere, quam ipse per Apostolos prædicauit? Hæc ille aduersus Valentinianos, Marcionistas, & Gnosticos, quę nos aduersus successores eorum Hugnosticos magno iure vsurpamus.

2. MIN. Res profecto attenta consideratione dignissima: quoniam vere vtique Spiritus S. non satis copiose, & diligenter paracleti & doctoris officium suum præstitisset, si Ecclesiam Catholicam tot errorum tenebris inuolutam & prostratam reliquisset, quando quidem non mansisset cum ea in ęternum, nō suggessisset ei omnem veritaté, nec in memoriam reuocasset quæcunque C Christus dixit primis eius doctorib. Apostolis. Sed neque Pater ipse cælestis satis verax Zach.2. Ps.16. & constans haberetur in promissis, quibus se illam conseruaturū vt pupillum oculi sui pollicitus est, si tot sæculis eam pro libidine satanæ excæcari, & pedibus Antichristi conculcari siuisset. Qui & rursus instar muri ignei in circuitu eius se futurum, & velut vnice dilectam spōsam suam amaturum: nec id solum, sed etiam vsque ad senectam & senium eam seruaturum & portaturum se recepit. Ait enim: *Vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram: ego* D *portabo, & ego saluabo.* Isa.46. Tum in Euangelio eadem & amplificans & confirmans promissa, eius à se constituto primo & magno Pastori dixit, *Rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* Luc.22. Omnino autem defecisset, si ante aduentum Caluini & Bezæ, nec verum Euangelium, nec vera sacramenta, nec vera fidei doctrina in orbe permansissent, sed nefariis erroribus ac Antichristi tyrannide subuersa fuisset vera religio quod secundi absurdi locum iure obtinere poterit. Tertium adiice.

3. DOCT. Si Spiritus sanctus Ecclesiam in morum ac fidei definitionibus tamdiu siuisset aberrantem, his nō fecisset satis Christus,

A quæ veteres de illo Prophetæ prædixerant: nimirum quod crudelissimam illam tyrannidem, qua totum genus hominum diabol⁹ oppressum subactumque sibi retinebat, auferret: & eos in libertatem filiorum Dei assereret. Tolleret maledictionem benediceret Gen.3.16. & 22. autem omnes gentes, Vniuersam è mundo deleret idololatriam, fictitiosque cultus ac superstitiones exterminaret: insereret vero 1.Ioan.3. Luc.11. hominum cordibus leges suas, ac vnius veri & viuentis Dei veram doctrinam, fidem Ierem.31. atque religionem toto orbe spargeret atque plantaret.

MIN. Daniel reuera id eleganter præsignauit lapide exciso de monte sine manibus, conterente idolum, seu statuam aureā, Dan.2. argenteam, æream, ferream, ac fictilem; denique complentem cælum & terram. Nec dubito quin Ezechias & Iosias pij Reges, finibus imperij sui idola, lucosque dissipantes, verum autem Dei cultum instaurantes; 4.Reg.23. 2.Par.15. quin acturus esset per orbem Rex Regum Mesias factis ipsis vaticinati sint: quoniam veterum illorum sanctorum nō solum lingua, sed & vita Prophetica fuit. Accedit & hoc Isaiæ de rebus temporibus Christi futuris vaticinium: *Idola penitus conterentur. In* Isa.2. *die illa proiiciet homo idola argenti sui, & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi vt adoraret.* Et copiosius de iisdem apud Ezechielem, ait Dominus: *Effundam super vos aquam mundam, &* Ezech.30. & 36. *mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam, &c.* Tum adhuc per vnum ex nouissimis Prophetis mundo Deus pollicetur, quod sub aduentum Mesiæ, *futurus esset fons patens do-* Zach.13. *mui Dauid*, id est Ecclesiæ, *in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra: & pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam a terra, &c.* DOCT. Iam te obsecro obtestorque, quomodo aut quando tam magnifica diuinaque de rebus in orbe post Mesiam futuris promissa omnino completa fuissent, si ex quo Ecclesia Catholica & Romana de fide ac moribus pronuncians, docuit sanctissimam Eucharistiam summo cultu adorare; beatissimam Deiparam, Angelos, Apostolos, Martyres, cælicolas omnes, & horum memorias decenti honore colere; quod iam plus mille & quingentis annis prædicatum & obseruatum fuit; vniuersus per Europam, Asiam & Africam populus Christia-

nus in tetris erroribus, superstitionibus, & turpissimorum idolorum sordibus, vt vestri vociferant, volutatus esset?

MINISTER. Tantum abest profecto vt Spiritus sanctus illis oraculis suis satisfecisset; vt multo magis è contrario, post aduentum CHRISTI incredibiliter multiplicatus fuisset omnis error & superstitio, supraque modum aucta idololatria, & propagatus in omnem terram cultus cacodæmonum: eo quod super numerum templa sint ædificata, erecta ad sacrificandum altaria, propositæ ad venerandum sanctorum reliquiæ atque imagines; & innumeris libris decretis, & concionibus, cunctis hominibus tradita, & virtute Spiritus sancti persuasa huiusmodi religio. Ex quibus tandem consequeretur, aut sanctos Prophetas à mendacibus prædictionibus non posse excusari, aut Christum mundi Saluatorem nondum aduenisse, aut certe Spiritum sanctum suo erga Ecclesiam Catholicam officio omnino defuisse: quæ omnia tam absurda & execranda sunt, vt ea piorum aures ferre nequeant.

4. DOCTOR. Quarto etiam loco sequeretur, eundem Dominum nostrum IESVM CHRISTVM frustra in hunc mundum venisse, frustra Patris sui voluntatem prædicasse mortalib⁹, frustra tot miraculis Euangelicam doctrinam confirmasse; frustra corpus ad crucifigendum, sanguinem vt effunderetur, & vitam vt morte tolleretur, obtulisse: sicque peccata totius mundi expiarentur, carnificibus exposuisse; frustra sepultum, frustra resuscitatum; frustra Apostolos edocuisse ac in orbem ad erudiendas & tingendas omnes gẽtes misisse: siquidem iuxta Caluiniana & Bezana decreta, Ecclesia per totum orbem dispersa hactenus in fide ac moribus aberrans, docuerit idola colere, ac Antichristo inseruire. His enim pro sua repurgata modestia, titulis exornant sanctissimi Christi Iesu corporis ac sanguinis in Eucharistia reapse existentis, cultum religiosum semper exhibitum; ac B. Petri in cathedra Romana Successori continue debitam obedientiam atque reuerentiam. Nec verum Deum, aut Christũ eius recte agnouit aut coluit totum Romanum Imperium, donec noui illi Apostoli quos nominat, & pro sua auctoritate indigetat Beza, in Europam proruperint, ac nouo Caluini Bezæque Alcorano, ferro, flãma, ignitis globis, proditionibus, seditionibus, ac cædibus viam aperuerint, sedemque in illa constituerint.

Sed neque etiam Pastoris peruigilis ac soliciti officio perfunctus Christus fuisset, si traditum sibi à Patre gregem ouium tamdiu in potestate crudelissimarum ferarum non tam sponte reliquisset, quam volens & prudens tradidisset: quod quintum est incommodum. Insuper, neque legitimi ac naturalis capitis munus subiuisset, sic corpus suum mysticum, & singula eius membra sine aliquo spiritalis vitæ, motus, ac sensus influxu tantis temporum interuallis derelinquendo. Demum, nec Spõsum magno spiritalis Sponsæ suæ, id est, Ecclesiæ, zelo feruentem seipsam comprobasset, eam permittens quingentis, nongentis, mille ducentis ac trecentis annis, omnium hæreseon sordibus inquinari, ac etiam ipsius infestissimi hostis sui Satanæ, & Antichristi fœtoribus, flagitiisque in oculis suis turpiter constuprari; quam pretiosissimi sanguinis, ac crudelissimæ mortis suæ pretio sibi redemerat, sanctificauerat, & tanta celebritate desponderat. Dixerat enim per Prophetas velut per paranymphos suos, *Sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia & in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide. & scies quia ego Dominus.* Dauid describit eum instar Sponsi egredientis de thalamo suo. Isaias vero istas Ecclesiæ de Sponsi præstantia & largitate gloriantis voces recitat: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimento salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi Sponsum decoratum corona: & quasi Sponsam ornatam monilibus suis.* Quomodo enim sponsata in sempiternum, si tanto tempore relicta? Quomodo sponsata in iustitia, misericordia, & miserationibus, si tamdiu hostium exposita libidini? aut quomodo salutis & iustitiæ ornatu circumdata, si de Christo sponso suo, de verbo & testamento ipsius, si de salute per eum parta, si de sacris & sacramentis omnibus tam peruerse & nequiter statuit, quam volunt aduersarij illius?

[Marginalia: Ioan. 10. 5. — Ephes. 1. 4. & 5. — Eph. 1. 2. — Cant. 3. — Ioan. 3. — Apoc. 21. — Ephes. 5. — Osea 2. — Psalm. 18. — Isa. 61.]

MIN. Cedo nunc sextum incommodum. 6.

DOCT. Apostoli primi eiusdem Ecclesiæ Pastores ac duces, postquam eam toto orbe plantassent & propagassent, non satis ei accurate ac diligenter prospexissent de bonis, fidelibusque Episcopis atque doctorib⁹, qui commissum sibi veræ fidei depositum seruassent in ea, posterisque ac successoribus fide-

fideliter vt acceperant, tradidissent. Adeo vt nec Petrus Romæ vel Antiochiæ, nec Paulus per Græciam, nec Matthæus in AEthiopia, nec Ioannes in Asia, nec Andreas in Achaia, nec alij toto orbe dispersi à se fundatis primis Ecclesiis pro dignitate consuluissent, si homines imperitos, salutaris doctrinæ corruptores, & salutis commissarum curæ suæ animarum negligentes, sibi successores ordinassent & reliquissent. Etenim vt præclare vidit & scripsit Irenæus martyr, Valde perfectos & irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos & successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterij tradentes: quibus emendate agentibus fieret magna vtilitas, lapsis autem summa calamitas.

Lib. 3. c. 3.

7. MIN. Iam septimum incommodum audire percupio. DOCT. Veteris Iudæorum Synagogæ rebus, quam Ecclesiæ Christianæ, Spiritus sanctus longe melius prospexisset atque consuluisset: & ideo non parum aberrasset Apostolus scribens, *Christum melioris testamenti mediatorem esse, quod in melioribus repromissis sancitum est.* Nunquam enim illa vero & summo quodam pontifice caruit; nunquam sacerdotibus, leuitis, aut quibusdam prophetis veram religionem publice docentibus ac exercentibus destituta diutius permansit. Tametsi vero Ieroboam, Achab, Manasses, Sedechias, aliique tyranni & desertores magnis eam cladibus affecerint, cultusque idolorum in eam inuehere conati sint; nihilominus fortissimos suæ religionis cultores & doctores Eliam, Elisæū, Tobiam, Isaiam, Ieremiam, Michæam, filiosque, id est, discipulos huiusmodi sanctissimorum Prophetarum, Spiritus sanctus opposuit, qui horum conatus retardarent & propulsarent, AEgypti ac Babylonis captiuitatis illius ordinem pietatemque miserabilem in modum dissiparunt & deformarunt; veruntamen exemplis sanctissimorum Leuitarum, Amram, Mosis, Aaronis; deinde Danielis & sociorum eius, Ezechielis, Esræ, Nehemiæ, Mardochæi, ac multorum similium cōtinuis adhortationibus, magna populi pars in veræ pietatis publica professione constanter permansit. Hamanes, Ptolomæi, Antiochi, Lysiæ, Triphones, Nicanores, Timothæi, Gorgię, Heliodori ac consimiles gigantum fraterculi, vniuersum Legis & Regni illius statum horrifice quatefecerunt: sed ad eum propugnandum & sartum tectumque seruandum optimos Iaddos, Simeones, Eleazaros, Onias, Syrachos, Matthatias, & Machabæos illico Dominus destinauit, quoadusque veniret Christus, quem illa interim concipiebat & pariebat. Atque sic inter prospera & aduersa, inter persecutiones & tranquillitates Spiritu sancto aspirante, supra 2000. annorum salua permansit veteris Synagogæ publica fides atque religio. Contra vero, si Bezanis & Caluinianis credatur, Ecclesia sancta Catholica & Apostolica, sublatis Apostolis ne vno quidem aut altero seculo in eorum syncera doctrina pietateque perseuerauit: sed mox de viribus liberi arbitrij, de bonis operibus & eorum meritis, de iustificatione, de sanctorum cultu & intercessione, de Sacramentorum effectis ac ritibus, cæterisque doctrinæ Christianæ summis capitibus perperam docuit atque decreuit, Spiritu sancto perpetuo doctore ac consolatore suo destituta. Plusquam mille annis, vero sensu Euangelij, vera Apostolicorum scriptorum intelligentia, veris miraculis, veris Episcopis & doctoribus, veris & manifestis Dei cultoribus omnino caruit: sicque falsi sunt Prophetæ affirmantes, gloriam nouissimæ huius domus Domini longe maiorem & potiorem futuram esse, quam primæ: falsusque Christus dicens Apostolis, *Misi vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.*

Heb. 8.

Agg. 2.
Ioan. 15.

8. Denique, sequeretur (id citra acerbissimum cordis dolorem & horrorem dicere nequeo) quod omnes sancti Episcopi, sacerdotes, monachi quantauis pietate excelluerint: qui nos abhinc mille annis in Gallia, Hispania, Italia, Sicilia, Cypro, Polonia, Suedia, Dacia, Hungaria, Dalmatia, Germania, Boemia, Anglia, Scotia, Hibernia, cæterisque Christianorum regnis, in Christo præcesserunt; omnes Imperatores, Reges, Duces, Principes, Nobiles, & Magistratus, qui res publicas cum pietate & laude administrarūt, omnes ciuitates, vrbes, castra, oppida Christiano nomine comprehensa; omnes denique parentes & maiores nostri quamquam religiosi ac Deum timentes, tanquam Papistæ, excæcatique idololatræ, æternis inferorum tormentis flammisque nunc dimersi cruciarentur & distorquerentur. Equidem certe nullus illorum prophanis Caluinianorum ac Bezanorum aduersus septem Sacramenta, Purgatorium, Concilia, Romanam sedem, traditiones Apostolicas, erroribus adhæsit: nullus superius enume-

enumeratas aduersus Trinitatem, Dei perfectiones, Christi ac Spiritus S. opera & mysteria, teterrimas blasphemias admisit aut probauit: sed quæ aduersus eas defendimus & adseruimus Catholica dogmata. Omnes eam fidem sequuti sunt, quam à maioribus & hi primum ab Apostolis, & viris Apostolicis receperant. Eandem omnes fideliter retentam, posteris suis & viuendo tradiderũt, & moriendo solicite constanterque commendauerunt. Omnes Ecclesiæ Catholicæ decretis & verbis obaudientes, vnum & summum in terris Pontificem, deinde Episcopos vt legitimos Pastores suos, (vt & nos) obseruauerunt; omnes Christum in Eucharistia rite consecrata vere ac reipsa præsentem crediderunt & adorauerunt; omnes & Angelos & Deiparam & Apostolos & Martyres & cunctos cælicolas venerati sunt, coluerunt & inuocauerunt; & venerabiles eorum imagines sacris communibusque locis retinuerunt; & vt concludam, quicquid nunc à Nouatoribus in controuersiam aduersus Catholicam fidem adducitur, id omne non solum nobiscum tenuerunt & crediderunt: sed & multis antea sæculis à parentibus acceptum & seruatum omni constantia vt Apostolicam & vere Catholicam doctrinam defenderunt, & ad nos vsque perduxerunt. Hæc porro Caluinianis sunt superstitiones, corruptelæ, inuenta humana, notæ Antichristi, signacula bestiæ, ac execrabiles idololatriæ, Christi apertæ negationes, &c. Quid ergo illis pro huius religionis defensione & propagatione, Prædicantum iudicio, superesse potest, præter sempiternam ruinam, iram Dei, gehennam perpetuam, fletum & stridorem dentium? Quid reddi debet illis præter ignem æternum, *paratum diabolo & Angelis eius*? Atque Matt. 25. hæc nouorum istorum Reformatorum de suis nostrisque parentibus, priscis Pastoribus, magistratibus, & cunctis antecessoribus censura, hoc iudicium: quod aliud non est ab horum atheorum sententia, qui vt improbos omnes beatos dicerent, *vniuersam filiorum Dei nationem reprobabant, dicentes malum bonum, & bonum malum: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Psal. 72. Isa. 5. Hæc quoque incommoda, hæc absurda, hæc turpia, hæc nefaria, hæc quæ omnium mentes aspernentur & abhorreant; quæ tamen necessario consequuntur, si sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam in his quæ ad fidei ac bonorũ morum rationem spectant, Spiritus sanctus aberrare permiserit.

MIN. Ad hæc omnia ne hiscere quidem valeo, quandoquidem cum his diutius versatus, particepsque omnium sectæ consiliorum, familiarium colloquiorum, concionum, librorum, disputationum, atque conclusionum; probe cuncta superius adducta vera & certa esse non dubito. Itaq; propriæ salutis semper omnia studiosus, credam in posterum Spiritum veritatis & totius veræ religionis authorem & Doctorem, sic semper Ecclesiæ Catholicæ adfuisse, vt nunquam illam à vero rectoque abduci passus fuerit: nequando in absurda superius commemorata incidam. Verum, si quas habes apertas Scripturas, vel Patrum dogmata, quæ idipsum corroborent, nunc libens audiam. DOCT. Occurrit in primis hic certissimus & apertissimus fidei articulus: *Credo sanctam Ecclesiam.* Symbol. Qua enim potissimum parte sancta & pura esse potest, quamdiu in terris inter tot scandala & tentationes peregrinatur, nisi in his decernendis atque tradendis, quæ ad filiorum suorum fidem & mores componendos pertinent? Hanc enim ob rem, vt pie periteq; Cyrillus Ierosolymitanus ante mille & ducentos annos obseruauit; Catech. 18. habetur in illa omne gen' virtutis, in factis & dictis, & spiritualibus charismatibus omnigenis; & passim in Scripturis appellatur *Domus Dei, Ecclesia sanctorum, Regnum cælorum, & sponsa Domini nostri.* Heb. 3. Ps. 149. Mat. 13. 25. Apoc. 21. Apostolus quoque scribit ad Timotheum. *Vt scias quomodo oporteat in domo Domini conuersari, quæ est Ecclesia Dei viuentis, columna & firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3.

Sunt rursum in hanc rem apertæ & certæ Scripturæ illę, quibus pro certo adfirmatur, Eph. 1. 4. 5. quod Ecclesia sit *corpus Christi, & Christus caput Ecclesiæ.* Insuper, Spiritus sanctus dicitur Io. 14. 16. in ea *manere in æternum, & docere omnem veritatem.* Itaque ne Christo aut Spiritui sancto errorum nota impingatur, necesse est omnis erroris in suis decretis expertem esse Ecclesiam.

Denique, certum est Christum nunquam tam sedulo præcepturum fuisse, vt omnes Ecclesiæ voces & decreta exaudirent, ni vellent haberi *pro Ethnicis & Publicanis,* Matt. 18. si illa erroneis decretis posset aliquando vel falli vel fallere. Sed neque cœtui Apostolorum, quo repræsentabatur Ecclesia, tam asseueranter dixisset, *Qui vos audit, me audit:* Luc. 10. si cuiquam iure liceret falsitatis eãdem accusare.

Non

A Non poteſt itaque illa vel errorem docere, vel peccatum cuiquam vnquam imperare.

11. MIN. Iam veterum Patrum quibuſdam teſtimonijs diſputationem iſtam claudamus. DOCT. *L.1.com.in Luc.* Ambroſius adfirmat, Eam ab initio eſſe immaculatam: non per naturam, ſed per Dei gratiam, & qualitatem ſui: & quia iam non peccat, fit vt immaculata videatur. *Dialo.cont. Lucif. & Ep. ad Epiphan. L.1. cont.Creſc. c.33.* Hieronymus tradit eam perpetuo virginem incorruptam, non ſcortum: hácque illi Dominum largitum eſſe gratiam, vt corpus eius integrum ſeruetur, & in nullo hæreticorum dogmatum venena præualeant. Auguſtinus quoque docet, Scripturarum veritatem teneri, cum hoc facimus, quod vniuerſæ placuit Eccleſiæ, quam Scripturarum commendat authoritas. Alicubi quoque idem pręclare concludit: Vt contra rationem nemo ſobrius, ſic contra Eccleſiam nemo Chriſtianus ſentit aut loquitur. MIN. Iam mihi de propoſitis duobus articulis abunde ſatis factum eſt: reliqua perſequamur.

SPIRITVM SANCTVM NON PROmiſcue hic vnumquemque certum reddere ſuæ electionis ac prædeſtinationis æternæ; aut quod ſi vere iuſtus & in gratia aduerſus 50. & 51. hæreſin.

CAPVT XVIII.

DOCTOR.

POſteaquam veris ac proprijs Spiritus ſancti officijs Satanas per veſtros Prædicantes pro virili detraxerit, iam falſo & omnino ab eius diuina maieſtate & dignitate aliena, eidem, per eoſdem, nec ſine contumelijs, affingere conatur: atque in primis, quod cum hic adhuc inter innumera pericula & ſcandala militamus, Vnumquemq; fidelium omnino certum reddat, idque certitudine fidei, quod ſit ab æterno electus & D prædeſtinatus ad vitam æternam: deinde etiam, quod ſit coram Deo vere iuſtus ac in gratia, quam in Scholis appellamus, gratum faciente. *Conf. punct.4.ar. 5.13.* Beza enim *Fidem vult eſſe certam quandam ſcientiam, quam Spiritus ſanctus in cordibus electorum inſculpit, qua vnuſquiſque eorum de ſua electione in corde ſuo adeo certus eſt, vt de illa dubitare non debeat.* Scribit rurſum poſtea: *Oportet vnumquemque priuatim apud ſe concludere: Sum in Ieſu Chriſto per fidem, & ideo perire non poſſum, & de æterna ſalute mea ſum ſecurus.* Caluinus paſsim libro de prædeſtinatione, inſtitutionis, & Harmoniæ, vtramque ſententiam pro viribus amplificat & inculcat, innumera ſuo more, euomens conuitia in eos, qui aliter docent atque ſentiunt.

MIN. At ego habeo eiuſdem Bezæ atque Confutat. Caluini quædam non aſpernanda teſtimonia, quæ vtranque ſimul ſententiam refel- 1. lant & coarguant. Ait enim ille: *Solus Deus nouit qui ſint ſui: cuius ſecreti integram ei relinquimus vt æquum eſt, notitiam, quotieſcunque de proximis noſtris agitur.* *Conf. punct.4.ar. 47. 2. Tim. 2.* Etenim ſi fidelium æterna prædeſtinatio ac electio eſſet publica & cómunis reuelatio, à Spiritu ſancto per ſacras B Scripturas (vt alibi contendunt) palam edita & comprobata, tantundem mihi de proximi electione, atq; de propria reuelaretur, idque pari fide credendum obijceretur. Cum itaq; notitia de proximorum electione Deo relinquenda ſit, identidem de cuiuſque noſtrum electionis cognitione præſtandum erit.

2. Iſte vero adfirmat, *Eos regno Chriſti expellendos, qui certam eius vitæ iam ſibi arrogant poſſeſſionem. Deum nullis exorabilem futurum, quam his qui cum tremore ad eius confugiunt miſericordiam. Et niſi in animis noſtris magno timore & tremore concutiamur, peruerſam fiduciam mox in* *In cap.14. Luc. verſ. 24. &c. 18. v.13. In cap. 8. Mat. v. 25.* C *carnem noſtram irrumpere.* Iam vero ſi certam vitæ æternæ poſſeſsionem non liceat nobis arrogare, ne tota excidamus; nonne Caluiniani & Bezani eius omnino extorres erunt, qui eam ſibi tam arroganter quam temerarie vendicant? Et ſi Deus his tantum exorabilem ſe præbeat, qui cum iudiciorum ſuorum timore ac tremore ad ſuam confugerint miſericordiam, vbi ea quam ſibi repromittunt, æternæ ſalutis atque iuſtificationis ſuæ ſecuritas & fiducia vt de vtraque dubitare non liceat? Et cum diuinus metus animis noſtris tantopere vtilis & neceſſarius ſit, procul certe abigere oportet eam quam inD gerunt electionis & iuſtitiæ propriæ temerariam iactantiam & præſumptionem; vt iuxta piiſsimam B. Pauli commonitionem, *Cum metu & tremore ſalutem noſtram operemur.* Philip. 2. Coapoſtoli quoque eius Petri adhortationem ſequuti, *In timore incolatus noſtri tempore conuerſemur.* 1. Pet. 1.

3. Ad hæc, ingenti confidentia Caluinus adfirmat, *Chriſtum aliquando de ſalute animæ ſuæ non ſolum dubitaſſe; ſed & adeo diros in eadem anima ſua cruciatus damnati ac perditi hominis pertuliſſe; adeo omnia irati & punientis Dei ſigna expertum eſſe; adeo horribilis exitii metu & anxie-* *In cap.27. Matth. Inſtit. li.2. cap.16.*

tate cruciatum esse; adeo profundam mortis abyssum exhorruisse; adeoq; diuinæ maledictionis horrore percussum esse, vt in desperati hominis voces erruperit. Ex quibus sic ratiocinari mihi liceat. Si Christus omnium nostrum Seruator de salute animæ suæ dubitauit; an non Caluiniani eo sunt fœliciores, quod de sua nec dubitent, sed nec vllo vnquam pacto, de electione & iustificatione propria ambigere debeant? Christus æternus Dei Filius, iram Patris sui adeo timuit, vt diros in anima sua sentiret cruciatus; ergo longe beatiores eo sunt Bezani, quibus & semper & vbiq; persuasissimum est, quod sint coram eo iusti, dilecti & chari. Christus perditionis metu & anxietate cruciatus est; præstantiores ergo sunt illo Geneuani, qui nullam sibi à Deo perditionem metuunt, sed neque metuere possunt aut debent. Christus profundam mortis abyssum animo exhorruit; ergo lõge maiori cõstantia, magnanimitate, ac virtute animi præditi Hugnostici omnes, qui nullam abyssum, nullam mortem, nullam damnationẽ exhorrent; quippe qui de æterna prædestinatione, & præsenti iustitia sua sunt securissimi. Ecquid hoc aliud est, quam Luciferiana superbia, & prorsus diabolica præsumptione, temeritate, & arrogãtia, sese supra Altissimi ac Omnipotentis Dei vere altissimum & omnipotẽtem Filium attollere, & maiorem sibi gratiam & gloriam insolentissime & intolerãtissime arrogare? Atq; hæc sunt quæ ex illis aduersus istas eorum sententias nũc mihi obijcienda in memoriã occurrerunt. Tu quod præsto habes dicito.

4 DOCT. Habeo grauissimas quorumlibet electorum ac sanctorum Dei seruorũ querelas, expressas in Dauide, quæ satis indicant quanto metu ac tremore ad peccatorum suorum memoriam, & diuinorum iudiciorum recordationem consternantur, timentes ne in æternum à Deo abiecti, damnatique reprobentur. Plangore etenim & lamẽtatione terram complens, ille exclamat:
Psal. 18. *Ab occultis (peccatis) meis munda me Domine, &*
Psal. 6. 37. *ab alienis parce seruo tuo Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Tum etiam alibi palam efferens quanto diuini ac
Psal. 35. 118. & 142. districti iudicij timore percelleretur, ait: *Iustitia tua sicut montes Dei, iudicia tua sicut montes Dei, iudicia tua abyssus multa. Non intres in iudicium cum seruo tuo. A iudiciis tuis timui.* Hic nullam audis de æterna electione aut prædesti-

A natione sua iactantiam, nullam de præsenti iustitia securitatem: sed magnam trepidationem, magnam de peccatis contritionem, maximam deniq; iudicij ac perditionis deprecationem. Ergo cum tantus Dei seruus toto corpore tremit, totoq; animo profundiorem mortis abyssum propter superioris ætatis suæ peccata reformidat; extremæ profecto vel socordiæ vel temeritatis est affirmare, Nemini de salute sua timendum esse, propterea quod vnusquisq; fidelium exploratam perspectamque habeat in corde æternam suam electionem. Nam si vir iste secundum cor Dei, post tot diuinæ erga se
B beneuolentiæ manifesta testimonia, post translatum à se peccatum, post sacrificia Deo grata, adhuc metu ac tremore damnationis & reprobationis adeo concutitur; quam fiduciam, quam securitatem audebunt sibi repromittere hi, quos consciẽ sibi continue vellicant, mordent, & flagellant conscientię propter innumera grauiaq; peccata? An nõ potius eiusdem verbo ac imitatione, cũ gemitibus & suspirijs iugiter eis clamandum:
Ne proijcias me à facie tua? Ne proiicias me in tem- Psal. 50. 70.
pore senectutis cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me? Non me derelinquas vsquequaq;? Ne de- Psal. 37. Psal. 68.
relinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à
C *me? Intẽde in adiutorium meum Domine Deus salutis meæ? Intende animæ meæ, & libera eam? Non absorbeat me profundum, neq; vrgeat super me puteus os suum?* MIN. Longe tutius certe ac salubrius id fieret, quam de sua præsumere prædestinatione, aut de suæ iustificationis securitate insolescere. Tametsi enim externi homicidij aut adulterij non omnes cum Dauide sint rei, habẽt tamen fortasis, longe grauiora superbiæ, inuidiæ, odij, ingratitudinis in Deum, Philautiæ, cogitationum blasphemiæ, spiritalia peccata; quibus animæ & fornicantur, à Deo, & seipsas occidunt præcipitantque in mortem sempiternam: atq; ideo
D à diuinis seuerisq; iudicijs debent trepidare, sibique timere, & huiusmodi Caluinianam securitatem procul à se repellere.

DOCT. Sunt etiam in sacris literis expressa Iobi, Isaię, Ezechiæ, Danielis & sociorum, Tobiæ, Esdræ, &c. lamentabiles conquestiones, quibus & peccata sua coram Deo humiliter & demisse confitentur, & iudiciorum illius seueritatem deprecantur, orantque ne pœnas his debitas inferat: nullam vero de sua electione æterna, aut præsenti iustitia mentionem audies. Primus enim quasi ad Dei tribunal vocatus ait: 5

Quantus

Iob. 9. *Quantus sum ego, vt respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo: sed meum iudicem deprecabor.* Postremus autem cum multa consternatione exclamat:
2. Esdr. 9. *Deus meus, confundor & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt vsque ad cælum à diebus patrum nostrorum. Sed & nos ipsi peccauimus grauiter vsque ad Diem hanc, &c.* Quid his vel simile, vel affine Caluiniani? Omnes seu verbis seu scriptis gloriantur se electos ac prædestinatos esse ab æterno, omnes huius rei adeo certos vt ambigere nefas sit, omnes ex vteris matrum sanctos effectos, omnes adeo in gratia & fauore Dei receptos, vt nullo vnquam modo possint excidere. MIN. Me non solum piget stultitiæ eorum, sed etiam pudet.

6. DOCT. Rursum temerariam securitatem istam D. Pauli metu refello. Is enim à Domino Iesu immediate, cælitusque ad Apostolatum vocatus, ad tertium vsque cælum raptus, vt arcana quæ non licet homini loqui, exaudiret, cum nullius sibi sceleris conscius esset; huiusmodi tamen securitate
1. Cor. 4. præditum se apertissime denegans, ait;
1. Cor. 9. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Quid ergo? *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* MIN. Reuera, Deus multo acutius cernit quam nos: ac proinde quod nitidissimum nobis apparet, sordet in eius oculis. Ille plusquam perspicax est, nos ob-
Iob. 4. 15. 33. tusi sumus: ille seuerissimus iudex, nos indulgenter nimium sentimus de nobis. Nouerat, nouerat pro certo Dei fulgore stellas etiam obtenebrari, eius robore liquefieri montes, eius ira terram concuti, eius sapientia deprehendi in astutia sua prudentes; sed nec ipsos etiam cælos mundos esse in conspectu eius. Atque huc attollens oculos, trepidare potius elegit, quam temere exultare. Nouerat inquam, Dominum, cuius vult misereri, & quem vult indurare: quodque iam ad Romanum populum, omnium Christianorum ergo scripsisset: *propter incredulitatem*
Rom. 9. 11. *fracti sunt rami, tu autē fide stas. Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris.* Quapropter vere diabolicam video esse securitatem, sic plusquam iuueniliter de sua

A prædestinatione & iustificatione quasi de re penitus explorata exultare & gloriari.

DOCT. Quam ob rem etiam scripsisset 7.
ad Corinthios, *Qui stat, videat ne cadat,* si quis- 1. Cor. 10.
que electorum tam æternę electionis, quam iustificationis, ac perseuerantiæ suæ in finem prorsus securus ac fide certus esset? Aut iusta occasione timuisset, ne Serpens qui seduxerat Euam astutia sua, ita corrumperet 2. Cor. 11.
sensus eorum, & exciderent à simplicitate quæ est in Christo Iesu; si hi qui electi, iustificati, & semel in gratiam recepti sunt, ab his omnino excidere non possent? Aut ad He-
B bræos scripsisset: *Timeamus ne forte relicta pol-* Hebr. 4.
licitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis nostrum deesse; si fides vnumquemque priuatim salutis suæ securum redderet ac certum?

MINIST. Nunquam certe Deus tot Pro- 8.
phetarum & Apostolorum vocibus diuinæ iustitiæ suæ metum, ac districti iudicij sui terrorem incussisset mortalibus, si Spiritu suo in cordibus fidem huiusmodi contrariam iustitiæ atque salutis propriæ securitatem infunderet. Sed neque tam studiose promissis suis conditionalem dictionē apposuisset, di- Matth. 19.
cens: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Nec Ioan. 5.
C his vsus esset verbis? *Qui bona fecerunt, ibunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionē iudicii:* Nec cōminationes istas pollicitis suis adhibuisset: *Si quis in me non manse-* Ioan. 15.
rit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & in ignem mittent, & ardet; nisi temerariam de salute propria persuasionem voluisset è cordibus nostris excutere: contra vero in sancto timore, ac bonorum operum studio mentes nostras perpetuo retinere.

DOCT. His adde, quod si ex hac parte 9.
attente considerauerimus quam incompre- Rom. 11.
hensibilia sunt iudicia Dei, & inuestigabiles Psal 65.
viæ eius, quamque terribilis sit in cōsilijs suis
D super filios hominum; ex altera vero summam intellectus humani imbecillitatē, planeq; stupidam ignorantiā, qua nec nos ipsos, nec sensuum, nec corporum, nec facultatū animæ compositiones aut naturas satis perspectas habemus; sed neq; cordium cogitationes seu pręsentes seu futuras non esse nobis exploratas; quanta deniq; ex ordinibus & perfectionibus Angelorū, ac corporū cælestiū motibus & influxibus nos lateant: non inuiti sane confitebimur summi Dei de nostra, huiusq; ac illius æterna prædestinatione aut reprobatione consilia atq; decreta, prorsus

Rom.11. Isa.40. nobis imperuia & inscrutabilia esse: *Quis enim cognouit sensum Domini, aut consiliarius eius fuit? Cum quo iniit consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ, & erudiuit eum scientiam, & viam prudentiæ ostendit illi? Quis hominum poterit scire consilium Dei: aut quis poterit* Sap.9. *cogitare, quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ, Difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore; quæ autem in cælis sunt, quis inuestigabit?* MIN. Non est ambigendum profecto, quin his vocibus suis nos Spiritus sanctus remittat ad nostræ imbecillitatis ac stupiditatis considerationem, vt hac superati subactique discamus non timere in æternum ac ineffabile Dei consilium irrumpere, nec de nostra aliorumve prædestinatione vel reprobatione pronunciare. Atque ad hoc etiam pertinere iudico, Rom.11. quod ait Paulus: *Noli altum sapere, sed time.* Et iterũ: Rom.12. 10. *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.*

DOCT. Omnium autem maxime in hæc Spiritus sancti oracula erigendi ac defigendi sunt animi nostri. Eccl.9. *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta, eo quod vniuersa æque eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & sacrificia contemnenti.* MIN. Certe apertioribus aut grauioribus verbis nemo posset Bezanam de propria *cuiusque electione* ac iustificatione scientiã atque securitatem damnare, quandoquidem si omnia nobis nunc incerta sunt, horumque 1.Cor.4. manifestatio in futurum seruatur, *cum Deus reuelabit abscondita tenebrarum, & aperiet consilia cordium*, inconsideratissimæ ac dementissimæ proculdubio temeritatis pleni sunt, qui omnem de sua electione æterna, aut præsenti iustificatione certitudinem tam asseuerãter sibi promittunt.

11. Hiero. in c. 9. Eccles. Sed quid ad superiora Sapientis verba Hieronymus commentatur velim audire. DOCT. Hac paraphrasi illorum germanũ sensum explicat: Etiam in hoc dedi cor meum, & scire volui, quos Deus diligeret, & quos odisset: & inueni iustorum quidem opera in manu Dei esse: & tamen vtrum amẽtur à Deo, an non, nunc eos scire non posse, & ambiguo fluctuare, vtrum ad probationẽ sustinent, an ad supplicium. In futuro autem scient, cum de hac vita decesserint. MIN. Equidem non possunt in hoc articulo Hieronymus & Caluinus conuenire. Quod enim vir ille sanctus iuxta Scripturam, dicit A mortalibus ac viatoribus ignotum ac incertum: profanus iste tam manifestum ac certum affirmat, vt non liceat dubitare.

DOCT. Idem rursum alibi tam frequẽter quam pie quemque nostrum admonet, 12. Cauendas ac metuendas esse carnis, mundi, & diaboli tentationes ac insidias, diuinum continuo inuocandum esse aduersus illas patrocinium, timendum ne labamur, & futurum Dei iudicium perhorrescendum. Ait In cap.30. Ezech. enim, Nullus intrepidus incertusque de sententia, absque pauore Iudicem præstolatur. Aut rarus, aut nullus poterit inueniri, qui ira In cap.5. Matth. corripiente non dignus sit: nec erit vlla anima, B quæ non paueat ad iudicium Dei, cum astra quoque non sint munda in conspectu eius. Denique etiam aduersus hæreticam In c.2. Ier. securitatem inquit: Semper in periculo consistimus, & vbique diabolus tendit laqueos suos, frustra hæresis suspicatur hic perfectã esse victoriam, vbi assidua pugna est, & incertus exitus futurorum.

MIN. De Hieronymo iam satis: ad Augustinum accede. 13. L. de præd. & grat. c. 13. DOCT. In hanc hæreticam præsumptionem magna confidentia inuectus, clama? Quis ex multitudine fidelium, quandiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? C Quasi dicat, Neminem reperiri tanta inflatum arrogantia & impudentia, qui idipsum audeat profiteri. Et ea propter addit, Expediuisse hoc mysterium nobis ignotum esse, ad domandam innatam cordibus humanis elationem: quæ etiam cauenda fuit in Paulo, atque in hanc rem datus ei stimulus carnis Angelus Satanæ, qui eum colaphizaret. 2.Cor.12. Alibi rursum non superbe de se præsumere, sed multo magis humiliter sapere atque timere sic docet: L. de perfe. iustitiæ ca. 19. Quantalibet iustitia sit præditus homo, cogitare debet ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inueniatur esse culpandum: cum Rex iustus sederit in throno: cuius cogitationem fugere delicta non possunt, nec illa de quibus dictũ est, D Psal.18. *Delicta quis intelligit?* Prouer.20. Cũ ergo Rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur, castum se habere cor? Cõment. in Psalm. 50. Aut quis gloriabitur, mundum se esse à peccato? Ioan.3. Ioel.2. Et alio in loco, ad incerta & occulta diuinæ sapientiæ referendum esse docet, An ignoscat Deus, & quibus, qualiterque ignoscat. Et ad hoc incertum Niniuitas pœnitentiam egisse dicentes: *Quis nouit, si Deus flectat in melius sententiam suam, & misereatur?* Ait demum & libro sexto Hypognosticon, Se multos cognouisse multiplici virtute prædi-

prædițos, tandē in senecta prolapsos periisse: contra, alios in grauissimis delictis maiorem ætatis partem transegisse, qui tandem à vitiis cōuersi, beati euaserunt. Vidisse præterea paruulos in complexu parentum cum ad sacrum lauacrū deferrentur, vitam cum morte antequam regenerarentur, commutasse. Quis horum diuinorum iudiciorum exactam rationem exoluet? An non decet
Psal. 95. nos post Psalten exclamare: *Quam magnificata sunt opera tua Domine! Nimis profundæ*
Psal. 91. *factæ sunt cogitationes tuæ! Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* MIN. Prodigiosum plane, nullum esse in Caluiniana secta tam sordidum ministrū, stolidum Superintendentem, aut impurum Hugnosticum, qui non palam iactitet se probe perfecteque nouisse, quid de illo Deus singulariter statuerit: nimirum quod pro certo sit de numero electorum; item per fidem in Christum iustus & gratiosus coram Deo; & ab hac iustitia quicquid vnquam agat, nequaquam excidere posit; atque hæc omnia tam certa & perspicua sibi esse, quam si super Apostolum Paulum ascendisset, in octauum, nonum, ac decimum cælum, ibidemque in corde ac mente Dei altissimi cuncta eius consilia & iudicia euidentissime conspexisset, quæ nec ipsis beatissimis Angelis nota sunt. Precor communem Deum ac Dominum nostrum vt ab hac cæcitate illos tandem aliquando expediat, reducat vero in eam quam deseruerunt lucis veritatem. Pergamus ad reliqua.

SPIRITVM SANCTVM ALIQVOties permittere vt veram Fidem semel à se datam homines amittant, nec donum PERSEVERANTIÆ *illi semper aut necessario connexum esse: aduersus 52. & 53. hæresin.*

CAPVT XIX.

DOCTOR.

IN duplici rursum errore versantur, Spiritui sancto affingentes quod semel à se fide nunquam extingui sinat, nec perseuerantiæ donum ab eadem vnquam seiungi permit-
In cap. 13. Matth. v. 20. Conf. punct. 4. art. 50. tat. Hoc est enim Caluinicum axioma. *Vt nunquam extinguitur Spiritus ille (sanctus) ita & fidem quam ille insculpsit piorum cordibus euanescere & perire impossibile est.* Bezam mali corui malum ouum aliter crocitare non decuit: ac ideo scripsit: *Donum Fidei à dono perseuerantiæ nunquam potest separari.* Easdem ne amplecteris sententias?

MIN. Omnino contrarias ac repugnantes & teneo & doceo, ipsisque Authoribus ita mihi persuadentibus. Caluinus namque de trina Petri negatione magna confidentia scribit: *Petri infidelitas in summum cumulum erupit.* Quid autem à fide magis alienum, idemque magis contrarium, quam infidelitas, ac eadem in summum cumulum erumpens? Qui ad huius apicem peruenit, nonne manifeste ostendit fidē tum in se extinctam esse? Donum perseuerantiæ non ipsi perpetuo annexum esse? Ergo vel Petrum ad horam illam vsq; omni fide caruisse, vel fidem semel acceptam aliquando euanescere ac perire posse, fateatur Caluinus necessum est. Confut. 1. In cap. 26. Matth. v. 74.

Alibi etiam scribit: *Plus satis apparet quam teneri simus ad recipienda ex malis exemplis vulnera. Ita fit vt vnius hominis defectio ducentis aliis lethale infligat vulnus ad extinguendam eorum fidem.* Ex quibus aperte consequitur, & virum antea fidelem posse à fide non solum deficere: sed & multorum aliorum suo lapsu fidem extinguere ac opprimere, salua tamen semper Spiritus S. manente persona diuinaque maiestate. 2. In c. 13. Io. v. 2.

Vbi etiam de scandalo concepto ab Apostolis propter Domini nostri apprehensionem & passionem disputat, asserit, *Fidem eorum deiectam, velut succubuisse. Petrum & Ioannem die resurrectionis, longe adhuc abfuisse à pura & liquida fidei notitia, seipsum accusare Ioannem, dum hoc sibi fuisse credendi principium fatetur. Quamuis Ioannes se credidisse dicat, non fuit tamen firma illa fides, sed confusus quidam miraculi sensus, & exstasi similis. Sic Apostolos trepidasse, vt fidei defectum proderent. Thomam non modo tardum & difficilem ad credendum fuisse, sed etiam contumacem. Verba eius nihil habuisse affine fidei; sed sensuale iudicium.* Item: *Petrum à fide turpiter defecisse. Omnes quidem quandam sanctiorem opinionem de Christo conceperant; tamen multum aberat à syncera cognitione fidei, &c.* Hæc ille de Apostolorum fide, & eorundem in ea lapsu: ex quibus sic disputationem aduersus duos eius errores conficio. Fides, vt & ipsi alibi docent, nullam admittit dubitationem: Petrus, Ioannes, cæteri Apostoli vt hic autumant, etiam in ipsa resurrectionis Christi die, longe aberant à fide; & trepidatione, fidei suæ defectum prodebant; ergo ante illum diem tametsi baptizassent & miracula in nomine Christi edidissent, omni fide & religione caruerunt: quod vel cogitasse solum 3. In c. 16. Io. v. 31. & in c. 20. v. 8. & 10. & 19. & 24. In c. 21. Io. vers. 15. In cap. 21. Mat. v. 21.

 lum

lum nefas & scelus est. Ioannes, inquiunt, resurrectionis diem initium credendi sibi principiũ fuisse fatetur: ergo vel antea nunquam crediderat vnum esse Deum Legis & prophetarum, qui Filium suum in carnem misisset; nec hunc Iesum vere esse Christum, nec eum vera docuisse, & certa miracula fecisse; quæ omnia absurda & impia sunt; necesse est vt fateatur Caluinus: vel fidem semel acceptam imminui, tandemque penitus extingui posse: quod superioribus sententiis suis omnino contrarium est. Quod si etiam Petrus semel à fide turpiter defecit; Thomasque & incredulus, & infidelis, & contumax ad tempus fuit, vt hic palam adfirmant; nonne apertissime consequitur, & Fidem pro tempore extingui posse, & donum perseuerantiæ non semper illi connexum esse? His itaque Caluinum & propriis verbis illaqueatum & damnatum teneo: & disco Fidem sic donum esse Spiritus sancti liberum, vt ab impio auferri possit, sicut in pio viro libere seruari.

4. Placet his quædam ex Protestantium ministrorũ aduersus errores Caluinianos adiiciam? DOCT. Perplacet, hinc enim illustrior erit de istis victoria. MIN. In colloquio Mompelgartensi Beza quæsiuit à Cancellario Tubingensi. *An Simon Magus crediderit cum baptizatur?* Respondit ille: Maxime. Id enim Scriptura aperte testatur: Ait Beza: *At, non habuit partem in regno Christi: quomodo ergo fidem habuit?* Respondit Iacobus Andreas. Gratiam quam in Baptismo accepit, per suam impietatem, iterum amittere potuit. Fieri enim potest, vt vere credens, fidem & Spiritum sanctum iterum amittat, quibus à Deo in Baptismo donatus erat. Beza, *Simon Magus simulauit se credere, sed non credidit.* Iacobus Andreas. Videamus & audiamus ipsum Euangelistam Lucam de Simone Mago, & eius fide sic loquentem: *Cum vero (Samaritani) credidissent Philippo Euangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri & mulieres.* TVNC SIMON ET IPSE CREDIDIT. Hoc testimonium apertum est, quo testatur Lucas, ipsum Simonem credidisse. Et post Petri ad ipsum factam comminationem, ait: *Precemini, & vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat super me horum, quæ dixistis.* Quod nunquam fecisset, si non vere credidisset. Respondenti rursum Bezæ: *Non fuit vera fides, sed simulata:* dixit Lucas Osiander. Si ad hunc modum semper licebit omnia aperta Scripturæ sacræ testimonia, per glossas eludere: quid tandem certi in vniuersa sacra Scriptura retinebimus?

Pag. 461. 462.

Act. 8.

5. DOCT. Reuera huic hæreticæ licentiæ nihil certi, nihil firmi ac indubitati relictum erit. Verum, huic à Germanis per te desumpto clarissimo apostasiæ Simonis Magi exemplo, omnium temporum ac sacrarum historiarũ apertissima testimonia paucis verbis subnecto. Docent scripta Moysi & reliquorum Prophetarum, innumeros à vera patrum fide turpissime defecisse, tum ante diluuium, tum diebus Abrahæ, Isaac, & Iacob; tum denique sæuientibus aduersus populum Dei Ægyptiis, Chaldæis & Græcis: quinetiam referunt Ieroboamos, Achabos, Ochosias, Manasses, Sedechias, Rhapsaces, Simones, Iasones, Menelaos, & alios absque numero apostatas, à vera quam semel professi fuerant, religione nequissime defecisse, vt ritus ethnicorũ penitus amplecterentur. Christianæ quoq; literæ suos recensent Iudas, Ebiones, Cerinthos, Nicolaos, Demas, Hermogenes, Philetos, Hymenæos, Alexandros; deinde etiam Patrum temporibus Iulianos, Porphyrios, Lucianos, Ecebolios, Peregrinos, &c. *qui* (vt ait Paulus) *à fide naufragauerunt.* Hos & alios innumeros necesse est vt vel Caluinus inuito Spiritu sancto iustificet: vel Paulo reclamante, à fide vere excidisse perneget: vel deniq; rediens ad cor, nobiscum fateatur fidem amitti posse, donumq; distinctũ esse à Perseuerantia. 1. Tim. 1.

6. Cum etiam dominus tam sollicite rogauit pro Petro, *vt non deficeret fides illius*: satis ostendit eam & deficere posse: & piis viris orationibus opus esse, vt Perseuerantiæ in eadem donum à Spiritu sancto obtineant. Luc. 22.

7. Ad hæc, arguens Petrum modicæ fidei, & Pharisæis exprobrans, quod fidem & misericordiam relinquerent; an nõ docet eam virtutem sua incrementa, decrementa, imo & maximos pati defectus? Et aliis Scripturis Spiritus S. Elymam redarguens, quod Proconsulem Cypri auerteret à fide; Corinthiis exprobrans, quod à fidei simplicitate defecissent; Galatas obiurgans, quod nimia leuitate in aliud transissent Euangelium; Pseudoapostolos damnans, quod subuertissent quorundam fidem; prænuncians que in nouissimis temporib⁹ discessuros quosdã à fide, attendẽtes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorũ, omni luce clarius ostendit particularem hominũ fidem deficere posse, nec semper Perseuerantiã adiunctã habere.

Matth. 14. 23. Actor. 13. 2. Cor. 11. Gal. 2. 1. Tim. 6. 2. Tim. 6. 1. Tim. 4.

Sed

8. Sed omnium clarissime id conuincitur ex eo quod audito sermone Domini de Eucharistia, *Multi ex Discipulis eius*, inquit Euangelista, *cum audissent dixerunt : Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* Et paulo post: *Ex eo multi eius Discipuli abierunt retro, nec amplius cum eo ambulabant.* At vero discipuli non fuerant sine vera fide: nec defecerant ab eo nisi sua infidelitate. Fides igitur semel accepta per aduenientem infidelitatem vere amittitur & extinguitur; proinde haberi potest sine finali perseuerantia.

Ioan. 6.

9. MIN. Locus plane apertus est: hæresesque præfatas penitus labefactat: nihilominus audire gestio, quid de eo senserint Patres. DOCT. Chrysostomus diserte scribit: Abierunt retro: hoc est, non proficiebant in virtute: & quam iam habebant fidem perdiderunt, cum se sciderunt. Cyrillus æque aperte ait: Incredulitate sua rem totam contemnunt, retro abeunt, & ambulare cum domino sua morositate recusant.

Homil. 47. in Ioan. *L. 4. in Io. c. 20.*

10. Quod si duorum Græcorum nondum tibi facit satis interpretatio; en & duorum Latinorum perantiquorum sane diuinus consensus. Cyprianus Martyr docet nec mirandum, nec deficiendum animis, si quidam extremis temporibus superbi & contumaces de Ecclesia Dei recedunt, aut contra Ecclesiam faciunt, quando tales futuros & Dominus & Apostoli ante prædixerint. Quinetiam ipsum dominum miracula facientem Discipuli reliquerint. Et ad Apostolos aliquando dixerit: *Nunquid & vos vultis abire?* Plantationes sunt non à Deo patre plantatæ: de quibus & Ioannes ait: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.*

Ep. ad Cor. *Matth. 24.* *Ioan. 6.* *Matth. 15.* *1. Ioan. 1.*

11. Tertullianus hæc corroborans, addit, Phygellum & Hermogenem, Philetum & Hymenæum à fide defecisse, Paulo adhuc superstite, Nicolaum & Simonem viuente Petro; Iudam sub Christi regno; & impios Angelos è cœlis excidisse. Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si virgo, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit? Ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere? *Homo in faciem videt, Deus in præcordia contemplatur.* Et ideo cognoscit Dominus qui sunt eius. Plantam quam non plantauit Pater, eradicat: & de primis nouissimos ostendit: & palam in manu portat, ad purgandam aream suam. Auolent quantum volent paleæ leuis fidei quocunque afflatu tentationum, eo purior massa frumenti in horrea domini reponetur, &c.

L. Præscr. *1. Reg. 16.* *2. Tim. 2.* *Matth. 15.* *Matth. 3.*

MIN. Hæc sane perdocta & sancta: sed nondum plane animo meo satis est factum, donec magni Antistitis Augustini de hac re sententiam audiero. DOCT. Libro integro de bono perseuerantiæ plurimis Scripturis, rationibus, exemplisque commonstrat, Perseuerantia donum mortalibus incertum & occultum esse: ideoque assiduis gemitibus ac precibus illud ipsum esse à Deo requirendum. Asserimus, inquit, donum Dei esse Perseuerantiam, qua vsque in finem perseueratur in Christo. Vtrum vero quisq; hoc munus acceperit, quandiu hanc vitam ducit, incertum est. Et rursum ibidem: De vita æterna nemo potest esse securus, nisi cum consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram: sed faciet nos perseuerare in se vsque in eius vitæ finem, cui quotidie dicimus, *Ne nos inducas in tentationem.* Scribit iterum in Ciuitate Dei: Quis hominum se in actione profectuque iustitiæ perseueraturum vsque in finem sciat, nisi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re iusto latentique iudicio, non omnes instruit, sed neminem fallit? MIN. Hæc sufficiunt. Ex his enim satis video tantam esse in rebus humanis inconstantiam, vt & homines à fide semel suscepta possint deficere, atque idcirco pro dono perseuerantiæ ad Deum continuo cum Apostolis exclamandum, *Domine, da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum. Domine, adauge nobis fidem:* quoniam ab ipso est omnis patientia, constantia, & fortitudo nostra. Perspicio denique tantam esse distantiam, inter Spiritus sancti æternam personam, substantiam, & maiestatem, & inter fidem nostram, quæ est donum ac effectus ab eius bonitate & gratuita largitate procedens; vt hoc extingui ac perire possit, imo in Apostatis ac hæreticis frequenter pereat, illo in sempiternum manente. Atque ideo tetro errore Caluinum cum suis detineri, quando illum cum donis ac effectis suis temporalibus ita confundit; vt similis atque par sit vtriusque vel pereundi vel permanendi necessitas. Aliam disputationem ineamus.

12. *Lib. de bono perseu. c. 1.* *Cap. 22.* *Iob. 7.* *Matth. 6.* *Lib. 11. c. 12.* *Actor. 4.* *Luc. 17.* *Ps. 61. 72.*

* *
*

SPIRI-

SPIRITVM SANCTVM FREQVENter permittere electos atque iustificatos, per peccata lethalia ab accepta gratia sua & fauore excidere: aduersus 54. Caluinianorum hæresin.

CAPVT XX.

DOCTOR.

ILlo etiam Prædicantes vestri detinentur errore, vt adfirment Spiritum sanctum nunquam sinere semel iustificatos aut electos per peccatum mortale excidere ab illa gratia gratum faciente, seu iustitia, quam semel eius beneficio consecuti fuerint. Scribit enim Caluinus, vt Gallica eius ad verbum reddimus, *Tam grandi efficacia Spiritus sancti Deus in electis suis operatur, vt nullus eorum cadat.* Et alibi apertius: *Sanctificatio filiis Dei collata, radicem habet in eis, quæ nunquam potest euelli.*

In Io. c. 5. 13.

Cõfutatio 1. MIN. Amplioribus probationibus non est opus: noui enim communem esse totius sectæ sententiã. Veruntamen nec eam probo, nec probabo vnquam, quoniam nec ipsi eandem semper probant aut retinent. Volunt etenim alibi, *Christum significasse suis Apostolis, quod nisi vigilarent & orarent, opprimi possent à tentatione: intrare vero in tentationem, nihil aliud esse quam eidem succumbere.* At vero, ex Euangelio constat Apostolos tum nec vigilasse, nec orasse: certum est igitur illos tentationi succubuisse, atque sic ab accepta prius gratia, iustitia, & sanctitate ad tempus excidisse.

In cap. 26. Mat. v. 41.

2. Deinde, palam etiam vociferant, *Petrum publice Christum abnegando, sub Christi persona lumen totius redemptionis nostræ sepeliuisse: & tertia negatione in summũ infidelitatis erga Præceptorem, cumulum peruenisse.* Manifestum est igitur electos & sanctificatos aliquando fœdissime cadere, & sanctificationem illis collatam tales in eis radices non iecisse, quin aliquando reuellantur: iterumque inserantur & repullulent, quando pœnitentia conuersi ad Dominum redeunt. Non enim negare possent tam Petrum, quam alios decem coapostolos de numero fuisse electorum, aut iustificatos à peccatis, antequam accepto de Passione Præceptoris scandalo, lapsi sint.

In cap. 26. Matth. v. 70. 74.

3. Præterea, superiori disputatione relatum est, Caluinum beatum Petrum retulisse in reos, *propter perniciosissimum scandalum, scis-*

A *sam Ecclesiæ vnitatem, obrutam Christi gratiam, oppressam Christianam libertatem, deformatum Euangelium*; & alia, quæ in eum comminiscitur, plurima & mortalia crimina, in quæ etiam post acceptum Spiritum sanctum ceciderit. Quinetiam beatissimum vas electionis Paulum, *communibus hominum passionibus, imo & epicureismo, maximoque Dei contemptu, pro viribus commaculare.* Cum his autem fœdissimis ac turpissimis sceleribus minus potest consistere gratia Dei, aut sanctitas iustitiaque à Spiritu sancto infusa, quam lux cum tenebris, calidum cum frigido, iustitia cum iniquitate. Possunt igitur sancti

B Dei homines eam gratiam & sanctitudinem aliquoties perdere, quam à diuina largitate susceperunt. Atque sic iacent propriis machinis prostrata & euersa Caluini præsidia.

DOCT. His tuis argumentis subiicio 4.
Adæ, Mosis, Aaronis, Mariæ sororis eorum, & Dauidis exempla notissima & certissima. Hos enim ex electorum ac sanctorum albo delere non possunt, nisi velint cum Marcionistis ac Manichæis ab omni religione Christiana deficere. Illi autem in peccata grauissima & pessima delapsi, prius datam sibi Spiritus gratiam & sanctificationem ad tempus amiserunt. Enimuero ea stare nequit cum

C fœdissimis adulteriis, proditionibus, homicidiis, detractionibus, infidelitate, ac idololatria, quibus hos in Deum deliquisse, etiam aduersarii vltro confitentur.

Ecquid etiam in Euæ primæ fœminæ ex- 5.
cusationem à peccato lethali possent adferre: quam constat diabolo mentienti maluisse credere ac obaudire, quam Deo omnipotenti? Ambitu plane Satanico, diuinam æqualitatem appetiisse? An non etiam orbis reparator Noe nimio vini potu sese ingurgitando, Loth filiarum suarum virginum pudicitiam incestuose expugnando, fratres Ioseph odio fraterno, Samson cum Dalila

Genes. 9. Genes. 19. Genes. 37. Iudic. 14. Iona 1.

D scortando, Ionas à conspectu domini fugiendo, Caluinianorum censura & iudicio, actualibus & mortalibus delictis seipsos cõmaculantes, iram atque indignationem diuinam in sua capita accersiuerunt; & præcedentem sanctitudinem & iustitiam commacularunt? Nam quicunque aliter senserit aut docuerit, vniuersos infideles, ambitiosos, ebriosos, incestuosos, fratricidas, scortatores atque perduelles, contra omnem Scripturam & rationem iustificans, ad quæuis scelera perpetranda incitabit, prouocabit, inflammabitque. MIN. Enimuero cum

è sacro

è ſacro ſuggeſtu, Prædicantiſque iuxta purum Euangelium repurgati, ore, in templo Domini perſonare audierint adulteri, fornicatores, mœchi, ſacrilegi, inceſtuoſi, raptores, homicidæ, helluones, prauis aduerſus Deum opinionibus infecti, omnes denique improbi, ſeſe propter huiuſmodi ſcelera diuini Spiritus ſanctificationem, gratiam, & fauorem nec amiſiſſe, nec vnquam amittere poſſe; ad omnia ſcelerum genera ſiue contra Deum, ſiue contra proximum perpetranda longe reddentur audentiores & impudentiores. Atqui hi erunt Caluinicæ doctrinæ fructus, hi profectus.

6. DOCT. Verum, his abſurdis & incommodis ſuperiorem hæreſin cōſequentibus, prætermiſsis; apertiſsimis Scripturarum teſtimoniis nunc eandem refello. Quo pacto veræ poſſent remanere hæ comminationes
Ezech. 18. diuinæ, *Si iuſtus auerterit ſe à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, &c. nunquid viuet? omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur, in peccato ſuo morietur:* ſi ſanctificatio, filiis Dei collata, radicem habet in eis, quæ nunquam poteſt euelli?

7. Aut quo iure Spiritus domini dixiſſet
Apoc. 3. Philadelphienſium Epiſcopo, *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*; vel Laodicenſium Antiſtiti comminatus eſſet, *Incipiam te euomere ex ore meo*, ſi nullus credentium poſſet ab accepta ſemel gratia Dei excidere?

8. Certe nec Apoſtolus vnquam ſcripſiſſet
Heb. 3. 4. ad Hebræos, *Videte fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo*
Heb. 6. *viuo, &c.* Et paulo poſt: *Timeamus ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem Domini, exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe.* Iterumque poſtea; *Impoſsibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti; & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam:* niſi omnino perſuaſum habuiſſet, & fideles per incredulitatem poſſe à Deo diſcedere; & ſanctos viros quandiu inter huius viæ incedunt ſcandala prolabi, ac extra omnem ſanctitudinem, gratiam & fauorem Dei cadere, mori, atque perire poſſe.

9. MIN. Si quæ tibi occurrunt veterum Theologorū in hanc rem teſtimonia, nunc, quæſo te, producas. DOCT. Nec ſimpliciter nec perfunctorie in hanc hæreſin, quæ etiam olim Pelagii ac Iouiniani fuiſſe dicitur; ſed eximio zelo, atque variis Scri-
Epi. ad Cteſiphont. pturarum teſtimoniis ac exemplis inſtructus Hieronymus inuehitur, his verbis exorſus:

Quæ poteſt alia maior eſſe temeritas, quam Dei ſibi non dicam ſimilitudinem, ſed æqualitatem vendicare: & breui ſententia omnium hæreticorum venena complecti? Et conſequenter docet fanaticam opinionem iſtam hominem ex homine tollere, & in corpore conſtitutum eſſe ſine corpore; cum ſolus Deus natura iuſtus & ἀναμάρτητος
exiſtat. Huius quoque aſſertores contendit 2. Reg. 16.
ſeipſos attollere ſuper Patriarchas & Pro- 2. Par. 6.
phetas, qui ſua palam confitentur peccata, Pſal. 50.
& ad veniam obtinendam ingemiſcunt. A- & 142.
poſtolis denique ſanctiores ſeſe venditant, Prou. 20.
quorum vnus de ſeipſo ait: *Sentio legem in* Iob. 14.
membris meis repugnantem legi mentis. Alter de Rom. 7.
cunctis coapoſtolis: *Si dixerimus quoniam pec-* 1. Ioan. 1.
catum non habemus, noſipſos ſeducimus, &c.

Auguſtinus in hanc rem Salomonis ex- 10.
emplum memorabile proponit. De hoc e- L. 29. adu.
nim in ſacris refertur, quantum illum Deus Fauſtum c.
initio dilexerit, & gloria, honore, ſapientia, 81. 82. &c.
& opibus præ cunctis huius ſeculi Regibus auxerit: verum in ſenectute alienigenarum fœminarum delitiis deprauatus, infeliciter ab excelſa gloria, in ſummam ignominiam; & ab excellenti gratia, in fœdiſsimam idololatriam & iram Dei prolapſus ſit. Apparet
(inquit) in perſona huius Salomonis & mi- L. de vnit.
ra excellentia & mira ſubuerſio. De eadem Eccl.
ſcribit etiam Cypr. Salomon poſtquam re- L. praſcr.
liquit viam Domini, perdidit & gratiam Domini. Et Tertullianus: Salomon omni gratia & ſapientia donatus à Domino, ad i-
dololatriam à mulieribus inducitur. Et ali- L. 3. adu.
bi: Salomoni etiam ira Dei acceſsit, poſt lu- Marci. c.
xuriam & idololatriam. Rurſumque: Salo- 10.
mon (audeo dicere) etiam quam habuit in & L. 5. c. 9.
Deo gloriam amiſit, per mulieres in idololatriam vſque pertractus. Iterumque de
Saule ſimul & Salomone Cyprian. Salo- Epi. ad Rogatianum.
mon & Saul & cæteri multi, quandiu in viis domini ambulauerunt, datam ſibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab eis Dominica diſciplina, receſsit & gratia. MIN. Grauiſsima plane ſunt hæc teſtimonia, & ſatis oſtendunt quam ſit imbecilla inconſtanſque humana conditio, ita vt non debeat in ſuperiori iuſtitia vel ſanctitate quiſquam confidere: ſed potius qui ſtat, videat ne cadat: & ſi ceciderit, Deum inuocet vt reſurgat. Sed redeas obſecro, ad Auguſtinum.

11. DOCT. Is ad inconſtantiam humanæ mentis, ſimulque tremenda iudicia Dei ſtupens exclamat: Magna ſunt hæc iudicia tua
domine Deus, iudex iuſte & fortis, qui iu- Solilo. c. 29.
dicas

dicas æquitatem, & inscrutabilia facis, quæ A cum considero, contremiscunt omnia ossa mea. Quoniam non scrutatur homo super terram, vt seruiamus tibi pie & caste cunctis diebus vitæ nostræ in timore, *& exultemus tibi cum tremore:* vt non sit seruitium sine timore, neque gaudium sine tremore: *& non glorietur accinctus aeque vt discinctus, neque glorietur ante te omnis caro:* sed pauescat & contremiscat à facie tua, cum ignoret homo, *Vtrum amore an odio dignus sit: sed in futurum omnia reseruantur incerta.* Vidimus enim multos domine, & audiuimus à patribus nostris, quod vtique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor, ascendisse primitus quodammodo vsque ad cœlos, & inter sydera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse vsque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cœlo cecidisse ab impetu ferientis caudæ draconis: & eos qui iacebant in puluere terræ, à facie subleuantis manus tuæ mirabiliter ascendisse. Vidimus viuos morientes, & mortuos à morte surgentes, & eos qui inter filios Dei ambulabant, quasi lutum ad nihilum defluxisse. Vidimus lucem obtenebrasse, & de tenebris lumen processisse, quia publicani & meretrices præcedunt incolas in regnum cœlorum, *filij autem regni eiiciuntur in tenebras exteriores.* Hactenus æque pie ac erudite Augustinus.

Psal. 2. 3. Reg. 20. 1. Cor. 10. Eccles. 9. Psal. 106. Abd. v. 4. Apoc. 12. Ezech. 28. Matth. 21. Matth. 8.

11. Ambrosius autem non solum electos ac sanctificatos viros à gratia excidere posse docet, assumptis Adæ & Dauidis exemplis; verum etiam cur hoc alto iudicio suo permittat Deus, causas inuestigans, primam assignat, vt homines nos esse cognoscentes, nemo propriæ virtuti confidat. Secundam, vt animaduertamus nos habere aduersarium magnum, qui vinci à nobis sine Dei fauore non possit. Tertiam, ne Sanctos ob egregias virtutes, plusquam homines esse credamus. Postremam, vt alienis periculis & lapsibus cautiores redditi, insolentiæ scopulum timeamus, in quo naufragium fit bonorum. MIN. His ego contentus sum. Didici autem, incredibilem esse humanæ mentis inconstantiam, iudicia diuina plane exhorrescenda, nec de præterita iustitia insolescendum, quin potius cum religioso timore, diuinum auxilium assiduis precibus omni loco & tempore implorandum. Quid adhuc superest?

Com. in c. 3. Luc.

SPIRITVS SANCTI GRATIAM IN his non hærere, qui actu reque ipsa sunt in peccatu mortalibus: aduersus hæresin 55.

CAPVT XXI.

DOCTOR.

NEfarius error, quo Vestri docent Spiritum sanctum etiam cum his habitare, qui actu reque ipsa peccatis mortalibus sunt inquinati ac deformati. Beza dum id asserere nititur, exempli gratia beatum Petrum proponit: *qui licet (inquit) carnis & sangui-* B *nis instinctu deliquerit, tunc nihilominus non omnem fidem perdiderat: sed neque omnino Spiritus sanctus ei ademptus fuerat.* Idem in nouissimo colloquio Mompelgartensi, eundem errorem palam sustinuit: nec admonitus conuictusq; à Iacobo Andrea, Luca Osiandro, aliisque Lutheranis, dicentibus, se nullo vnquam pacto docere velle, scortatores, adulteros, & alios perpetrantes peccata, retinere in ipso actu peccati, fidem & Spiritum sanctum; vnquam ab hac prauitate resipiscere voluit.

Conf. puncto 4. a. 20. Pag. 463. &c.

MIN. Si de Spiritus sancti diuina perso- C na & maiestate id asserat, nihil eximium aut rarum dicit, quoniam nemo Christianorum nescit eundem Spiritum esse natura immensum, & secundum personam, essentiam & potentiam esse vbique ac omnibus præsentem in cœlis, in terris, in abyssis & in inferis. Sin de donis illius, vt de gratia, iustitia, sanctitate, & charitate, *quam* (vt scribit Apostolus) *diffundit in cordibus piorum*, affirmet, vt profecto adfirmare videtur; Patri suo Caluino in primis aperte contradicit. Hic namque scribit, *Petri infidelitatem in summum cumulum erupisse, dum Præceptorem tertio abnegauit.* Atqui summa infidelitas cum perfecta D fide non potest consistere: ergo si verum hic loquatur præceptor, necesse est discipulum illic ab omni veritate alienum esse. Vbi vero nulla fides, nulla quoque spes, nulla charitas, nulla iustitia, nulla sanctitudo (cum *sine fide*, iuxta Apostolum, *impossibile sit placere Deo*) potest consistere. Itaque omnem prorsus sanctitatem & Spiritus sancti gratiam ilico tunc Petrus amisit, cum Dominum nostrum turpiter abnegauit.

Confut. 1. Rom. 5. In cap. 26. Matth. Heb. 11.

Deinde, beato Paulo aperte repugnat, fortissima simul & apertissima ratione contendenti, *Nullam esse participationem iustitiæ cum iniquitate, nullam societatem luci ad tenebras,*

2. 2. Cor. 6.

bras, nullam conuentionem Christi ad Belial, nullam partem fideli cũ infideli; nullum denique consensum templo Dei cũ idolis. At vero omne pec-
1. Io. 3. 5. catũ mortale ab alio Apostolo vocatur iniquitas; ergo impossibile est illud cum iustitia seu gratia consistere Spiritus sancti. O-
Ioan. 3. Rom. 13. Deut. 13. Iudic. 19. 1. Reg. 1. 2. 25. mne peccatum mortale cum tenebris comparatur, operaq; tenebrarum peccata nuncupantur, non possunt ergo cum luce gratiæ cohærere. Omnes impii dicuntur filii Belial, pii vero vnum cum Christo capite suo mysticum corpus: nullam igitur cum impietate conuentionem habent. Denique, gratia Spiritus diuini, templa Dei dicimur & sumus, nullus igitur est peccati cum sanctitate consensus, vt impie Beza comminiscitur.

3. DOCT. Vere tanta est repugnantia & contentio inter gratiam & peccatum mortale, vt potius lux & tenebræ conuenirent, cœlum cum terra misceretur, dulce & amarum, frigus & æstus coalescerent, quam illa simul in eadem mente coadunarentur. Peccatum namque opus est diaboli; gratia beneficium Dei, peccatũ longe seiungit à Deo, gratia intime coniungit: peccatum animam sua fœditate deformat, gratia exornat magnifice: peccatum iram Dei accersit, gratia misericordiam: peccatum membra diaboli, filiosque gehennæ authores suos constituit; gratia vero filios ac hæredes Dei, cohæredes autem Christi designat. Nullo autem modo vnquam fieri potest, vt res tam pugnantes ac contradicentes conueniant: nequit ergo Spiritus sancti gratia cum peccatis mortalibus in eadem anima conuenire.

4. MIN. Agamus scripturis. DOCT. Prophetæ palam testificantes quantum peccata nos à Dei nostri fauore, amore, & gratia pro-
Isa. 59. cul separent, subinde clamant: *Iniquitates vestra diuiserunt inter vos, & Deum vestrum: & & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis*
Ierem. 5. *ne exaudiret.* Alius quoque ait: *Iniquitates ve-*
Psal. 67. *stra declinauerunt hæc* (dona Dei) *& peccata ve-*
144. *stra prohibuerunt bonum à vobis.* Dauid quoque
Sap. 14. canit: *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereunt peccatores à facie Dei. Omnes peccatores disperdet:* & Sapiens docet. *Similiter odio sunt Deo impius & impietas eius.* Alibi rursum velut ex professo Bezanam hæresin copiose & eleganter
Sap. 1. his verbis damnat atque refellit: *Peruersa cogitationes separant à Deo: probata autem virtus corripit insipientes: quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sancti disciplina effugiet fictum: & aufert se à cogitationibus,*

A *qua sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate.* Ex quibus clarissimum, & certissimum efficitur, Spiritum sanctum simul cũ Satana, virtutes & peccata, gratiam cum iniquitate nullatenus coadunari posse.

MIN. Vere etenim Dauid post admissum 5.
peccatum nunquam tam anxie rogasset, *Cor* Psal. 50.
mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, &c. si vel credidisset, vel tantum cogitasset Spiritus sancti gratiam à peccatoribus nusquam discedere, etiam cum peccatorum laqueis irretiuntur.
B Dumque tam suppliciter ac demisse precatur, ac metuit, ne Spiritus sanctus auferatur à se; credit profecto docetque ab his eum recedere, qui grauioribus delictis commaculantur, & (vt loquitur Apostolus) *ipsum* Ephes. 4.
contristant Spiritum sanctum.

DOCT. Et hoc illis etiam Scripturis con- 6.
firmatur, quæ diserte referunt, Dominum recessisse à Samsone, quando cum Dalila Iudic. 16.
scortando & ipse Dominum dereliquerat. Insuper, spiritum domini Saulem deseruisse, illico vero Satanam in eum inuasisse, multisque tormentis eum vexasse. Quod & ipsemet coram Samuele ingenue confitetur di-
C cens: *Deus recessit à me, & exaudire me noluit.* Et Samuel idem asserit his verbis: *Dominus recessit à te, & transiit ad æmulum tuum.* MIN. 1. Reg. 16.
Equidem vix clarius posset hæresis Bezana & 28.
refelli, quam cum ab his Prophetis tam dilucide refertur Spiritus sanctus cũ suis donis ab illis penitus abscedere, qui scortationibus, simulationibus, proditionibus, homicidiis, veneficiis, hisque similibus criminibus seipsos addicunt atque mancipant.

DOCT. Ad hoc quoque maxime per- 7.
tinet hæc sanctissima Christi commonitio: Matth. 6.
Nemo potest duobus Dominis seruire: aut enim v- Luc. 16.
num odio habebit, & alterum diliget: aut vnum
D *sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & mammonæ.* Ergo qui facit peccatum, cum seruus sit peccati & filius diaboli; non potest quatenus talis est, talisque permanet, Deo deseruire, aut Deum diligere: sed è contrario, quantum in ipso est, odio habet illum, contemnit & aspernatur: igitur procul ab omni amore & gratia illius recedit, atque sic gratia & iustitia stare non possunt in his qui peccatis continuam nauant operam.

MIN. Dic paucis, quid Patres de hu- 8.
iusmodi errore Bezano censeant. DOCT. Lib. de hæ-

re. & l. 3. cont. duas ep. Pelag. Augustinus iudicauit hanc esse Pelagianorum hæresin, eandemque constantissime damnauit, vt Spiritus sancti donis plane cõtumeliosam. Exclamat enim aduersus eos qui dicebant homines ex parte filios Dei fieri, ex parte autem filios seculi, id est, diaboli remanere: Mentiuntur, insidiantur, tergiuersantur, &c. Hieronym⁹ vt Iouiniani nefariam impietatem, eandem coarguit, dicens: (L. 2. contra Iouin.) Quomodo dies & nox misceri non queunt, sic nec iustitia & iniquitas, peccatum & bona opera, Christus & Antichristus. Si susceperimus Christum in hospitio nostri pectoris, illico fugamus diabolum. Si peccauerimus, & per peccati ianuam ingressus fuerit diabolus, protinus Christus recedit. Vnde & Dauid post peccatum, *Redde*, ait, *mihi lætitiam salutaris tui*, quam peccando amiserat, &c. (Psal. 50.)

SPIRITVM SANCTVM NON ITA sanctificare paruulos in vteris maternis, vt sine lauacro regenerationis saluentur, aduersus 59. & 57. hæresin.

CAPVT XXII.

DOCTOR.

DVplici rursum aduersum Spiritus sancti opera, errore Vestri tenentur. Priore, eidem falso tribuentes, quod omnes fidelium paruulos in ipsis matrum vteris sic gratia sua præueniat, vt iam sancti ac iusti sint, antequam his egrediantur. Deinde, etiam sic de hoc seculo exeuntes, sine lauacro regenerationis in cœlis recipiantur & saluentur. Hæc enim Bezæ tam certa sunt, vt inter suæ ac Geneuanorũ fidei articulos connumeret: *Paruulos fidelium semen, germenque fidei iam tum habere, eo quod dominus eos ex vteris parentum sanctificauerit.* (Conf. fidei puncto 4. artic. 48.) MIN. Probationibus amplioribus non est opus, quandoquidem & in Catechismo, & Commentariis in c. 3. Ioannis; in cap. 11. ad Romanos; in c. 7. prioris ad Corinthios; & passim in Institutione Caluinus vtramque sententiam adfirmet atque propugnet.

Confut. 1. Sed ingenue profiteor, me in libris ministrorum nunquam maiorem quam in his duobus articulis, reperisse ac legisse contradicentiam: atque idcirco adhærens doctrinæ vniuersæ Ecclesiæ, semper credidi ac docui, Peccato originali omnes adeoque fidelium paruulos inuolui; eos sic natura filios iræ & perditionis nasci, vt nisi regenerati (Ioan. 3.) A prius fuerint ex aqua & Spiritu sancto, non possint videre regnum Dei. Nam ita sentit etiam Beza, secum euidentissime pugnans, in eodem Confessionis suæ fidei libro, puncto tertio, articulo decimo-tertio: & puncto quarto, articulo decimo-quarto.

2. Nec magis sibi Caluinus cõstat scribens: *Exules nos ac prorsus alienos à regno Dei nasci, ac perpetuum nobis cum ipso dissidium esse, donec alios secunda genitura nos faciat. Et hac sententia complecti totum genus humanum.* (In c. 3. Io. v. 3.) DOCT. At vero, qui sancti & iusti habentur coram Deo, non sunt exules à regno eius, sed ciues eius atque domestici; quinetiã (vt Apostolus ait) conB uiuificati, & conresuscitati in Christo, eidemque considentes in cœlestibus; (Ephes. 2.) nec opus est illis secunda generatione, quæ fit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti: (Ephes. 5. Tit. 3.) cuiuis igitur ex Caluinianis commentis apertum est, paruulos fidelium neque concipi, neque nasci cum ea quam alias fingit, fide aut sanctitate.

3. MIN. In repugnantiis ac contradictionibus secum pergens, subdit: *Ex vtero nihil afferimus nisi carnalem naturam. Sequitur ergo nos omnes naturaliter exulare à Regno Dei, & cœlesti vita priuatos, manere sub mortis seruitute.* (In c. 3. Io. v. 6.) Et C paulo post: *Omnes pariter in vno Adam corrupti sumus, quia statim post eius defectionem, Deus quod naturæ humanæ dederat, abstulit.* Si cœlesti vita indigni nascimur, manemusque sub mortis seruitute, profecto nec paruuli ex vteris sancti sunt, nec in cœlum ac regnum Dei sine regenerationis lauacro euadere possunt. Et cum omnes in Adam lapsi sunt, certe & paruuli, cum eius filii iam censeantur, nobiscum ceciderunt.

4. MIN. Baptismi quoque necessitatem videtur idem agnoscere, cum ait: *Verum quidem est, Baptismi neglectu arceri nos à salute: atq; hoc sensu necessarium esse fateor.* (In c. 1 Io. v. 5. 22) Postea quoque D fatetur, quod cum Christus dicitur baptizasse, *tunc munus sibi à patre iniunctum publice auspicatus fuerit.* Iterumque Baptismi magnificos effectus, proindeque necessitatem volens nolensque prædicans, inquit: *Singularis ad nos consolatio redit, dum scimus Baptismum nostrum ad nos abluendos & renouandos non minus habere efficaciæ, quam si à Filio Dei nobis datus foret.* (In c. 4 Io. v. 2) DOCT. Multis certe seipsum coarguit. Nam si Baptismi contemptio arcet à salute, illius perceptio vel in toto vel in effectu prorsus ad salutẽ necessaria est. Et si administratio illius munus est mandatum à Patre cœlesti, quis sine illo regnum cœlorum aude-

audebit vel sibi vel alijs polliceri: Denique, cum baptismo abluamur & renouemur, certe nullam innocentiam, nullam sanctificationem paruuli ex vteris secum adferunt.

5. *In cap. 5. Rom. v. 12.* MIN. Et hanc rursum damnans, omnesque natura originis peccato infectos nasci adfirmans scribit: *Vt Adam prima sua creatione, tam sibi quam posteritati Diuinæ gratiæ dotes acceperat, sic à Domino excidens, naturam nostram in seipso corrupit, vitiauit, deprauauit, perdidit. Abdicatus enim à Dei similitudine, semen nisi sibi simile gignere non potuit. Peccauimus igitur omnes, quia naturali corruptione omnes imbuti sumus.* DOCT. Vbi ergo est illa iustitia, innocentia, & sanctitudo, quam paruulis affingunt ex vteris matrum? Vbi prærogatiua sanguinis? Vbi innata puritas? Dum itaque sic omnes corrupti, deprauati, & perditi nascimur, nonne penitus necessarium est, nos per sacrum baptismi lauacrum prius emundari, quam videamus regnum Dei?

6. MIN. Alibi quoque admodum copiosus est in recensendis totius generis nostri miserijs, amplificandisque peccati originis, quod omnes contrahimus, incommodis: *In cap. 9. Mat. v. 21. & in c. 12. v. 18. & in c. 16. v. 17.* Ait enim: *Natura nos omnes esse Dei inimicos dæmonemque habere in hominum corporibus & animis suum domicilium; sed postea expelli à Filio Dei. Insuper, tenendum esse natura nos omnes miseros ac maledictos, donec in Christo inuenerimus remedium. Adhac, certum esse paruulos non esse innocentes, ac sine culpa coram Deo, ex quo ex vtero prodierunt.* DOCT. Recte certe, insuper & directe aduersus eiusdem errores. Etenim nemo inimicus Dei constituitur, nisi reipsa peccato detineatur: ergo & paruuli peccato sunt irretiti, non sancti in vteris. Dæmon quoque in sanctificatis & iustis domicilium non habet: non exeunt igitur sanctificati, sed inquinati. Institutum à Christo aduersus tantam perniciem remedium: est regeneratio quæ fit ex aqua & Spiritu sancto in susceptione baptismi: est igitur maxima huius Sacramenti ad salutem consequendam necessitas: & qui aliter sentiunt ac docent, semper miseri sunt ac maledicti. Ex his te iterũ atq; iterum obsecro, attende quanta sit Authorum hæreseon vestrarum leuitas & inconstantia: vt sic in quanto salutis suæ discrimine versentur, qui huiusmodi non dico Protheis, sed arundinibus innituntur, agnoscas.

7. MIN. Vis cæteras contradictiones Caluinianas persequar? DOCT. Præstat, vt me ex Scripturis & Patribus aduersus vtramq; A hæresin dicentem paululum audias. Ac in primis nosse te velim, impuros ac veteres Gnosticos, deinde & Pelagianos harum hæreseon primos authores fuisse: verum tanta constantia & virtute à sanctis Patribus victi ac profligati sunt, vt per mille & ducentos, id est, vsque ad hoc seculum nostrum, nemo inuentus sit, qui has sit ausus reuocare ac instaurare. MIN. Non exiguum plane est aduersus Caluinianos præiudicium, quod tam peruersos, damnatos, ac omni dedecore infames dogmatum suorum parentes habeant. Sed scripturas expecto, quarum authoritate sint conuicti & damnati.

B DOCT. Primo ex hoc Dei omnipotentis ad primum hominem verbo: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Vterque comedit, ac in Deum tam grauiter deliquit, vt acceptam in creatione omnem gratiam, innocentiam, & iustitiam, in quibus vera vita consistit, pœnitus amiserit; ac in iram Dei, quæ omnium miserrima mors est, inciderit. At vero Paulus docet hoc peccatum adeo contagiosum & velut hæreditarium esse, vt tota simul Adæ posteritas in eo, cum eo, & per eum deliquerit. *Per vnum hominem, inquit, peccatum in hunc mundum intrauit & per* C *peccatum mors. Et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Iudicium ex vno in condemnationem. Vnius delicto mors regnauit per vnum. Per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi.* MIN. His certe perspicuum est, etiam paruulos cum sint filij Adæ per peccatum originis coram Deo vere immundos, ideoque morti obnoxios esse: quousque per Baptismum Christi sanguine, meritis, & gratia fuerint renati, & in adoptionem filiorum Dei recepti. 8. *Genes. 2.* *Rom. 5.*

DOCT. Addiderunt hoc summi Dei ad Abraham de cunctis paruulis districtum præceptum. *Infans octo dierum circuncidetur in vobis. Masculus cuius præputij caro circuncisa non* D *fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Quamobrem morti adiudicatur paruulus, idque iudice Deo, nisi ob peccatum lethale in eo inuentum? An nõ etiam tanta Circuncisioni imposita necessitas, Baptismi qui huius loco successit, necessitatem expressit? Nam idem (inquit Greg.) qui hoc olim clamauit, & de Baptismo dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* 9. *Genes. 17.* *Ioan. 3.*

Hanc naturę communem iniquitatem & immunditiem Iob agnouit & defleuit, vocife- 10. *Iob. 14. 25. secundum 70.*

ciferans: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine. Nonne tu, qui solus es? Cœli non sunt mundi in conspectu tuo, quanto minus homo abominabilis & inutilis? Stellæ non sunt mundæ ante faciem eius, quanto magis homo putredo, & vermis?* Quibus apposite conueniunt etiam ista, quæ à Salomone scribuntur: *Quis potest dicere. Mundum est cor meum, Purus sum à peccato?* MIN. Nulla subest dubitatio, quin hęc de totius generis humani communi sordeac originali nequitia dicantur. *Prou. 2.*

11. DOCT. Dauid fidelibus sanctisq; parentibus ortus, nequaquam se ex vtero mundũ aut sanctum effectum esse iactauit: sed contra, penitus immundum & inquinatum se confessus est, dicens: *Ecce ego in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et de cunctis alijs etiam cecinit: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum:* quæ etiam interprete & laudatore Apostolo, communem omnium hominum iniquitatem & miseriam hæreditariam satis exprimunt. *Psal. 50. Psal. 13. 52. Rom. 3.*

12. Accedit & superioribus testimonijs hoc rursum Pauli euidentissimum & certissimum: *Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.* Nã ira Dei in homines non accenditur, non excandescit, nisi propter peccatum. Communi ergo peccato vniuersi commaculamur, & à regno Dei tantisper exulamus, donec per lauacrum regenerationis omnino renouemur, & in album fratrum ac cohæredum vnici filij Dei referamur. An non ergo extrema cæcitate, imo & amentia laborant veteres recentesque Pelagiani & Gnostici, dum iactitant se, ex vteris matrum per Spiritum diuinum ita sanctificatos & mundos esse; vt si etiam sine Baptismi sanctissimo lauacro decedant, non minus pateat illis aditus & introitus regni cœlorum? *Ephes. 2.*

13. MIN. Auferat dominus velamen ab oculis & cordibus eorum, vt tot tamq; horrendis erroribus agnitis & positis, ad viam veritatis & salutis tandem aliquando redeant. Mihi autem nunc sufficiunt tot Scripturæ, quibus & peccatum originis etiam in paruulis agnoscitur, & summa Sacramenti regenerationis necessitas euidẽter confirmatur. Tãtum aueo ex te audire libros locosq; Patrũ, qui de his duabus sententijs disseruerunt; vt cum mihi fuerit cõmodum, in eorũ me lectione exerceam. DOCT. Augustinus de his copiose & elegãter disputat, multis libris aduersus Pelagianos: præsertim vero contra Iulianum L. 2. cap. 1. lib. 4. cap. 10. &

A lib. 6. cap. 2. Hieronymus Dialogis tribus aduersus Pelagianos, Ambrosius Apologia pro Dauid, capite sexto, & libro sexto Epistolarum, ep. 10. Basilius magnus Homilia de pœnitentia. Origenes homilia 2. & 3. in Numeros: & Comment. in epist. ad Romanos. Cyprianus martyr lib. 3. epist. 8. Tertullianus libro de patientia. Iustinus martyr in Dialogo. Ignatius martyr epist. ad Trallianos, & alij plerique omnes.

MIN. Sufficit. Persequamur reliqua. DOCT. Mihi compertum est illos hisce adhuc multo plures errores fouere, tam contra Christi & Spiritus sancti opera, quam ad B uersus omnes Beatos cœlorum ciues; aduersus ea quæ de Purgatorio, & spiritibus in eo detentis, aduersus ea quæ de locis ac tormẽtis inferorum, quibus reprobi cruciantur, retinere. Sed ad hæc satis diligenter & fuse inuestiganda, simulq; refellenda, alia rursum dierum hebdomadas necessaria foret. MIN. Illam quæso te, ne deneges mihi, cum tibi per otium & salutẽ licuerit. Sic enim & animam meam multis expedies erroribus, & vt aliis plurimis pari morbo laborantibus auxilio & consolationi esse valeam, plene efficies. Interim vero singula hactenus examinata religionis Christianæ capita diligenter expendam; C ieiuniis, & orationibus ad Deum omnis sapientiæ & pietatis fontem vberrimum effusis operam dabo, vt me diuino Spiritu suo illustrans, omnium hæreseon tenebras ex animo meo depellat; lectioni sacrorum Bibliorum, veterum Theologorum pia scripta & synceras interpretationes adiiciam; à ministerio hæretico, librisque sectariorum penitus abstinebo, magna fide & spe confidens, quod me ouiculam suam hactenus aberrantem Princeps ille pastorum Christus Dominus in ouile suum colliget atque fouebit. Tantisper vero dum hæc facio, summis precibus à te contendo, vt in precibus, ac sacris præsertim astans altaribus, D salutis meæ sis memor apud communem Deum & Saluatorem nostrum. DOCT. Bona fide id faciam. Huic autem hebdomadæ atque colloquio finem istis ad Spiritum sanctum demissis precibus imponamus.

Iam ô Diuini amor numinis, Patris omnipotentis, Prolisque beatissimæ sancta communicatio, omnipotens paraclete Spiritus, mœrentium consolator clementissime; iam cordis nostri penetralibus potenti illabere virtute, & tenebrosa quæque laris neglecti *Oratio, ex Lib. Medit. S. Augustin. c. 9.*

glecti latibula corusci luminis fulgore habitator lętifica, tuique roris abundantia longo ariditatis marcentia squallore visitando fœcunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris iaculo, & torpentis medullas iecoris flammis salutaribus penetrando succende, sanctique feruoris igne illustrando, intima mentis & corporis vniuersa depasce. Pota nos torrente voluptatis tuæ, vt nihil iam mundanorum degustare libeat venenatæ dulcedinis. Iudica Domine, & discerne causam nostram de gente non sancta, doce nos facere voluntatem tuam, quia Deus noster es tu. Credimus quod quemcunque inhabitaueris, Patris ac Filij domicilium condis. Beatus qui te merebitur hospitem, quoniam per te Pater & Filius apud eum facient mansionem. Veniiam, veni benignissime dolentis animæ consolator, protegens A in opportunitatibus, in tribulatione adiutor. Veni mundator scelerum, curator vulnerum. Veni fortitudo fragilium, releuator labentium. Veni humilium doctor, superborum destructor. Veni orphanorum pius Pater, viduarum dulcis iudex. Veni spes pauperum, refocillator deficientium. Veni nauigantium sidus, naufragij portus. Veni omnium viuentium singulare decus, morientium vnica salus. Veni sanctissime Spiritus, veni, & miserere nostri, & apta nos tibi, B & condescende propitius nobis, vt nostra tuæ magnitudini exiguitas, roborique tuo nostra imbecillitas, secundum multitudinem tuarum complaceat miserationum: Per Iesum Christum Saluatorem nostrum, qui cum Patre in tua vnitate viuit & regnat in sæcula sæculorum.

Amen.

LIBER OCTAVVS, IN QVO QVINQVAGINTA ET SEPTEM CALVINIANORVM ADVERSVS COELESTEM PARADISVM, ET EOS QVI IN Diuorum numerum recepti, eo peruenerunt, grauissimi errores, diligenter excutiuntur.

DOCTORIS ET MINISTRI PROLOQVIVM.

MINISTER.

FIDELISSIMIS atque amantissimis consiliis tuis peramice Doctor, obsequutus, à nouissimo inter nos Colloquio, humiliaui in ieiunio animam meam, mentemque humilimis & ardentissimis precibus ad Dominum erexi, orans ac obsecrans summam eius in Psal. 50. genus humanum clementiam, vt mei misereretur, nec in æternũ proiiceret me à facie sua: sed gratia præueniente doceat sicubi erraui, reducat in viam rectam si sum ab ea digressus, atq; obuiis miserationum suarũ vlnis amplectatur me, & in communionẽ verę Ecclesię suę benignus adsciscat, si ab illa vel C transuersum vnguem discesserim. Tum quoque à frequentandis conciunculis ac sectariorum conuenticulis, lectitandis insuper Caluini, Vermilij, Bezæ, Bullingeri, Gualteri, & aliorum Ministrorum libris supersedendum existimaui: vacaui porro attentius sacris monumentis antiquorũ Martyrum, Doctorum, atq; sanctorum Patrum, D qui iam inde ab Apostolorum temporibus, ad quadringentos aut quingentos consequentes annos inoffensa serie Christianam doctrinam propagarunt, atque omni studio, sanctimonia, & miraculorũ virtute per totum orbem disseminarunt: magna denique

que gloria de cunctis Tyrannis & Hæresiarchis illam vel armis vel fœdissimis erroribus oppugnantibus gloriosissime triumpharunt. Tandem verissima esse comperi, quæ regius Psaltes de Deo optimo & maximo dudum cecinit, *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.* Nam remota caligine errorum quæ circumfusa erat oculis meis, effecit vt certo perspicerem, quam temere præcipitem me ferri passus sim ab hæresum vento, quantaque cum ignauiæ & transfugij nota desciuerim ab antiqua Patrum religione, ac denique sub defecatæ Ecclesiæ prætextu specioso, compulsus in fraudem fuerim, Sectamque secutus sim omni genere impietatum, & contumeliarum aduersus Deum & Sanctos eius refertam. Quocunque etenim verbi Dei, puritatis euangelicæ, reformatique cultus præclaro nomine, Authores illius turpitudinem suam obuoluere contendant, vt apud imperitas mentes authoritatē sibi parent, ac hominibus nimium credulis, lubricisque ad lapsum, fucum faciant: huiusmodi tamen artificia nihil aliud sunt, quā illicicibis hami quibus inescemur, retia quibus illaqueemur, telæ quibus implicemur, & compedes quibus astringamur. Sunt ouium vellera sub quibus occultantur lupi rapaces, sunt folia ficuum quibus teguntur errores veterum monstrorum, ac detestabilium hæreticorum, quos beati Apostoli legitimi successores suo iure damnarunt, damnatæq; opinionis conuictos à cœtu suo exterminarunt, & tanquam filios perditionis, ac iusto Dei iudicio reprobatos, satanæ tradiderunt cruciandos.

Psal. 144.

Matth. 7. *Genes. 3.*

DOCT. Magna me hercle voluptate perfundes, si breuiter in hanc sententiam differueris, vt intelligam quantos progressus in schola huius sanctæ ac venerandæ antiquitatis feceris.

MIN. Legi apud Diuum Clementem B. Pauli cooperatorem, & si Petri successorē. Lib. 3. Recognit. Lib. Constitut. Apost. Item: Iren. l. 1. p. 20. Theodoret. Epiph. quod. Simon Magus summa ope nisus sit aduersus potestatem Simoni Petro à Christo traditam, liberum hominis arbitrium negarit, vt ineluctabilem in rebus humanis necessitatem constitueret, bona opera ad iustitiam & salutem non esse necessaria contenderet, solam vero fidem sufficere dictitaret: Diuinam tandem prouidentiam super malis ac bonis non admitteret: qui errores à Caluino, Beza, & Maroto, hoc sæculo renouantur.

A

Diuus Dionysius Areopagites memoriæ prodidit, Elymam Magum sese Diuinæ omnipotentiæ & bonitati obiecisse: ac in Deū vniuersa vniuersi huius mundi peccata, velut illorum authorem retulisse: id quod etiamnum faciunt cum suo Caluino Ministri Geneuenses. *L. de Diui. nom. c. 8.*

Fortissimus martyr Ignatius eos grauiter accusat, qui Matrimonij sacramentum profanabant, inimicos item Virginum, qui quadragenarium ieiunium aspernabantur, quique aduersabantur natiuitati Christi ex Maria semper Virgine: quæ tamen omnia denuo recoquere student Buceri, Caluini, Vermilij & Bezæ asseclæ & discipuli. *Ep. ad Philip.*

B

Didici à Beati Martiali vno ex discipulis Christi, Epist. ad Burdeg. & Tholos. corde credere ad iustitiam, & ore ad salutem confiteri sacrosanctam in Diuinis Trinitatem personarum, in ara sanctificata offerre corpus Christi, festaq; dicata sanctis Martyribus obseruare: à quibus penitus abhorret Caluiniana colluuies.

Beatus Polycarpus exemplo suo demonstrat Romanum Episcopum, vt cūctis Christianis præfectum, maximi faciendum, & de sacris controuersijs consulendum esse: insuper nullam cum Ecclesiæ Catholicæ hostibus consuetudinem ineundam, & sacros Paschalis dies religiose celebrandos: quæ cuncta risu ac ludibrio traducunt, qui Reformatorum inani vocabulo gloriantur. *Iren. l. 3. c. 3.*

C

Accepi ex Diuo Iustino martyre & philosopho, Melchisedech Regem simul & sacerdotem ad designandum Eucharistiæ sacramentum & sacrificium, obtulisse Deo panem & vinum. Ad hæc, venerandæ crucis signaculo me communire: mandata diuina, opitulante gratia cœlesti posse ab hominibus seruari: quæ omnia Caluiniani suggillant & improbant. *Dialog.* *Apolog.*

D

Irenæus & ipse martyr constantissimus, & pondere rationum, & authoritate Scripturarum veteres Gnosticos refellit, libro tertio, capite tertio, libro quarto, capite trigesimo secundo, & trigesimo-quarto. Libro quarto, capite nono, vigesimo-nono, septuagesimo-primo, septuagesimo-secundo. Et libro primo, capite nono, qui Ecclesiæ Romanæ obsequium denegabant: non adhibebant fidem Apostolicis traditionibus: diffitebantur sacrificium noui testa-

testamenti, quod orbe toto in Missa celebratur: non inuocabant Virginem Mariam, docebant non esse in homine residuum liberæ voluntatis arbitrium: nec vllam peccatorum confessionem aut absolutionem: quibus erroribus assentiuntur & patrocinantur isti Geneuates: lib. quinto, c. decimonono.

Lib. 1. & 2. Strom. D. Clemens Alexandrin. libenter in eos inuehitur; qui negant libertatem arbitrij: quique meritis & bonis operibus malitiose obtrectant: quod nunc factitant Bezani & Zuingliani.

Et vt paucis plurima complectar, cum detestantur sacrificium pro defunctis, inuocationem Sanctorum; in reliquias, monumẽta, & imagines eorum debachantur: reipsa sese produnt discipulos & sectatores Aerianorum, Vigilantianorum, Eustathiorum, & Iconomachorum, vt ex Epiphanij, Hieronymi, Augustini, & Damasceni scriptis non segniter obseruaui.

Cum autem veris & salutaribus Sacramentis, eorundemque effectis impudenter detrahunt, altaria, templa, & monasteria subuertunt, vota monastica damnant, ritus sacros sannis excipiunt, ac perpetuam illibatamq; integritatem beatissimæ Deiparæ virginis oppugnant: prorsus hoc pacto reuocãt ab inferis intermortuas Pelagianorum, Donatistarum, Eluidianorum & Iouinianorum hæreses: quemadmodum ex scriptis D. D. Augustini, Ambrosij, & Hieronymi pro certo collegi.

Et vt tandem concludam, docuerunt me veteres memoriæ ac historicæ Ecclesiasticæ Nouitianos, Borboritas, Sataneanos, Berengarianos, VValdenses, Fratricellos, Turelupinos, Cotteræos, VViclefitas, Lollardos, Begardos, Albigenses, Hussitas, & id genus Bustuariorum & ardelionum anteambulones atque satores esse Caluinianorum in criminandis Pontificibus, Episcopis, atq; omni ordine hierarchico totius Ecclesiæ Christianæ.

Atque hæc est istorum reformatæ, si placet inferis, Ecclesiæ vera effigies, hæc præclara scilicet Euangelij puritas, hæc illa tantopere iactata veritas, hoc verbum Domini, quo tantopere gloriantur prædicantes ex Geneua profecti, totaque Caluinianorum & Zuinglianorum sentina: quod mecum perspicue recognoscet quisquis bonam mentem amat, & suam salutem amplexatur, ex doctæ venerandæque antiquitatis lectione. Hæc sunt quæ hausi ex limpidissimis Sanctorum fontibus: hi mei processus à tam eximiorum Spiritus sancti organorum magisterio. Hæc sunt quæ grauissimum conscientiæ meæ scrupulum inijciunt: quæ acerrimo stimulo mentem meam pungunt & flagellant: nec vnquam securo animo conquiescam, donec vero ouili, id est, Ecclesiæ Domini Catholicæ, atque corpori mystico Seruatoris nostri Iesu Christi, vt viuum membrum aggregatus & adunatus fuero. Quod vt consequi valeam, obtestor Doctor peramice, per Euangelicam charitatem, vt quibuscunq; rebus te Deus ornauit, huic meo desiderio pro parte subuenias & opituleris.

DOCT. Manus, oculos, & omnes animi mei facultates ad Deum Patrem misericordiarum, & totius consolationis extollo, eundemque à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum in nos descendit, vt eum glorificem, gratesque habeam quam possum maximas, quod sic in te miserationes suas effuderit: eidem supplicans, vt pari gratia cæteros errantes prosequatur. Denique vt tibi semper adsit, teque per omne vitæ curriculum in hoc salutari proposito confirmet. *Iac. 1.* Quantum vero in me situm est, omnia se die & officia volens impendam: tuum autem fuerit firmo constantiq; animo, in hac mente perseuerare, ne res vlla possit te de recto statu dimouere. Nam si in animum induxeris homines imitari arundine mobiliores, Euripis, & Ecebolijs mutabiliores, qui postquam errores suos etiam publice eiurarunt, & conceptis verbis se in suscepta fide Catholica confirmauerunt: mox sine vlla spretæ iurisiurandi religionis reuerentia, periurio sese alligant, & velut canes ad vomitum reuertuntur, euaduntque duplices ac triplices apostatæ: hoc nihil aliud erit, quam recta ad infelicissimum interitum tendere, & plusquam diabolicam induere diuini numinis contemptionem. Quod vt euitare velis & valeas, si quid adhuc in animo tuo hęret dubitationis aut ambigui circa doctrinæ articulos, qui nunc in controuersiam vocantur, quæso te, & per nomen Dei viuentis adiuro, vt quidquid illud est in medium adferas, & libere proponas quæcunque difficiles explicatus, aut iustam dubitandi causam habere videbuntur. Confido in doctore omnis veritatis Spiritu sancto fore, vt omnia plene planeque tibi liqueant, necubi hæreas, aut hallucineris. Hac

tamen lege, quam in primis Dialogis inter nos pacti sumus, vt videlicet, eas sacræ Scripturæ veras & ratas interpretationes esse assentiaris, quæ doctrina, consensuque omnium illorum antiquorum Martyrum, Patrum, ac Doctorum Ecclesiæ Catholicæ firmatæ sunt, quorum scripta plena pietatis ac doctrinæ vel iam studiose perlegisti, vel in posterum diligentius euolues.

MIN. Deum periurij vltorem habeam acerrimum, isque septem phialas iræ suæ effundat, plagasque omnes in caput meum accumulet, ni loquor ex animo, sine fuco ac fallaciis, ni-ve firma fide amplector istas interpretationes, decreta sanctorum Conciliorum, ac vniuersæ Ecclesiæ consensum, veluti iam ante sum pollicitus. Grauiter enim exsecror hypocriticam præuaricationem, & vacillantes Caluini, Bezæ, ac similium sententias, qui cum aliquoties protestati sunt se doctrina veterum Orthodoxorum, qui vel quadringentis vel quinquagentis à Christo annis floruerunt, & Conciliorum stare decretis: illorum suffragiis & sententiis conuicti, sexcentis in locis eosdem calumniantur, reiiciunt, ac detestantur.

Huiusce Dialogi summa.

Nunc itaque (sicut in alio Colloquio dixi) aueo audire quidquid est de cœlesti Paradiso, de Sanctis in eo receptis, quibus modis eo peruenerunt, de horum beatitate & gloria, si penes eos est orandi pro nobis aliqua potestas, si fas & ex vsu sit eos inuocare, si preces nostras exaudiunt, si honorandi sunt, & quatenus colendi: postremo, si dum in hac mortali vita degimus, nobis opem aliquam adferre possunt. Deinde, multiplex hæsitatio me tenet in quæstione Purgatorij, an sit, vbinam locorum, si sacrarum Scripturarum authoritate nitatur, si veteres Hebræi id crediderunt, Apostoli, Discipuli, primi Christiani docuerunt, an omnibus Ecclesiæ Christianæ sæculis approbatum fuerit, vtrum eius doctrina ad fidem Catholicam pertineat, quibus illic pœnis animæ plectantur, qua-ve ratione miseriis earum succurri possit. Postremo, Caluini, Bezæ, Vermilij & similium scripta, dubitationes mihi incutiunt, an sint, & vbi sunt inferi; qui spiritus, & quibus ibi tormentis excrucientur, corporalibus an spiritualibus, & id genus aliæ quæstiones, quas ad liquidam certitudinem perduci cupio, & hæsitantiam omnem tolli: cum ea res ad cultum Dei, iudiciorum eius notitiam, animorum tranquillitatem, & omnium mortalium salutem plurimum spectet.

PARADISVM ESSE LOCVM COElestem, glorificationi Sanctorum designatum & certum: aduersus primum Caluinianorum errorem.

CAPVT I.

DOCTOR.

DEus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Iam dubitationes animi tui expone.

MINIST. Hunc mihi in primis ex animo scrupulum euelle, qui me dies noctesque stimulat ac pungit: An tot modis à Christianis hominibus decantatus Paradisus, locus sit certus ac definitus in cœlo, vbi nunc beati spiritus vna cum Domino Iesu collecti sint: & vbi post nouissimum diem omnes sancti ac electi corporibus simul & animis gloriosi æuo sempiterno fruentur? Nam Caluinus efficit vt de hoc dubitem, cum prohibet quominus eiusmodi locum aliquem imaginemur. Id enim interpretor, ac si funditus euerteret ac deleret. Enimuero scribit: *Filii Dei defuncti in beatam quietem in qua eos exspectat Abraham, sese recipiunt. Nec vero certum locum imaginari necesse est.* Nec hac prohibitione contentus, dum rursus efficere contendit ne sit vspiam Paradisus, hæc verba postea subijcit: *De loco Paradisi curiose & argute non est disputandum.* Tandem, hanc abnegationem suam apertius tuetur ac firmat, cum de Christi ascensione, eiusdemque in dextera Patris sessione scribit: *Hæc locutio locum minime designat.* Iterumq; prohibet: *imaginandum esse aliquem in cœlis locum, quo ascenderit, & vbi in gloriam recepta sit sanctissima Christi humanitas.*

In cap. 16. Luc. v. 22.

In cap. 23. Luc. v. 43.

In cap. 22. Mat. v. 44

In cap. 16. Mar. v. 19.

DOCT. Sane cum ipsum caput, & Sanctorum omnium Principem Christum definito gloriæ loco eximat, consequens est vt excludantur serui, & reliqua eius membra: qui fœdus & exsecrabilis est atheismus. Sed quid Beza sentit eius & successor & discipulus?

MIN. In Confessione fidei suæ non tantum silentio præterit Paradisi locum: sed & more suo plaustra conuitiorum effundens, quidquid ea de re Catholici credunt ac docent,

Puncto 6. cent, appellat, *Speculationes anicularum*, *quas ex animo contemnit ac detestatur*. Hæc eorum de Paradisi loco disciplina est & opinio: velim vicissim audire, quid super hac re iudices.

Confut. 1. DOCT. Ante omnia sciendum, quod & si Angeli, & spiritus hominum à corporibus seiuncti, careant longitudine, altitudine, profunditate, latitudine, & crassitie, quibus locum occupant, veluti corpora suis dimensionibus circumscripta, vt notat D. August. consentit D. Gregor. lib. 2. Moralium: cum tamen haudquaquam sint immensi vel natura infiniti, quod solius Dei proprium est, certis definiuntur limitibus, quos Deus sic ipsis designat, vt suapte virtute alibi simul præsentes esse nequeant. Secundo animaduertendum est, Paradisi nomine interdum significari plusquam regalem illum & magnificum hortum, in quo primum parentem nostrum Adamum Deus collocauit, postquam eum ex limo terræ creauerat.

L. de origine animæ c.7.

Gen. 2.3.

MINIST. Caluinus isthæc nunquam inficiatus est: quandoquidem nimis manifeste patent in Scripturis.

DOCT. Tertio item illud expendendum est, hoc ipso Paradisi vocabulo, aliquando designari eorum felicem statum atque conditionem, quibus Deus, paucis concesso munere, præsentem diuinitatem suam in hoc inferiori orbe clare aperteque conspiciendam exhibet. Itaque si Moyses aliquando, hoc modo Deum vidit in monte Sinai, Helias in monte Horeb, protomartyr dum lapidaretur, Paulus cum proficisceretur Damascum (vt innuere videtur Augustinus) vere dici potest, eos tum fuisse in Paradiso, non quidem ratione loci, sed temporaria quadam participatione eiusdem fœlicitatis, qua in cœlis perpetuo fruuntur animæ beatorum. Eadem ratione sancti Angeli siue sint in cœlis, siue in terris, siue etiam in abyssis, semper in Paradiso esse intelliguntur, quia semper vident faciem Patris qui in cœlis est. Quinetiam felicissima Christi anima simul atque condita & corpori fuit infusa, ac deinceps postea, quibuscunque locis ille versatus est, semper in Paradiso erat. Continenter enim sacratissimam Dei faciem, idque manifeste contuebatur. In hunc denique sensum Latroni qui eum inuocauerat, pollicitus est: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Nam ipse locus inferorum ad quem descendit, eidem, vt & cæteris defunctorum Patrum spiritib. ibi detentis, locus fuit delitiarum, atque visionis & fruitionis diuinæ, tantisper dum beata Seruatoris anima diuinæ hypostasi coniuncta illic commorata est.

Exod. 19. 33. Num. 12. 3. Reg. 19. Act. 7. 9. Lib. 10. de Gen. c. 27. & 28. Epist. ad Paulin. c. 17. 18.

Matt. 18. Luc. 1. Tob. 12.

Luc. 23.

MIN. Nihil horum non est verissimum, vt purum putum Dei verbum: sed disputatio nostra præsertim est de loco definito, vbi nunc beatorum animæ receptæ sint, & vbi omnes electi olim recipi debeant corpore pariter & anima post vltimum huius mundi diem. Caluinus vetat nos vllum eiusmodi locum imaginari. Tu quid de illo censes?

DOCT. Istum hæresiarcham in primis à semetipso dissidere, secumque pugnare tanquam putidum mendacem, cum in eum locum scribit, etiam referente gnatione illius Marlorato: Ascendit Christus super omnes cœlos. *Illic cœlum significat locum sphæris omnibus superiorem, qui post resurrectionem Filio Dei est destinatus.* Et alibi etiam quinquies diserte fatetur Christo & sanctis eius paratum esse in cœlis beatitatis locum, toties seipsum coarguens & damnans his verbis: *Ipsis quoque (Apostolis) in regno cœlesti sit locus.* Christus dicit, *non sibi vni, sed omnibus etiam Discipulis locum illic esse. Vtriusque pariter locum parauit Christus, in quem extremo die omnes recipiet. Certe quotidie locum nobis parat. Secundus Christi aduentus tantisper differtur dum vniuersis ac singulis paretur in cœlo locus, &c.* 2.

Com. in c. 4. ad Eph. v. 10.

In c. 14. Io. v. 2. 3.

MINIST. Profecto nihil magis contrarium ac repugnans dici potest, quam nullus locus, & aliquis locus: proinde cum Christus homo locum habeat definitum in cœlis: ibidemque locum singulis nostrum paret quo recipiamur: palam est Paradisum locum esse cœlestem.

DOCTOR. Age porro, istum spurium Goliathem proprijs armis iterum confodiamus. *Adfirmat Christum cœlo comprehendi, donec iudex mundi appareat*: addens: *se Christum in sua sede relinquere*. Ibidem asserit: *Christi corpus oportet cœlo contineri & capi*. Concludit: *Carnem Christi ita esse in cœlo, vel cœlo comprehendi, vt ipsa non moueatur loco.* His rursus nouas adijciens blasphemias, asserit: *Christum per Ascensionem cœlo captum esse, vt ante extremum diem corpore suo in terris adesse nec velit nec possit.* 3.

Defens. 2. & 3. contra VVestphal.

Lib. contra Heshus.

Quod autem re corporea comprehenditur, sedem aliquam obtinet, alicubi continetur & capitur, nec loco moueri velit aut possit, necesse est loco certo ac destinato constitutum esse. MIN. Nemo mentis compos ibit inficias.

4. DOCT. Ipsum quoque Bezam proprijs verbis conuincamus. Iste vi veritatis coactus, quam ex animo detestari se profitetur, agnoscit tandem ex verbo Dei sedem beatorum esse domicilium in cœlis æternum: quod qui in dubium vocat, eum insanire
L. de ascēs. perhibet his verbis: *Nos in cœlis extra mūdum,*
Do. p. 580. *non phantastice, sed diuino verbo præeunte, beatorum sedem, æternumque domicilium constituimus: de quo quisquis dubitet, prorsus insaniat.* MIN. Suo igitur se iudicio dementiæ atque furoris condemnat, cum alibi Paradisi locum comparat anilibus fabulis.

5. DOCT. Paulo post, idem fatetur se suosque asseclas omnes dignos esse, qui cum impiis Marcionitis & Eutychianis damnentur, nisi credant Corpus Domini cum ascendit ad cœlos, Physico motu progressuque de loco in locum iuisse in sedem ac palatium gloriæ: hancque sententiam comprobat authoritatibus Diuorum Basilij homilia secunda in Hexamerum Ambrosij, libro primo Hexamer. cap. 8. & Augustini libro vigesimosecundo, de Ciuitate Dei, c. 4. & 21. & hos locos maxime perspicuos ait: Vermilium protulisse.

MIN. Conuincitur igitur hæresis eius, & Patrum, & sui ipsius, & Symmiltæ, apertis & firmis sententiis.

6. DOCTOR. Statim post, idem Brentium maledictis proscindens, authore vtitur Augustino, vt probet collocandum esse Domini nostri corpus in aliquo certo ac definito cœli spatio, cum sit corpus naturale, finitum,
Pag. 582. ac circumscriptum, his vsus verbis: *Augustinum porro glorificati Christi corpus in certo cœli collocare, propter veri corporis modum, neipse quidem Brentius inficiari potest.* Mox eandem sententiam iterat hoc modo. *Corporis Christi naturam quamuis glorificatam, tamen circumscriptā esse, quia corpus est, affirmamus: ac proinde certo cœli loco contineri, propter veri corporis modum.* Ex quibus locis colligitur, aut Paradisum in quo receptus est Iesus, esse certum ac determinatum in cœlis locum: aut eundem Dominum nostrum eo non ascendisse, nec ibi sedere ad dexteram Patris: quæ præcipuis fidei nostræ capitibus manifeste aduersantur. MIN. Mittamus hos iam satis proprijs testimonijs reos: & ad alios quosdam progrediamur.

7. DOCT. Prætermittam igitur quæ idem Beza, l. aduersus VVestphalum, Heshusiū, Iacobum Andream, & Brentium Lutheranos, insuper Epistola 82. de loco Paradisi definito, Caluini sui atque proprias inficiationes damnans, conscripsit, vt de quibusdam aliis dicam: Petrus Vermilius falso Martyr agnominatus, hac de re sic scribit: *Necessarium est ex hac vita decedentibus animis nostris vel* Lib. de Eucharistia.
tormentorum locum, vel sinum Abrahæ dari. Neque aliud intelligimus per sinum Abrahæ, quam certum locum & receptaculum animorum, in quo eis pax & tranquillitas in conspectu Dei concedatur. MINIST. Non potuit certe aptiori elogio Bezæ, Caluinique hæresin notare, quam cum ait: *Necessarium esse locum pacis & tranquillitatis in conspectu Dei*, qui locus ille vere Paradisus est, quem ne imaginari quidem prohibet Caluinus.

DOCT. Idem rursum Vermilius, post 8.
Caluinum, Zuinglium, Oecolampadium, Cal. l. 4.
& Carolstadium, vna cum Beza, sentit adeo Inst. c. 17.
proprie & essentialiter conuenire corporibus quantitates, dimensiones, repletiones locorum, (& vt Beza etiam scribit) localita- Ad Brētij
tes, vt ne omnipotentia quidem diuina, ali- arg. p. 563.
ter fieri possit. Atqui omnes electi post resurrectionem Paradiso cœlesti colligentur, non solum animis, sed etiam corporibus: certum itaque & indubitatum est, eum verum locum, certamque sedem esse assignatam à Deo.

Et vt pudendam vestrorum Ministromachiam conspicias, ecce quid Lambertus Da- In c. 53.
næus aduersus Caluini sui hunc errorem, Enchir.
scripto commendauit: *Christus in locum cer-* Aug. f. 181.
tum cœlestemque conscendit. Et postea: *Caro* fol. 192.
Christi est circumscripta & finita loco. Rursum- fol. 266.
que: *Corpora beatorum in cœlesti beatitudine futura sunt in loco certo ac definito.* Quis apertius & constantius posset seipsum Caluinianis placitis opponere, quam hic Caluini minister atque satelles?

Alius insuper Caluini præco, qui nomen 9.
profiteri erubuit, nisi sub hac inscriptione S. Die 1.
G. S. suis in priorem Barthasij hebdomadam Gallicis Commentarijs, Caluini sui errorem coarguit, nostramque de Paradisi loco signato sententiam sic adfirmat: *Credimus ex verbo Dei cœlum empyreum, quo recipiemur vna cum Iesu Christo & sanctis Angelis, esse certum quendam ac definitum locum, supra omnem mundi machinam.* Ergo, verbo Dei contumaciter aduersantur, qui vel hoc ipsum imaginari vetant.

Ac vt tandem Ministrorum vestrorum 10.
contradictionibus fibulam imponam, vno agmine sex producam, qui cū totidem Lutheranis conflixerunt in Colloquio Malbrunensi,

Epitome Colloquij pag. 224. & 225.

brunensi, quique disertis Scripturæ verbis A obtinuerunt, Supremum cœlum esse domicilium Dei, locumque vbi Electi siue Angeli siue homines ineffabili gloria, splendore, ac maiestate diuina sibi communicata perfruuntur. Huius loci mentio fit (aiunt illi) vbi dicitur: *Vado vobis parare locum. Angeli semper vident faciem patris, qui est in cœlis. Electi sunt velut Angeli in cœlo. D. Ioannes, Stephanus & Petrus viderunt hoc cœlum apertum. Dauid eius meminit, d. Deus in cœlo parauit sedem suam.* Item Salomon: *Exaudi nos de loco habitationis sanctitatis tuæ.* Et Paulus ait: *Christus ascendit super omnes cœlos. Sedet ad dexteram maiestatis Dei in excelsis. Habemus Pontificem qui penetrauit cœlos.* B *Exaltatus est super omnes cœlos. Conuersatio nostra in cœlis est. Vnde etiam Saluatorem exspectamus. Cum sono tubæ & voce Archangeli descendet de cœlo.* Denique, pro sententia Catholica, sic aduersus Caluini sui concludunt errorem: *Neque difficile est plures alias ex Scripturis proferre, vt quod Christus & Electi visibiliter, & certum spatium occupantes, eodem tempore tantum vno in loco in cœlesti habitatione sunt, & perpetuo erunt.* MINIST. Iam nullum dubium superest, quin Paradisus peculiaris sit aliquis locus, à Deo Patre super cœlos definitus, cum (etiam Ministrorum iudicio) certum sit spatium in regione cœlesti, in qua Christus homo digitum beatis spiritibus, C permanebuntque corporibus & animis post consummationem sæculi omnes filij Dei: Quocirca euidentissima ratio omnes istos deformatæ rebellionis prædicantes compellit aut Caluino suo repudium renunciare, aut confiteri Paradisum locum esse ac determinatum à Deo, sicut & ipso teste perspicuum est, & insuper ex affirmatione aliorum Ministrorum apparet. Verum, percupio idipsum expresis Scripturarum locis adhuc magis probari ac demonstrari, ne quid hæsitationis in hoc articulo remaneat, & conscientia mea perspectæ veritati penitus acquiescat. D

Ioan. 14. Matth. 18. Matth. 22. Matt. 3. Act. 7. 10. Psal. 102. 3. Reg. 8. Ephes. 4. Heb. 1. 4. 7. Philip. 3. 1. Thess. 4.

11\. DOCT. Aeternus Dei filius compendioso sermone vis pronunciat Paradisum locum esse definitum, quo se recepturus erat ascendendo ad cœlum, & quo se Apostolos, & seruos sibi obsequentes euocaturus spondet, d. *Vado parare vobis locum. Et si abiero, & praparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum: vt vbi ego sum, & vos sitis.* MIN. Etenim cum semel & iterum, tamque studiose Paradisum ipsum quo profecturus erat, locũ nominet: locum adfirmet: Caluinus è contrario interdicit ne locum opinemur, & idipsum detestatur Beza, bellum nefarium indicunt filio Dei, & in apertum incidunt atheismum.

Ioan. 14.

DOCT. Eandem sententiam Christus magis astruens, subiicit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Quo in loco *domus* appellatio Paradisum significat: & per *diuersas mansiones*, diuersi gradus honoris ac gloriæ, qui pro modo bonorum operum & laborum tribuuntur Sanctis, debent intelligi. MIN. Ita-ne hunc locum patres sunt interpretati? DOC. Ita plane. Tertullianus namq; vir Apostolicorum temporum, de illo ait: Quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo & stella à stella distabit in gloria nisi pro diuersitate radiorum? Prosequitur sic Augustinus: Nullus sanctorum alienabitur ab illa domo, vbi mansiones pro suo quisque est accepturus merito. MIN. Certe domum appellans satis innuit. Paradisum non esse vastam, interminatam, aut immensam quandam inanitatem, sed quoddam cœleste domicilium: & cum de diuersitate meritorum loquitur, quænam sint illæ multæ mansiones ostendit. DOCT. Consentit & Beatus Hieronymus: Locus & mansiones, quas præparare se dicit Christus, in domo vtique sunt patris: id est, in regno cœlorum, non in terra: Paratæ sunt in cœlo plurimæ mansiones plurimis diuersisque virtutibus. Eiusdem mentis & sententiæ est D. Ambrosius, lib. 1. offic. c. 48. & in com. ad sextum caput B. Lucæ. 12.

Scorpiac. c. 8. 1. Cor. 15. Tract. 67. in Io. & l. de sancta Virg. c. 26. L. 2. ad Iouin.

MINIS. Sufficiunt hi tres: ad Scripturas redeundum. DOCT. Cum Christus dicit: *Qui mihi ministrat, me sequatur.* Itemque: *Volo Pater, vt vbi ego sum, ibi sit & minister meus: tam manifeste declarat se breui in Paradiso glorificandum,* perinde ac si iam ibi foret. Præterea, futurum vt Apostoli & serui eius post vitæ huius decursum certamen secum vna triumphent, & gloriam immortalem consequantur. MINIST. Nemo sanæ mentis dubitauerit, quin si hæc aduerbia, *vbi, quo, & ibi* locum designant, Dominus iis vocabulis locum quempiam denotarit sibi, suisque destinatum. Atque hæc tam clara & certa sunt, vt paucis verbis etiam nouies Caluinus fateatur, Christum in regno cœlesti locum suis parasse. Quapropter impurus iste tergiuersator aliud alibi loquens & sentiens, omnino indignum se reddit cui vnquam fides habeatur. 13.

Ib. 12. 17. Ib. c. 14. Ibi. v. 2. & 3.

DOCT. Alibi hunc verum Paradisum descri- 14.

describens simulque promittens Seruator, A sic loquitur: *Merces vestra copiosa est in cœlis. Vestrum est regnum cælorum. Thesaurizate vobis in cœlo. Habebis thesaurum ac in cœlo.* Adfirmat quoque sedem Patris esse in cœlo. Iubet inuocare Patrem nostrum qui est in cælis. Sæpe in cælos eleuat oculos, exemplo suo viam indicans, vt ad veram patriam, æternamque domum illic repositam aspiremus. Denique, ad eam ipse pergens, ascendit ad cælos videntibus Apostolis, & certo quodam eorum loco oculorum acie defixa. Sic & B. Stephanus in ipso mortis articulo vidit cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.

Matt. 5. 6. Luc. 18. Matth. 3. 5. 6. 17. Ioa. 6. 11. Matt. 16. Luc. 24. Act. 1. 7.

15\. Eodem spectant Apostoli quando hunc B Paradisum nuncupant Cælum nouum, adfirmant electos rapiendos in nubibus obuiam Christo in aera: & semper cum eodem futuros. Hos habere in cælis domum non manufactam: & ciuitatem cuius conditor & artifex est Deus. Hanc vocitant Ierusalem nouam descendentem de cælo, paratam vel. ut sponsam viro suo. Huius plateæ ex auro purissimo, muri ex gemmis, portæ ex saphiro, &c. quibus inæstimabilis Sanctorum adumbratur gloria, qua superioribus locis potientur.

2. Petr. 3. Apoc. 21. 1. Thess. 4. 2. Cor. 5. Heb. 11. Apoc. 21.

16\. MIN. Voces plane aureæ atque diuinæ, quæ mentem meam ingenti desiderio offe- C runt eo perueniendi? Meo quoque iudicio res est rationi etiam consentanea, vt Deus qui omnia facit ordine, pondere, & mensura, cum Adamum in terrestri Paradiso primum locare non sit dedignatus: etiam in cælis Paradisum constituerit, vt inibi eundem redemptum exciperet. Cumq; in centro terræ tenebrosam abyssum puniendis consceleratis præparauerit: idem etiam lectissimam cæli stationem glorificandis sanctis suis assignauerit. Tantum illud auctarij vice te rogo, ne sententias antiquorum, si quas in promptu habeas super hac re, recensere ne graueris. D

Sap. 11. Gen. 2. 3. Matt. 8. 12. 22. & 25.

17\. DOCT. D. Iustinus martyr docet, in emigratione animarum è corporibus, iustorum & iniquorum differentiam patefieri, cum ab Angelis in loca se digna perducuntur. D. Irenæus & ipse martyr disertim scribens: Animas ire in inuisibilem locum, definitum eis à Deo, agnoscit clare Paradisum certum ac definitum esse locum. Tertullianus eum vocat, Aliquam localem determinationem, & animarum receptaculum, cuius aliqua notione etiam Ethnici imbuti fuerunt campos Elysios nominantes. Et in Apologetico scribit: Paradisum nominamus locum diuinæ amœnitatis, recipiendis spiritibus destinatum. D. Ambrosius censet, Superiora habitacula, & promptuaria animarum, Scripturarum testimoniis valde probata. Epiphanius quoque ait: Custodias vnicuique animæ à Deo destinatas pro factorum meritis. Basilius magnus: Ierusalem ciuitatem cælestem, vbi pariter omnes sancti exsultant cum Deo, & Angelis eius. Fortunatam regionem viuentium vbi nulla nox, absunt morbi, abest omnis dolor, &c. D. Ephrem: Excelsa fastigia in regno cælorum, & Paradisum, vbi coronantur martyres, Prophetæ & Apostoli glorificati. Lactantius: Vnam communem custodiam, vbi omnes beati exspectant vltimum iudicium. Hilarius: Sedes beatorum, &c.

Dialog. L. 5. c. 31. Li. 4. adu. Marc. Li. de bono mortis c. 10. In Anchorato. In Ps. 45. 114. Lib. 1. de Cōp. cord. c. 7. L. 7. c. 21. In Ps. 2. 18.

MINIST. Tanti est apud me B. Augustini authoritas, vt votis meis factum fuerit satis, si eius tantum sententiam protuleris.

DOCT. Alicubi Paradisum appellat, Habitationem cælestem, conuenientem corporibus & animis glorificatorum. Alibi: diuersa, receptacula animarum secundum opera, &c.

Lib. de fide & Symb. c. 6. Tract. 49. in Ioan.

MINIST. Securus animi sum quod ad hunc articulum pertinet, nec vltra dubitandum arbitror, quin Caluinus & Beza qui tam præfracte negant cælestem Paradisum certum esse locum definitum à Deo, nefarij sunt hæretici, animarumque seductores: quandoquidem & dissidentes à seipsis eorum sententias abunde refutasti: & veram sententiam tum expressis sacræ Scripturæ locis, tum illustribus doctæ ac venerandæ antiquitatis testimoniis confirmasti. Persequamur reliqua.

SACRAE LITERAE DOCENT COMPLURES *Sanctos iam in Paradiso cælesti receptos esse; nec tantum his in terris eos degere: aduersus secundum & tertium Caluinianorum errorem.*

CAPVT III.

DOCTOR.

LAmbertus Danæus non vulgaris Caluinianæ sectæ Minister, in tantam aduersus Sanctos cœlorum ciues rabiem exarsit, vt scriptis publicis asseuerare non dubitauerit, *Nullos esse in Paradiso Sanctos: sed in terra duntaxat.* MINIST. Hoccine verum aut verisimile est quenquam vel mediocriter in sacris

Com. in Ep. ad Philem. pag. 409. sacris literis versatum eo peruicaciæ vel cæcitatis peruenisse? DOCT. Hæc ipsa sunt eius verba: *Scriptura nullos alios nouit, aut commendat nobis Sanctos, quam viuentes adhuc in hac terra pauperes.*

Confut. 1. MIN. Non solum cum Caluino, Beza, Marlorato, Vireto, Farello, Vermilio congerronibus suis, sed & secum ipse pugnat. Nam cum in scriptis suis præsertim Gallicis antiquorum Patrum mentionem iniiciunt, plus millies eos Sanctorum vocabulis denotant. Passim enim illic videre est Sanctum Augustinum, sanctum Ambrosium, sanctum Athanasium, sanctum Cyrillum, &c. Nimirum ab inuitis has honoris ac reuerentiæ voces elicit aut residuum aliquid verecundiæ, aut consentiens vniuersæ Ecclesiæ suffragium, aut interior ille sensus, ac morsus conscientiæ. Quos autem enumeraui, & consimiles, non amplius sunt viuentes in terris pauperes, sed beati & gloriosi in regno cælorum: necesse est igitur velit, nolit, vt ab hac infanda opinione desciscat, fateaturque plurimos esse Sanctos in Paradiso cælesti.

2. *L. 1. pa. 20.* Idem in Isagoge sua, quam Beza (vt mutuo muli scabunt) præfatione sua honorare sustinuit, sic aduersus seipsum scribit: *Deus in reliquis omnibus Sanctis Deus inest.* Et postea, de Martyribus vita functis in hunc modum loquitur: Nobis ad duplicē finem sanctorū Martyrū memoria colēda est. Et paulo post: *L. 2. c. 43.* *Magna est veritatis Euangelicæ confirmatio in eo, quod tot Sancti viri pro ea mori non recusarunt.* Et *Cap. 2. pag. 30.* in secunda parte, fatetur bonos Angelos sanctos esse, quia sanctitatem à Deo creatore sibi datam, illibatam seruauerunt. Alia item ratione iustos & Sanctos iure perhiberi propter gratiæ Diuinæ participationem. Quæ cum dicit, secum discrepantia loquitur, & semet erroris atque impietatis redarguit.

3. DOCT. Nec aliter sane loqui potuisset, quin mendacij Scripturam insimularet, vbi *Tob. 3.* Raphael vocatur *Angelus Sanctus Dei.* Scri- *Iob 5.* ptum est item in historia beati Iob: *Ad aliquem Sanctorum conuertere*, quod non modo Hebræi, sed & Græci & Latini veteres interpretes affirmant dici de Angelis, qui semper præsto sunt nobis auxilium ferre. Quinetiam Borrhaius, Brentius, Oecolampadius, quamlibet hæretici in comment. idem confiteri compelluntur.

4. Hac de causa Apostolus eos appellat An- *1. Cor. 12.* gelos lucis, Angelos virtutis diuinæ, & An- *2. Thess. 1.* gelos à Deo electos. Filius Dei testatur eos

A semper intueri faciem Patris sui qui in cælis *Act. 10.* est, esse participes eius gloriæ quam pater i- *Matth. 18.* psi tribuit: quin & comites adfuturos cum *Matth. 25.* in throno Maiestatis suæ sedens iudicabit *Matth. 16.* viuos & mortuos. Alibi præterea vocantur *Gen. 22. & 40.* Angeli Dei, Angeli Domini, facientes omnes *Exod. 14.* voluntates eius, Angeli boni, Virtutes ele- *Psal. 102. & 103.* cti, Angeli cœlestes &c. quibus indiciis luculenter apparet, quam iste Danæus sit in Deum *1. Tim. 5.* & sanctos Angelos eius contumeliosus, quibus Sanctitatis honorem sacrilegus furcifer adimit: quam item splendide mentiatur negans Scripturam alios agnoscere aut com- B mendare Sanctos, quam pauperes in terra degentes.

MINIST. Quid si hoc colore impudentiam suam defendat, vt dicat non sensisse se de sanctis Angelis: sed tantum de filiis hominum? Quid aduersus hoc regeri posset? DOCT. Est in promptu responsum. Refellitur à Spiritu sancto, qui per os Dauidis effatur: Diligite Dominum omnes Sancti eius. Timete Dominum omnes Sancti eius. Deus est mirabilis in Sanctis suis. Dederunt carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ. Exultabunt Sancti in gloria facere iudicium conscriptum: Gloria hæc est omnibus C Sanctis eius, &c. Quæ nullo schemate adaptari possunt pauperibus mendiculis adhuc in terra vitam trahentibus: sed his tantum qui de mundo ac morte gloriose iam in cælis triumphant. 5. *Psalm. 30. Ps. 33. Ps. 67. Ps. 78. Ps. 147. Ps. 150.*

His addam, quod si idem Spiritus sanctus 6. per Moysem sabbatum appellat, diem san- *Gen. 2. 12.* ctum, dies festos sanctos; vasa, candelabra, *Exod. 3. 12. & 28.* thuribula, panes, oleum, vestimenta, altaria, arcam, res sanctas: si templum, eius adyta, loca, Sancta, eo quod diuino cultui sacrata atque dicata essent: profligata prorsus impietas fuit, quæ, hoc monstrum hominis in tan- D tam dementiam impulit, vt sanctitatis titulos spoliaret tot millia Beatorum, qui Paradiso cœlesti potiuntur, & quisquilias hominum qui in concionibus suis victum quæritant, tali dignaretur honore. MINIST. Equidem arbitror ex hac nota esse eos, quos appellat, *Adhuc viuentes in hac terra pauperes.* Is enim mos apud eos obtinet, ne cuiquam eleemosynam dent, nisi iis qui intersunt, aut in posterum vouent se diligenter interfuturos eorum precibus, cantionibus, & conciunculis. Habent etiam hoc institutum, vt minister plusquam Stentorea voce detonuerit solenne illud: *Nolite obliuisci pauperum*, præclarus idem ipse bursæ publicæ

blicæ depositarius, velut custos ouium lupus, vna cum vxorcula, liberis, ancillis, Diaconis, superintendentibus, & similibus re ac spe dirutis balatronibus, abliguriat, & auaro ventri donet, quod in vsus pauperum erogari oportebat.

7. DOC. Sed detur sane vt loquatur de veris & à spiritu, & ab egestate facultatum pauperibus in terra degentibus; quibus amabo, causarum aut rationum munimentis insistit, vt eos potius in Sanctorum numero reponat, quam Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines, pœnitentes, & alios cæli ciues, qui sanctimonia vitæ, & omnis laudis exemplo celebrantur? Discipulus quẽ diligebat Iesus, cum infinitam eorum multitudinem cerneret, nonne audiuit ab Angelo, *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas & dealbauerunt eas in sanguine Agni? Ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius. Non esurient, neque quo sitient amplius, &c.* MIN. Enumerat reuera varia genera gladium & calamitatum, quas in terris pertulerunt: dolores, martyria, mortes, quas admirabili constantia exantlauerunt: tum iustificationis gratiam sanguine Redemptoris quæsitam & communicatam: sanctitatem & iustitiam designat sub appellatione candidarum tunicarum: ostendit eos & iam nunc & in perpetuum esse positos extra omnem periculorum aleam, quibus miseri, mortales in hac vita conflictantur: vt si vlla causa sit quamobrem hi Sanctorum cẽsu ac dignitate censeantur, sexcentæ rationes adferri possint, cur hic honos tribui debeat iis, quos iam cælum ac æterna fœlicitas excepit.

Apoc. 7. Apoc. 21.

8. DOCTOR. Ob easdem causas, & cœtus ille ciuium ac incolarum cælestium passim ab Apostolis nominatur Ciuitas sancta, noua, Deo exornata velut sponsa, sine ruga, sine macula, irreprehensibilis, incontaminata, inculpata coram Deo; immortalis, incorrupta, spiritualis, ad imaginem Dei transformata; quinimo, similis gloriæ Filio Dei, regnum Dei, hæreditas Dei, tabernaculum Dei, regnum Dei, &c. Quænam luculentiora Sanctitatis testimonia desiderari possunt?

Apoc. 6. 7. 19. 21. Ephes. 1. 5. Coloss. 1. 1. Thess. 5. 1. Cor. 15. Rom. 8. 1. Ioan. 3. Philip. 3.

9. Sed & veteres Prophetæ cum ea quæ dixi præsagirent animis, sic locuti sunt: *Via Sanctorum erit sancta; Ecce Dominus veniet, & omnes Sancti eius cum eo: Sancti obtinebunt regnum: Anima Sanctorum in manu Dei sunt: inter Sanctos sors illorum est, &c.*

Isa. 4. 35. Zach. 14. Dan. 7. Sapien. 3. 5.

10. Postremo quosnam putas mente complecti beatum Paulum, cum ait: *Sancti de hoc mundo iudicabunt? Sancti per fidem vicerunt regna?* MIN. Prior sententia referri debet ad Apostolos, & similes qui se imitatores Christi & eorum præbuerunt, quibus duodecim thronos secum promisit ad iudicandum duodecim tribus Israel. Posterior ad Patriarchas, Prophetas, & Martyres, qui præsenti aduersus tormenta fide constantiaque Tyrannorum immanitatem superarunt, & ob id nunc in cœlesti regno triumphant. DOCT. Nonne igitur satis liquet, omnes istos fœlices spiritus qui sunt in cœlis vere Sanctos esse, & dici à Spiritu sancto, qui locutus est per os Sanctorum Prophetarum & Apostolorum? MIN. Tam id indubitata fide credo, quam mihi persuasum & exploratum est à spiritu mendacij & omnis nequitiæ impulsum fuisse Danæum, vt hanc doctrinam impugnaret.

1. Cor. 6. Heb. 11. Matth. 19.

Nunc magna me cupiditas tenet agnoscendi, Vtrum vere ac reipsa fuerint hactenus, atque, etiamnum sint Sancti, iusti, innocentes, & vere puri coram Deo: an vero sola, nudaque ac externa imputatione, vt Caluinus cum suis opinatur.

SANCTOS VERE IVSTOS ESSE IVstitia & gratia animis eorum inhærente, & omnes peccatorum sordes vere expurgante: non externa solum imputatione, contra quartum, quintum & sextum Caluinianorum errorem.

CAPVT III.

DOCTOR.

TOta Caluinianorum Ministrorum factio tam obstinatis mentibus aduersus Sanctorum cœlestium veram innocentiam, sanctitatem, ac iustitiam conspirarunt, vt reipsa nihil illis faciant reliqui, præterquam quod non imputantur & innumeræ peccatorum labes, quæ tamen in ipsis resideant, idque gratuita quadam ac externa imputatione beneficiorum Christi. MINIST. Distinctius quæso, & apertius hæc declara. DOCT. Tria simul falsa, & hæreticæ prauitatis plena, contra veram Sanctorum iustitiam & innocentiam complectuntur. Primo, statuunt eos reapse non esse puros, iustos, & sanctos coram Deo per gratiam infusam aut inhærentem ipsorum animis. Secundo, tantum abesse vt tales sint, vt con-

tra, ſemper maneant flagitiorum ſordibus A conſpurcati, & iniquitatibus ſuis infecti & maculati. Poſtremo, cum illis quodam Dei externo fauore propter Chriſtum non imputantur iſta peccata ſua, tum ſolum iuſtos & ſanctos dici ac exiſtimari. MIN. Hoc igitur perinde eſt, ac ſi nigerrimum quendam Aethiopem quis candidiſsima veſte indutum ac inuolutum proponeret, adfirmaretque illum propter inuolucri candorem iam non eſſe amplius atro colore horridulum Aethiopem, ſed lacteum & candidulum Gallum. At is egregie ſeipſum falleret, & aliis imponeret; quandoquidem quod reipſa atrum eſt, album autumaret, & quod album B atrum reputaret: ex quib. impoſturam Caluinianam iam ſubolfacio. Cedo vero ipſius Caluini teſtimonium mihi recita. DOC. Ait

In ca.3. ad Rom. v. 25. ille, & Marloratus refert: *Iam aliquoties monuimus, nō iuſtificari homines quia reipſa tales ſint, ſed imputatione.* Scribit item de Zacharia & Elizabeth, quos Euangeliſta teſtatur iuſtos

In c.1. Luc. verſ.6. fuiſſe coram Deo, *Iuſti ergo Zacharias & Elizabeth, quod Deus non imputauerit eis peccata. Nam & ſuis vitiis laborabant.* In ſuis aduerſus concilium Tridentinum Antidotis, & alibi ſæpe ſuauiludius iſte ſannis excipiens quod tradunt Catholici, cauſam formalem iuſtificationis & ſanctificationis animarum eſſe gra- C tiam, id eſt, qualitatem ſpiritualem ac inhærentem, quam Deus effudit in corda San-

Rom. 5. ctorum per Spiritum ſanctum quem dedit illis, vt re ac ipſo effectu iuſti & ſancti eſſent: prædictos errores omni ope conſtabilire conatur. Bucerus, Vermilius, Beza, hoc genus omne ſunt in eadem hæreſi. MIN. Non eſt opus alia probatione: ſatis enim apud me conſtat eos omnes in eodem luto hærere. Supereſt vt contraria huic errori veritas, Scripturæ, Patrumq́; ſuffragiis confirmetur. DOC. Fiet, ſi prius eorum contradictiones in medium attuleris.

Confut. MIN. Hæc ſola Caluini mihi eſt inſtar D

1. millium. *Sicut à primitiis benedictio diffunditur*

In c.17. Io. v.19. 1.Cor.1. *in totum prouentum, ita Spiritus Dei nos Chriſti ſanctitate aſpergit facitq́; eius participes: neque id imputatione ſolum (nam hac ratione dicitur nobis factus eſſe iuſtitia) ſed dicitur etiam factus eſſe nobis ſanctificatio, &c.* Quæ etenim repugnantia maior fingi poteſt, quam Hominem eſſe ſanctum imputatione, non reipſa, ſicut ex eodem authore probaſti: & hominem perfuſum eſſe participemque fieri ſanctitatis non imputatione, vt audiuiſti? Nam ſi homo iuſtificatus eſt non ſola imputatione, quid aliud supereſt quam vt reipſa ſanctus & purus ſit? Qui vero id fit, quam per veram gratiam ac ſpiritualem gratiam à Spiritu S. infuſam animis, tanquam eximium aliquod ornamentum? Per ſplendidum lumen, cuius radiis omnes peccatorum nebulæ diſcutiuntur? Omnes ſordes & maculæ de cordibus eluuntur? Quare cum huiuſmodi ſit Seruorum Dei ſanctificatio, nihil cauſæ eſt quin Caluinus ſua ipſius ſententia manifeſti erroris conuincatur.

Aliud rurſus argumentum ex eius verbis 2.
aſtruo. Nam quibuſcunque locis ſcriptum reperitur, Chriſtum nobis factum eſſe Sanctificationem, Spiritus docet nos aſpergi & irrorari ſanctitate eius atque gratia, non ſola imputatione, verum & participatione. At vero Paulus teſtatur Chriſtum factum eſſe no- 1.Cor.1.
bis ſapientiam, iuſtitiam, ſanctificationem, 1.Theſſ. 4
& redemptionem: Voluntatem Dei eſſe ſan- 2.Theſſ.2.
ctificationem noſtram: Nos electos eſſe in Hebr. 12
ſanctificationem Spiritus: Nos erudiri ad id 1.Pet.1.
quod vtile eſt, in recipiendo ſanctificationem eius. Similiter & D. Petrus tradit, nos ſanctificari ſpiritu in aſperſione ſanguinis Ieſu Chriſti. Et Deus ipſe ſublata voce clamat: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* Et Hiere- Exod. 31.
miam alloquens, *Sanctificā te* (inquit) *ex vtero* Leuit. 20.
&c. Ex quibus recte & ordine veriſsima in- Ierem.1.
fertur concluſio. Omnes Sanctos reipſa tales eſſe coram Deo, non externa fictitiaque imputatione.

Accedit tertium eidem fundamento ſu- 3.
perſtructum argumentum. Cum Filius ho- Ioan.10.
minis pronunciet ſe à Patre ſanctificatum: & 17.
& ob id à Prophetis nuncupetur *Sanctus ſan* Dan.9.
ctorum, Sanctus Iſraelis, Sanctus per excellen- Iſa.59.
tiam, non aliorſum trahi poteſt horum Luc.1.
verborum acceptio, quam ad veram gratiam, ac interiorem ſanctitatem, qua ſecundum Iſaiam exornatus eſt donis Spiritus S. Iſa.11.
qui in eum ſine menſura effuſus eſt, vnctuſq́; Ioan.3.
oleo lætitiæ præ omnibus conſortib. & par- Pſal.44.
ticipibus ſuis. Atqui Patrem ſuum precatur, Heb.1.
vt ſerui ſui, quos Sanctos nominamus, *ſan-* Ioan.17.
ctificentur in veritate: declarat ſeipſum pro ipſis ſanctificari, vt etiam ipſi ſancti ſint in veritate. Quæ rationes efficiunt, animam Domini noſtri non ſola imputatione ſanctam fuiſſe, quemadmodum nec apoſtolorum, Diſcipulorum, aut aliorum Sanctorum animæ itidem fuerunt? ſed per veram gratiam infuſam, ſpiritalemque ſanctitatem, quæ opera donoque Spiritus ſancti, quæ his quos Deus ſuo amore complectitur, benigne

confertur pro ratione, captu, atque dispositione singulorum. DOCT. Haud aliter statuendum est, nec dubium esse debet quin Seruator cum tam sollicite ac distincte preces conciperet, *Pater, sanctifica eos in veritate:* moxque coniungeret: *Pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi Sancti in veritate*: phantasticam istam & imaginariam Sanctitatis imputationem aperte reprobauerit & exploserit.

Ioan.17.

MINIST. Necdum finis Caluinicarum contradictionum est. Siquidem Lambertus Danæus illi præceptori suo seipsum obiiciens, qualitates spirituales animis inhærentes sponte agnoscens & adprobans, ait: *Peccatum naturam ipsam hominis non extinguere vel destruere, sed tantum quæ in ea sunt bonas qualitates abolere.* Et postea, damnans Manichæos, Seruetistas, & Osiandrum, quod substantiæ diuinæ commixtione dixerint, Creaturas bonas esse, contra, asserit, *qualitatis tantum & effectus communicatione, istud fieri:* quod & ex Irenæo martyre confirmat. DOCT. Superest ergo à suis expugnatus hæresiarcha.

Com in c.13. Euch. 6. Augu.
In cap.23.

4. MINIST. Rursum, non solum dictu, sed & cogitatu impium mihi videtur, nullam vnquam tot Virginum, tot Confessorum, tot Martyrum, Apostolorum, Patriarcharum, Prophetarum, ac Iustorum qui ab initio sæculi verum ac viuentem Deum agnouerunt & coluerunt, animam vere ac reipsa sanctificatam fuisse. Non quempiam Angelum, non Archangelum, non Cherubim aut Seraphim: non eum qui inter natos mulierum maximus fuit, non sanctissimam, ac Dei gratia plenam Deiparam, non denique Sancti sanctorum Domini nostri Iesu Christi animam ac conscientiam de facto sanctam & mundam extitisse, sed tantummodo simulata imputatione ac externa solum denominatione, Deo scilicet illorum labes & sordes quibus vere infecti & contaminati erant, non aduertente. Quasi nimirum Deus sibi ipse ludos & delitias faciens, aliam de rebus opinionem ac vere exsistunt, vana imputationis larua fingeret ac efformaret. DOCTOR. Sane quemadmodum is toto cœlo aberraret, qui aliquem graui morbo afflictum cernens, eum affirmaret sanum: ius & æquum pronunciaret, quod esset iniustum: vitio, nomen virtutis inderet: nigrum colorem pro candido, frigidum loco calidi, amarum pro dulci, Satanam pro Diuo Michaele, denique diabolum ipsum vice Dei veri & viui sumeret; ita magno in

Matt.11.
Luc.1.

A errore versaretur, qui existimaret in veritate illos Sanctos, Deoque caros esse, qui ob crimina & scelera quibus essent cooperti & conspurcati, potius homines profani, impuri, scelesti, Deo inuisi, & mancipia Diaboli, dici mererentur. Quare cum Spiritus Dei cœlestes incolas Sanctorum ac Beatorum perhonorificis titulis dignetur, apparet eos reuera, & absque vlla imaginatione vana tales exsistere.

MIN. Tam monstrosæ quæ hunc errorem sequuntur absurditates, satis quidem eum ab omnibus exsibilãdum præbent: verum, vt impudentibus istis os penitus obstruatur, 5.
B expedit vt expressioribus Scripturis adhuc refellatur. DOC. Et illud quoque facilimum erit, siue sigillatim, siue generatim voles. Ac primo quidem ecce valentissimam probationem. Fieri nequit vt Spiritus sanctus sit aut falsus aut fallax in vllo Scripturæ loco. At is cum de Sanctis sermo est, iis tribuit gloriosam appellationem *Iustorum:* vt cum dicitur Abel iustus: Noe iustus coram Deo; Abraham, Isaac, Iacob iusti, serui, & amici Dei: Iob homo perfectus, simplex, rectus, timens Deum, recedens à malo, parem non habens inter omnes orientales: parentes Susannæ & Præcursoris iusti coram Deo: fore vt Iusti
C fulgeant vt Sol in regno Patris: Iustos ituros in vitam æternam: Baptista vocatur homo iustus & sanctus: Simeon homo iustus, timens Deum, habens in se Spiritum sanctum, &c. frequenter etiam adfirmat eos esse iustificatos & sanctificatos in sanguine Christi, per gratiam Dei, Rom.3.5.6. 1.Cor.6. Tit.3.2. Tim.2. Heb.10. imo & eosdem diserte pronunciat puros ac innocentes, Iob 2. & 27. Psal.7.14.23.25.36.40.72.78.83.100.108. Quinetiam, vt magis ac magis eorum sanctitatem & iustitiam exprimat: & eos (cuiusmodi sunt Caluinistæ) qui ipsis calumniæ notam inurunt, vocet in crimen, nobilissimum hoc eis
D Eloquium tribuit, *Sine macula enim sunt ante thronum Dei.* Denique, frequentissimum & sanctissimum illorum cœtum, id est, Sponsam Agni asseuerat esse totam pulchram, sine ruga & macula. MIN. Equidem vincor veris, & nube obruor tot tantorumque testimoniorum, quæ nulla cauillatione ad aliquam lectam ac externam iustitiam, sanctitatem, aut innocentiam coram hominibus detorqueri possunt: cum sæpius affirmetur, eam coram oculis ac throno Dei consistere. Multo minus ad phantasticam, fucosam, ac personatam istam imputationis exterioris

Matth. 23. Gen.6.7. Gen.18.22. Exod.32. Matth. 8. Iob.1. Dan.3. Luc.1. Mat. 13. Matth.25. Marc.6. Luc.2. Heb.10.
Apoc.14. Cant.4. Ephes.5. Apoc.21.

laruam,

laruam, quam in cerebri sui officina fabricauit & finxit Caluinus planus improbissimus. Proinde nulla dubitatio relinquitur, quin ea illorum sanctitas vere ac solide in sanctis hæreat, vt toties Spiritus sanctus confirmat. His adde, quod peccatrici horum naturæ haudquaquam tribuitur: sed gratiæ Dei, idque propter merita Christi Domini nostri: vnde liquet eos qui aliter loquuntur ac sentiunt, simul in Deum ac in omnes Sanctos eius contumeliosos esse. A

6. DOCT. Hanc porro sanctitatem, gratiam seu qualitatem quandam esse spiritalem, quę à Deo producatur, & animis Sanctorum infundatur, & ratio docet, & Scriptura loquitur, & Patres sententiis suis comprobant. B Certissima namque ac euidentissima ratione constat, Hominem corpore non posse dici album vel atrum, deformem aut speciosum, valentem aut ægrum, fortem aut imbecillum, frigidum aut calidum; nec quod ad animam pertinet, peritum vel ignarum, bonum vel malum, virtute præditum aut vitio contaminatum, nisi reuera instructus sit iis corporis aut animæ qualitatibus, vnde sumuntur istæ superiores denominationes. Annon ergo huic rationi consequens est, vt animæ Sanctorum in sese gratiam, iustitiam, C charitatem, & sanctitudinem vere infusam habeant, quibus & Deo grati, & coram Deo iusti, & Sancti sunt & dicuntur? MINIST. Consequens plane. Quin & pari modo, Fidelis quis appellatur, ob donum fidei quæ est in ipso: & sperans in Deo propter spem qua præditus est: amans Deum & proximum, veræ charitatis per quam anima eius exornatur, ratione: similiter si quis vir sanctus, innocens, & Deo acceptus est, necesse est vt id fiat ob qualitates & munera, quæ animæ illius insunt ac hærent, non per solam imputationem. D

7. DOCT. De istiusmodi muneribus ac beneficiis Scriptura dicit: *Requiescet super eum* (Christum hominem) *spiritus sapientiæ & intellectus spiritus consilij, fortitudinis, spiritus scientiæ & timoris Domini.* Et Angelus Gabriel Virginem salutans: *Aue gratia plena.* Lucas etiam de Apostolis ac Discipulis scribens: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Item de B Stephano: *Plenus gratia & fortitudine: Plenus fide ac Spiritu sancto.* Dixerat quippe Dominus: *Nolite exire de ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* De Gentilibus quoque ad fidem conuersis, & Baptismo renatis scribitur: *Accipiebant Spiritum sanctum.* Item: *Ecclesia Spiritus sancti consolatione replebatur.* Rursum: *Et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est.* Apostoli hortabantur eos qui crediderant, *vt perseuerarent in gratia Dei, quam acceperant.* Paulus hanc spiritalem qualitatem & gratiam toties prædicat & inculcat, quoties ingeminat: *Gratiam vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino IESV Christo. Per fidem accessum habemus ad eam gratiam in qua stamus. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Donum Dei per gratiam in nos abundauit.* Præterea, *Secundum gratiam Dei quæ mihi data est, ieci fundamentum. Gratia Dei sum id quod sum. Gratia Dei in me vacua non fuit, &c.* Sunt & alij absque numero tum huius Apostoli cum aliorum coapostolorum eius in hunc sensum loci, quos breuitatis causa prætermitto; vt hæc ex aliis eius assertionibus argumenta contexam.

Isai. 11. Luc. 1. Act. 2. Act. 6. Luc. 24. Act. 8. Act. 9. Act. 10. 13. & 15. Rom. 1. Rom. 5. 1. Cor. 3. 1. Cor. 15.

8. Cum Adami præuaricationem, qua vniuersi inficimur & polluimur, cum ea gratiam comparat, quam Christus nobis promeruit & offert, concludit, Nos per hanc vere sanctificari, iustificari & reconciliari Deo: idque multo efficacius & excellentius, quam per peccatum eramus contaminati. *Sed non sicut delictum, inquit, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit, &c.* grauissima disputatione ista colligens, Iesum longe potentiorem esse ad iustificandum, ignoscendum, & seruandum, quam Adamus ad nos inquinandum, perdendum, & condemnandum fuerit. Itaque cum peccatum non externa solum denominatione imputetur, sed ipso actu & effectu nos inquinet, sacros & intestabiles reddat coram Deo & Angelis eius, postulat omnino contrariorum natura & ratio, vt gratiæ donum oblatum, infusum, & in iustificatione susceptum, vere nos abluat, emundet, ac veros Dei & salutis filios efficiat. Rom. 5.

9. Eandem quoque sententiam adstruit in ea, quæ est ad Hebræos Epistola, de virtute ac efficacitate sanguinis IESV Christi pro nobis effusi in hunc modum disserens: *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui semetipsum per Spiritum sanctum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti?* Et postea: *In qua voluntate* (Christi) *sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Discipulus

Hebr. 9. Heb. 10.

pulus quem diligebat Iesus, non leue pon- A
Apoc.1.7. dus addit huic argumento, cum ait: *Christus nos dilexit, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Et cum testatur S. omnes lauisse stolas suas, & dealbasse eas in sanguine Agni. Quibus Apostolicis Decretis & iudiciis declaratur eos in veritate & actu ipso purificatos, mundatos & Sanctos fuisse, non figmento imputationis Caluinianæ.

10. Adhæc, cum sæpissime præcipiunt, vt proficiamus in caritate, gratia, & cognitione Dei, pollicenturque bonis ac munificis fore vt Deus augeat frugem iustitiæ illorum: quemadmodum & Apostoli negauerant vt fides eorum augeretur? & D. Ioannes ait, iustum B adhuc iustificari, & sanctum adhuc sanctificari: demonstrant euidenter talia dona vere qualitates esse spirituales, quæ accessione possunt, & decessione minui: non quandam diuinam imputationem, quæ tales mutationes non admittit. MIN. Certe quidem vel vna naturalis ratio euincit, crescere ac decrescere, minui vel augeri proprietates esse notasque quantitatis & qualitatis: proinde cum fides, charitas, iustitia, & gratia augmentum capiant, sequitur vt sint veræ qualitates animarum.

Coloss.1. Ephes.4. 2.Petr.3. 2.Cor.9. Luc.17. Apoc.22.

11. DOCT. Postremo, tot Scripturæ loca in quibus differitur de regeneratione, renoua- C tione, & spoliatione veteris hominis, ad induendum nouum, de stola noua à patre recipienda, de sumenda veste nuptiali, sic accumbere cupimus in epulo Regis cœlestis: hæc & similia certo sunt argumento longe aliam mutationem, aliud mysterium sanctificationi & iustificationi Electorum à Deo interuenire, quam illud vanissimum imputationis Caluinicæ somnium: nempe veram gratiæ Dei, ac donorum Spiritus sancti communicationem, quæ re & opere animis nostris infunduntur, vt his cælestibus ornamentis decorentur, ac tandem cum diuino sponso coniungantur.

Ioan. Tit.3. 2.Cor.4. Ephes.4. Coloss.3. Luc.15. Matth.22.

12. MIN. Hoc doctrinæ caput iam mihi mero meridie clarius lucet. Nam alias non essemus lauati & mundati in sanguine Christi, sed contabesceremus miseri in flagitiorum nostrorum pædore & squalore: non renouaremur & regeneraremur, sed in peccatis nostris, & noxa veteris Adami permaneremus: non essemus ornati vestibus honorificis, sed omnium vitiorum pannis & lacernis obsiti. Atque ita Diabolus potentior esset, Adamus contagiosior, & effrænatæ cupiditates nostræ efficaciores ad aspergendam turpitudinis labem, quam Dominus Iesus ad nos à peccatis emundandos, aut Spiritus sanctus ad nos iustificandos: quæ blasphemiæ sunt prorsus intolerabiles.

Sed velim nunc rescire, quid de his capitibus antiqui Patres censuerunt. DOCT. Et in hac re tuæ voluntati mea voluntas seruiat. Magnus Aur. Augustinus libro sexto contra Iulianum Pelagianum, cap. vndecimo: libro de nat. & grat. cap. septuagesimo: lib. de spiritu & lit. cap. trigesimo secundo: & Tract. 74. in Ioannem, constanter asserit hanc Sanctorum gratiam, charitatem, & sanctitatem non esse imputationem, aut nudam aliquam denominationem: sed gratiam ipsis infusam atque hærentem, his velut firmissimo fundamento, nixus Apostoli verbis: *Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est vobis.* 13.

Rom.5.

Hinc D. Hieronymus ait: Animam esse viuificatam iustitia & virtute, sicut cæcus illuminatur beneficio visus & luminis quod ei communicatur, non imputatur. Idipsum alibi vocat, Dulcedinem Spiritus sancti, & fructus Paradisi, qui sunt charitas, gaudium, pax, fides, continentia, & patientia. Rursus, probat iustificationem Sanctorum perfici infusione gratiæ, per virtutem renouantem animas, non per externam imputationem, his eximiis D. Pauli sententiis. *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Induimini Dominum nostrum Iesum Christum. Exuite veterem hominem, & induite nouum, qui renouatur de die in diem.* 14.

Com. in ca. 26. & 65. Isa. Com. in ca. 18. & 43. Ezech. Gal.3. Rom.13. Coloss.3.

MIN. Plene & animo meo, & huic quæstioni de qua agimus, satisfactum erit, si mentem Scripturarum illarum explanaueris, in quibus identidem occurrit cuiusdam imputationis mentio, veluti cum D. Paulus ait Abrahæ fidem *imputatam ei fuisse ad iustitiam.* Beatum esse hominem, *cui non imputauit Dominus peccatum. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata ipsorum, &c.* DOCT. Num legitimæ satisfactionis locum apud te obtinebit sanctorum Patrum interpretatio? MIN. Mihi non est integrum aliud velle: iam enim iureiurando meam tibi fidem astrinxi. DOCT. Diuus Augustinus ait: Cooperta sunt peccata, quando abolita sunt. Deus ea noluit agnoscere quando maluit ignoscere] S. S. Hieronymus & Remigius respondent: Deus non imputat peccata ad pœnam, quia delet per misericordiam.] Adeo Patribus sanctis, non imputare, est delere, mundare, purgare & iustum facere 15.

Rom 4. Psalm.31. 2.Cor.5. D In Ps.31. In Ps.31.

facere ab iniquitatibus: & imputare est coarguere, damnare, castigare. Et vt melius noris Græcorum patrum consensione, Basilius, Theodoretus, Chrysost. ac Euthimius scribunt: Deus sic peccata obliterat, vt ne horum quidem vestigia remaneant.] Itaq; beatissimus Sanctorum chorus omnino purus est à peccatorum sordibus, diffusa & inhærente per Spiritum S. gratia: non conficta per Caluinianos imputatione.

Com. in Ps. 31.

SOLA FIDE NEC SANCTI IVSTIficati fuerunt, nec in cœlestem Paradisum euaserunt: contra 7. & 8. Caluinianorum errorem.

CAPVT IV.

MINISTER.

DIc quæso te, qua ratione Sancti tales coram Deo euaserint? DOCT. Aberrat tota via grex vester, cum asseuerat illos & Sanctos & beatos effectos esse sola fide. MINISTER. Certe Theodorus Beza inter fidei suæ & suorum articulos scribit: *Fides vnicum est instrumentum, quo Iesum Christum oblatum apprehendimus, & vas vnicum ad eum percipiendum comparatum.* Contenditque pluribus, Nos fide sola iustificari, hunc errorem suum affingens Apostol. DOCT. Noluit probus scilicet discipulus à Caluino magistro suo dissentire, qui iam ante scripserat. *Fidem solam sufficere. Deum nihil aliud à nobis postulare, quam vt credamus.* Hoc idem perurget axioma, Com. in Epist. ad Rom. cap. 1. v. 17. 21. & 28. In Epist. ad Gal. ca. 2. v. 2. & 16. In Epist. ad Ephes. cap. 2. v. 8 & 9. & compluribus aliis locis Itaque horum imaginatione, *Sola fides sanctos & iustos efficit: Sola fides in regnum cœlorum perducit: Solam fidem Deus à nobis exigit: extra vnicam fidem nihil Deus à Sanctis suis requiret.* Quid ad hæc loqueris? Quid sentis?

Confess. ca. 4. art. 3. 7. 14.

In c. 6. Io.

MIN. Nostros inter se opinionem varietatibus horrendum in modum hac in re digladiari, vt mendacibus ac impostoribus vsu venire solet. Nam Beza secum dissidens eos coarguit qui dicunt, *Fidem esse quandam virtutem, qua nos in nobis coram Deo iustificet.* Et postea scribit: *Salus nostra proprie non nititur fide nostra, sed eo vno potius quem apprehendimus per fidem.* Et idem rursum: *Neque hic fides perfecta requiritur (quis enim mortalium ea præditus est!) sed vera duntaxat requiritur, id est, non simulata.*

Confut. 1. Conf. c. 4. art. 7.

Art. 20.

Art. 50.

A DOCT. Vere pugnant inter se: iustificari nos sola fide: & nos sola fide iustos non effici. Deinde, credendum esse duntaxat ad hoc, vt cohæredes simus Christi, quod alibi tradit: & fidem perfectam non requiri vt Christo participemus, vt postea dicit, sententiæ sunt ita sibi contrariæ ac repugnantes, vt nullo vinculo, nullo glutino conciliari aut cohærere possint.

MINIST. Alibi etiam sibi aliisque ad credendum proponit: *Vitam æternam nullis promitti, nisi qui student operibus iustitiæ: nec alios iustos censeri coram Deo, quam qui serio resipuerunt, &c.* 2.

Conf. p. 4. art. 18.

B DOCTOR. Peccat ergo aduersus fidem, cum alio loco scribit: *Eos futuros cohæredes Christi, qui solum crediderunt.* Vides quantopere, qui tã dissentanea deblatterant, auditorum atq; lectorum suorum animas deprędentur, quos in fraudem ac perniciem illiciunt. Sed quid nefarius agyrta de Sacramentis ad Sanctorum iustitiam & salutem per Christum institutis iudicat? An non ea necessaria esse sentit?

MIN. Opinatur esse notas ac testimonia visibilia, ordinata à Deo ad perpetuũ vsum Ecclesiæ: faseturque illorum dignitatem, vsum legitimum, & fructus inde prouenientes se non posse pro merito declarare. Tandem ait: Esse quasi tubos & canales, per quos Deus gratiam suam in corda suorum instillat. DOCT. Si à Deo ordinata sunt, profecto necessaria sunt, quãdoquidem nihil nisi quod ad salutem nostram conducat, statuit. Quod si necessaria iis, qui notas & tesseras Iesu Christi ferre volunt, vt ex isto ex filio in beatorum domicilium commigrant: sola fides minime sufficit vt sancti simus, & ad ouile Christi aggregemur. Præterea, si tanta est Sacramentorum dignitas, vtilitas, & fructus; vt tam eximius Poeta, tam facundus Rhetor, tantum flumen ingenij, torrens eloquentiæ, & (quod rei caput est) Archiminister & alpha prædicantũ, pro dignitate non possit ea laudibus extollere; nõ est sani hominis dubitare, quin necessaria sint ad iustitiam & salutem. Nunquam n. adduci posset, vt tam simpliciter & ingenue fateretur imparem se laudibus rerum superuacuarum. Postremo, cum Deus per Sacramenta vt per canales gratiam suam in nos deriuet: illa iuxta cum fide necessaria sunt: sola ergo fides non sufficit, vt cum Deo coniungamur.

3\.

Conf. pũct. 4. art. 31. & 35. & punct. 5. art. 17.

C

D

MIN. Differens idem de Pœnitentia & 4.

4. partibus eius, in hac sententia est, vt dicat, si- A
Confess. ca. ne confessione peccatorum coram quo par
4. art. 29. est, cum restitutione & satisfactione erga pximum, nullam intelligi pœnitentiam nisi fictam & simulatam, DOCT. Certe ipse Dei
Mat. 3. Filius districte præcipit facere fruct⁹ dignos
Marc. 1. pœnitentiæ: nec dubitat edicere eos omnes
Luc. 3. 13. perituros in æternum, qui eos non fecerint. Vnde consequens est confessionem, satisfactionem, & reliquos pœnitētiæ fructus cum fide occurrere oportere, vt homines salui fiant: & totam prædicantiū cohortem (ipso Beza iudice) nihil aliud esse quam fucos, & meros hypocritas. Et de discipulo Caluini hactenus: ad ipsum magistrum veniamus. B
Num & is secum pugnat?

5. MIN. Omnium acerrime ac euidentissi-
In ca. 5. Io. me. Nam is scribit alicubi: *Nos certe fidem quæ*
v. 29. *nos iustificat, cum studio bene recteque viuendi con-*
In c. 6. Io. *iunctam esse non negamus.* Et postea: *Non enim*
v. 29. *fides excludit vel charitatem, vel vllum aliud bonum opus, quando omnia in se continet. Christus à fide fructus eius non separat.* Sic ex eodem ore calidum efflat & frigidum. DOCT. Cur itaque nō reformidauit tot miseras animas in fraudem pellicere, docens ibidem, *Solam fidem sufficere: nec Deum à nobis aliud quidquam postulare, quam vt credamus?* Enimuero si fides iustificans coniungi debet cum affectu bene C
viuendi, illa sola & incomitata parum ad id proderit. Si charitas & bona opera superflua non sunt, eadem requiruntur à Deo in Sanctis vt tales sint, vitamque æternam adipiscātur. Ex quo efficitur, Deum à nobis aliud præter fidem postulare. Sed perge Caluinismum coarguere & reprobare, Authoris sui proprio iudicio.

6. MINISTER. Alibi consentit charitatem & humanitatis officia ad salutem requiri, nec alia lege cuiquam aditum patere ad Superos, nisi bona opera exerceat: nec asseuerare dubitat, *fidem & spiritualem cultum per*
In cap. 9. *se Deo placere, charitatem, & humanitatis officia* D
Mat. v. 13. *erga proximos per se requiri.* Et alibi scribit:
In cap. 25. *Christum non aliis cœlorum hæreditatem promit-*
Mat. v. 34. *tere, nisi qui bonis operibus ad palmam supernæ vocationis contendunt.*

DOCT. Cum huiusmodi virtutes requirantur, & quidem per se; fides sola neutiquam sufficit, & Deus extra eam aliud requirit, nempe bona opera. Cumque non aliis obueniat cœlorum hæreditas, quam bonorum operum candidatis, Sanctis fuerunt opera necessaria vt eo peruenirent. Itaque & Caluin⁹, & qui ab eius lacunis errorem hauriunt, ac solam fidem assidue sonant, suo ipsorum decreto promunciantur exitiabiles prophetæ, impostores, & animarum quæ sese eorum fidei committunt proditores ac perditores.

MINIST. Proprio rursum sese iugulans 7.
mucrone scribit: *Quidquid vacuum est Chari-* Com. in 1.
tate, nihil est apud Deum, imo illi displicet: multo Co. c. 8. v. 1
magis quod palam cū charitate pugnat. DOCT. Deo igitur nec grata est, nec gratos facit ei Sanctos sola Fides, ni comitem habeat charitatem, vt & postea diserte pronunciat Apostolus, 1. Cor. 13.

MIN. Bona fide recitaui, quatenus sug- 8.
gessit mihi memoria, pugnantes eorum in hoc articulo sententias: tuum est deinceps quid animi habeas disserere. DOCT. No- Li. 1. c. 1. &
bilis scriptor & fortissimus Martyr Irenæus 20.
memoriæ prodidit, Simonem Magum ab Apostolis iusto anathemate damnatum, eadem de sola fide contra bonorum operum necessariam adiunctionem tradidisse, quæ de Caluino & Beza superius audiuisti. Diuus L. de fide &
Augustinus quoque testis est, Falsos fratres, operib. cap.
Pseudoapostolos & Pseudochristos, de qui- 14.
bus frequenter Paulus queritur, eundem errorem amplexos esse, prauis glossematibus quædam eiusdem Pauli verba ad eius confirmationem detorquentes: quibus Petrus, Ioannes, Iacobus & Iudas Apostoli Epistolas suas obiecerunt, cōprobantes Charitatem, & alias virtutes ad iustitiam & salutem vna cum fide necessarias esse. Idem re- L. de hæres.
fert Eunomium in hæreticorum catalogū, sib.
quod ita bonis operibus aduersaretur, vt solius fidei necessitatem assereret. Atq; hi sunt primi huius erroris artifices, hi zizaniorum istorum satores, hi Caluinistarum anteambulones, & angeli tenebrarū ministri quorum se præclara ista reformatorum caterua discipulos & imitatores profitentur. MIN. Si non aliud, certe hæc sola ratio sufficere debet ad ruborem incutiendum iis, quos non prorsus cepit propriæ salutis obliuio. Verum, expressis quoque Scripturis idem error refellendus est.

DOCTOR. Quoties illic occurrunt ad- 9.
monitiones grauissimæ de spe in promissis & miserationibus diuinis reponenda? MIN. Passim, infinitis locis, præcipue autem in Psalmis. Et per Ieremiam Deus æternam Cap. 17.
maledictionem & gehennam interminatur iis, qui aliter faxint. Cain, Achitophel, Iudas, Herodes, aliique alastores, quod hac Spei Heb 6.
virtute caruerunt, æternæ damnationi sunt

adiu-

Rom 5.8. adiudicati. Paulus iubet eam nobis amplexandam esse, velut firmam & stabilem animarum nostrarum anchoram. Nos gloriari in spe gloriæ filiorum Dei: Quinimo nos in spe saluari. Quæ locutiones certo certius euincunt eam virtutem vna cum Fide ad iustitiam & salutem omnino requiri.

DOCT. Quid putas sentit idem Apostolus de Charitate, ac eius officiis? Nonne docet eam etiam cum fide necessariam? MIN. 1.Cor.13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, ait ille: *Charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim arcana omnia, & habuerim omnem fidem, ita vt montes transferram, Charitatem autem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest.* Concludit, Charitatem omnium virtutum esse potiorem. Quocirca sine Charitate nemo iustus, nemo sanctus, nemo saluus potest esse, quantalibet Fide præditus sit.

10. DOCT. His adde, quod diligere Deum Deut. 6. ex toto corde suo, ex tota anima sua, ex omnibus Matt. 22. viribus suis hancque dilectionem vniuersis facultatibus, honoribus, voluptatibus, imo & propriæ vitæ præferre, officia sunt Charitatis, sine quibus impossibile est placere Deo, quantumuis fidem habeas. Hinc, diligere proximum sicut seipsum benefacere iis qui oderunt nos, orare pro persequentibus & calumniantibus, frangere e- Matt.5. surienti panem, vagos in domum suam in- Isa.58. ducere; vestire nudos, visere ægrotos, ca- Mat.25. ptiuos redimere, &c. opera sunt Charitatis à fidei seiuncta operibus ac officijs: illa tamen ad iustitiam & salutem æternam necessaria, vt Scripturarum voces personant. Igitur sola fides nec iustos fecit Sanctos, nec saluos.

MIN. Scripturarum abunde est, doctrinam antiquorum subiice. DOCT. Iam intellexisti ex D. Irenæo, talem fuisse Simonis Magi errorem: ex Diuo Augustino Pseudoapostolos ac Eunomium in eodem luto hæsisse, quo merguntur Caluiniani. Addam ea quæ idem Augustinus refert de bonorum operum necessitate, vbi & aduersariorum argumenta diluit. Scriptum est, inquit, *quod fides iustificat*: sed ea fides demum, quæ secū- Gal.5. dum Apostolum, operatur per charitatem. 1.Cor.13. Et alibi. *Si habeam omnem fidem vt etiam montes transferam, & charitatem non habeam, nihil sum.* Et iterum: Si tantum credis, & sine spe viuis, rem non magnam præstas. Diaboli enim credunt, & eo magis contremiscunt.

A Tu Christum fateris esse Filium Dei: Petrus idem dixit, & responsum est ei, *Beatus es.* Diaboli etiam confessi sunt, & indictum est illis silentium. Hi quidem metu id dicebant; Petrus, amore: adde igitur fidei, spem. Et quam vero spem, nisi bonitate suffultam? Adde igitur etiam charitatem, &c.

MIN. Perite sane præcipui Caluinianorum 12. argumenti aciem Augustinus retundit: simulque confirmat Spem & Charitatem vna cum Fide penitus esse necessarias: solamq; fidem minime sufficere. Sed quid sensit præceptor eius Ambrosius?

DOCTOR. Quomodo illi, ait, qui solum B Patrem prædicat, spes nulla est, si non profiteatur in eadem veritate & Filium: ita & huius spes frustrata, qui solum professionem fidei habet, sine bonis operibus. Et alibi: Christus perfectionem fidelis viri breui sermone concludit, vt & fide & operibus approbetur dicens: *Hæc oportuit facere, & illa non* Matt.23. *omittere.*

MIN. Si pauca ex D. Hieronymo addideris, 13. nihil vltra requiram.

DOCTOR. Probat solam fidem Sanctis non sufficere, eo quod Christus sciscitandi, quid faciendo vitam æternam perciperet: respondit: *Si vis ad vitam intrare, serua manda-* Matt.19. C *ta.* Cui responso subnectitur: *Non omnis qui* Matt.7. *dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei.* Alio loco vocat istos nudæ fidei prædicantes: Pseudoprophetas, populi seductores, hæreticos, & damnatæ sententiæ homines. Deinde, comparat eos cum fatuis virginib', Matt.25. quarum lampades oleo, igne, lumineque erant destitutæ: quibusq; dictum est à Sponso: *Nescio vos.*

MINISTER. Tam firmæ solidæque mihi videntur hæ probationes, vt qui eas oppugnare præsumpserit, aduersus rationem, adeoque ipsum Spiritum sanctum bellum D gerere videatur. Nam & architecti huius erroris Apostolorum iudiciis sunt damnati: & instauratores mutuis inter se dissidiis cōflictantur? Diuinis literis Spem, Charitatem, Dei amorem & proximi, cum aliis operibus bonis vbique resonantibus, seipsos opponunt. Tum & Sacramentorum vsum ac efficacitatem funditus subuertunt. Denique, nunquam & nusquam Apostoli tradiderunt, Solam fidem sufficere. Hinc colligere est Sanctos cœli ciues non sola fide tales euasisse: sed quia præter hanc, cæteris quoque virtutibus & bonis operibus excel-

excelluerunt, Cæterum rogo, vt adhuc copiosius inter nos de iisdem bonis operibus disputetur. Nam deformes isti Reformatores ea passim traducunt, eisdemque hostiliter aduersantur.

BONA SANCTORVM OPERA NON sunt peccata mortalia: non impedierunt quominus in cœlum peruenirent: quinimo eos illuc perduxerunt: aduersus 9. 10. & 11. ***Caluinianorum errorem.***

CAPVT V.

DOCTOR.

TRipliciter in eo errant. Primum, iudicantes, Opera esse mortalia peccata. Secundum, dicentes, Sanctis impedimento fuisse ne in Paradisum venirent. Tertium, negant illos bonorum operum adminiculis eo peruenisse. MIN. Proba id sodes, & fidem postulas. DOCT. Caluinus hos errores Lutheri probans, *Iustus in omni bono opere peccat.* Opera Sanctorum quantumuis iusta, coram Deo peccata sunt, solemni scilicet moderatione sua, vocat eos, *Bruta animalia, & triplices bestias*, qui aliter dicunt ac sentiũt. Deinde subiungit: *Si in iudicium Dei vel præstantissimum opus quod vnquam fuerit, vocetur, næuo aliquo reperietur deformatum. Vnde conficitur non esse tantopere exagitandos, qui dixerunt, Quamlibet bona opera si exacto rigore censeantur, æterna potius damnatione, quam vitæ præmio digna esse.* Quod si Caluiniana consensione, æterna damnatione potius quam vitæ præmio digna sunt etiam præstantissima Sanctorum opera; nonne consequitur absurdissimo paradoxo, illa peccata esse mortalia? Insuper, eadem obstare ne in cælos Sancti perueniant?

Antidot. contr. Conc. Trident. sess. 6.

MIN. Nihil habeo quod opponam. DOCTOR. Idem rigidus censor alibi scribit: *Nullum omnino bonum opus censebitur, nisi cuius vitiis Deus ignoscet: quando omnia mutila sunt, & corrupta.* Si corrupta & vitiosa, peccata sunt mortalia, quoniam nulla admittit venialia. Et nulli Sanctorum parcens ait alibi: *Primum dico, quod optimum ab illis* (Catholicis) *proferri potest* (opus) *aliqua tamen semper carnis impuritate respersum & corruptum esse, ac tanquam aliquid fæcis admixtum habere.* Et postea, nec ipsummet Christũ hominem, nec sanctiss. eius Matrem, aut præcursorem eius eximens, scribit: *Nullum vnquam extitit pii hominis opus, quod si seuero Dei iudicio examinaretur, non esset damnabile.* Addit, *pestem humani cordis esse, aliquam laudem operibus tribuere, eo quod sordes tantum sint & fœtores coram Deo.* Idem rursum alibi scribit: *Nullum extare bonum opus concedere cogimur, quod non & appositis sibi transgressionibus & sua ipsius corruptione pollutum sit, ne iustitiæ honorem teneat.* Ac illico vocat opera quamuis bona, *impura, immunda, dimidiata, indigna Dei conspectu, necdum amore.* Deniq; nisi tam impia dicta vomuisset aduersus eximias virtutes, & bona Sanctorum opera necesse erat, vt tanquam alter Iudas vel Arius disrumperetur, ac medius creparet, ita turgebat illi pectus omni turpitudinum atque conuitiorum congerie. *Delirant*, inquit, *qui vllam rationem coram Deo habitum iri putant eorum operum, quæ ipsi confinxerunt cum ea pro stercoribus & oletis habeat.* Gallica eius verba, *Il ne les estime non plus qu'estrones*, Latine *reddimus.* MIN. Quod capiti ipsius male vertat, ita vt nauseam mihi mouent, imo vero bilem, & iustam indignationem, tam fœtida verba. Quid enim dictu fœdius aut turpius? Quid indignius auditu? Adeone quenquam tam perfrictæ frontis esse, tam derelictum ab omni honestate ac verecundia, vt opera Spiritus diuini in Sanctis suis, comparare non erubescat cum iis rebus, quæ sine pudore, ac honoris præfatione nominari non possunt? Et hæc omnia, quidquid in contrariũ blatterare posit vt hominum mentes à bonis operibus auertantur.

In c. 1. Io. v. 29. *Inst. l. 3. c. 14 §. 9.* *§. 11.* *§. 16.* *In c. 1. Luc. v. 6.*

Nam qui animum inducet Caluinianæ fœditati assentire, nunquam adduci poterit vt recte faciat. Non Deum diliget, non proximum, ne æternam damnationem incurrat. Non egentibus eleemosynas erogabit, non excipiet hospitio peregrinum, non visitabit ægrotum, non cõsolabitur afflictum, non captiuum redimet, viduam & orphanum non tuabitur, non sepeliet mortuos. Denique respuet auribus omnem ad virtutes amplexandas cohortationem, non curabit credere, sperare, diligere: virtutem moralem simul atque Theologicam aspernabitur; cum talia præstando, factis se flagitiosis ac turpibus, quæ secundum Caluinum, merentur æternam damnationem, seipsum commaculet ac coinquinet. Quæ oratio tam est detestabilis, tam Diabolica, tam denique apertæ professæque fœditatis & impietatis, vt refutationem non desideret. *Confut.* 1.

DOCT. Antequam in absurditatibus istis enumerãdis vltra progrediaris, cedo sis, an 2. *In cap. 5.*

non

Mat.v.45. non & author ipse sibimet contrarius est? A

In ca.6.v.1.& 4.

MIN. Et quidem apertissime, scribens: *Christus respicit in quem finem vocati sumus, nempe vt reparata in nobis Dei imagine, pie sancteque viuamus.* Et postea: *Suos hortatur Christus ad syncerum bonorum operum studium: hoc est, vt simpliciter recte facere studeant coram Deo.* Et paulo post: *Admonet Christus in quærenda bonorum operum mercede, patienter expectandum esse vltimum resurrectionis diem.*

DOCT. Subsiste paululum, donec consectanea quædam ex hisce Caluinianis antecedentibus eliciam. Quandoquidem opera Sanctorum bona sunt non est vt dici possint B peccata damnabilia. Et siquidem in die resurrectionis præmiabuntur: non ergo iram Diuinam aduersus nos prouocant. Cum etiam Filius Dei ad eorum studiũ nos adhortetur, & bene facta censeantur coram Deo: non sunt illi pro stercoribus, vt hic impurissimus ganeo blatit. Denique, si possumus (opitulante Dei gratia) puram & sanctam vitam viuere: prorsus dissentanea loquitur furiosus, cum alibi sentit, *Iustum mortaliter peccare quantumuis opera bona faciat.*

5.

In cap.6. Mat.v.16.17.18.24. In cap.19. Luc.v.9.

MINIST. Ita pergit sibi contrarius esse. *Deus aliquando patefaciet sibi placuisse, quæ videbantur perisse bona opera.* Et postea: *Domino* C *probantur fidelium conatus & studia, perinde ac si integram illi obedientiam præstarent.* Et iterum alibi: *Sciamus fidem præcipue in Zacchæo laudari, cuius gratia factum est, vt bona quoque opera Deo placerent.* Et in cap. 5. Ioan. *fides quæ nos iustificat, cum studio bene recteque viuendi coniuncta debet esse.* DOCT. Deus cum declaret grata sibi esse bona opera: nonne sacrilegam Caluini & Ministrorum eius temeritatem contundet, tradentium eadem non modo illi esse ingrata, verum & damnabilia? Si bona opera Zacchæi placuerunt Deo, nonne Caluinus impias voces effutit, cum dicit ea nihil aliud esse, quam peccata, eademque D mortifera.

4.

In c.8.pri. Cor.v.3. In ca.5.secund.Cor.v.10. In ca.9.2. Cor.v.6.

MINIST. Pertendit secum dissidendo: *Si diligimus Deum, bene temperatæ erunt omnes nostræ actiones, & propterea Deo probatæ.* Et alio in loco: *Posteaquam nos Deus in gratiam recepit, gratuita etiam acceptione opera nostra amplectitur; hinc merces dependet. Nihil igitur absurdi, si bona opera præmio dignetur.* Quinetiam beneficentiam in pauperes sic affirmat Deo gratam, & multiplici remuneratione præmiandam esse: *Dominus vt sibi impensum fert quidquid pauperibus erogatur. Neque tantum in cælo remuneratur Deus fidelium beneficentiam, sed etiam in hoc mundo.* DOCT. Cum operationes Deo gratæ fuerint: non igitur peccata, quæ detestetur & abominetur. Et si adeo illi placuerunt, vt his etiam mercedem rependeret: ijs profecto Sancti quasi gradibus in Paradisum peruenerunt, nedum vt impedimento fuerint. Sed satis superque de Caluini repugnantijs: videamus an Bezæ discipulo & successori eius melius secum cõueniat.

MIN. In maiore fidei suæ Confessione 5. Puncto 4. art.16.
affirmat, Nihil ab homine Christiano gratius offerri posse Deo, quam veras preces, dummodo recte fiant. Secundo loco ponit opera charitatis, quæ proximo iuxta mandata secundæ tabulæ legis exhibentur. Tandem ait, quoddam esse genus operum, quæ proprie & secundum se nec bona sunt nec mala, sed fine diiudicantur. DOCT. Cum opera per se indifferentia concedit, errorẽ præceptoris sui dicentis, *Iustum in omni bono opere peccare,* plane dãnat & subuertit. Quod si opera Charitatis fiunt iuxta præcepta secundæ tabulæ: nonne Deus toties peccata mortalia præciperet fieri, quoties à nobis exigit bona opera, si hæc peccata forent? Tũ autem si preces rite conceptæ Deo sunt acceptissimæ, quacunq; tandem examinentur censura: non erunt certe gratiarũ eius pollutiones, vt alibi loquitur: sed sacrificia omni thure & sanguine gratiora & acceptiora.

MIN. Affirmat idem se credere, bona o- 6.
pera primum ædificationi proximorum inseruire: & eadem nos magis magisque de propria salute certos reddere. Agnoscit vitam æternam non promitti, nisi ijs qui ad opera iustitiæ, id est bona opera studium suũ applicant. Confitetur denique tantam esse Dei bonitatem, vt non solum non reprobet opera nostra, licet imperfecta: verum etiam grata & accepta habeat hactenus vt remuneratione dignetur, (Gen.5. Matth. 5. & 10.) tam in hac vita per multas benedictiones temporales & spirituales, (1. Tim. 4. Matth. 19. & 25.) quam in regno suo cælesti. DOCT. O magnam vim veritatis! O gloriosum doctrinæ atque fidei Catholicæ triumphum! O summam hæreseon, & perennem mendaciorum inconstantiam! Si Deus non reprobat, imo vero probat & compensat opera nostra tanquam res sibi gratas, non sunt profecto peccata morte digna. Et si eorum intuitu benedictiones temporarias & spirituales, tam in his inferis quam apud superos confert: certe non promerentur æternam damnationem vt aliis in locis mendacissi-

me isti confingunt. Ex opposito vero, cum vita æterna ijs duntaxat promittatur, qui bonis operibus vacabunt, eademq; nos propriæ salutis reddunt certiores: pro certo sine ijs fluctuamus & agitamur assidua incertitudine, nec vnquam ad supremam fœlicitatem perueniemus. Atq; hoc modo Caluinianorum errores sua sponte ruunt & labefactantur.

7. MIN. Iam abunde, etiam ipso Authorum suorum dissensione atq; conflictu hæresis ista confutata & prostrata iacet: ad immanes & monstrosas absurditates, quæ ex illius fonte oriuntur, accedendum. DOCT. Si præstantissimum opus quod vnquam fuerit, à quocunque homine iusto profectum (nullam enim exceptionem, nullam distinctionem adhibent hæresiarchæ) pollutum & imperfectum, imo vero peccatum est æterna damnatione dignum, (cogita, & exhorresce quorsum euadat hæc diabolica & plane infernalis oratio!) consequens erit, vt quidquid vnquam cogitauerint, dixerint, desiderauerint, ac fecerint Dominus noster Iesus Christus, beatissima Deipara, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Euangelistæ, Discipuli, Martyres, Confessores, Virgines, in eo Deum mortaliter offenderint, & sempiternam damnationem meruerint. Quo portẽto, quid execratius tota furiarum infernalium cohors excogitare possint, non video.

Matt. 23. Hebr. 11. Rursum, hac impietate posita, sequetur Abelis innocentiam, tantopere ab ipso Filio Dei in Euangelio commendatam, & ab Apostolo celebratam, fuisse peccatum æterna morte plectendum. Et vt compendio summa rerum fastigia perstringam, Adami pœnitentia, Enosi preces, Enochi sanctitas, Noë iustitia, Abrahæ fides, obedientia Isaaci, spes Iacobi, continentia Iosephi, patientia Iobi, mititas Mosis, sacrificia Aaronis, zelus Phinees, constantia Iosuæ, Samuelis pietas, Dauidis ærumnæ, feruor Eliæ, Elisæi miracula, Danielis desideria, Sodalium eius fides, castitas Susannæ, Ezechiæ religio, Iosiæ pietas, Ieremiæ lachrymæ, Isaiæ conciones, luctus Esræ, scripta Ezechielis, ægritudines Zorobabelis, & aliæ virtutes præclaraq; priscorum Seruorum Dei facinora, Caluinianorum Ministrorum iniquissima cẽsura, meræ sordes forent, & in Deum offensiones, quę sempiternis gehennæ cruciatibus dignæ essent.

8. Prętcrea, si huic errori locus daretur, Spiritus sanctus haudquaquam esset Spiritus veritatis, sed potius mendacij, cum dicit: *In omnibus ijs Iob non peccauit, nec stultum quid aduersus Deum locutus est. Iob erat vir iustus, simplex, rectus, timens Deum, & recedens à malo. Virgo non peccat, si nubat*: cum ex sententia Caluini: iustus in omni opere peccat. Insuper, nec sepulturæ Tobiæ, nec lachrymæ Saræ, nec Cornelij eleemosynæ, nec feruentes Sanctorum preces, vt suaueolentes offerrentur Deo, idq; cælestium Angelorum ministerio: si meræ labes, meræ pollutiones, meræ spurcitiæ, lutum, stercora Caluiniana, peccata in inferis punienda, coram illo reputarentur. MIN. Ex his sane perspicio Caluinianæ theologiæ Ministros, hac in parte, non solum cælestibus incolis, sed & ipsi Spiritui sanctitatis authori & effectori atrociorem contumeliã infligere, quam qui vnquam prioribus sæculis extiterint hæretici. Iob. 1. 1. Cor. 7. Tob. 3. 6. 12. Act. 10. Apoc. 5.

DOCT. Imo & singularem iniuriam Deo Patri faciunt, qui plurima & grauissima bonorum operum præcepta sanciuit mortalibus: quandoquidem hoc non aliud esset, quam tot peccata committi iubere, si omnia opera iustorum peccata forent damnabilia. MIN. Enimuero si homo vitam & mores ad diuinæ legis amussim componens Deum ex toto corde diligat, timeat, adoret, inuocet, Diem Sabbathi sanctificet: honoret patrem ac matrem, vestiat nudos, aduenas colligat hospitio, visitet ægrotos, redimat captiuos, sepeliat mortuos, erudiat ignaros, consoletur afflictos, infideles ad Deum conuertat, aberrantes in viam vitæ verbis & exemplis reuocet: atque hæc præstando, damnabiles committat offensas: sequitur, Deum, qui hæc omnia fieri mandauit, totidem peccata præcepisse mortalia: & eos qui ea præstant, obsequentes Deo, toties renunciare cælo, toties contaminare se flagitijs ac sceleribus, toties æternæ damnationis reatum incurrere: quæ blasphemiæ sunt nullo modo ferendæ. 9. Exod. 20. Matt. 25

Rursum, si quodlibet opus bonum Sanctorum pecatum est, vt censet Caluinus, sublatum est omne boni & mali discrimen; virtus & vitium, sacra profana, Diuina & diabolica sursum versum confunduntur: atq; ita pari iure censentur & commiscentur qui latrocinijs viuunt, & qui eleemosynas largiuntur: qui furtis rem quærit, & qui donãdo tribuit: qui promiscua venere corpus fœdat, & qui vitam cælibem vel legitimum matrimoniũ colit: qui gulæ ac ebrietati studet, & qui ieiunijs carnem macerat: qui diris Deum deuouet, & qui precibus vene- 10.

ratur

ratur & inuocat. Quæ furiosæ opiniones omnem epicureismum & atheismum adeo exsuperant, vt non nisi à mente reproba, coopertaq; turpibus flagitijs proficisci possint ac valeant.

11. DOCT. His adde, quod hæc opinionum monstra cunctos mortales à recte factis auocant, & ad maleficia compellunt: opera charitatis restingunt, legum fundamenta labefactant, omnem amicitiam conuellunt, fidem è vita tollunt, delent è cordibus hominum totam religionem, ac metum Diuini numinis pœnitus obliterant. Deinde nullum scelus, nullũ atrox facinus est, ad quod patrandum improbitas humana non impelli possit, si hoc persuasum sit, æque peccare mortaliter qui bona facit, vt is qui scelere caput astringit. Hinc eueniet vt arioli, venefici, ac sortilegi pari confidentia diabolum consulant, atque olim beati Prophetæ os Dominicum interrogabant. Nefandus apostata non magis dubitabit creatorem & Seruatorem suum eierare: quam sanctus Martyr in tormentis inuocare & confiteri. Sacrilegus templa spoliabit, incendiarius flammam admouebit fanis aut minus audacter, quam vir pius eadem instaurabit. Parricida opere & verbo parentes violabit simili affectu, quo filius obsequens illos obseruabit. Auarus & fœnerator diuitias cumulabit diligentiori cura, quam liberalis & munificus eas in commune distribuet. Fornicator, adulter, incestus, libidines implebit maiore audacia, quam castus & abstinens bellum indicet voluptati propter regnum cælorum, Quippe semper hanc nubem flagitijs & criminibus obtendent homines consceleratі, nimirum, æque peccare coram Deo iustum in opere quantumuis bono, quam peccatorem iniquitates operando. Atque hanc præclaram scilicet sapientiam atque doctrinam dicent euangelicam, ac etiamnum in scholis & canonibus ab omni errore repurgatæ & reformatæ Ecclesiæ palam vigere & florere. MINIST. Certe Caluinus ita scripsit, Bucerus illud sensit, Vermilius hoc modo docuit, Beza id vrget fortiter, nec aliud personant Ministrorum huius sectæ rostra & aulæ.

12. DOCT. Ad hæc, si iuxta Bezæ mentem vere amentem, optimum opus quod ab optimo viro totius mundi viro proficisci potest, ad rigidam normam exactum, peccatum est, & gratiarum Dei pollutio, imo (vt non horret dicere Caluinus) ignem æternũ meretur; sequitur vt quoties ipsi Caluiniani cantillant, quoties precantur, quoties prædicant, toties peccent mortaliter. Quoties baptizant, quoties synodos agant, quoties iungunt matrimonia, quoties manus ministellis imponũt, quoties pro pauperibus suis sibi stipem colligunt, quoties catechizant, quoties in cœnis suis frustulum panis glutiunt, & haustum exsorbunt vini meri, &c. non pluris ea deputent, quam Caluini sui putidissima stercora. MINIST. Profecto, si metu quodam tanguntur, ne Deum offendant: æquum esset illos talibus exercitijs finem imponere, & sectam vnde tam nefariæ resultant impietates toto pectore expuere & repellere.

Nunc quoniam satis accurate collegisse videris præfatæ sententiæ absurditates: ad expressas scripturas progredere, earumque patrocinijs tuere, non omnia Sanctorum bona opera peccata esse, æternæ gehennæ digna suppliciis: ac proinde, ijs non arceri genus humanum ab introitu Paradisi: quin potius multum iuuari, vt illo possint peruenire. DOCT. Iam ante retuli quale de Iobo testimonium Spiritus sanctus perhibeat, videlicet eum non peccasse in verbis: sed perseuerasse in innocentia sua. Paulum quoque asseuerare Virginem (liberam) non peccare si nubat: quæ ad primum errorem subuertendum sufficiunt. Sed vt animo tuo prolixius mos geratur, alios etiam authores aduersus illum profero. D. Petrus suos hortatus ad patientiam, abstinentiam, pietatem, dilectionem, fraternitatem, charitatem, & vt vocationem atque electionem suam bonis operibus firmam redderent; hoc Epiphonemate concludit: *Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* MIN. Adfirmans Electionem certam firmamque reddi bonis operibus ac virtutum quas enumerat officiis, insuper, adijciens hæc faciẽdo nunquam peccari, à fundamine conuellit errorem Hugnosticum. Quin & Caluinus nonnulla pudoris specie commotus videtur, vt his in eũ locum verbis pudendam hæresin suam abiurare cogitarit, eandem tali glossemate temperans: *Hac nota discernuntur filii Dei à reprobis, dum pie & sancte viuunt; quia hic Diuinæ electionis est scopus.*

Margin notes: 11. — Iob. 1. 2. — 1. Cor. 7. — 1. Petr. 1. — 2. Petr. 1. — In ca. 1. ep. 2. Petri v. 10.

At vero, quænam vitæ sanctitas consistere potest, vbi peccatum mortale residet continuo? Quo tãdem coagulo ferruminare poterunt Ministri tam manifeste secũ pugnantis Magistri sui sentẽtias tam aduersas quam

 peruer-

peruersas? Scilicet, viuere pie, sancte & honeste: & viuere semper cum manifesta pollutione gratiarum Dei? Cum offensionibus, quæ mereantur æternam damnationem.

1. Ioa. 3.

13. DOCT. Discipulus ille quem diligebat Iesus, his duobus & grauibus & diuinis decretis Hugnosticorum causam iugulat: *Omnis* (inquit) *qui in Deo manet, non peccat.* Paulo post: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Porro autem ij in Deo manent, qui manent in eius charitate & gratia: ergo hi in bonis operibus suis nec peccant, nec æternæ damnationis reatum incurrunt. Imo vero vt asseuerat Discipulus prædilectus, nec possunt peccare, cum se re gratiæ regendos permittunt, quæ hic Semen Dei vocitatur. MIN. Non potuit profecto flagitiosa hæresis ista condemnari apertius, quam hic factum est ab Apostolo, dicente: *Non peccat. Peccatum non facit. Et non potest peccare.* Trina namque ista negatio, trina est huius impietatis refutatio. Necesse est igitur, vt diabolico prorsus exagitentur furore, cum ita insolenter aduersus Spiritum veritatis qui per electum illud vas suum locutus est, impudenter insurgunt. Patrum antiquorum quædam his adde testimonia: & iam secura mente conquiescam.

L. de spirit. & lit. c. 36.

14. DOCT. Augustinus insignis Theologus animo & prouida cogitatione percipiens argumenta, quibus aduersarij veritatem labefacere, suumq; errorem constabilire confiderent, ad hunc modum scribit. Neque enim si esse nondum potest tanta dilectio Dei (in hac mortali vita) quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur, iam culpæ deputandum est. Aliud est enim totam nondum assequi charitatem, aliud nullam sequi cupiditatem.] Ac ideo iudicat scriptum esse: *Iustus ex fide viuit*, quod sit quædam iustitia minor, huic vitæ competens quæ non absurde dicitur etiam ad istam pertinere. Idem alibi probat: Gratia Dei per Iesum Christũ, eo adiuuante fieri, vt humana natura iusta & beata sit, propterea quod præsidio gratiæ muniti, possumus resistere Diabolo, qui nos tentat, & is continuo fugiet à nobis. Item, cũ Deum exoramus, ne nos inducat in tentationem: sed liberet à malo. Exaudiet enim nos, qui dixit: *Vigilate, & orate, ne intretis in tẽtationem. Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.*

Rom. 1. Abacu. 2.

L. de nat. & grat. c. 58. & 59.

Iac 4. Matth. 6. Marc. 14. Luc. 11.

15. Hoc idem dogma catholicum confirmat testimonijs aliorum patrum, qui eum ætate præcesserunt; quo in numero sunt Hieronymus, Ambrosius, Hilarius, & Sixtus Papa: quorum refert sententias. Et in alio libro, quatuor sibi ad disquirendum & resoluendum proponens quæstiones, hoc fine primã concludit. S. à me quæratur, vtrum homo sine peccato possit esse in hac vita? Confitebor posse per Dei gratiam, & liberum eius arbitrium.] Insuper, idem alibi fortissime contendit. Ne ipsum quidem opus nuptiarum, in quo vel maxime concupiscentia & caro regnare videntur, esse peccatum: tantũ abest vt omne opus quantumuis iustum, sit peccatum. MIN. Iam animi certus sum quod ad hunc articulum pertinet. Docet enim me Augustinus, nihil aduersus nostrum axioma facere quidquid afferri potest de operum nostrorum imperfectione, de communi naturæ humanæ deprauatione, de tentationibus & periculis, quibus in hac vita colluctãdum habemus: denique de humillimis quorundam Sanctorum confessionibus. Disseramus, t: quæso, adhuc aliquantulum de operum meritis: est enim materies & vsu cõducibilis, & tractatu maxime præclara.

Cap. 62. 63. 64. 65.

L. 2. de peccat. meritis & remiss. c. 6.

Li. de bono coniugali, cap. 6.

BONA SANCTORVM OPERA DEO grata & accepta fuisse, laudem aliquam meruisse: imo etiam vitam & gloriam sempiternam his velut iustam mercedem rependi: aduersus 12. 13. & 14. Caluinianorum errorem.

CAPVT VI.

DOCTOR.

CVm vester Caluinus affirmare dicit. *Omnia opera quamlibet bona semper imperfecta esse atque deprauata*: nec id solum, *verum & peccata damnabilia*: Et Beza magistro suo concinens superaddat: *etiam pollutiones esse gratiarum Dei*: num ex his volunt, eadem nõ solum displicere Deo, verum & detestabilia coram eo censeri? MIN. Plane quidem id fatendum est, cum scriptum sit: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. Virum sanguinum & dolosum abominatur Dominus.* Detestatur oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes sanguinem innoxium, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad malum, falsos testes, eos qui seminant inter fratres discordias: & (vt verbo complectar) omne genus flagitiorum.

Conf. p. 4. art. 19.

Psal. 44. Psal. 5. Prou. 6. Sap. 16.

DOCT.

DOCT. Et quid istis hæresiarchis odiosius ac molestius est, Merito bonorum operum? Author namque huius libri, cui inditum est falsissima & superbissima inscriptione nomen *Clypei fidei*, nisi fidem Hugnosticam interpreteris, ait: *Vocem meriti non nisi à blasphemia & arrogantia promanare*, Beza peius adhuc ab eo vocabulo abhorret, & vt est perfrictæ frontis aperte simpliciterque præ se fert hanc impudentiam: *Horremus hæc vocabula merendi & meritorum, quia nimis intemperanter homines iis vocibus sunt abusi*. Deinde, quasi aperto marte cum sanctis Patribus, qui eis vsi sunt, congrediens, vociferat. *Hæc merendi & meritorum vocabula nunquam in Ecclesiam Dei irrepsissent, si veteres Latini Theologi propriam eorum significationem attentius considerassent*. Caluinus de his disserens, initio verecundiam simulans, ait, se ab omni contentione verborum seu logomachia libenter abstinere: sed hæc ad tempus sumpta modestia mox velut sudor à fronte detergitur, continuoq; ad ingenium redit. Subiicit enim: *Quantum in se offensionis contineat, magno cum orbis detrimento patet. Certe vt est fastuosissimum, nihil quam obscurare Dei gratiam, & homines praua superbia imbuere potest. Vsi sunt (fateor) passim, vetusti Ecclesiæ scriptores, atq; vtinam voculæ vnius abusu erroris materiam posteris non præbuissent*. Alibi plaustra conuitiorum effundens ita debacchatur: *putidior est stupiditas Papistarum, quibus satis est ad probanda merita, nudas promissiones arripere, &c.*

Pag. 49. 50

Conf. p. 4. art. 18. 19.

Inst. l. 3. c. 15. §. 2.

In ca. 10. Rom. v. 5.

MIN. Non est opus pluribus citandis immorari: satis enim perspectũ habeo quantopere vox Meriti soleat passim in scriptis suis exagitare: coneturque peruincere, Neminem vnquam Sanctorum vllo opere quantumlibet bono, laudabili, à gratia profecto, aut cum iustitia & gratia Dei coniuncto, vitam æternam potuisse mereri. Nec hoc mirum, cum etiam dicere non vereatur: Ipsum Iesum Christum si simpliciter opponatur iudicio Dei, non potuisse aut nobis aut sibi ipsi quidquam mereri: velut alibi disputatum est.

Tantum abest vero, vt cognoscat vitam æternam Sanctis pro mercede rependi, vt prorsus ex Diametro contrariam opinionem tueatur: nempe ipsa quæ dicuntur opera bona æternam potius mereri damnationem. In institutione quadruplicem salutis nostræ causam statuens, efficientem nimirum, Materialem, instrumentalem, & Finalem: hæret tanquam mus in pice, nec vllam ex iis reperire potest quæ conueniat operibus, nullam prorsus meritoriam: vnde colligit, nos tale beneficium sola fide adipisci. Propositum idem pertinaciter vrget in suis super Epistol. ad Romanos commentis, caput 2. 3. 4. 5. 8. & 9. In Epistola ad Ephes. cap. 2. in Epistol. ad Philippens. cap. 1. & 3. & alibi sæpius. Quin hoc penitus persuasum habeo, neminem ex tota fæce prædicantum & Caluinianorum esse, quin fateatur, omnes hasce opiniones quarum eos accusas, ab vniuersa secta fortiter propugnari. Superest tantum vt eas verbo Dei, & veterum assertionibus expugnes, & à prima, nempe. An opera Sanctorum Deo grata & accepta fuerint ordiaris.

Antidot. cont. Conc. Trid.

Inst. l. 3. ca. 14. §. 17.

DOCT. Quæcunque iam ante à nobis allata sunt, vt confirmaremus, Non omnia opera Sanctorum peccata esse mortalia, satis euincunt quædam eorum saltem ei grata & accepta esse. Nam cum Patriarcharum virtutes, Prophetarum officia, labores Apostolorum, constantia Martyrum, castitas Virginum, & reliqua bona opera quæ descripsimus, Diuino testimonio comprobata sint: imo & à Deo seuere præcepta: certo & indubitato argumento est, eidem illa grata fuisse: cum alia edicto sanciret fieri, quæ sibi displicerent; & approbaret vt bona, quæ tamen reipsa mala, nefaria, & infesta sibi forent.

Cõfutatio 1.

Secundo, quidquid item commemorauimus de fructibus ac officiis caritatis tum erga Deum, tum erga proximos siue amicos siue inimicos; quidquid de operibus misericordiæ erga pauperes, quæ Deus sub ignis æterni qui paratus est diabolo & Angelis eius comminatione flagitat; quidquid, inquam, huius est, manifeste probat Deo gratissima esse Sanctorum bona opera & studia.

2. Ioan. 5. Matth. 5. Matth. 25.

Tertio, quod ex Caluino retulisti, Filium Dei suos adhortari, vt sancte viuant: vt recte facere studeant coram Deo: paratam esse bonis operibus mercedem: fore vt aliquando Deus patefaciat ea sibi grata fuisse: bona opera Zachæi placuisse Deo: quod etiam habes à Theodoro Beza, preces fidelium perquam gratas esse Deo: bona opera ædificationi proximorum conducere: nos salutis nostræ reddere certiores: vitam æternam iis promitti: Deum ita eisdem delectari vt ea benedictione sua tum in hac vita cum in regno cælesti Dignetur, &c. hæc inquam, & affinia nostrorum aduersariorum verba, hunc errorem infirmant; insuper,

3.

euidenter comprobant bona opera Sanctorum gratissima fuisse Creatori: proindeque laudem coram eo meruisse. Sed tecum erit labor mutuas Hæresiarcharum repugnantias in medium adferre.

4. MIN. Sunt numero infinitæ, sed quasdam breuiter includã. Author semetipsum redarguens scribit. *In Deum fundata, erecta, stabilita conscientia, operum quoque consideratione stabilitur: quatenus scilicet testimonia sunt Dei in nos habitantis atq; regnantis.* Atque hanc alteram esse rationum, quæ maxime Sanctos erigit & solatur, cum in mentem reuocant suam innocentiam & integritatem, eamque interdum producunt in medium. DOCT. Re vera sæpissime in psalmis occurrunt loci, vbi Dauid coram Deo iustitiam, innocentiam, mansuetudinem, patientiam suam, & puritatem manuum suarum allegat: hinc pœnitentiæ suæ exercitia in ieiuniis, lacrymis, sacco, cilicio, clamoribus, & precibus laudat, quæ totidem sunt bonorum & laudabilium operũ genera: nunquam pro certo id facturus, si Deo talia opera minus grata putasset. Ezechias quoque significato sibi mortis nuntio, concipit Deo preces his verbis: *Obsecro Domine, memento quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitũ est coram te fecerim.* Sed & Iob commemorat suam continentiã, lenitatem, & miserationem: Item se nudos vestisse & panem dedisse pauperibus, hospitium suum peregrinis patuisse, se tutatum afflictos, & ab omni iniuria infirmos protexisse. Sara castitatem & prudentiam suam venditat. Daniel suam iustitiam, cuius ratione Deus misit Angelum vt concluderet ora leonum, quibus obiectus fuerat ad deuorandum. Paulus ieiunia sua, vigilias, ærumnas, prædicationes, vincula, carceres, martyria, & cæteros labores pro Dei cultu susceptos: nimirum, quod indubie sciret isthæc omnia Deo grata esse tanquam voluntati eius congruentia. Sed perge porro Caluinianas contradictiones recensere.

Inst. l. 3. c. 14. §. 18. — Isa. 38. 4. Reg. 20. — Iob. 31. — Tob. 3. — Dan. 6. — 2. Cor. 6. 11.

5. MIN. Paulo post idem ille subiicit: *Dominus quæ in nos contulit bona opera, & nostra appellat, & non tantum accepta sibi esse testatur, sed remunerationem etiam habitura.* Et iterũ: *Placent Deo bona opera, nec sunt authoribus suis infructuosa, quin magis amplißima Dei beneficia remunerationis loco referunt.* Hactenus ille de bonorum operum dignitate, fructu, atque remuneratione.

L. 3. inst. c. 15. §. 3.

6. DOCT. Quis hæc vltima eius dicta cum prioribus conciliare possit? Opera esse grata, & non esse grata: placere, & non placere: remunerari amplissimis Dei beneficiis, & promereri damnationem sempiternam? Non-ne manifestæ sunt contradictiones, quæ nisi singulæ veræ esse nõ possunt? Si iam vera dicit, non-ne prius falsa locutus est?

In cap. 6. Mat. v. 16. 17. 18.

MIN. Alio item loco tradit, *Ieiunium placere Deo quatenus nos ad abstinentiam exercet vt subigit carnis lasciuiam, vt ad studiũ orandi nos inflammat, vt testimoniũ est pœnitentiæ nostræ.* Itẽ, *quod Deus aliquando patefaciet sibi placuisse, quæ videbantur perisse bona opera, quod oculos hominum fugerant.* Iterũ: *Domino probantur fideliũ conatus & studia, perinde ac si integrã illi obedientiam præstarent.* DOCT. Ex iis sic aduersus eius errorem colligo. Ieiunium & Deo gratũ, & nobis multis modis est vtile: non est igitur pollutio gratiarũ Dei vt hallucinatur Beza. Et si Deus aliquãdo patefacturus est Sanctorum opera sibi fuisse grata: profecto in æternum confundet Caluinum & Caluinianos, qui ea pro stercoribus suis reputauerunt, & digna suppliciis æternis cẽsuerunt. Rursum, si fidelium studia & conatus cõprobat, ac si omnibus numeris absoluti essent: nõ eos repudiat vel aspernatur tanquã imperfectiones, deprauationes, & mera peccata. Ac de contradictionibus Caluinicis tantum sit: ad refutationes ex sacris literis accedendum.

7. Deus omnipotens per semetipsum iurans Abrahæ, se illi benedicturum, & semen eius multiplicaturum sicut stellas cœli, & arenã quæ est in littore maris, & quod in semine eius benedicerentur omnes gentes, eo quod non pepercisset filio suo vnigenito: non-ne velut præconis voce proclamat piorum hominum promptam & alacrem obeditionem sibi gratam & acceptam esse? MIN. Neminem esse puto tam insigni audacia, qui testimonium illud cœleste reiicere non vereatur, nisi gigantum more cum Deo aperto marte bellare velit.

Gen. 16. 22.

8. DOCT. Moses etiam testificans obseruationem cœlestium mandatorũ ipsi Deo pergratam euenire, sic Israelem alloquitur: *Serua mandata Domini Dei tui, & testimonia, & cæremonias, quas præcepit tibi, & fac quod placitum est & bonum in conspectu Domini, vt bene sit tibi, &c.* Prohibens item sanguinem bestiarum edere, & eum iubens effundere super terrã velut aquam, hac conclusione orationem claudit: *Vt bene sit tibi, & filiis tuis post te, cum feceris quod placet in conspectu Domini.* Eandem sententiã paulo post repetit & corroborat.

Deut. 4. 5. 13. & 16. — Deut. 15.

MIN.

MIN. Nemini dubium quin ista triplex re-
petitio magis magisque confirmet Deo gra-
tissimam esse, non infestam, aut vt Caluini-
câ stercora putidam ac graueolentem, Di-
uinorum mandatorum impletionem.

9. DOCT. Quin & in historiis Regum dici-
3. Reg. 15. tur: *Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini,*
22. *sicut Dauid pater eius:* idemque iteratur de fi-
lio eius Iosaphat: Ioas item *recte fecit tempo-*
ribus Ioiadæ. Amasias & Azarias à maiorum
4. Reg. 12. pietate non fuerunt degeneres. Ezechias &
18. 20. 22. Iosias omnis pietatis officio eos antecellue-
runt. Cum vero his elogiis à Spiritu sancto
commendantur, nonne significatur, horum
opera placuisse Deo? MIN. Quisquis aliter
sibi persuaserit, ipsum Dei Spiritum asper-
nabitur.

10. DOCT. Tobias patriarcha simul & pro-
Tob. 14. pheta suos admonet: *Seruite Domino in veri-*
tate, & quærite vt faciatis quæ placita sunt ei. Iu-
Iudith 9. dith etiã hanc veram & auream vocem ef-
Prou. 21. fatur: *Humilium & mansuetorum semper tibi*
Eccl. 35. *placuit deprecatio.* Et Salomon in Prouerbiis:
Num. 25. *Facere iustitiam,* inquit, *magis placet Deo, quam*
immolare victimas. Similiter Syrach: *Sacrifi-*
cium iusti est acceptabile. Quid? Nonne Phi-
nees zelo suo, rem Deo acceptam fecit?
MIN. Certe, omni luce clarius est horum
opera Deo gratiora fuisse, quam Caluinia-
na stercora vel Bezæ pollutiones.

11. DOCT. Testimoniis noui Testamenti
Matth. 5. disputationem finiam. Æternus ipse Dei Fi-
lius ait: *Luceat lux vestra coram hominibus, vt*
Ioan. 5. *videant opera vestra bona, & glorificent patrem*
vestrum qui est in cælis. Præcipit insuper Iu-
dæis, vt faciant opera patris sui Abrahæ, si
legitimi eius liberi esse censerique cupiant.
Quibus omnibus aperte declarat, patrem
suum cœlestem sanctis hominum actioni-
bus maxime delectari, easdemque probare.

12. Postremo, cum Apostolus pios omnes
Rom. 12. hortatur, *vt exhibeant corpora sua hostiam vi-*
14. *uentem, sanctam, Deo placentem:* addit infra:
Qui in hoc seruit Christo placet Deo, & probatus
1. Cor. 7. *est hominibus.* Item: *Qui sine vxore est, sollicitus*
est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Item
Coloss. 1. ad Colossenses, hortatur eos, vt *ambulent di-*
gne Deo, in omni bono opere fructificantes. Ap-
Philip. 4. pellat beneficia, quæ Philippenses in eum
contulerant, *Odorem suauitatis, hostiam acce-*
ptam, & placentem Deo. Non-ne his laudibus
testatum facit, bona Sanctorum opera iudi-
cio Dei plurimum comprobari? MIN. Væ
misero ac infelici Caluino, qui hæc sterco-
ribus & oletis suis non veretur comparare!

A Certe quando quinquies inculcet Aposto-
lus opera quæ fiunt ex fide & gratia Deo gra-
ta esse, toties & impudentiæ & hæreseos
redarguit eos, qui cõtra sentiunt. Reliquum
est vt ostendas, Bona opera laudem mereri,
contra secundum errorem. DOCT. Prius
est, vt ipse Authorum digladiationes, pu-
gnantesque de hac re sententias enumeres.

CONFVTATIO *secundi erroris.*

MINISTER.

Si vnquam versipellis iste ac Proteus Cal-
uinus transmutauit se in omnes formas, si-
B bique contrarius exstitit, certe in hac mate-
ria id fecit, quam nunc tractamus. Nam cum *Apud*
loquitur de veteris Simeonis & Annæ viduæ *Marlorat.*
pietate, merita eorum agnoscens scribit: *Si-* *Luc. 2.*
meon & Anna soli plus merentur reuerentiæ, quam *v. 36.*
ingens eorum turba. Pertractans quoque de
prompta parataque Apostolorum obedien- *Matth. 14.*
tia, qui multitudinem Israelitarum ad man- *Io. 6.*
ducandum decumbere fecerunt, licet nul-
lum cibi apparatum viderent, Meriti no-
men nequaquam auersatur, sed comprobat
dicens: *Non paruam laudem meretur eorũ obe-* *In cap. 14.*
dientia, dum Christi mandato simpliciter paren- *Mat. v. 16.*
tes, euentum committunt eius arbitrio. Differens *& in c. 6.*
C rursum de Cæcinati promptissima ad man- *Io. v. 10.*
datũ Christi obtemperatione, scribit: *Quod*
tam exigua Christi notitia totum se illi addixit, eo *In c. 9. Io.*
plus laudis meretur eius fides & prompta obedien- *v. 7.*
tia. Et beati Pauli ad consilium Iacobi & Se-
niorum obtemperationem admirans scri- *In cap. 21.*
bit: *Magnam potius laudem meretur eius (Pauli)* *Act. v. 26.*
humanitas, &c. Iterumque sanctarum Fœmi-
narum ad sepulchrum Christi peregrina-
tionem laudans ait: *Fœminis ad sepulchrum se-* *In cap. 28.*
dulo properantibus, non vulgaris merces reposita *Matt. v. 1.*
fuit. Deniq; de Abram tractans scribit: *Hu-*
usque laudem meretur, quod recto viuendi fine vi-
tam suam quouis pretio redimere paratus est.
D Com. in c. 12. Gen. v. 11.

DOCT. En quinquies vox & ratio Meri- 2.
ti per Caluinum repetita & comprobata: i-
gitur homo est amentissimus, atq; in omni-
bus consiliis præceps ac deuius, quando ean-
dem in aliis tam procaciter exagitat, & re-
probat. Rursus, Si pietas Simeonis & Annæ
quidpiam meretur, si Apostolorum obe-
dientia magnam laudem promeruit, pro-
cliue est cuius argumentando à similibus, i-
dem statuere de Noe arcam fabricante cen- *Gen. 6. 12.*
tum & viginti annis antequam appare- *22.*
ret diluuium: de Abrahamo qui patriam
deseruit,

deseruit, vnigenitumque filium obtulit: de Isaaco patri ad necem vsq; obaudiente. De Mose, Aarone, Iosue, Samuele, Dauide, qui tot incommodis ac difficultatibus circunuenti populum Hebraicum strenue prudenterque moderati sunt: de Prophetis qui sine cunctatione designatum à Deo munus fideliter administrarunt, denique de Iosepho & Deipara, cum profugerunt in Ægyptum: de Pastoribus citra mora venientibus vt Messiam recens natum adorarent. Denique de innumeris aliis Sanctis, qui res omnes pro derelicto habuerunt, imo & propriis affectibus ac voluntatibus renunciarunt, vt obtemperarent Diuinæ voluntati. Quibus illustrissimis exemplis abunde probatur Ministros hæreseôn homines esse impios ac pestilentes, cum à Caluino venenum haurientes Discipuli, peste eius cauendum esse aiunt ne laudem vllam bonis ac sanctis operibus impartiamur.

Matth. 2. Luc. 2. A B

3. MIN. Cum etiam Beza confitetur orationes recte factas sacrificiũ esse acceptum Deo, charitatis opera consentanea esse præceptis secundæ tabulæ, proximos inde ædificari, reddere nos salutis nostræ certiores, vitam æternam iis promitti, magnis deniq; à Deo compensari benedictionibus tũ temporariis cum spiritalibus ac æternis: nonne cum hæc affirmat, domestico præconio falsi se astringit, & inuitus laudes bonorum operum celebrare cogitur? Nonne sat superque declarat ea pluris esse penes Deũ, quam Caluini patri sui excrementa, vel suas ipsius pollutiones? Sed nunc authorem Scripturam audiamus.

C

4. DOCT. Cum sapientissimus Hebræorum scribit: *Memoria iusti cum laudibus: & nomen impiorum putrescet. Vir fidelis multum laudabitur. Mulier timens Dominũ ipsa laudabitur: Laudabunt eam in portis opera eius*: an hæc & similia propemodum infinita oracula, non confutant sacrilegos istos Sanctitatis osores, qui bona opera despiciunt, imo velut sordiũ ac fœtorũ suorum sentinam abominantur?

Prou. 10. 28. 31. D

5. Sirach, & post hunc Doctor gentium, delectum habentes hominũ laudabilium, qui vero Deo constanter adhæserunt, & fideliter deseruierunt sub veteri testamento: eorumque fidem, obedientiam, iustitiam, & præclara opera celebrantes: quo in numero fuerunt Abel, Enoch, Noe, Abraham, Moyses, Iosue, Dauid, Samuel, Iudices, & Prophetæ: non-ne laudibus in cœlum ferunt, nedum vt in cœnum deprimant bona Iustorum opera? An istiusmodi operam impendissent extollendis magnifice fœditatibus, corruptelis, aut pollutionibus gratiarum Dei?

Ecclesi. 44. 45. 46. Heb. 11.

Venio iam ad Diuinum Euangelium, vbi video bona & laudabilia opera Zachariæ & Elizabethæ à Spiritu sancto præclaris encomiis exornari: deinde, eximiam castitatem, fidem, obedientiam, humilitatem, patientiam sanctissimæ Deiparæ, sanctitatem, & laudabile desiderium Simeonis: Annæ prophetissæ castitatem vidualem, ieiunia, preces, vigilias, ab Euangelista, imo & ab ipso Spiritu sancto magnificentissime prædicari. Deinde, cum ipse Filius Dei publica concione præcursorem suum commendat, quod non fuerit inconstans sicut arundo ventis agitata, nec mollibus vestitus vt ij qui in aulis Regum versantur, sed quod fuerit plusquã propheta, nec surrexisse inter natos mulierum maiorem ipso, fuisse alterum Eliam zelo & virtutibus, præterea in conuiuio dilaudat factum Magdalenæ, quæ pretioso vnguento eum inunxerat, dicens fore vt vbicunque prædicatum fuerit Euangelium, istius officii fama & prædicatione hominum celebraretur, hæc talia cum dicit, parumne bona opera commendare videtur? Et quis tandem ea vituperare audebit, nisi verus & genuinus Antichristus.

6. Luc. 1. 2. Matth. 11. Matth. 26. Marc. 14.

Cum item dicit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati qui lugent. Beati mites. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Beati misericordes*, & sic deinceps, cuique bono operi laudem tribuens, & mercedem repromittens, præstantissima Sanctorum opera Bezanis pollutionibus haudquaquam profecto comparat. Item alibi dicens, *Beatus seruus quem cum venerit Dominus eius inueniet eum vigilantem. Beati eritis, si feceritis omnia hæc. Beati qui non viderunt, & crediderunt*: cum hos inquam, toties, totque modis beatos & fœlices prædicat bonorum operum ac virtutum suarum ratione & intuitu, nonne tanquam dignos hoc honore dignatur?

7. Matth. 5. Matth. 24. Luc. 12. Ioan. 13. Ioan. 20.

Postremo, cum Paulus ait: *Gloria & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco: Factores legis iustificabuntur apud Deum: Abraham contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum Gentium: non hæsitauit diffidentia in repromissione Dei: amicus Dei reputatus est*: tam excelsæ & heroicæ virtutes an laudibus indignæ iudicabuntur? MIN. Satis, iam satis probatum est & propria Aduersariorum confessione, & expresso Dei verbo, Bo-

8. Rom. 2. Rom. 4.

bo, Bona sanctorum opera, quæ ortum habent à gratia & libera voluntate, & ad gloriam Dei referuntur, multis eximiisque laudibus digna esse: imo testibus Hæresiarchis, à Deo compensantur tam cœlestibus quam terrenis benedictionibus. Superest vt demonstretur, eadem esse vitæ æternæ meritoria, id est, quod gloria cœlestis Paradisi eisdem ipsis pro mercede reddatur. A

CONFVTATIO *tertij & quarti erroris.*

DOCTOR.

Hoc idem fiet, si prius eorum contradictiones, & tam aduersas quam peruersas de hac re sententias fueris, qua soles diligentia & fide, persecutus. B

1. MINIST. Princeps & coryphæus Sectæ tria in Harmonia sua statuit, quibus positis, vitare non potest quin errores suos iugulet, & in catholica dogmata multum inclinet. Primum de tribus hoc est, *Fateor quia mercedem vitæ æternæ Deus obseruatoribus legis suæ promisit.* Secundum istud: *Christus cælorum hæreditatem non aliis promittit, nisi qui bonis operibus ad palmam supernæ vocationis contendunt.* Tertium ac postremum: *Non minus ad gloriam Dei pertinet intelligere, impiis & sceleratis apud Deum repositam esse pœnam, quam iustis vitæ æternæ mercedem.* DOCT. Iam ex principiis & axiomatibus istis consecutiones eliciamus. Vita æterna in mercedem promittitur obseruatoribus legis Diuinæ: atqui merces huius obseruationis idem notat quod apud Catholicos Meritum, & Mereri paradisum: sequitur ergo Sanctos Diuinæ legis obseruatores mereri, vt iis vita æterna conferatur. Rursum. Hæreditas cœlorum non promittitur nisi iis qui bonis operibus ad eam aspirant: bona igitur opera quocunque tandem modo fiat, causa sunt adipiscendæ huius hæreditatis. Rursumque: Vita æterna, & Paradisi cœlestis gloria in Scripturis sanctis à Spiritu Diuino proprie vocatur (nihil enim dicit aut facit improprie) merces, remuneratio, ac retributio bonorum operum; atqui ea merces, remuneratio, & retributio prorsus illud est quod à cunctis Theologis appellatur Meritum: itaque luce meridiana manifestius est, quod Sancti pro mercede ac merito bonorum operum, & fruuntur & fruentur in æternum iucundissima beatitate Paradisi. Proinde Caluinianus error infringitur, & Catholicum dogma ipsius etiam Caluini approbatione stabilitur.

Com. in c. 19. Matth. v. 17.
In c. 25. v. 34.
In c. 28. v. 1.

MIN. Idem postquam varie disseruit, & multiplicibus inuolucris hanc materiã obscurauit, tandem ita definit & concludit. *Bona fidelium opera Scriptura causas esse ostendit, cur illis Deus benefaciat. Nihil obstat quominus opera Dominus, tanquam causas inferiores amplectatur. Sed vnde id? Nempe quos sua misericordia, æternæ vitæ hæreditati destinauit, eos ordinaria sua dispensatione per bona opera inducit in eius possessionem.* Et paulo post apertius contra seipsum sententiam ferens, fatetur, *Deum pro sua indulgentia, non iure summo illa examinare, & perinde accipere ac si purissima essent: ideoque infinitis beneficiis remunerari tum præsentis vitæ, tum etiam futuræ. Mercedem enim laborum, & certaminis coronam in cælo Dominus semper fere collocat.* Tandem infert aduersus id, quod alibi tam impudenter, & falso defendit: *Tamen & in hac* (futura gloria cœlesti) *& illis* (gratiis quas nunc in nos confert) *testatur se operum habere rationem: quia ad testandum erga nos dilectionis suæ magnitudinem, non modo nos, sed quæ nobis largitus est dona tali honore dignatur.* DOCT. Subsiste paulisper, vt hunc aduersarium disputationum suarũ laqueis irretitum & vinctum teneam. Cum bona Sanctorum opera causæ sint secundæ & inferiores bonorum ac beneficiorũ quæ nobis Deus elargitur: imo & seruos eius introducunt in vitam æternam: pro certo vita æterna iis confertur tanquam effectus ratione causæ, non efficientis aut finalis vt ipse loquitur: ergo causæ meritoriæ, quam ille vel stupido errore & crassa ignoratione, vel potius certa & destinata malitia in causarum salutis nostræ enumeratione prætermisit. Adhæc, cum Deus sua indulgentia & bonitate opera Sanctorum acceptet tanquam purissima, & eadem remuneretur infinitis beneficiis, tam in præsenti vita quam in futura, proculdubio remuneratur ea pariter dono claræ visionis & fruitionis suæ: quandoquidem nullum præstabilius à Creatore munus creatura rationalis aut expetere aut expectare potest. Tum autem explosa (per Caluinum) distinctione eorum, qui dicunt bona opera mereri duntaxat gratias quæ in hac vita conferuntur, fidem autem mereri vitam æternam: an non admittit sententiam eorum qui docent bona opera illam & has mereri? MIN. Prorsus tibi assentior, præsertim cum addat, *Mercedem laborum nostrorum, & coronam certaminis nostri repositam esse in cælo.* DOCT. Postremo, cum Deus operum nostrorum rationem ducat tum in iis gra-

2. Inst. l. 3. c. 14. §. 21.
L. 3. c. 15. §. 4.
C
D

gratiis quas iam nobis impartitur, tum in futura gloria quam olim impartietur: eaque sint causæ inferiores & secundariæ. non-ne postremæ dementiæ est, & effrenata rabies quæ Caluinum furiauit, vt bona opera Sanctorum sic contemneret, sic despiceret, ac pro stercoribus suis reputaret, vbi de vitæ æternæ compensatione differitur? Non-ne etiam verborũ inhæret aucupiis, & Sophistarum more cauillatur, quando Meriti nomen interdum reiicit, alibi passim admittit? Cum fatetur bonis operibus tribui vitam æternam tanquam mercedem, compensationem, & iustam retributionem: ac nihilominus vocem Meriti tam furiose ac studiose repudiat, cui tamen alia mens, alia virtus, alia significatio nulla subest? Sed à desultoria Caluini leuitate ad Bezanam desiliamus.

3. Confut. p.4.art.19. MIN. Inter articulos fidei suæ fatetur hic Theodorus: *Tantam esse Dei nostri bonitatem, vt opera nostra quamuis imperfecta, non modo non improbet, sed etiam eo vsque probet, vt mercede dignetur, tum in hac vita (Gen. 15. 1. Matth. 5.12. & 10.42. 2. Ioan. 8. tum etiam in futura, sicut in talentorum similitudine declaratur (Matth. 9.20. 1. Tim. 4.8. Matth. 25. 21.)* DOCT. Atqui benedictio, mercesque futuræ vitæ sita est in hoc vt Deum videamus facie ad faciem sicuti est: consequens est igitur vt gloria cœlestis sit compensatio & meritum bonorum operum, quamuis alibi aliud Beza obganniat.

4. MIN. Certe tota etiam Geneuensium Ministrorum cohors cum sancta Biblia ex Hebræo, Græco, & Latino sermone in Gallicum verterunt, voces HISCHLIM, AMEIBO, RETRIBVO, RETRIBVTIO, reddiderunt vocabulo Meriti: velut exempli gratia, cum scriptum est in Psalmo, *Redde retributionem eorum ipsis.* Gallice ad verbum transtulerunt, *Rend leur selon leur merite:* quo argumento ex eorum opinione satis comprobatur, Meritum ac Retributionem voces esse synonimas. DOCT. Nunc vero non vnum aliquem locum, sed quatuor luculenta testimonia ex ipsissimo verbo Dei produco, vbi Spiritus sanctus testificatur, Retributionem reddi bonis operibus nempe vitam æternam: coguntur itaque velint nolint fateri bonis operibus istam mercedem tribui velut meritum, atq; debitam retributionem. Dauid affirmans se Diuinam legem re & operibus obseruasse, subnectit hoc corollarium: *In custodiendis illis retributio multa.* Et iterum: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Et filius ipse Dei pollicetur homini qui conuiuio suo pauperes adhibet, à quibus mutuam vicem exspectare non potest: *Retribuetur tibi in resurrectione iustorum.* Paulus item adhortatur Colossenses, vt animum intendant bonis operibus, idque alacriter faciant sicut coram Domino, *Scientes* (inquit) *quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Quapropter ex ipso aduersariorum sensu, ac expresso Dei verbo, dicemus: Dauidem obseruasse mandata Dei vt colligeret retributionem multam, id est, merita multa. Rursum. Qui pauperibus eleemosynas erogarunt, mercedẽ accipient pro meritis, in resurrectione iustorum. Denique, qui bonis operibus studiũ adiicient, à Domino retributionẽ hæreditatis pro mercede ac meritis accipient. MIN. Sic profecto apertæ & veræ mihi videntur hæ omnes collectiones, vt nõ habeam quid obiici possit. Adeo errores Hugnostici funditus concidunt: & ex contrario, victrix exsurgit vbique Catholicæ doctrinæ veritas, ipso etiam aduersariorum iudicio & comprobatione.

Psal. 27. Psal. 18. Psal. 118. Luc. 14. Coloss. 3.

Sed adiiciatur superioribus sententia Melanthonis, quem Sectarii omnes vt præceptorem suspiciunt & venerantur. Hic in nouissimis Locis communibus scriptum reliquit: *Cum bona opera beneficio Mediatoris Deo grata sint, merentur præmia spiritalia & corporalia, in hac vita, & post hanc vitam.* Idq; probat quia scriptum est: *Omni habenti dabitur, & abundabit.* Et rursus: *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Idem alibi scribit: *Verum est bona opera mereri remissionem pœnarum corporalium, sicut Niniuita meruerunt sibi pœnam remitti.* Alibi: *Bona opera merentur multa præmia spiritualia & corporalia, quæ dantur tam in hac vita, quam post hanc vitam.* Tandem professus tam priuato suo nomine, quam ex persona omniũ Principum, ciuitatum, rerumpublicarum, scholarum, & Ministrorum Lutheranorum, idque corã ordinibus Imperii, se & ipsos credere ac docere, *quod licet noua obedientia longo interuallo distet ab absoluta Legis impletione, tamen iustitia vere sit, & mereatur aliquam mercedem coram Deo. Tantumque bonis operibus tribuendum esse, vt existimanda sint digna summis laudibus; esse necessaria, nedum vtilia, sitam esse in iis partem eius obsequii quod debemus Deo: denique, sacrificia esse spiritalia, quæ præmia merentur.* Citat paulo post cum insigni laude hanc grauem Augustini sententiam: *Dilectio meretur*

5. Loc. cõmunib. Disput. de bonis operibus. Matth. 15. Luc. 19. 1. Tim. 4. Disput. de iustific. Disput. de bonis oper. Cõfes. Augusti. c. 10.

retur incrementum dilectionis cum exercetur. DOCT. Non requiro ex hoc authore plura: sic autem ex eius principiis concludo. Bona opera, inquit, placent Deo, digna sunt eximiis laudibus, partem constituunt cultus diuini, suntque sacrificia quæ à nobis Deus exigit: Caluinus igitur impostor manifestarius est, cum persuadere contendit, ea esse corrupta, polluta, & velut excrementum suum fœtida & abominanda coram Deo. Præterea, merentur præmia temporaria & spiritalia, imo & remissionem pœnarum quæ peccatis debentur, vt Germanus ille docet: nequaquam ergo iram Dei in nos accersunt, aut astringunt nos æternæ damnationi, sicut profligatus iste Picardus blasphemat. Postremo, post hanc vitam compensantur beneficiis spiritalibus, ea compensatio nō aliter accipi potest quam de perfecta Dei visione & fruitiōne: igitur, &c.

6. MIN. Dixi quæ mihi in mentem venerunt de ipsorū pugnantibus sententiis: tuum est disertis Scripturarum locis, & Antiquorum interpretationibus perspicuum facere, Gloriam & vitam æternam Sanctis conferri in bonorum operū retributionem. DOCT. Quā tu authoritatem locupletiorem, quod firmius testimonium, quam probationem magis solidam requiris, præter illa verba, quibus in vltimo iudicio Filius Dei Sanctos

Matth. 25. alloquetur: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi?* Ecce enim paradisum, ecce regnum cœlorum quod illis vtendum, fruendumque conceditur. Attende nunc causas, merita, & bona opera, quorū ratione merces ista contingit. *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere, &c.* Particula *Enim* non-ne causam designat rerum ante dictarum, atque paulo post cum ad reprobos sermonem conuertit? *Discedite à me maledicti, &c. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare?* Non-ne igitur hinc liquido patet, paradisi gloriam dari Sanctis in bonorum operum mercedem, non secus atque reprobi ob mala opera mittuntur in ignē æternum? MIN. Nihil hac probatione certius & clarius; itaque manus do, veritate conuictus,

Com. in c. 25. v. 35. quæ vi etiam extorquet ab ore Caluini hanc confessionem Catholicam: *Si hic disputatio esset de salutis nostræ causa, non male colligerent Papistæ, nos bonis operibus vitam æternam mereri.* DOCT. Atqui dum dicit Christus reprobis: *Ite maledicti in ignem æternum, Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare*, causam

A exprimit eorum reprobationis. Ergo cum dicit Electis, *Esuriui enim, & dedistis manducare*, de salutis eorum causa aperte vereque disputat; sicque recte, euidenter, & solide colligunt & veteres omnes & recētes Theologi (quos per contemptum thraso iste maledicus Papistas vocat) Sanctos bonis operibus vitam æternam promereri. Accedit quod antea Caluinus idem confessus est, *Christum cœlorum hæreditatem non aliis promittere, nisi qui* bonis *operibus ad palmam supernæ vocationis contendunt.* MIN. Vere hic causæ salutis nostræ traduntur. Nam efficiens est pater, qui regnum istud parauit à constitu-

B tione regni: causa ministerialis quæ nobis id manifestat, Filius hominis veniens in maiestate sua: causa meritoria, virtutes & bona opera: finalis, cum Deo quiescere & regnare in æternū. Quare iuxta concessionem aduersarii, Sancti bonorum operum suorum meritis adepti sunt vitam & gloriam sempiternam. Vnius tantum magni illius Augustini velim de hac re audire sententiam.

DOCT. Hæ sunt voces eius, etiam tertio repetitæ: Quid percipite? Regnum. Pro qua re? Esuriui, & dedistis mihi manducare. Quid tam vile, quam frangere panem esurienti? Tanti valet regnum cœlorum. Si 7. In p. 58. 121. Ench. c. 69.

C non habes potestatem frangendi panem, da calicem aquæ frigidæ, mitte duo minuta in gazophylacium. Tanti valet, quantum habueris. Hoc modo vidua regnum acquisiuit, æque ac Petrus relinquendo retia sua, & Zacchæus donando dimidium bonorum suorum pauperibus. MIN. Hæc verba genuinum Scripturæ locum perspicue exponunt, hortanturque diuites simul atq; pauperes, vt recte faciant, & loco mercedis cœleste regnum exspectent.

DOCT. Accipe & hoc eiusdem Augustini testimonium. Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito 8. Ep. 105.

D iustitiæ, tanquam stipendium, vita æterna. Addo & istud fortissimi & antiquissimi martyris Cypriani: Si expeditos, si celeres; si in hoc operis agone currentes dies nos vel reditionis, vel persecutionis inuenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit. MIN. Hi duo sunt mihi instar omnium, progredere ad reliqua. Serm. de Eleem.

DOCT. An non idem Filius Dei rursus asserit eos qui bona fecerunt ituros in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii? MIN. Ita sane, & vtriusque rei causas adfert diuersas 9. Ioan. 5.

atque contrarias: bona opera statuens causas esse resurrectionis ad vitam: mala vero mortis æternæ. Ex quibus efficitur quod veluti maleficia apud inferos æterna damnatione puniuntur, ita benefacta glorificatione præmiantur in cœlis.

10. *Matth. 19. Matth. 16.* DOCT. Sed quid responsi dedit ei, qui ex ipso quæsiuerat. *Quid faciam, vt habeam vitam æternam?* Quid itẽ Petro, nomine condiscipulorum interroganti: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Quid præmii inde reportabimus? Quænam nos merces manet? MIN. Respondet priori: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* quibus apparet, vitam æternam promitti in ipsius obseruationis mercedem. DOCT. *Serm. 3. de verb. dom.* Perite certe, & cum D. Augustino scribente: Amat mortem qui vitæ præcepta nõ seruat: & horret vitam qui peccata morti debita desperata morte frequentat. Vt enim per obseruantiam Legis vita acquiritur, ita per contemptum mors contumacibus inuenitur. MIN. Respondet quoque posteriori: *Matth. 19.* *Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* DOCT. Videns hic vitam æternam mercedis loco repromitti? Audis ærumnas, & virtutes Sanctorum, quibus ea repromittitur?

11. *Matt. 20.* Nunc diligenter animaduertas velim quam eleganti parabola propositum istud confirmet: *Simile est regnum cœlorum*, inquit, *homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, conuentione facta cum eis de denario diurno:* cum aliis ex æquo & bono paciscitur. Sero autẽ præcepit Procuratori suo vt vocet operarios, & reddat eis mercedem, quam & singuli eorum receperunt. Quis quæso te, hic Paterfamilias, quam ipse Deus omnipotens, præcipiens vnicuique incedere secundum vocationem suam, & spartam quam nactus est exornare? In stadio virtutis tanquam in fructuosa & vberi vinea laborare? Pactum cum operariis conuentum declarat pro certo indubitatas Dei promissiones, quibus pollicetur se labores seruorum suorum compensaturum. Denarius qui singulis in mercedem soluitur, non-ne requies est & Paradisi gloria, quæ tandem illos beabit? MIN. Nemo vel ex Caluinianorum cohorte id inficias ire poterit, nisi directe velut acie instructa bellare velit cum ipso Dei filio: & (quod illis æque graue nefas est) cum suo Caluino, qui fatetur donari appellatione vitæ æternæ mercedem denotari. DOCT. Suppilauit hanc probam vocem vir improbus ex D. Augustino, qui disertis verbis idem asserit: Hoc vtique denario vita significatur æterna. *Tract. 67. in Io. & L. de sancta virg. c. 26.* Idem alibi: Quid nisi aliquid significat, quod omnes communiter habebunt sicuti est ipsa vita æterna, ipsum regnum cœlorum, vbi erunt omnes quos Deus prædestinauit, vocauit, iustificauit, glorificauit? *Rom. 8.* Hic est ille denarius merces omnium. MIN. Sublata est prorsus omnis dubitatio quod ad hunc articulum attinet: planeque hoc sensu Christum dixisse arbitror: *Qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam.* *Ioan. 4.* Et iterum: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* *Ioan. 12.*

12. DOCT. Redigam igitur in compendium varias probationes, quas propositurus eram, & tres tantum Apostolos ad testimonium citabo. D. Petrus aperte dicit, *1. Pet. 3.* *Nos in hoc vocatos esse, ne reddamus malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: sed è contrario, benedicentes, quod in hoc vocati sumus, vt benedictionem hæreditate possideamus.* Si hæreditas est, ergo quodam iure ad nos pertinet ista vita beata & benedicta, veluti Dei Patris nostri hæredes, & Christi fratris nostri cohæredes. Rursus, cum idem Apostolorũ Coryphæus vniuersos hortatur, operam dare, *vt per bona opera certam reddant vocationem & electionem suam: sic enim* (inquit) *abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & saluatoris Iesu Christi.* *2. Pet. 1.* Atqui hoc æternum Domini regnum, hæc hæreditas benedictionis, nihil aliud est, quam æterna Paradisi cælestis gloria. Ergo Sanctis datur in eorum patientiæ & bonorum operum præmium atque mercedem.

13. Accedat & doctor Gentium Paulus, passim aures hominum his vocibus circumsonans: *Act. 14.* *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* *Rom. 2.* *Vnicuiq; Deus reddet secundum opera sua: iis quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternã. Hi qui in stadio current, & in agone decertabunt, coronam incorruptibilem.* *1. Cor. 9.* *Quod in præsenti est momentaneum & leue, operatur in nobis magnum ac æternum gloriæ pondus.* *2. Cor. 4.* *Referet vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* *1. Cor. 5.* *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* *Gal. 6.* *Qui radicati & fundati sunt in charitate, comprehendent* *Ephes. 5. 1. Tim. 6.*

dent cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum charitatis Christi.
2. Tim. 4. Adiicit denique: *Pietatem habere promißionem vitæ quæ nunc est, & futuræ:* & gloriosissime ac magnificentissime exultat, quod *reposita sibi sit corona iustitiæ, quam Deus iustus iudex in die nouissima reddet, eo quod bonum certamen certauerit, cursum consummauerit, & fidem seruauerit, &c.* MIN. Sane tu quidem frequentia, grauia, & irrefragabilia testimonia profers, vnde liquido claret coronam istam iustitiæ deberi, & tanquam legitimum præmium, ac iustam mercedē reddi pro laboribus Sanctorum: & ne pluribus immorer, regnum cœlorum pro virtutibus harumq; officiis sanctis conferri: sicut è contrario, tenebras, luctus, stridores dentium, ac horrores ignis æterni reprobis pro flagitiis suis seruari.

14. Sed teneor desiderio sciendi quæ sit mens magni Antistitis Augustini, quæ-ve interpretatio locorum, quos nunc ex Apostolo
In Ps. 85. Paulo citauisti. DOCT. Affirmat quod Deus promittendo se ipse debitorem constituit, spondetq; se retributurum iustā gloriæ coronam & vitam æternam ijs, qui bonū certamen in obsequio Dei depugnauerint, sicut fecit Apostolus, quique cum omni religiosa confidentia gloriari iure poterunt. Sed operæ pretium est ipsummet sua verba
Serm. 31. de verb. Dom. loquentem vt audiamus. *Reddet mihi,* inquit, *in illo die.* Quid tibi reddet nisi quod tibi debet? Debitorem dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur: Redde quod accepisti: sed redde quod promisisti. *Declina à malo, & fac bonum:* tunc securus expecta vitam. Dices enim domino:
In Ps. 118. feci quod iussisti, redde quod promisisti. Hanc ille sententiam edoctus fuerat à pio doctoque præceptore suo Ambrosio, nimirum nos in omni humilitate & fiducia bonitatis Dei nostri posse ac debere cum Deo quodam iure, & ex pacto promissionis agere, & illa Dauidica constanter vsurpare: *Retribue seruo tuo. Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti, &c.* Nec arrogantiæ est aut temeritatis hoc modo Deum conuenire, sed indicium bonæ conscientiæ acquiescentis & promissionibus diuinis toties inculcatis, & seruorum suorum pios labores
Serm. 3. 9. in Ps. 118. ex pacto compensantis. Hæc vox (clamat eximius ille præco Dei) est animi bene sibi conscij, qui præmia boni operis exposcat.
1. Cor. 15. Prærogatiua est fidei atq; iustitiæ, de Domini fauore mercedem vsurpare. Paulum authorem laudat, qui in principio quidem di-

A xerat, quod non erat dignus qui vocaretur Apostolus: sed nihilominus postea prædicat 2. Tim. 4.
Coronam iustitiæ sibi repositam esse, quam Deus in illa die retributurus foret. Verba sanctissimi Patris sunt: Non insolentis est arrogantiæ, sed innocentis cōscientiæ, ab ipso cui seruieris petere mercedem: quam desperare segnitiei materia, sperare autem incentiuum laboris est, &c.

Si adhuc antiquiorum testimonia requiris, en Cyprianus Martyr clarissimus scribens, Danielem ieiuniis Deum promeruisse L. de Lapsis.
in sacco & cinere. Alibiq; confirmans Sanctorum piis laboribus vitam æternam pro L. de Exho. Mart. c. 12.
B mercede reddendam, his Scripturis: *Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos se. Pretiosa est in conspectu domini mors sanctorum eius. Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Beati qui persequutionem paßi fuerunt propter iustitiā, quia ipsorum est regnum cœlorum. Merces vestra multa est in cœlis, &c.* Quæ forsan à grauissimo præceptore suo Tertulliano desumpserat, dicente: Bonum factum Deum habet debitorem, sicut & malū: quia iudex omnis remunerator est caussæ. Sap. 3. Psal. 115. Psal. 125. Mat. 5. L. 2. de pœnit. c. 2.

MIN. Nunc tertij Apostoli, vt pollicitus es, testimonium proferas. DOCT. Frater 15.
Domini B. Iacobus constāter asseuerat, Bea- Iac. 1. 2.
C tum esse virum, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligētibus se. MIN Profecto hac verborum circuitione definit gloriam Paradisi, datam mercedis loco amori erga Deum, constantiæ Martyrum, & patiētiæ iustorum in afflictionibus. DOCT. Pergit vlterius, pronūciatq; regnū Dei possessuros pauperes quidem in hoc mundo, diuites autem in fide.
MIN. Mirifice concinunt & concordāt hæc Mat. 25.
verba cum oraculo Magistri, prædicāt beatos esse pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Item cum alio eiusdē
D domini dicto, consulentis ei qui modum adipiscēdæ salutis ex ipso quæsiuerat: *Omnia* Luc. 18.
quæcunque habes, vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. Quare sic & ego persuasus sum, & alios à cætero edocebo conuenienter expresso Dei verbo, ne vnquam defatigemur recte agendo, metemus enim suo tempore messem vberrimam, si diligenter in eam auram incumbemus. Nec vlla vnquam ex corde delebit obliuio sanctam viri sancti cohortationē. Quando facis (inquit) Augu. in
bonum opus, propter vitam æternam fac. Ps. 120.
Si ideo facis, securus facies: hoc enim man-

L. 2. de vocat. Gent. dauit Deus. Assentiar etiam Ambrosio di- A centi, Hanc esse Dei voluntatem æternam, vt Sancti in cœlo coronam accipiant, non solum secundum ea quæ simpliciter proposuit: sed indefesso labore bonorum operũ, assidua virtutum exercitatione, precibus continuis, & perennibus incrementis meritorum atq; benefactorum, &c. Nunc vt cumulate mihi satisfiat, velim respondeas ad illa tria argumẽta, in quibus Caluinus eiusq; gregales, robur ac firmamentum contrariæ opinionis suæ collocant ac reponunt.

16. Isa. 64. Primum, opponunt dignitati ac laudibus bonorum operum, quod in Isaia legitur: B *Facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.* Inde colligunt optima quæque & probatissima Sanctorum opera abominabilia esse coram Deo & Angelis eius: proinde digna opprobrio ac vituperio, nedum vt laudem promereantur. DOCT. Propheta sermonem habet cũ populo Iudaico, qui propter execrabiles rapinas, crudelia facinora, neces Prophetis inflictas, detrectationẽ diuinæ legis, contemptionem veri Numinis, & nefarios idolorum cultus, propediem terra sancta priuandus, & tanquam pecorum greges in Chaldæam & Assyriam, id est, durissimam & tur- C pissimam seruitutem, abigendus ac exturbandus erat. Ad has diuinæ vltionis cõminationes tantum abest, vt generatio praua & adultera salutari metu deterrita corrigeretur aut emendaretur, vt contra Deum magis ac magis fureret, insuper illius irã accẽderet flagitiosis fornicationibus tũ corporalibus cũ spiritualibus, queadmodũ & passim ex- Psal. 105. probrant & queruntur Dauid, Ezechiel, Ie- Ezech. 8. remias, Daniel, Esdras, sanctissimi Dei Pro- Dan. 9. 13. phetæ. Quod nec Isaias ipse obscure fert, 2. Esdr. 10. cum in præcedenti versu sic loquitur: *Ecce tu* Esa. 64. *iratus es, & peccauimus.* Et subsequenti: *Non est qui inuocet nomen tuum: qui consurgat, & teneat* D *te: abscondisti faciem tuam à nobis, & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ.* MIN. Profecto huiusmodi abominationes longe magis Deo fuerunt ingratæ, quam vllæ sordes quæ natura & sine peccato de corporibus humanis effluunt: proinde quæcunque opera proficiscebantur ab impœnitentibus & desertoribus illis, & horrendum in morem deprauatis mentibus, non nisi Deo ingrata, infesta, & detestabilia esse poterant.

18. Com. in c. 64. Isa. Sed Propheta generaliter ait: *Omnes iustitia nostræ.* DOCT. Audi beatissimi & sapientissimi Hieronymi responsum. Iustitia quæ in lege est, ad comparationem Euangelicę puritatis, imunditia nominatur.] Quibus te quæso, constitit hæc legis iustitia? MIN. In sanguinibus hircorum, vitulorum, agnorum, horumq; cadaueribus, atq; cineribus: quæ reuera cum puritate Euangelij, Christi pretioso sanguine parta, comparata recte iureque à Prophetis & Apostolis immunda vocatur. DOCT. De ista specie loquitur Isaias: non autem simpliciter de bonis Sanctorum virorum operibus, qui in fide & spe futuri Messiæ, beneficioque Spiritus iustificati, bona opera sua in gloriam Dei, & pro- Mat. 5. 6. ximorum ædificationem referebant. Huiusmodi enim opera bona Christus elogijs exornat: *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Et paulo post idẽ pollicetur ijs qui ieiunauerint, orauerint, ac eleemosynas erogauerint, fore vt *Pater cœlestis, qui videt in abscondito mercedem rependat in pro-* Iac. 2. *patulo.* Apostolus quoque fortiter contendit Gen. 22. Abraham patrem nostrum istiusmodi bonis operibus iustificatum fuisse: quod & de reliquis veteris testamenti sanctis patribus sentiendum est; tantum abest vt istorum opera bona damnabilia fuerint, quod nequiter autumant hæretici.

His adde, quod vates sanctissimus in per- 19. sona plurimorum & impijssimorum hominum loquitur, non autem piorum: sicut & Dauid, & Daniel, & tres pueri, & Paulus, & alij passim Scriptores sacri faciunt. Quinetiam Christus sanctus sanctorum nostro omnium nomine dicit: *Longe à salute mea verba* Psal. 21. *delictorum meorum. Deus, tu scis insipientiam* Psal. 68. *meam, & delicta mea à te non sunt abscõdita, &c.*

MIN. Aliud telum conijciunt aduersus bonorum operum merita, nimirum hæc 20. Pauli verba: *Existimo quod non sunt condigna* Rom. 8. *passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Ingerunt etiam dictum Christi in Euangelio: *Cum feceritis omnia quæ* Luc. 17. *præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus.* Vnde conantur efficere, nihil à Deo deberi bonis operibus, quantumuis speciosæ sanctæque videantur hominibus: cum nihil cuiquam debeat, &c. DOCT. Est illud quidem certissimæ verita- Rom. 11. tis, Neminem quidquam Deo dedisse, vt retribuitur ipsi. Nam in ipso, & per ipsum, & propter ipsum omnia sunt quæcunque sunt in rerum natura: qua sane ratione si Deum secundum se consideres, nemini debitor est, à quo conueniri possit hac formula petitionis:

tionis: Redde quod accepisti: aut, Redde quod debes. Sed si prolixam liberalitatem promissorum eius, & stabilissimam verborum fidem ac veritatem attendas, quibus pacisci nobiscum dignatus est: ijsdemq; adiicias (quæ leguntur in Genes. vigesimo-secundo capite. Exod. vigesimo-tertio. Ezec. decimo-octauo, cap. Num. decimo quarto. Isaiæ quadragesimo-quinto. Ieremiæ 44. & 49. Amos capite quarto, &c.) solemnia diuinaque iuramenta, quibus per vitam suam, per semetipsum, per veritatem suam, per dexteram, per brachium fortitudinis suæ, per excelsum nomen suum, per animam suam, &c. pacta sua nobis confirmauit: certe integrum nobis erit, cum omni cultu & obseruantia, ipsi in memoriam sua promissa reducere, quibus sua se voluntate subiecit, sponte se deuinxit. Integrum inquam, nobis erit, ex stipulatu, & verborum obligatione cum eo agere, quibus se debere vltro profitetur. Id frequenter factitatum legimus, audimus, videmus à Mose, Iosue, Dauide, Daniele, & alijs veteribus patribus atque Prophetis.

21. MIN. Id communitum velim aliquot antiquorum doctorum calculis. DOCT. Dictum, factum puta. Vir apostolicorum temporum Tertullianus scribit: Libr. de Pœnitent. Bonum factum Deum habet debitorem, sicut & malum. Augustinus multo apertius: Chirographum fecit nobis Dominus promissorum suorum, non debendo, sed promittendo: vnde ei poterimus dicere, non, Redde quod debes: sed, Redde quod promisisti. Idem rursum alibi: Deus donator est indulgentiæ, debitor coronæ: Debitorem ipse fecit se, non accipiendo: sed promittendo. Rursum alio in loco: Audi quia ille (Apostolus Paulus) cui donauit, tenet Dominum etiam debitorem. Inuenit eum donatorem tempore misericordiæ, tenet debitorem tempore iudicij. Ex hac constanti piaque sententia institutum totius Latinæ Ecclesiæ fluxit, vt coram Deo canat: *Si rogamus corde mundo, certe debes ex promisso.* MIN. Iam est manifesta huius sententiæ fides, vt etiam Caluinus ipse interdum ei cogatur assentiri, vt cum scribit: *Dominus in Sacramentis se quasi dato Chirographo nobis obligat.* Et alio loco: *Se nobis gratis obstringens, fit quasi voluntarius debitor, &c.*

Serm. 31. 39. de verbis Dom.

In Psal. 83. & 110.

In cap. 5. Mat. v. 6.

In cap. 31. Gen. v. 9.

22. DOCT. Resumendo itaque ea quæ hactenus respondimus ad secundum Hugnosticorum argumentum, sic aduersus eos ra-

A tiocinamur. Ex ipso Dei verbo non solum permissionibus, verumetiam conceptissimis iuramentis sancito, quibus sibi voluntariam referendæ mercedis omnibus mortalium bonis operibus, reddendi vnicuique iuxta proprium laborem, ne quidem eo excluso qui potum aquæ frigidæ vni ex discipulis dederit, obligationem indixit: hic ille pro certo vitam æternam pro mercede largietur ijs, qui panem dederint esurientibus, potum sitientibus, vestimenta nudis, hospitibus diuersorium, aliaque misericordiæ opera tam corporalia quam spiritualia præstiterint. Quamuis autem eiuscemodi opera B velut temporalia, parua, nec omnibus partibus suis absoluta, ac sæpe defunctorie parumque diligenter facta, non sint per se comparanda, nec æquipolleant gloriæ cœlesti: tanta tamen est in Deo nostro liberalitas & benignitas, vt ea coronare ac remunerari dignetur. Quo nomine gratias potius immortales agere conueniret, quam ingratitudine sacrilega aduersus Authorem insurgere. MINIST. Hæc est sanctissima mens, & sanctissima verborum Apostolicorum interpretatio.

1. Cor. 15.

Matt. 10.

Matt. 25.

Sed quomodo deuitabis aliud telum, 23.
quod intentant ex Euangelio, vt cum omnia C fecerimus quæ præcepta sunt, profiteamur tamen nos inutiles? DOCT. Habeo plurima quæ respondeam. Primum, scopum verborum Domini esse, vt compescat fastum, domet superbiam, & retundat omnem illam gloriosam ostentationem, qua tumebant & plusquam iuueniliter exultabant Pharisæi: & qua præsagiebat fore vt Pelagiani & horum consortes, ignari quam imbecilla sit facultas liberi arbitrij, petulanter exultarent aduersus gratiæ Diuinæ summam necessitatem: confidentes absque eius ope & subsidio cuncta præcepta legis adimplere, seque omnibus meritis exornare, quibus ex seipsis regnum D cœlorum demereri possent. Cum tamen ex aduerso humiliter profiteri, constanterque credere & prædicare debeamus, nos citra eius auxilium nihil quidquam posse: nec sufficientes ac idoneos esse, vt cogitemus aliquid à nobis, tanquam ex nobis: sed sufficientiam nostram à Deo esse, qui efficit in nobis & velle & perficere secundum beneplacitum voluntatis suæ. Itaque omnem iactantiam, & inanem gloriationē Christus illis verbis prohibet: non retributionem aut mercedem denegat. Proinde, æquum est, vt

Luc. 17.

Ioan. 15.

2. Cor. 3.

Philip. 2.

vt

vt omnem gloriam, & bonorum operum honorem ad Deum authorem referamus, veluti ad eorum authorem & glorificatorem: dicentes cum magno doctore Augu-
Epist. 105. stino: Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua.

24. Secundo respondemus, Deum nulla ex parte nostris operibus indigere ad gloriæ suæ amplificationem, quæ omnes perfectionis numeros in se habet. Itaq; cum hoc intuitu nulla possit à nobis in eum vtilitas redundare, merito sumus illi instar seruorum
Iob. 35. inutiliũ. MIN. Verissime tu quidem ista dicis: nam Iobo vere dicitur ab Eliu: *Si iuste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua acci-*
Psal. 15. *piet?* Et in Psalmo: *Bonorum meorum non eges.* Atq; in hoc Dei omnipotentis conditio ab vniuersis Regibus terræ penitus dissidet, quorum præcipua dignitatis ornamenta sũt serui fideles, ingentes copiæ, & auxiliares amici, qui pro eorum salute mortem oppetere non dubitant. At è contrario, Rex ille cœlestis pro seruis suis sanguinem & vitã profudit, ijsq; & exemplum præbuit, & præceptum dedit vt se imitarentur: atq; id omne non vt ipsi quidquam accedat, sed in eorum emolumentum, quo tandem cœlesti gloria & regno eos faciat in perpetuum beatos atque fœlices. DOCT. Igitur, hoc extra omnẽ controuersiam ponendum est, & firma fide tenendum, quod cum dicimur serui inutiles postquam omnia fecerimus quæ præcepta sunt nobis, non idcirco negari bonis operibus mercedem toties alibi repromissam: nec inde sequi quod regnum cœlorum ijs non repromittatur: sed hoc agitur, vt homines modestiæ meminerint, & gratiam Dei humiliter agnoscant. Nam aliter si interpretemur, non constaret sibi (quod dictu nefas est) ipse Dei filius, cũ toties polliceatur præmium bonis operibus, & debitam virtutibus gloriam, vt & nos supra probauimus, & aduersarij non diffitentur.

25. MIN. Tertium Caluinianorum aduersus merita bonorum operum argumentum ex aliquot beati Pauli conflatur sententijs, vbi salutis nostræ tota ratio & causa vnico Deo eiusq; gratiæ accepta refertur, non autem operum meritis, veluti cum scribit:
Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna per Iesum Christum Domi-*
Ephes. 2. *num nostrum. Gratia saluati estis per fidem, & hoc*
Tit. 3. *non ex vobis, vt ne quis glorietur. Apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum mi-*
A *sericordiam suam saluos nos fecit.* Alio insuper loco: *Liberauit nos, & vocauit vocatione sua san-* *2. Tim. 1.* *cta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu, &c.* Hos & multo plures similes locos sic interpolant, vt omnis salutis humanæ ratio soli fidei, soli gratiæ, soli voluntati diuinæ, soli misericordiæ tribuatur: nihil autem omnino bonis operibus. DOCT. Ad ista sic respondeo. Primum, abunde supra demonstratum est partim expressis Scripturarum locis, partim ipsiusmet Caluini, ac Bezæ, Melanthonisque testimonijs,
B consecutiones istas esse falsas & impias: cum bona opera tam districte Deus præcipiat, ea denique exigat à nobis si salui esse velimus. Eadem gratissima & acceptissima habeat, & ijsdem vitæ æternæ præmium atque mercedem repromittat. Secundo, libenter etiam concedimus, Scripturas salutem nostram huic gratiæ & misericordiæ Diuinæ acceptam referre, quam nobis & meruit, & contulit seruator noster Iesus Christus, tum quod æterna electio nostra, prima vocatio atque iustificatio simpliciter à gratia proficiscantur: quodque bonorum operum ac meritorum initium, progressus, perseuerã-
C tia, finis, & remuneratio ex hac scaturigine profluant. Sancti etenim omnes per gratiam electi sunt, per gratiam fidem acceperunt, simulque charitatem & spem in sacro regenerationis lauacro, per gratiam iustificati & ab offensis absoluti fuerunt: per gratiam, amorem & obedientiam Deo debitam impenderunt, per gratiam in ijs vsque in finem perseuerarunt, denique per gratiam eorum opera Deo accepta, vitæ cœlestis beneficio remunerantur. Atque hoc pacto gratia Dei nunquam excludit bona opera, vt garrit Caluinus: sed eadem generat, fouet, perficit, atque coronat, vt docet Apostolus: nec im-
D pedit quominus ijs æterna vita mercedis loco tribuatur: sed potius idipsum promouet tanquam prima causa, quæque potissimas partes in meritis obtineat.

MIN. Cedo, mihi sanctorum & antiquorum Patrũ testimonia recita, quibus in specie pugnantes Scripturæ eo modo concilientur. DOCT. Iam anni sunt mille ducenti & amplius, ex quo Diuus Augustinus, Libro de Libero arbitrio & gratia, cap. 8. 9. decimo-quinto, decimo-sexto, 20. & vigesimo-primo, hanc sibi dissoluendã quæstionẽ proposuit: Quomodo est gratia vita æterna, 26.

quæ

quæ ex operibus ſumitur? Iſta quæſtio diſſoluitur, ſi intelligamus & ipſa bona opera noſtra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere, propter illud quod ait Dominus. *Sine me nihil poteſtis facere.* Et idem rurſus in alio loco ſcribit: Vita æterna præcedentibus meritis redditur; tamen quia eadem merita non à nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiã: ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa gratia nuncupatur, non ob aliud niſi quia gratis datur. Nec ideo quia meritis non datur, ſed quia data ſunt & ipſa merita quibus datur. MIN. Notes nũc mihi per indicem alios quoſdam locos vbi eandem ſententiam tueatur, & finem faciã dubitandi. DOCT. Acute & copioſe hãc quæſtionem exſequitur in Epiſt. 106. in Enchiridio, cap. 307. Libro tertio hypognoſticon: Commentarijs in Pſalmo 83. 95. & 110. Tractatu 3. in Euangelio Ioannis: & alibi paſsim.

Io. 15. Epiſt. 105.

Epilogus.

MIN. Afficior ſumma conſolatione, & maiorem in modum hoc tuo ſermone animus meus paſcitur & recreatur. Nam cum tam ſedulo pertractaſti, quibus modis Sancti coram Deo tales euaſerint, & Paradiſi regnum ſint adepti: plane efferor ſtudio & cupiditate incredibili virtutes eorum imitatione exprimendi, quam proxime potero ad eam perfectionem adſpirandi, vt tandem in eorum ſocietatem fœlicitatis admittat. Iam te rogo, doceas me, quæ, & qualis ſit eorum vita, ſtatus, atque conditio in regno cœlorum.

ANIMAE SANCTORVM A CORPORIBUS *ſeiunctæ natura ſunt immortales: ac vere exiſtunt in alio ſæculo: contra 15. & 16. Caluinianorum hæreſin.*

CAPVT VII.

DOCTOR.

Vix eſt vt credi poſsit tantam in hæreſiarcha veſtro cœcitatem, aut animi peruerſitatem extitiſſe, vt vel negare auſus fuerit, vel Libertinis feneſtram aperuerit negandi immortalitatem animarum ſeparatarum à corporibus ſuis: quod tamen videtur feciſſe.

MINISTER. Vere-ne iſtud ais: Vix equidem adducor vt credam. DOCT. Ipſam igitur beſtiam verba ſua reſonantem audiamus. *Animæ vita, inquit, ſine ſpe reſurrectionis merum eſt ſomnium. Neque enim Deus pronunciat animas à morte eſſe ſuperſtites, quaſi iam præſenti gloria, & ſua beatitudine fruantur.* MIN. Certe cuiuis Epicureo ac Libertino ex his facile eſt colligere, Animas per ſeſe, aut natura non eſſe immortales, cum earum vita (vt vult Caluinus) à corporibus pendeat.

In c. 22. Mat. v. 23. 37.

DOCT. Addit poſtea: *Quiſquis reſurrectionem conuellit, animas quoque immortalitate ſpoliat.*

MIN. Sequeretur ergo, eas ante reſurrectionem mortuas eſſe cum corporibus ſuis. DOCT. Et quod magis horrendum, eas aperte vocat, etiam referente & probante veſtro furcifero Marlorato, MORTVAS VMBRAS. Inſuper, de reproborum animis inferno detentis, ait: *Conteruntur & annihilãtur.* MIN. Certe nihil vanius eſt vmbra, quoniam tãtum eſt priuatio lucis. Inſuper, quod mortuum, quod contritum, quod annihilatum eſt, prorſus perijt nec amplius ſupereſt. Ergo ſi vera dicit Caluin9, Animas eſſe vmbras mortuas, contritas, & annihilatas: iam nec viuunt, nec ſuperſunt.

In Pſ. 130. v. 1. Inſt. l. 3. ca. 25. §. 12.

DOCT. Alibi cum tanta deſpicientia & contemptione de illis iam beatis, cum ſuis gregalibus loquitur, vt non niſi *vmbras, ſpectra, phantaſmata, mortuas, idola*, dignetur vocitare. Inuocationem cœleſtium & iam beatarum animarum exagitantes, vitio vertunt Catholicis, quod inuocent *mortuos*, loquantur *cum mortuis*, confidunt *mortuis*, opem exſpectent *à mortuis*, & cum *mortuis* communicaturos ſe arbitrentur. Refert idem Caluinus propoſitum fuiſſe in quodam Conſiſtorio Geneuenſi: *Nullum melius compendium eſſe ad tollenda Sanctorum patrocinia, preces pro mortuis, purgatorii figmentum, & ſimilia, quam ſi mortem interitum eſſe Animarum crederent.*

Inſt. l. 3. c. 20. §. 24. Beza conf. c. 7.

Contra Protheſes gentilu p. 46. 47.

Iam quo euaſerint hæ peſtilentiſsimæ Caluinianorum opiniones, eloqui animus horret: ſed tamen non eſt diſsimulandum. Anno 1568. Cracouiæ regiæ Polonorum, typis excuſæ ſunt Theſes, Authore pro more Caluinicorum Miniſtrorum, anonymo, quarũ decima his verbis concepta erat: *Negamus aliquam animam poſt mortem manere: ſed illud dicimus excogitatum ab Antichriſto, ad ſtabiliendam ſuam culinam per fictum Purgatorium, &c.* Et homines, iuxta Apoſtolum, mali proficiunt in peius errãtes, anno 1589. in publica diſputione habita Polociæ, eiuſdem regni vrbe, Budnæus Miniſter interrogatus, quid de animarum immortalitate ſentiret, reſpõdit: *Adhuc ſub iudice lis eſt.* Domanovvſki alius ex grege Prædicantium publice, perfrictiſsima fronte,

fronte; & ore ferreo pronunciauit non quidē vt alter, sibi nondū liquere: sed categorice, *Animas cum corporibus interire*. En fructus Caluinianæ impietatis. En epicureismus. En atheismus sub velo defecatæ religionis instauratus, &c.

Confut. 1. MIN. O misera tempora! ô corruptissimos mores! ô Satanæ regiū opera Ministrorum istorum in terris stabilitum. O numinis patientiam singularē! ô furorem infernalē! Non possum sane huic tam detestando dogmati aliud nomen indere, quam Atheismi. Quisquis n. animarum immortalitatem inficiatur, etiam Angelos siue bonos siue malos nusquam & nullos esse credit: nouissimū iudicij diem fabulas arbitratur; inferos & Paradisum eodem iure habet: postremo si secum ipse consentiat, nec interdum conscientiæ sensu, & veritatis efficacia vincatur, et Deum immortalem (ad cuius imaginem & similitudinem animæ nostræ conditæ sunt) creatorem ac iudicem mundi, nullū putat. Nam si eum verbo ponit, re destruit. Vanissimam vanitatem, imo & impijssimam impietatē Epicuri, Diagoræ, Protagoræ, Theodori, & similium atheorum hodie recoquūt miserabiles isti Libertini & Hugnostici, qui velut brutæ animantes torpent ac stupēt toti in sensibus carnis: nec induci volunt, vt credant esse vllas substantias incorporeas, immateriales, inuisibiles, atq; immortales spiritus, quia non occurrunt in oculos, tactu non percipiuntur: nec auditu, nec gustu vel odoratu; quæ sola ratio conditos homines ab exitiabili ista Secta deterrere deberet. DOCT. Scite sanctēq; tu quidem iudicas: sed perge solenni tuo & laudabili more Caluinum & Bezam suo sibi gladio, vt in veteri verbo est, iugulare.

2. MIN. Rabiosus ille Rabbi scribit aliquo loco: *Hoc delirio nihil absurdius fingi potest. homines ad imaginem Dei creatos, instar pecudum morte extingui.* Et in alio: *Intelligit Christus, fideles, postquam mundo interierint, agere cælestem vitam, cum Deo.* Et iterum alibi: *Admonet Christus non ideo creatam esse hominis animā, vt mundo tantum ad paucos dies fruatur: sed vt sua demū illi constet in cælo immortalitas.* Rursumque alio in loco: *Colligimus animas, vbi à corporibus migrarunt, superstites viuere: alioqui lusoria esset* (ad Latronem facta) *promissio Christi, quam etiam iureiurando confirmat.* DOCT. Cur igitur sacerrimi isti & intestabiles sanctarum & immortalium animarum parricidæ eas vocant *mortuas vmbras, spectra, phantasmata, idola, inanes & vanas vmbras*? Non-ne suo ipsorum iudicio condemnantur manifestæ impietatis toties grauissimis decretis, quoties scriptum est, hominem esse creatū ad imaginem Dei, & Sanctos in cœlis æuo sempiterno potiri?

In Matt. c. 22. v. 23. 32.

In Matt. c. 16. v. 26.

In Matt. c. 27. v. 54.

Luc. 23.

3. MIN. Alibi idem scribit: *Hæc inæstimabilis consolatio est, quod scimus animas nostras è corporibus migrantes non fortuito vagari, sed à Christo suscipi in fidelem custodiam, si modo eas in ipsius manum deponimus.* Et iterum idem adfirmat: *Hominum animas & Angelos eiusdem naturæ & substantiæ.* Iterumque ait: *Quod ad hominum animas spectat, quia hodie etiam quidam malefериati homines animas euanescere in morte fingunt vsque ad diem resurrectionis, eorum amentia Lucæ testimonio refutatur.* Non-ne his positis, sequitur, eas non magis interire posse quam Angelos? Et vt Angeli semper existunt ac viuunt, ita & omnium hominū animas à corporibus disgregatas oportet superesse ac viuere. DOCT. His addere potes, Vitam immortalem Angelorum multa ex parte pendere à corporibus, nec eorum existentiam perpetuo permanentē à spe resurrectionis vllo modo prouenire: quinimo si nulla vsquam gentium omnino corpora exstarent, aut non esset futura resurrectio; non ideo minus Angeli viuentes & immortales perseuerarent. Proinde, idem iudiciū ferri debet de Sanctorum animab⁹, quas cum Deus potentia sua crearit ex natura & conditione prorsus immortali, tales quoq; prouidentia sua conseruat in æternū. Denique, si malefериati & amentes sunt, vt reapse sunt, qui animas vsq; ad diem resurrectionis euanescere fingunt: Calu. profecto homo amentissim⁹ est, atq; in omnib. cōsiliis pceps ac deuius, q *eas conteri & annihilari* scribere non timuit.

In Act. c. 7. v. 59.

Ibi. c. 23. v. 8.

4. MIN. In Commentis suis super Epist. 1. ad Cor. Eos censet *deliros & freneticos esse, qui putant animos nostros aut vna cum corporibus interire, aut ita consopiri vt perinde sit atque si interierint.* Et iterum: *Colligere recte posse ex Pauli verbis, animas à corporibus solutas apud Deum viuere. Nam si à corpore absentes Deum non habent præsentem, cum eo certe viuunt.* DOCT. Sat superq; habem⁹ Caluinisticarum cōtradictionum, nunc breuiter exquiramus, quænā ex his enunciatis consequentiæ proficiscantur. Hi etiam Caluini iudicio sunt deliri & frenetici qui animas cum corporib⁹ sopiri aut interire putant: Caluinus in ea sententia deprehenditur, dicens earū vitam à corporum vita & resurrectione pendere: talis igitur sua ipsius

Cap. 15. v. 18.

In 2. Cor. c. 5. v. 8.

ipsius confessione censeri debet. Rursum. Animæ à corporibus solutæ apud Deum viuunt: sunt igitur profligatissimi tortores & carnifices sanctarum animarum cum Caluino Prædicantes eius, cum eas ad raucam rauim vsq; vociferantur esse vmbras mortuas, spectra inania, & nænias.

5. MIN. Tuas nunc partes aduersus has impietates agito. DOCT. Quinque probationes pro animorum immortalitate tam solidas & ineluctabiles proferam, vt nulla contradictione labefactari possint, nisi quis eadem opera velit aduersa fronte cũ Deo pugnare. Prima erit ab earum origine, quæ cum non sit ex materia cœlesti, qualis est materia Solis, Lunæ, planetarum atque stellarum: multo minus corruptioni atque interitiui obnoxiæ esse possint. Cum item non sint ex materia aurea, sicut pluuiarum, niuium, grandinum, nubium, & aliorum meteororũ origo: nec sint ex elemẽto aquæ sicut pisces & aues: nec denique sint ex materia terrestri vt corpora nostra: sed existant creenturque à Deo immortali, qui ex nihilo eas producit, inspirat & corporibus intercopulat: certo certius est nullas in iis reperiri causas ad corruptionẽ aut mortalitatem. MIN. Extra omnem controuersiam est Deum, postquam primi hominis corpus ex limo terræ condidisset, *inspiraße in faciem eius spiritum vitæ*, hoc est, animam viuentem vt ibidem vocatur: nec eam formasse ex terra, aut alia quacunque materia. (Gen. 1.2. 2. Mach. 7) Cum autem id Scriptura tradiderit circa primi hominis animam, cogitationi ac fidei nostræ reliquit, vt idem iudicium de cæteris hominum animis faceremus. Atque ita cum sola mortis & interitionis causa deriuetur à materia, qualitatum contrariarum ac repugnantium quæ ruinam subiectis suis inferunt, susceptibili: contrariam ob causam efficitur, vt hominum animæ vitam habeant immortalem & incorruptibilem. Huic etiã consequentiæ affine est, vt Caluiniani, qui vitas animarum ab euentu resurrectionis suspendunt, sint & omnis Philosophiæ ignari, & in sacra Theologia vere impii. Cedo nunc secundum probationis genus.

6. DOCT. Id subnititur compluribus euidentissimis Scripturarum sententijs, quæ aperte & manifeste clamant. Animas humanas esse immortales, ac interitus expertes, quamlibet morti & corruptioni obnoxia sint corpora. Sapiens n. de corpore dicit: *Reuertitur puluis in terram suam vnde erat*: de anima vero, *Spiritus ad Deum, qui dedit illum*. (Eccl. 12.) Quibus verbis asserit animarũ authorem simul & seruatorem esse, qui nentiquam patitur illam morte finiri aut dissolui. Alibi cum inuehitur in atheos, ait, *Deum creaße hominem inexterminabilem*, id est, qui morte terminari, delerive nequeat, nimirum quo ad animam, quia secundum eam factus est ad imaginẽ immortalitatis eius: (Sap. 2.) Subiungit, *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis*. (Sap. 3.) Ex hoc manat quod de veteribus Patriarchis scriptum est, nimirũ, quod post excessum à corporibus, ibant secũdum animas ad patres suos, iungebantur populis suis, apponebantur ad parentes suos, reuertebantur ad prædecessores suos: (Gen. 15. Num. 27. Deut. 32. 2. Reg. 12.) quæ omnia falsa forent, si animæ postquam è corporibus migrassent, nõ viuerent, & immortalitate in altero sæculo fruerentur. Propter hanc eandem fiduciam Dauid sibi ipse animum addens scribit: *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala. In manus tuas commendo spiritum meum*. (Psalm. 22. Psal. 30.) Cantat alacriter Sanctorum mortem pretiosam esse in conspectu Domini: (Psal. 115.) orat suppliciter Deum, vt educat de custodia animam suam: (Psal. 141.) denique, comminatur & prædicit animas improborum descensuras in infernum, & illic in æternum cruciatum iri: (Psal. 32. 48. 54. 83. Psal. 146.) piorum autem & electorum assiduis in cœlo laudibus Deum celebraturas. MIN. Quot sententias protulisti, tot sunt elogia diuina immortalitatis humanarum animarum.

7. DOCT. In libris N. Testamenti scriptum exstat, quod ab obitu corporum, Animæ iustorum in consolationis & quietis locum recipientur: impiorũ autem cruciabuntur in flammis: (Luc. 16.) non esse timendos eos qui occidunt corpora, cum nullum ius habeant aduersus animas: (Matt. 10.) item, quod qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam: (Ioan. 12.) ex quibus euidenter patet nulla eas morte posse aboleri. Ioannes etiam commemorat se vidisse subtus altare Dei (hoc est, sacro eius tabernaculo ac sanctuario) animas interfectorum propter verbum Dei. (Apoc. 6.) Sibi etiam in mandatis datum perhibet, vt scriberet, Beatos eos esse q in Domino moriuntur, quoniã requiescũt à laboribus suis. (Apoc. 14.) Huius quietis desiderio Paulus cupit dissolui, & esse cum Christo: (Phil. 1.) cõfidit q̃ si terrestris domus huius habitationis dissoluatur, ædificationem ex Deo sit habiturus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis. (2. Cor. 5.) Vetat Thessalonicenses contristari de dormientibus, sicut ii solẽt qui spẽ (resurrectio- (1. Thess. 4.)

nis & vitæ perpetuæ) non habent: prædicat constanter quod simus filij Dei siue viuam^s siue moriamur. Christum item mortuum esse & resurrexisse, vt viuorum & mortuorum dominetur: omni constantia & securitate sibi persuadet nec mortem, nec vitã, nec angelos, nec principatus, nec potestates, nec præsentia, nec futura, nec vllam creaturam posse nos separare à charitate Christi. MIN. Nisi iam eius anima cum Deo perfecte viueret, ab eius amore anima eius esset prorsus separata: ac proinde homo prostituti pudoris fuit Caluinus, qui ausus sit affirmare Animarum humanarum vitas à resurrectione corporum pendere. DOCT. Sed amabo te, qui fieri posset, vt defunctus Abel adhuc loqueretur, quemadmodum testatur Apostolus, nisi spirit^s eius viueret ac superesset? Aut quomodo idem Apostolus exploratum haberet, quod liberatus his corporis compagimibus, præsens cum Christo futurus esset, nisi post interitum corporum animæ in alio sæculo viuerent? MIN. Hæc tam dilucida & certa sunt, vt maiore ex Scripturis confirmatione non indigeant. Iam ad tertium genus probationum accede.

Rom. 14. *Rom.* 8. *Heb.* 11. 1. *Cor.* 5.

DOCTOR. Istud colligo ex multis hominum spiritibus, qui postquam è corporibus excessissent, apparuerunt hic adhuc degentibus, cum ijs sermonem conseruerunt: atq; hoc modo istius hæresiarchæ impudẽtiam refutauerunt, qui *mortuas vmbras* vocat immortalem animarum vitam. MIN. Hic articulus explicatu perdifficilis est, & eget longa disquisitione. DOCT. Commodius itaq; & opportuniore loco tractabitur, vbi de purgatorio disseremus: hic obiter & in transitu dicam, Neminem Christianorum inficiari posse, quin Moses circiter bis mille años ab excessu è vita suo ac Propheta Elias postquam ex hoc sæculo raptus est, præsentes fuerint in trãsfiguratione Domini nostri. Quin item Samuel mulieri Pythonem habenti visus sit, collocutusq; cum Rege Saule: quin Ieremias, & Onias Iudæ Machabæo se se conspiciendos exhibuerint: tres alij spiritus Heliodoro: quinque alij insuper ipsimet Iudæ Machabæo ac toti eius exercitui, in veste candida & armis aureis. Hos quidem Scriptura hominum vocabulis indigitat, toto per metonymiam sumpto pro parte, nempe defunctorum amicorum animis, qui viuentibus proximis periclitantibus auxilium & opem laturi veniebant, in Euangelio quoque refertur, multos qui dormierãt surrexisse de monumentis, & apparuisse Ierosolymorum ciuibus: imo & Christus ipse post resurrectionem, per dies quadraginta multifariá multisq; modis apparuit fœminis, Apostolis, & Discipulis. Paulo nunc per diem, mox per noctem sui conspectus gratiam fecit: visio quoq; viri Macedonis eidẽ facta est. Omnibus Apostolis pro liberatione Petri iugiter orantibus, persuasissimum fuit, quod & spiritus defunctorum aliquando redirent, & quod eorum boni Angeli vice illorum nonnunquam essent viuentibus conspicui. MIN. Exempla ꝓfers digna memoratu, quibus Dominus grauiter cõfirmari voluit viuam ac perpetuam animarum seiunctarum à corporibus exsistentiam ac immortalitatem. Verum, ordo disputationis à nobis institutus monet vt idem patrum antiquorũ testimoniis ac exempl s idẽ astruas.

Mat. 17. 1. *Reg.* 28. *Eccl.* 2. *Matt.* 15. 2. *Mat.* 3. 2 *Mat.* 10. 11 *Mat.* 27. *Act.* 1. 9 13. 13. *Act.* 16. *Act.* 11. *Luc.* 24.

DOCT. Illustris antistes Mediolanensis Ambrosius ante annos mille ducentos memoriæ prodidit, quod B. Agnes post martyrium suum verbis & conspectibus suis mœstos consolata sit parentes; quodque Constantiam magni Imper. Constantini filiam à morbo sanauerit: insuper, Gamaliel dudum defunctus cum Luciano presbytero locut^s fit: S. Agatha cum virgine Lucia: & cum eadem Agatha B. Petrus, vel quiuis Apostolorum alius. Postremo, ꝙ Paulus Apostolus, & fortes martyres Geruasius & Prothasius sibi visi & collocuti sint. Magnus doctor Augustinus memorat, cum Mediolani esset, animam boni cuiusdam patris apparuisse filio, eique locum signasse, vbi inclusus erat chirographus quẽ valde desiderabat. Nec absurdius aut minus probabile iudicat, vt qui iam in cœlis sunt ad nos veniãt, quam vt nos ad eos tandem aliquando perueniamus. Idem pro certo affirmat animam S. Fœlicis manifestatam fuisse ciuibus Nolæ, quæ vrbs sita est in Campania. Denique animam Diui Hieronymi paulo postquã ex humanis excessisset, à se visam & auditam refert, ac secum de plurimis rebus sacris multũ sermonem habuisse. Rerum Ecclesiasticarum explicator prudens ac grauis Eusebius scribit animam S. Potamienæ virginis & martyris apparuisse Basilidi carnifici tertium diem postquam ei caput abstulisset. Nicephorus testatur B. Paulum post mortem Neroni se videndũ exhibuisse: deinde Imp. Constantino, tum quidem vna cum Petro. Theodoretus cõmemorat Ioannem ac Philippũ Apostolos cũ Imperatore Theodosio verba fecisse.

9. *Serm.* 90. *Lucia. Nicephl.* 14. c. 9. *Metaphrastes. Serm.* 5. *ep.* 53. 54. *Li. de cura pro mort. c.* 14. 15. 16. *Epist.* 205. *L.* 6. *c.* 5. *Nic l.* 2. *c.* 2. & *l.* 7. *c.* 33. *Theod. l.* 5. *c.* 24.

In Lauſ. fecisse. Palladius à martyre Basilico præ- A
nunciatum fuiſſe perhibet Io. Chryſoſtomo
diem obitus ſui, &c. Quid tibi de omnibus
iſtis ſpirituum, de vinculis corporeis ſoluto-
rum apparitionibus videtur? MIN. Primum,
quatuordecim illæ, quas ex veteri ac nouo
Teſtamento laudaſti, ſunt omni exceptione
maiores: quemadmodum etiam illæ aliæ
quatuordecim ex certiſsimis hiſtoriis Eccle-
ſiaſticis deſumptæ, habita ratione antiquita-
tis, ſanctimoniæ, grauitatis, atque Patrum,
qui eas ſcripto commendarunt.

10. Atque etiam me legere memini apud Phi-
lippum Melanthonem (quem vniuerſi Mi- B
l. de anima niſtri in primis venerantur, & quantiuis pre-
L. examinis tij deputant) ſe cognouiſſe plurimos fide di-
Theologici. gniſsimos, qui & oculis viderint, & auribus
vſurpauerint ſpiritus defunctorum, quibuſ-
cum de rebus ſeriis multum diuque ſint col-
locuti. Secundo loco videtur mihi Deus per-
mittere, atque etiam æquiſsimo iudicio de-
cernere, vt eiuſmodi apparitiones ac reuela-
tiones nunc & olim fiant, quo conuincantur
Epicuri de grege porci, atque immanes iſti
animicidæ, & vt erigantur in fide mentes bo-
norum, certioreſque fiant de multis rebus
neceſſariis, deq; occultis & tamen iuſtis Dei C
iudiciis.

11. DOCT. Quartum genus probationum
vnde colligitur immortalitas animarum, ab
iis Scripturarum locis ſumitur, quibus de in-
feris, de Paradiſi cœleſtis gloria, & de nouiſ-
ſimi diei reſurrectione fit ſermo. MIN. Sa-
ne ſi ante tempus illud hominum animæ ſint
*vmbra mortua, ſi non fruuntur immortalitate, ſi
vita earum ſit ſomnium*, vt Caluiniani blaſphe-
mant, quorſum Paradiſus ad Sanctos bean-
dos? Quorſum inferi ad puniendos ſontes?
Quorſum alia loca, in quibus degant ſpiri-
tus, poſtquam à carceribus corporum libe-
rati erunt? Vnde conſequitur, vt quoties in D
Scripturis obuia eſt commemoratio vel Pa-
radiſi, vel Purgatorij, vel Limbi, vel Infero-
rum, toties animæ natura incorruptibilis, &
eſſentia perpetuo manens comprobari in-
telligatur. DOCT. Atqui nihil eſt in ſcriptis
Prophetarum & Apoſtolorum frequentius:
ſed horrenda quædam diuini iudicij exem-
pla potiſsimum ſeligemus, ex quibus contra
Caluinum ſuum diſcant Caluiniani animas
reproborum in infernis nec conteri nec an-
Verſ. 7. nihilari. S. Iudas Apoſtolus Chriſti, frater au-
tem Iacobi ſcribit: *Sodoma & finitimæ ciuitates
data ſunt in exemplum ignis æterni pœnam ſuſti-*
Num. 16. *nentes.* Chore, Dathan, & Abiron, cum vni-
uerſis ſchiſmatis eorum conſciis deſcende-
runt in infernum viuentes. In Euangelio re-
citatur animam Abrahæ tribus fere millibus *Luc. 16.*
annorum poſtquam corpore exceſſerat, eſſe
in loco quietis & conſolationis, atque ani-
mam Lazari pariter ibidem magna frui con-
ſolatione: dum è contrario diuitis anima in
æternis flammarum cruciatibus ſcelerum
ſuorum iuſtiſsima tormẽta toleraret. Steph. *Act. 7.*
morti proximus videt cœlos apertos, & ſpi-
ritum ſuum impenſius Domino commen-
dat, propter cuius nomen patiebatur. Latro
de cruce ſuppliciter orans, vt Chriſtus ſui *Luc. 23.*
meminiſſe dignaretur in regno ſuo, hanc
dulciſsimam promiſsionem accepit, *Hodie* *Matth. 12.*
mecum eris in Paradiſo. Præterea, cum iam Do- *Ephes. 4.*
mini corpus vita deſeruiſſet, anima eius de- *Pſal. 15.*
ſcendit ad inferos, ibique *Euangelium prædi-* *1. Pet. 2. 3.*
cauit ſpiritibus qui erant in carcere, vt ex beato
Petro diſcimus, &c. MIN. Stat igitur illud
firmum, euidens, & inconcuſſum, Animas
corporibus ſuperſtites permanere, eaſque
vel ad loca conſolationis proficiſci, vel in
tormentis eſſe, funguntur item actionibus
naturæ ſuæ conſentaneis, intellectu, volun-
tate, ac memoria: nunquam vero dormiunt,
nunquam euaneſcunt in auras, nunquam
moriuntur aut annihilantur, vt fanaticum
agmen Libertinorum imaginatur. Deum ita-
que piis precibus obteſtari conuenit, vt ani-
mæ noſtræ cum iuſtorum ſpiritibus aggre-
gentur, commendandæq; ſunt fidiſsimo tu-
tori & ſeruatori Deo, ſicut ſuperiora exem-
pla demonſtrant.

DOCT. Poſtremo, cum ipſiuſmet iudicis 12.
viuorum & mortuorum ore proprio atque
graui ſententia, ignorantiæ, & impietatis da-
mnati fuerint Sadducæi, quod reſurrectio- *Matt. 22.*
nem corporum, & immortalitatem anima- *Marc 12.*
rum negarent, certe contenti debemus eſſe *Luc. 20.*
hoc Catone, nec dubitanter illos habere pro *Act. 23.*
Antichriſtis, qui rancidas iſtas hæreſes ab
orco reuocant, quas Chriſtus non ſolum au-
thoritate ſua, quæ pro omni ratione ſuffice-
re debet; ſed etiam teſtimonio Prophetæ
fregit atque debilitauit. MIN. Hæc de iis ſa-
tis. Velim nunc ſcire, Vtrum-ne Deum clare
videant in cœlis, an huius beneficij frui-
tio adhuc in futurum tempus
prorogatur?

ANIMAE SANCTORVM SEIVNCTAE à corporibus cœlo recipiuntur: clara Dei visione perfruuntur: non hanc beatitatem fide vel spe adhuc expectant: nec vlterius proficiunt vsque ad vltimum huius mundi diem: aduersus 17. 18. 19. & 20. Caluinianorum errorem.

CAPVT VIII.

DOCTOR.

HAeresiarcha non discedens à sacrilegio aduersus sanctas & beatas Animas, nititur eis æternam gloriam extorquere, dicens eas nondum frui clara & beatifica Dei summi contemplatione: sed hoc beneficium in tempora resurrectionis differri: ac tantisper exspectatione suspensas inter spem & fidem adhuc proficere. MINIST. Nisi palam expressis eius scriptis id effeceris, nemo dictis tuis fidem habebit. DOCT. Diserte scribit: *Neque enim Deus pronunciat animas à morte esse superstites, quasi iam præsenti gloria & sua beatitudine fruantur: sed earum spem in vltimum vsque diem suspendit.* (In Mat. c. 22. v. 23.) MINIST. Reuera satis clare negat Animas defunctorum gloria & beatitudine frui, cum earum spem in diem resurrectionis reiicit. DOCT. Subiicit postea: *Neque enim nunc tantum exspectanda nobis est salus, sed vbi vita defuncti in Christo quiescimus.* (In Matt. c. 25. v. 5. In epist. ad Phil. c. 1. v. 6.) Ac frontem adhuc impudentius in suggillandis Sanctis perfricans, alio in loco etiam furcifero referente & probante Marlorato: *Tametsi qui ex corpore mortali sunt liberati non amplius militent cum carnis concupiscentiis, sintque extra teli iactum, tamen nihil erit absurdi, si dicantur esse in profectu: quia nondum pertigerunt quo aspirant, nondum potiuntur fælicitate & gloria, quam sperarunt.* Et paulo post: *Optat Paulus fideles ad illum vsque diem quodammodo proficere.* Et iterum: *Tunc enim reipsa fruemur perpetuo omni cœlesti fœlicitate.* Et idem alio in loco: *Differtur ad diem Christi plena visio.* (In 1. Cor. c. 13. v. 12.) Iterumque alibi: *Pendet gloriæ nostræ exhibitio vsque in Christi aduentum.* (In 1. Ioan. c. 3. v. 2.) Et vt nemini dubium sit quanta mentis intemperies hunc hæresiarcham aduersus Sanctos agitarit, addam ea quæ de his scribit in Institutione: *Quum Scriptura vbique iubeat pendere ab expectatione aduentus Christi, & gloriæ coronam eousque differat, contenti simus his finibus.* (L. 3. c. 25. §. 6.) Et alio in loco, tenet, *Animas Sanctorum vna nobiscum fide coniungi:* (L. 3. c. 20. §. 24.) quod est eas omni clara Dei vi-A sione & fruitione cœlesti spoliare: quandoquidem fidei nostræ obscuritas cum clara & aperta Dei visione stare nunquam potest. Denique, illas à cœlestibus sedibus arcens, constituit easdem in nescio qua *specula, vbi sint intentæ ad redemptionem promissam.* (In c. 14. Io.) MIN. Reuera, si status noster post mortem non sit alius à statu patrum qui Christi aduentum præcesserunt, vt Caluinus contendit: nec animæ nostræ, nec illorum in cœlos conscendunt. Adhæc, si illæ adhuc fide & spe indigeant, si gloriæ corona eis differtur vsque ad secundum Christi aduentum, si nondum B pertigerunt quo aspirant, vt ille defendit: non sunt adhuc in termino, sed in via: non in cœlo, sed alicubi receptæ. Sicque Caluiniani istorum quatuor errorum manifesto rei tenentur: nec quisquam homo sanæ mentis eos vnquam ab his absoluerit. Nam si fœlices animæ adhuc sub vmbraculis fidei sunt constitutæ, nondum facie ad faciem Deum intuentur. Rursum, si Deus earum spem in vltimum vsque diem prorogat, sperata gloria nondum fruantur, sed suspensæ hærent vsque ad nouissimum diem, bona consequentia, sed conclusione falsissima C colligitur, eas nondum frui summo bono. Præterea, si non fruuntur gloria, nec plena Dei visione: carent profecto cœlesti beatitate, summaque eis repromissa fœlicitate Paradisi. Postremo, cum asserit eas nondum peruenisse quo adspirant, sed adhuc esse in statu proficiendi: eas certe in numero eorum cōstituit qui adhuc in agone decertant, non qui ad metam peruenerunt, &c. DOCT. Restat igitur vt errores istos infirmemus, quod & sigillatim, & simul facere non est difficile. Nam si effecerimus vt liqueat, Animos Sanctorum in cœlis videre Deum facie ad faciē sicuti est, sequetur eos iam fide destitui, post-D quam Deum clare cernant: non amplius spe præditi, cum perfectissimam fruitionem facto ipso percipiant: denique, eos amplius non esse in via proficiendi, sed scopum peregrinationis attigisse, & omnem omnis desiderij consummationem.

MIN. Mihi certe id præstare facillimum est, & ex ipsomet Caluino, vt propriis armis debelletur. (Confut. 1. Marlor. in 1. Cor. c. 13. v. 12.) Scribit enim: *Vbi relicto mundo ad Deum migrauerimus, ipsum tanquam propinquum & expositum oculis cernemus.* Et paulo post: *Post mortem, quando animæ solutæ corporibus, vno intuitu & clarissimo aspectu Diuina contemplabuntur.* DOCT. Cum itaque sanctorum animæ ex hoc iam mundo migrarint, Deum-

Deumque oculis (spiritalibus) cernant præ- A sentem : profecto non hærent in suspenso donec Christus adueniat : sed votis ad omnem exitum perductis, illum in Essentia sua vident, eodemque fœlicissime perfruuntur. Denique, cum Deus reuera sit illis pręsens, seque oculis ingerat, non amplius eum tanquam absentem aut fide apprehendunt, aut spe præstolantur.

2. *In c.3. ep.1. Ioan. v.2.* MIN. Iterum proprium errorem refutans ait: *Tunc demum in se videbitur, quæ nunc latet Dei maiestas, vbi ablatum fuerit mortalis huius & corruptibilis naturæ velum.* DOCT. Aufertur vero cum morte corpora Sanctorum B computrescunt ac intereunt, animæ vero sicut tetro carcere soluuntur: igitur diuinam maiestatem perspicue cernunt, eademque perfruuntur.

3. *In ep.2. ad Cor. c.5. v.8.* MIN. Iterumq; aduersus semetipsum pronunciat: *Colligere licet ex illis Pauli verbis* (præsentes esse apud Deum,) *animas à corporibus solutas apud Deum viuere. Nam si à corpore absentes Deum habent præsentem, cum eo certe viuunt.* DOCT. Ergo nec sunt vmbræ mortuæ, vt in aliis locis blasphemat: nec earum spes in vltimum vsque diem suspenditur quemadmodum hic blaterat.

4. MIN. Si graue non fuerit longe plura e- C iusdem contra semetipsum testimonia & iudicia proferam. DOCT. Hæc incruenta de tam infesto ac immani Sanctorum spirituum hoste victoria, nunquam intempestiua, nunquam molesta cuiquam Christiano esse poterit. MIN. Scribit ergo: *Intelligit Christus fideles postquam mundo interierint, agere cælestem vitam cum Deo: sicuti Paulus Christum, postquam in cælestem gloriam receptus est, Deo viuere dicit* (Rom. 6.10.) *quia exemptus est huius caducæ vitæ infirmitatibus & ærumnis.* Et paulo post: *Deus fideles est, vt supra hominum sensum coram se viuos conseruet.* DOCT. Si vitam cælestem cum Deo D viuunt (vt libenter ei consentimus,) non sunt in via proficiendi vlterius: sed iam scopum attigerunt, & eo peruenerunt quo totis votis aspirabant & festinabant. Viuunt vitam cælestem: igitur nec fidem, nec spem occultorum ac futurorum bonorum nobiscum peregrinantibus communem habent. Eos in conspectu suo viuentes Filius Dei conseruat: ergo idipsum qualis est contemplantur, & perfecta fruitione eius, cum eodem coniunguntur.

In Matth. c.22. v.32.

5. *In Luc. ca. 23. v.43.* MIN. Alio loco ita seipsum manifestæ contradictionis reum peragit: *Quisquis vera fide animæ suæ custodiam Christo moriens tradet, non extrahetur in longum tempus, vt suspensus langueat: sed eius voto eadem qua Latronem vsus est benignitate Christus occurrunt.* Et paulo post, etiam eadem referente Marlorato in ca.27. Matth. v.44. *Quicunque fide insiti sunt Christi corpori, sunt eius vitæ participes, atque ita post mortem beata & læta quiete fruuntur. Promittit Christus vitam æternam Latroni, idque eodem die. Qui ergo in Christo moriuntur, migrant ad vitam æternam, &c.* DOCT. Atqui non modo Stephanus moriendo pro Christo, summo cum ardore eidem commendauit tutelam animæ suæ, cum positis genibus clamauit, *Domine IESV, suscipe spiritum meum*: sed & Petrus, & Paulus, & Andreas, & Iacobus, & alij omnes sancti Apostoli, Discipuli, Martyres, Confessores, Virgines, Pœnitentes, qui nos præcesserunt: quare non est ambigendum, quin illis occurrerint beati Angeli, Christus votorum compotes effecerit, & vitæ beatorum participes reddiderit. Insuper, si non in longum tempus producuntur, nec diuturno labore vel langore suspensi degunt, quemadmodum aduersarius fatetur: non igitur in quadam specula, custodia, vel carcere hærent, aut in stadio decurrendo occupantur: sed ad candidam metam peruenerunt: non differuntur in vltimam diem, sed statim illis æterna confertur fœlicitas. Denique, cum (aduersario teste) post mortem beata & læta quiete fruantur, & migrent in vitam æternam: non suspenduntur vsque ad vltimum diem, non expectant futuram salutem, non sunt in profectu, nec pendet eorum gloriæ exhibitio vsque ad Christi aduentum, velut hic Proteus & Vertumnus aliis in locis contendit. *Act. 7.*

MIN. Idem propriis laqueis, velut manicis & pedicis seipsum vinciens & coarctans & damnans, ait: *Animam quæ in fœdo corpore latuit, ab Angelis in beatam vitam deferri.* Rursum: *Filij Dei, qui in hoc mundo dispersi peregrinantur, fidem sequuntur patris sui Abrahæ, defuncti in beatam quietem in qua eos exspectat, sese recipiunt.* Quibus addit Beza, quæ Marloratus prudens vel imprudens, nescio, prætermittit: *Eodem in cælis domicilio fruuntur.* Rursumque: *Christi membra ad caput suum aggregantur.* DOCT. Ergo vt in his locis vera loquitur, sic falsissima sunt, quæ alibi pronunciat, plenam Dei visionem vsque ad Christi aduentum differri, nec sanctos potiri felicitate & gloria, quam sperauerunt. 6. *In Luc. ca. 16. v.22.* *Ep. 82.*

MIN. Scribit iterum ille, & Beza velut oracula de Apollinis tripode refert: *Christus Latroni* 7. *Epist. 82.*

Latroni dixit: Hodie mecum eris in Paradiso, id est, fruetis Dei præsentia, in conditione beatorum. Rursumque de eodem: *Caluinus eum locum* (Apoc. 6. Datæ illis stolæ albæ) *explicans in Psychopanychia; Haud dubie* (inquit) *stolæ albæ principium gloriæ designant, quod diuina liberalitate martyribus impertit, donec expectatur dies iudicij.* A

Math. 25. Iterumque: Respondet Caluinus, *frustra nituntur nostri ψυχοπαννυχῖται conuincere Sanctos Dei seruos hac vita defunctos, nondum esse ingressos in regnum Dei, ex eo quod illis dicetur: Venite, possidete, &c.* DOCT. Hinc colligere cuique in promptu erit, Quoniam quidem Sanctorum animæ in Paradiso fruuntur Dei præsentia, earum spem in vltimum vsque diem nequaquam suspendi. B Item, principio gloriæ in cœlis potiuntur, iamque ingressæ sunt in regnum Dei: igitur nec salutem suam adhuc expectant, sed pertigerunt quo aspirant, & ea perfecta gloria & fœlicitate collætantur, quam sperauerunt: sicque iacet victus, prostratus, & contritus propriis armis & machinis Caluinianis. Sed quia Bezæ mentionem interposuisti, dicas velim, quid iste, & alij gregales Caluini de hoc præceptoris sui errore senserunt.

8. MIN. Vt anceps secumque pugnans in hac re fuit Magister, sic & Discipuli in tam diuersas quam peruersas sententias secum C distracti. Nam is quem suppresso nomine, totis viribus oppugnat Beza tota Epistola 82. illum pro sua ministrali & reformata moderatione vocitans, *Turbatorem fratrum, insipientem, temerarium, disputatorem, speculatorem ineptum & futilem, secum dissidentem, absurdum, delirum, Caluini fœdum deprauatorem, ociosum, nugacem, vanissimum speculatorem, &c.* contendit, *iustorum mortuorum animas, certo nescio quo loco receptas, æternam gloriam non degustare, & tamen in spe venturi Christi acquiescere, quæ spes sit earum Beatitudo.* Hanc enim sententiam tribuit illi Beza. DOCT. Ecquid vult aliud Caluinus, scribens, illas adhuc nobiscum fide D coniungi? Illas pendere ab expectatione aduentus Christi, & gloriæ coronam eousque differri? Illas nondum potiri fœlicitate & gloria, quam sperarunt?

Tomo 3. Tractat. Theolog.

9. MIN. Nihil certe aliud. Improbat tamen id Beza, magis ad orthodoxos inclinans, cũ ibidem. *Nos quidem huic dogmati nequaquam assentimur. Nam si Diues epulo apud inferos æternis illis pœnis reipsa iam torquebatur, Lazarus contra in sinu Abrahæ iam tum aliquid æternæ illius beatitatis reipsa percipiebat.* Et non multo ante hæc verba scripserat: *Credimus & docemus eorum qui in fide Christi moriuntur Animas statim cum Iesu Christo capite suo colligi in Paradiso, id est, in cœlis: ibiq; iam nunc reipsa frui æterna illa ineffabili beatitate.* DOCT. His non tantum condiscipuli & comministri sui opinionem contradicendo labefactat, sed & primam Caluini præceptoris sententiam subuertit & damnat: insuper vniuerso huic mundo patefacit, nihil firmi & constantis, proindeque nihil veræ fidei & religionis inter sic dissectos Sectarios residere.

Luc. 16.

MIN. Lambertus Danæus Caluinicorum Prædicantum non infimus, Caluini sui tam dissidentes secumque pugnantis sententias, nullo glutino coalescere vnquam posse iudicans, scribit illum problematicam sententiam dixisse, l. 4. Instit. cap. 1. sect. 12. Denique varia ibidem & inconstantia versans, superius adductam sententiam Bezæ, vti maioris consolationis plenam, amplecti se profitetur. Eadem secum sensisse tradit Petrum Vermilium, in li. 1. Reg. cap. 22. vers. 23. qui addere potuisset, & in 1. Cor. cap. 13. His porro plane fit quod prouerbio dicitur: Vt sorex suo iudicio pereat: ita Caluinus non solum discipulorum suorum iudiciis damnetur, sed sua ipsius testimonij dictione causam suam confodiat. Damnetque impietatis Ministros, qui se ad eius opinionem agglutinant. Perge nunc tu prosequi quod instituisti. 10.

Com. in c. 109. Enchiridij A. Aug.

DOCT. Primum, si qua particula verecundiæ in præfractis ac perfrictis mentibus istorum hominum resideret, eos certe tæderet ac puderet dici & esse veteris hæretici Vigilantij Discipulos ac hæredes. Hunc namque ante mille & ducentos annos anathemate notauit Doctissimorum sanctissimorumque patrum Hieronymi & Augustini grauissima censura, quod eiusmodi falsa falsimonia propugnaret. Saltem exemplum quorundam Armeniorum & Græcorum imitarentur, qui concilio Florentino conuicti similem errorem abiurarunt. Postremo, an non pudet eos nefarij dogmatis societatem coire cum detestabili mago Agrippa; nec non miserabilibus Anabaptistis, à quibus se prorsus abhorrere palam gloriantur? MIN. Nihil & ad famam ignominiosius, & ad exitum compendiosius arbitror, quam tam perniciosos duces sequi, talium magistrorum profiteri se discipulos, parêre tam infidis non dicam pastoribus, sed impostoribus: non doctoribus, sed seductoribus: Denique damnatas huiusmodi monstrorum impre- 11.

Lib. contra Vigil. L. de eccles. dog. c. 73. L. de hæres. Li. 3. de occulta Phil.

impietates ab inferis euocare, & vna cum istis filiis perditionis in perniciem voluntariam tam fœde turpiterque ruere. Sed scripturis sacris aduersus eos agendum. A

12. DOCT. Magnificentissima & dulcissima promissio, qua Dominus pœnitentem & orantem Latronem prosequutus est dicens.

Luc. 23. *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso*, ad Caluinicum errorem infringendum vel sola sufficere potest. Non enim protraxit eius spem in vltimum diem, nec suspensum tenuit donec è cælis redeat, vt Caluinus nugatur: sed solemni iureiurando pollicitus est, & eadem die perfecit, vt consors æternæ beatæque vitæ fieret. MINIST. Hic sane, B hic cuneus ita Caluinianum errorem confringit, vt ipse quodammodo victum se fateatur. Sic enim ad eum locum disserit. *Notanda est Domini incredibilis humanitas & promptitudo* (verba eius Gallica Latine reddimus) *quod sine vlla dilatione tam clementer hunc latronem excepit, & promittit se participem beatæ & immortalis vitæ eum secum esse factu-rum.* Non poterit autem dicere, quod hic Latro cum corpore glorioso in cælum euolarit: necesse est igitur vt vel animam Christi clara & beatifica visione Dei eo die caruisse dicat: vel animam huius Latronis non fuisse suspensam expectatione nouissimæ diei, sed statim à morte fructum gloriæ percepisse, quam viuens tam ardenter expectauerat. C

13. DOCT. Huic apertissimo ac certissimo exemplo coniungendæ sunt hæ duæ Euangelicæ sententiæ;

Matth.18. & 22. *Angeli eorum*, (paruulorum) *semper vident faciem Patris, qui in cælis est.* Item ista, qua Filius Dei testatur *Animas piorum hominum fore sicut Angelos Dei in cælo.* MINIS. Quantum ad Angelos spectat, clarissimum est, illos visu & conspectu Dei familiariter perpetuoque frui, tam ex superioribus Christi verbis, quam ex istis

Luc.1. eorundem Angelorum sententiis: *Ego sum* D

Tob.12. *Gabriel, qui asto ante Dominum. Ego sum Raphael*

Iob.1. *vnus ex septem qui astamus ante Dominum.* Hinc

Dan.7. apud Iob dicuntur: *Assistere Domino.* Et Da-

Apoc.7. niel vidit innumeras Angelorum myriades

In 1.Cor. c. circum thronum Dei. Quod Ioannes in A-

13.v.12. pocalypsi interpretari videtur, quando scribit: *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni.* Quibus ex locis peruium est cuicunque conicere, quod beati Angeli non expectata resurrectione, nec dilata in posterum Domini aduentum felicitate, Deum in præsenti vident, eiusque gloriosa fruitione ad votorum absolutionem cumulantur. Quod & Caluinus ipse confiteri cogitur scribens: *Angeli neque prædicatione, neque aliis inferioribus adiumentis, neque sacramentis indigent; alio enim Dei conspectu fruuntur. Neque in speculo tantum suam illis faciem repræsentat Deus: sed palam se eis præsentem exhibet.* DOCT. Hæc omnia in nostram rem faciunt: & aduersus impium Authoris errorem de quo in proposito agimus, optime retorquentur. Alia namque Euangelij sententia adfirmat Christus, piorum animas fore sicut Angelos Dei in cœlo. Viuunt igitur à morte corporum immortales, & fruuntur gloria ac beatitudine per præsentem & manifestam Dei contemplationem: contra quam Caluinus caluitur atque calumniatur.

Huc accedit quod idem Filius Dei iam morti proximus certo suis pollicebatur A- 14.
postolis. *Vado parare vobis locum. Et si abiero,* Ioan.14.
& præparauero vobis locum, iterum venio & accipiam vos ad meipsum vt vbi ego sum, & vos sitis. Deinde, vim & vsum huius desideratissimæ pollicitationis latius extendens, nempe ad omnes Christianos & pios seruos suos, hoc modo loquitur: *Pater, quos dedisti mihi, volo* Ioan.17.
vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. At præparatus iste locus Paradisus est cælestis, sedes ac domicilium æternæ, absolutæque beatitatis, quam morte sua nobis Christus acquisiuit, Reuersus est autem ad suos, & quotidie reuertitur cum eos ex hoc mundo ad se vocat: igitur illos secum recipit ad dexteram Patris, & illis pure & simpliciter gloriam suam communicat, non in diem, aut sub conditione. MINIST. Caluinus hæc omnia antecedentia concedit, scribens, Deum velle vt discipuli sui tandem in regnum cœlorum perducantur, quo ipse præiturus erat. Putatque Christum loqui de perfecta fidelium beatitudine, quasi diceret, Non prius voto suo satisfactum iri, quam sui fideles in cœlum recepti sint. DOCT. Caluinus ait, Caluinus negat, vt vere cum Satyrico libeat liceatque dicere.

Quo teneam nodo mutantem Protea vultus?

Nullus vnquam Euripus tot habuit æstus, nulla ventis agitata arundo tam versatilis, vt hic veterata multiplicibus sententiis paulo momento huc illuc impellitur. Nec satis mirari queo, cur eius sectatores tam sint obcæcati, vt oculos non aperiant, adeo obbrutuerint vt animum nō attendant ad considerant-

siderandum tam crebras opinionum commutationes; tantamque ingenij inconstantiam atque repugnantiam. Venio nunc ad decretorium B. Pauli stylum aduersus hunc errorem. A

15. 1.Cor.13. Clara, & aperta voce profatur oraculum istud. *Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* MINIST. Quid sibi volunt verba, *ex parte videre & prophetare?* DOCT. Quod omnis cognitio, quam impræsentiarum habemus, & omnis prædicatio qua possumus diuinam maiestatem ac gloriam extollere, dum in hac vita mortali detinemur est perobscura, multisque partibus imperfecta, si cum ea quæ nobis reseruatur in cœlo conferatur. Porro declarat fore, vt quidquid istud est caliginis dispellatur, quidquid imperfectionis aboleatur, postquam Deus animas nostras à carcere corporis & omni contagione mortali liberans, ipsis diuinæ faciei suæ claritatem, & perfectam regni cælestis fruitionem impertiuerit. Nam cum intuebitur eum facie ad faciẽ sicut est, non indigebimus vltra vel Scriptura quæ nobis eum demonstret, vel prophetis aut concionatoribus qui exponant, vel fide quæ suadeat nobis id esse verum quod sensibus non apparet. Cum item sancta eius præsentia fruemur, non ambiemus vel Prophetarum vel Apostolorum munera vel officia, quibus nobis bona futura nuncientur, nec vlterius fide vel spe opus sit vt adspiremus aut suspiremus ad illa. Proinde, dona ista quæ in his terris necessaria sunt tanquam imperfectionis nostræ subsidia temporalia, omnino tollentur ac euacuabuntur per beatam Dei nostri visionem & fruitionem, quæ tum sanctis animis continget. MINIST. Video perspicue hunc fortissimum vindicem & assertorem veritatis Paulum quam præclare vno ictu per ancipitem verbi sui gladium dissecet, atque in nihilum redigat quatuor apostolicæ suæ doctrinæ contrarias hæreses: probetque quatuor ex diuerso veræ fidei axiomata: nempe, quod Beatorum animæ iam nunc in præsenti clara perfectaque visione Dei fruantur: quod non expectandus sit ad id vltimus mundi dies: quod fide non egeant amplius: nec item spe: quoniam hæc dona comparata sint ad fragilitatis humanæ sustentaculum, cessentq; vbi cursum consummauerimus.

Amb. prim. sedul. B C D

DOCT. Idem Apostolus publice proclamat: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habeamus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis.* MINIS. Quid per terrestrem habitationis huius domum intelligit? MIN. Corpus nostrum mortale, adeoque ipsius vita animalis, de qua paulo ante dixerat: *Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem.* Et non multo post: *Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.* 16. 2.Cor.5.

MINIST. Quid autem insinuat per domum æternam in cœlis? DOCT. Paradisum à Domino præparatum, quo post mortem corporum animas fidelium seruorum suorum ad se vocat, ea gloria & fœlicitate fruituras, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, &c. Atque hoc illud est quod statim subiicit. *Voluntatem magis habemus peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* MINIST. Certe Caluinus huic interpretationi assensum præbet, concedens Apostolum agere de perfecta beatitudine, quam in cœlo post mortem fideles expectant. Consentitque domum habitationis appellari corpus quale nunc habemus, fœlicem autem animarum in cœlo statum appellatione domus æternæ in cœlis designari.

DOCT. Atqui Apostolus asserit Sanctos eo colligi, cum terrestris habitatio dissoluitur: dissoluitur autem simul atque corpus mortuum reuertitur in putredinem atque cinerem. Igitur impie sensit Caluinus cum eos remittit in euentum futuræ resurrectionis, & postremum aduentum Christi Domini nostri. Sed ab apostata reuertamur ad Apostolum.

Vouet hoc præstabile & excellens votum. 17.
Cupio dissolui, & esse cum Christo. Dissolutio ista Philip.1.
mortem notat, quæ fit separatione spiritus à corpore, quam Apostolus maturari desiderat, vt cœlum introeat, ibique cum Christo regnet. MIN. Necesse est vt Caluinus sub huius testimonij pondere prosternatur quippe cum ipsemet fateatur locum hunc maxime facere ad retundendum delirium eorum, qui animas dormire somniant post quam corporibus emigrarint: cum Paulus aperte doceat, Nos frui præsentia Christi simul atque seiunctæ sunt à corporibus. At vero Christus vere Deus est vnicus cum Patre & Spiritu sancto: proinde beatorum animæ sanctissimæ Trinitatis personarum visionẹ

ſione perfruuntur in cœlis: nec ad id reſurrectionem corporum ſuorum exſpectant.

18\. DOCT. Idem Apoſtolus magnifico verborum ſplendore Eccleſiam in cœlis triumphantem deſcribens, ſic loquitur: *Non acceſſiſtis ad tractabilem montem, & accenſibilem ignem, & turbinem, & caliginem &c. ſed acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritus iuſtorum perfectorum, & teſtamenti noui mediatorem IESVM, &c.* MIN. Non eſt ambigendum quin per Ieruſalem cœleſtem & Dei ciuitatem regnum cælorum denotetur: per Angelos, primitiuos, & ſpiritus iuſtorum animæ beatorum quæ illo potiuntur regno intelligantur, quas ad Deum iudicem & Ieſum mediatorem acceſſiſſe ait: quoniam viuentes cum ipſo, ſummæ beatitudinis & gloriæ eius ſunt participes, ſicut eiuſdem crucis, mortis, & humanarum calamitatum fuerunt.

Heb. 12.

19\. Quod & perſpicue confirmat Ioannes in Apocalypſi, cum ſe multitudinem infinitam Sanctorum vidiſſe refert, *qui ſtabant ante thronum Dei, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo noſtro, &c. Hi ſunt* (ait ad eum vnus de Senioribus) *qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni. Ideo ſunt ante thronum Dei & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius.* DOCT. Sine dubio præclara iſta multitudo cœtum beatorum ſpirituum deſignat, & thronus ille Dei, Agnique præſentia, ſacroſanctam Patris & Filij & Spiritus ſancti maieſtatem, cum Chriſti Domini humanitate. Deinde, hæ ſunt fœlices animæ iam nunc cumulate gloriam & fœlicitatem æternam percipientes: & ſi diaboli omnes, Caluinus, & cuncti miniſtri ac ſatellites eius frementes & frendentes diſrumpantur.

Apoc. 7.

20\. MIN. Commodum erit, ſuperioribus Scripturis aliquot veterum addere teſtimonia. DOCT. Id ſtrictim facio, à beatiſsimo patre Auguſtino exordiens. Ait enim: Requiem, quæ continuo poſt mortem datur, ſi ea dignus erit, tunc accipit quiſque cum moritur.] Et rurſum: Fideles etiam defuncti membra Chriſti ſunt, iam tamen eorum animæ regnant cum illo.] Idem alibi multo apertius: Animæ beatorum ipſam Dei ſubſtantiam, Verbumq́ Deum, per quod facta ſunt omnia, in caritate Spiritus ſancti ineffabiliter valent videre & audire.] Ambroſius non dubitat animas Theodoſii imper. & ſancti viri Acholij, apud Deum aſsiſtere, in cælo requieſcere, & cum beatis Angelis Chriſto adhærere.] Hieronymus conſtanter adfirmat, ſpiritus Marcellæ, Nepotiani, Paulæ, Bleſillæ corporibus ſolutos, æterna in cælis cum Chriſto beatitudine perfrui.] Cyprianus martyr nihil ambigit, Martyres hinc demigrantes cum Chriſto ſtatim gaudere, excipi cæleſti Paradiſo, & oculis ſuis Deum Chriſtumque ſtatim videre.

Tract. 49. in Io. *L. 20. ciui. cap. 9.* *Li. 12. de Gen ca. 34.* *Orat. funebri. Ep. 59.* *Orat. funeb.* *L. de exhort. Martyrij. ca...*

21\. MINIST. His quatuor Eccleſiæ Latinæ præclaris luminibus, totidem ex Græcis coniungas velim. DOCT. Dictum factum puta. Gregorius Nazianzenus quo præceptore B. gloriatur Hieronymus, è corpore euolatam beati Baſilij animam iſtis verbis compellat. Tu nos cælitus inſpicias, carniſque ſtimulum aut precibus ſiſtas, aut perſuadeas vt forti animo perferamus, noſque poſteaquam ex hac vita migrauerimus, illic tabernaculis tuis excipias, vt ſimul viuentes, & ſanctam ac beatam Trinitatem purius perfectiuſque conſpiciamus.] Non admodum diſsimilia loquitur & exoptat Orat. in Patrem, in Cyprianum, Athanaſium, in Cæſarium, & in Gorgoniam ſororem poſtquam hic viuere deſierunt. Idem Baſilius multis modis magnus palam prædicat, Martyres non terra, ſed cælo ſuſceptos, Angelorum manibus commiſſos, & in beatam vitam translatos eſſe. Chryſoſtomus & ipſe aſſeuerat, Beatos, & ter beatos eſſe ſpiritus, qui bonis illis (i. viſione Dei) fruuntur, ſicut & miſerabiles & miſerrimi qui hiſce contraria ſuſtinent. Rurſum agens de B. Paulo, adfirmat illum hinc abeuntem, in ipſum cęlum migraſſe, atque cum Chriſto futurum. Et alibi teſtatur, illius animum nunc in cælo verſari prope ipſum Regis ſolium, vbi Cherubin & Seraphin volant. Et vt vtriuſque Cyrilli, Epiphanij, Theodoreti, Athanaſij, Irenæi, Iuſtini, Dionyſij, & Ignatij teſtimonia prętermittam, Adamantius Origines conteſtatur, Sanctos hinc diſcedentes, tandem duci ſupra cœlos ad Chriſtum, & ibi iam videre perfecte cauſas rerum omnium. Paulus & huiuſmodi perfectos viros iam ibi eſſe, & in Deo videre omnia &c.

Orat. in laudem Baſilij. *Orat. in 40. mart. & in Gordium.* *Ho. 10. in 2. Cor.* *Ho. 4. ad Philip.* *Ho. 32. ad Rom.* *Lib. 2. peri archon.*

MIN. Hactenus ſatis tam ex Scripturis quam ex ſacris Patrib. de beatarum animarum in cœlos ſuſceptione: glorificatione, ac perfecta Dei viſione & fruitione; nequaquam

quam vſque ad corporum reſurrectionem A vel poſtremum aduentum Domini proroganda: inſuper, quod nec fidei nec ſpei iam indigeant adminiculis: ſupereſt vt aduerſus quartum errorem demonſtres, eiſdem animabus non ſupereſſe, quo longius progredi, proficiendoque eniti poſsint. Vult enim Caluinus, *Earum ſpem in vltimum vſque diem ſuſpenſam eſſe: eſſe in profectu: & ad illum vſque diem proficere:* vt ſuperius notatum fuit.

DOCTOR.

1. Si probe expenderis, quæ nunc à nobis diſcuſſa ſunt, aduertes certe iam confectum nobis eſſe iſtud negotium. Cum enim beatæ B illæ animæ metam attigerint & limitem quo tendebant, nihil eſt quo procedant vlterius. Cumque plenam & integram ſummi boni poſſeſsionem adeptæ ſint, nihil profecto maius aut melius quærere debent, aut inuenire poſſunt, vnde proficere valeant.

2. Præterea, quidnam rei poterit comminiſci prauum acumen Caluini, qua in re fœlices animæ progreſsionem aliquam faciant? Etenim nunquam id fatebitur de nouorum bonorum operum exercitiis, laudibus, vel meritis: cum alibi tam proterue pugnet, quod etiam præſtantiſsima Sanctorum opera ſint coram Deo impura, damnabilia, C peccata, nec pluris illa facit quam excrementa ſua. Omnia merita ſuperbiſsimo faſtu non modo ſibilis, ſed & conuitiis explodit, imo deteſtatur. Non item in fide, ſpe, virtutibus moralibus, aliiſ-ve donis Spiritus ſancti temporalibus: quoniam hæc omnia ſublatum iri teſtetur Apoſtolus, quando venerit quod perfectum eſt. Non igitur vel opus habent, vel vllo modo poſſunt vlteriores facere progreſſus.

3. MIN. Illatio tua veriſimilem conſequentiam habet, & veritatem certiſsimam. Accedit eodem quod Dominus ait: *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: venit* D *nox quando nemo poteſt operari.* (Io. 9.) Mens verborum eo ſpectat, quemque in hac vita diligenter elaborare, ſummaque ope niti debere vt proficiat velut diurnum penſum exſoluturus: nam cum ſuperueniens mors velut intempeſta nox venerit, non amplius ſupereſſe facultatem proficiendi. Vnde & ad Iudæos poſtea dicit: *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.* (Io. 12.)

4. Hæc cogitate perpendens Apoſtolus, ſalutari hortatione quemque admonet: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei.* Quibus dictis declarat poſt decurſum huius vitæ ſtadium, præciſam eſſe omnem plantandi, irrigandi, ſeminandi, ac metendi facultatem. Eiecto (Matth. 22.) è nuptiis regalibus ſeruo immundo, ligati (Matth. 25.) ſunt pedes & manus: ne vllo effugere, aut quid in vtilitatem propriam operari poſſet. Et fatuis virginibus, quæ oleo carebant, clauditur ianua; diciturque: *Amen dico vobis, neſcio vos.* (Luc. 16.) Denique diues ille Epulo ſementis tempus prætererat: vnde necquidquam ab vllo metere potuit.

5. DOCT. His in cumulum addi poteſt id quod in Apocalypſi Ioannes ad poſteros (Apoc. 14.) ſcribere iubetur: *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Requieſcunt enim à laboribus ſuis. Opera eorum ſequuntur illos.* Omnibus etenim laboribus ac ærumnis finem impoſuerunt, vt cum Chriſto deinceps requieſcant. Item, quod ibidem Angelus iurat, & immutabili (Apoc. 10.) quodam decreto, ac æterno Dei conſilio conſtitutum eſſe clamat, *Tempus non futurum eſſe amplius.* Quod & illuſtri ſententia con- (L. 2. Recog.) firmat apud diſcipulum & ſucceſſorem ſuum beatum Clementem Petrus Apoſtolus, inquiens: Vnaquæque res ſuum habet tempus & locum. Operum hic locus, hoc tempus eſt: meritorum autem ſæculum futurum.]

6. MIN. Si quædam alia ſunt in manu hac de re ſanctorum teſtimonia, perhibere mihi ne graueris. DOC. Hæc pauca ex multis obuia ſunt. Quando iſthinc exceſſum fuerint, inquit B. Cyprianus, nullus ſatisfactionis effe- (L. ad Demetrian.) ctus. Hic vita aut amittitur, aut tenetur: hic ſaluti æternæ, & fructu fidei prouidetur. Et paulo ſupra: Hortamur (inquit) Dum facultas adeſt dum adhuc aliquid de ſæculo ſupereſt, Deo ſatisfacere, &c. Et Ambroſius ſcribit: feſtinabat ſanctus Dauid de hoc loco peregrinationis exire, dicens, *Aduena & peregrinus ego ſum, &c.* (Li. de bono mortis c. 2.) Et ideo tanquam peregrinus ad illam ſanctorum communem omniũ patriam feſtinabat, petens remitti ſibi peccata priuſquam diſcederet è vita. Qui enim hic nõ acceperit remiſsionem peccatorum, illic non erit. Ideo dicit: *Remitte mihi priuſquã abeam, &c.* Expreſsius autem omniũ B. Hieronymus: (Com. in ca. 6. Eccl.) Nec enim poſſunt (animæ corporum expertes) proficere, ſi in priſtinis ſedib. perſeuerent. Et alio in loco: Tempus ſementis tempus eſt præſens, & vita quã currimus. In hac licet nobis quod volumus ſeminare. (Com. in ca. 6. ad Gal.) Cum iſta vita tranſierit, operandi tempus auferetur. Et ne in longiorem narrationem

nem excurram, Augustinus demum ait: Modo est vt operetur fides per dilectionem, & si modo operamur, hic est dies, hic est Christus, &c. MIN. Hæc sufficiunt. Velim iam scire quosnam Sanctos reformati isti ianitores Olympi in cœlos admittant, quos item excludãt. Nec n. dubito quin turpiter hic in vtramq; partem hallucinentur, cum & indignos admittant, & excludant dignissimos.

QVOD ANIMAE PATRVM QVI LEge naturæ, & Moysis decesserunt, tum in cœlum non susciperentur: sed descendebant in Limbum inferorum; per Christi ad eas descensum eripiendæ & saluandæ: aduersus 21. 22. & 23. Hugnosticorum errorem.

CAPVT IX.

DOCTOR.

Ieren. l. 1. c. 29. 31. Tertull. Epiphan. Theodoret. August.

MAiores nostri ac Doctores Ecclesię Catholicæ literis prodiderunt tantam fuisse priscorum hæreticorum Marcionitarum, Cainitarum, Manichæorum, & id genus fanaticorum hominum impietatem, vt ex numero Sanctorũm maximam & optimam partem expunxerint, vt sunt Patriarchæ, & Prophetæ: nec hoc sacrilegio contenti, dicere non dubitarunt, illos vsque adhuc in inferis detineri, & pœnis æternis ibidem perpetuo cruciari. Contra vero iidem consecrarunt, & honore sanctorum prosequuti sunt ter quaterque exsecrandos Cain, Nemroth, Esau, Core, Dathan, Abiron, AEgyptios, Gigantes, Sodomitas: atque adeo libris & concionib. asseuerarunt hæc monstra in cœlum exaltata, gloriam Dei participare, &c.

Non dispari prorsus impudentia nunc Caluiniani & Hugnostici feruntur, cum & in Sanctorum album reponunt, quos eradi par erat: & explodunt quos vniuersa Eccl. Cath. censu Sanctorum censet atque dignatur. MIN. Cum Deus nobis hæc otia fecerit, hanc partem quam fieri potest distincte & diligenter tractemus. DOCT. Initium sumam in genere à Patriarchis, Prophetis, & alijs veteribus Dei seruis, quos ante condictam diem reformati vestri in Paradisi gloria collocant: postea sigillatim de paruulis qui sine circumcisione aut Baptismo interierunt: deinde ad vniuersos Christianos veniemus domum, examinabimus præclaros, scil. doctores ac martyres Vigilantium, Iouinianum, Berengarium, VVicleffum, Hussum, Lutherum, Zvvinglium, Oecolampadium, Caluinũm, &c. quos contra omnem Scripturam & rationem super omnes exaltant, & inter beatos cœli ciues collocant. Postremo, de iis tractabimus, quos inique præterque meritum Hugnostici condemnant atque reprobant.

MIN. Optimus certe dicendorum ordo. Quantum autem ad primos attinet, nimirũ ad animas antiquorum Patrũ, qui vel tempore legis naturæ, vel Mosaicæ, id est, ante aduentum Domini in carnem sunt defuncti, certum habeo Caluinianos ministros in ea esse hæresi, vt decernant Animas illorũ statim ab excessu è corporibus in cœlos sublatas fuisse in Paradisum cœlestem cum omni ea gloria & fælicitate, qua nunc, id est, post Christi mortem, resurrectionem, & ascensionem ad dexteram Patris, perfruuntur. Nam traducunt illi quanta possunt irrisione quidquid Catholici tradunt de Christi secundum animam descensu ad animas Patrum, vt eas è carcere liberaret, vbi detinebantur, cui loco vulgo inditum est nomen Limbi: vocantq; hæc omnia, *Fabulas aniles, humana figmenta, deliria, fantasias, ineptias, futilitates, &c.* Deinde cum erubescant asserere mancipatas fuisse damnationi in inferno inferiori, reliquum est, vt eas in cœlestis Paradisi gloria ante tempus debitum constituãt. DOCT. Conclusio tua certissima est: siquidem omnium istorum consensu firmatur hæc opinio, duo tãtum esse animarum hinc discedentium receptacula, Paradisum nempe ac inferos. Ac de priscis illis patribus Caluinus ait: *Minime dubium est, quin mortui propius ad cœlestis vitæ fruitionem accesserint.* Vita porro ista cœlestis nec in inferis, nec in terris est: nec aliunde potest esse, quam ex clara Dei visione atq. consequẽte fruitione: constat ergo, quod illos etiam ante Christi aduentum in cœlis collocet. Quem cæcum ducem sequutus Barthasius poeta Gallus, in eandem cum illo erroris foueam decidit, versibus suis canens *Henochum corpore & animo raptum fuisse in gloriam æternam*: idipsumque etiam Adamum docentem ac dicentem fingit: quam fæcem ex lacu Lemanico hausisse certum est. His adstipulantur Munsterus & Musculus in cap. 5. Genes. Quod tuum de his iudicium?

Marlor. in c. 15. Marc. v. 37. Io 14. 2. Ephes. 4. 9. Inst. l. c. 2. 16. §. 9. In c. 16. Luc. v. 22. Hebdo. 2. die 1.

Confut. 1.

MIN. Bona fide doleo atque etiam indignor tam misere data verba fuisse huic non ineleganti certe Poetæ ab istis impostorib', qui postea miserum mutuis contradictioni-

bus condemnant, & censuris traducunt. Nam idem Caluinus contraria plane scribit, his commentis suis ad caput quintum Geneseos: *Neque tamen in cœlestem gloriam (Henoch) receptus est: sed tantum præsentis vitæ miseriis solutus est, donec veniret Christus resurgentium primitiæ.*

2. *In 2. Reg. 2 & loc. com. f 381.* Petr. Vermil. nihilomagis ei suffragatur, cum scribat: *Si roger ad quem locum Henochus & Elias translati fuerint, dicerem ad locum Patrum, vel sinum Abrahæ fuisse perductos, vt ibi resurrectionem Christi exspectantes, postea iam cum illo resuscitato supra cœlos attollerentur, &c. Quod enim ad sublimem illum ascensum super omnes cœlos attinet, concedimus neminem illo esse potitum ante Christum.* DOCTOR. Sane si exspectarunt Resurrectionem & Ascensionē Christi, nec ante potiti sunt sublimi supra cœlos ascensu: tota errat via Caluinianus poeta, cū canit *& hunc & illos antea ad gloriam inisse, ibidē vixisse fœlices, numerum syderum auxisse, & Deum facie ad faciem vidisse,* tot sæculis priusquam Dominus noster IESVS incarnatus, mortuus, ac sepultus resurrexisset. Verum, alij Caluiniani Ministri nōne humanius poetam suum excipiunt, quam tetricum par istud censorum. MIN. Nequaquam. Nam in biblijs gallicis Geneuensibus cum de Henocho speciatim loquuntur, sic notant de illo: *In c. 5. Gen.* *Non quod receptus sit in cœlestem gloriam, sed præsentis vitæ miserijs exemptus est vsque ad vltimum Christi aduentum.* Et rursus alibi: *Hic raptus fuit mors extraordinaria, vt ad pœnitentiam excitarentur homines, qui in impietate persistebant.* *In c. 11. ad Heb.* DOCT. Cum aiunt Henochum non prius receptum iri in cœlestem gloriam, quam Christus secundo venerit, certe Barthalium miserum poetam suum erroris insimulant, qui eum in ea locat plus duobus mille annis quam Christus eo ascenderit. Deinde, cum extraordinarij cognitores isti extraordinaria morte eundem Henochum morte multant, nonne subuertunt quidquid ille tam suauiter cantillat de corporis ac oculorum eius immortalitate? MIN. Ita est. Sed mittamus nunc si placet, poetam istum; & ad Caluinum eiusque Ministros, qui eum in fraudem pellexerunt, oratio nostra conuertatur. Nihil enim mirum est si male Ministris conuenit cum poeta, quando & ipsi parum sibi constent, vt ex Caluino & Vermilio palam ostensum est.

3. *Luc. 16. Iob. 17.* DOCT. Viri Catholici Scripturam, traditionemque Patrum sequuti tertium à cœlis & inferis reproborum, locum agnoscūt, vocantq; Sinum Abrahæ, alias superiorem inferorum partem, Lacum sine aqua, Custodiam, Carcerem, Inferiores partes terræ, Limbum, atque etiam infernum relatione facta ad situm loci, qui pro certo sub pedib⁹ nostris est proxime centro terræ: qua ratione dicuntur qui eo translati sunt, descēdisse ad infernum vel inferos. Sed non magnopere de vocabulo contendemus, dum credant & confiteantur id quod diuersis istis vocibus significatur. MIN. Memini certe quod Caluinus cum hanc quæstionem sibi explicandam sumit: Quænam fuerit Patrū conditio post mortem priusquam Christus ascendisset in cœlos? Respondet tandem, quod locus à Christo separatus ad recipiendas animas fidelium, non sit intelligendus ante diem resurrectionis. *Natura enim exulat humanum genus à regno Dei. Filius autem, qui vnicus est hæres, possessionem nostro nomine adiit, vt per ipsum nobis accessus pateat. Nam in eius persona iam spe cœlum possidemus. Non tamen fruemur tanto bono, quousque rursum in cœlo appareat.* *Psal. 85. Zach. 9. 1. Petr. 3. Ephes. 4. Osea 13. Gen. 35. Ps. 113. 138. In Io. c. 14. Ephes. 2.*

DOCT. Siste paulisper. Si vniuersum genus hominum vere naturaque exulat à regno Dei, profecto veterum Patrum animę non sunt in eo admissę à principio. Rursum, si locus à Christo Iesu nobis & ipsis præparatus nusquam est ante diem resurrectionis, pessime alias docent Ministri, illos quatuor aut quinque millibus annorum fuisse in cœlestem gloriam receptos. Postremo, si mortales non fruuntur hoc bono donec iterum Dominus de cœlis appareat, non debuerunt in cœlis collocari ante priorem eiusdem Domini aduentum.

4. *In 1. Pet. c. 3.* MIN. Idem rursum docet, *quod spiritus fidelium qui tum ex corpore excesserant, in carcere detinebantur, atque illic astricti & inclusi votis ardentibus exspectabant aduentum Christi, quia spiritus libertatis nondum plene illis concessus erat.*

DOCT. Erit mihi magnus Apollo si quis Prædicantum indicare possit, quibus in terris, qua in parte totius huius mundi situs sit iste carcer siue custodia, siue specula ista Caluiniana, vbi piorum ac fidelium illorū spiritus Caluino authore, adstringebantur. Non dicet, in cœlis, quandoquidem alibi scribit, eos ante resurrectionem Christi in cœlos non ascendisse. Non in elemento ignis, aeris, aut aquæ: deest enim in Scripturis authoritas quid tueatur. Restat igitur vt inferiora terræ loca significentur, vbi scriptura persæpe & aperte inferos collocat. Atqui is locus est, quem Catholici credunt, defendunt, *Num. 16. Matth. 12. Ephes. 4.*

Luc.16. dunt, nominantque Limbum patrum & Si- A
num Abrahæ: quapropter & Caluinus, &
tota eius factio homines sunt plane phanta-
stici, fabulosi, & fatui, cum hanc doctrinam
hominum fantasias, commenta, & fabulas
appellare non verentur. Et iidem secum a-
perte dissident, quando hunc Limbum re-
cte constituunt & affirmant, quando eundē
peruerse destruere & pernegare nituntur.

5. MINIS. Recitaui ex eorum scriptis, quæ
contra eorundem errores faciunt: tuæ nunc
sunt dicendi vices. DOCT. Scriptura con-
ceptis verbis docet, quod Dominus noster
Ioan 19. postquam spiritum suum in Patris manus
Psal. 15. commendatum, è corpore misisset, illo ipso B
Ephes. 4. spiritu descendit ad inferos; & vt loquitur
Apostolus, *ad inferiores partes terræ*. Deinde, sa-
cra fidei nostræ Symbola miro verborum
compendio, & ordine exquisitissimo con-
texta, testantur id accidisse post supplicium
crucis, post mortem & sepulturam corpo-
ris: *Crucifixus, mortuus, sepultus, descendit ad in-
feros*: insuper, antequam ascenderit in cœlos.
Infera ista loca non possunt esse in cœlis, vt
indicat etiam ipsa verbi notio. Item, descen-
dere, significat deorsum tendere versus cē-
trum terræ. Deinde, Dominus non ascendit
ad cœlos ante resurrectionem, quæ tertia
die contigit: imo ne quidem ante quadra- C
gesimum diem Ascensioni eius dictum &
consecratum, alias peruertendus esset ordo
Symbolorum, & dicendum foret, Descen-
dit ad inferos, hinc subijciendum, Crucifi-
xus, mortuus, ac sepultus: quæ temeritas &
audacia sacrilegio non careret. Quocirca
patet euidenter, Christum secundum animā
descendisse ad inferiora loca ista, quæ vul-
gari inter Christianos verbo Limbi appel-
lantur, vbi Patrum animæ ardenti desiderio
eum præstolabantur, cum certa spe perue-
niendi cum eo in cœlos, die gloriosæ Ascē-
sioni eiusdem destinato. Nam quod nōnul-
lis in mentem venit, vt descensum illum ad D
inferos cum sepultura corporis confunde-
rent; id est, Zvvinglianis, Caluinus ipse satis
refutat. Sed quod idem inferorum appella-
tione *significari ait desperationem, aut vniuersas
damnatorum pœnas*, quas Dominus & in hor-
to, & in domibus Annæ, Caiphæ, Pilati, He-
rodis, adhuc viuens sustinuerit, impium est,
& damnandum. Est enim eiusmodi bla-
sphemia, vt eius & ipsos damnatos, & ipsum
cacodæmonem pudere debeat. Nec minus
impium est, quod eandem Domini nostri
Iesu sanctissimam animam Beza *cadauer* ap-
pellare non perhorrescat. Superest igitur, vt
vere illam post ei' à corpore separationem,
reipsa descendisse in locum vbi detineban-
tur sanctorum Patrum animæ constanter
crēdamus & profiteamur, vt eis cōpletum
Redemptionis humanæ mysterium prædi-
caret, hos sua luce collustraret, inde eripe- 1. Petr. 3.
ret, & secum in cœlestem gloriam assereret. & 4.

MIN. Memoria repeto te iam antea to- 6.
tam hanc interpretationem de Christi ad Prima
inferos descensu firmasse tot Prophetarum Dialog.
& Apostolorum scripturis: quibus astipula- Hebdom.
tur vnanimis assensio priscorum Græcorū Dialog. 6.
& Latinorum Patrum, necnon veterū Rab-
binorum authoritas, vetus populi Dei Syna-
goga, tum etiam magnorum huius æui Se-
ctariorum suffragatio, vt nemo possit hoc
fundamentum concutere, nisi qui vertigi-
nis spiritu diuexetur, & à Deo derelictus ad
principem tenebrarum confugerit.

Nec passus sum elabi ex animo meo, quā 7.
euidenter ac expresso Dei verbo demon-
straueris, non potuisse hominem beneficio
solius legis naturæ aut Mosaicæ ad salutem
cœlestem peruenire: sed palmam istam legi
Euangelicæ seruatam, quam Dei Filius pro-
prio, hinc Apostolorum, & successorum mi-
nisterio in Iudæa, Samaria, Galilæa, & vsque
ad vltimas terras annunciauit & propaga-
uit. Hac ratione vocatur finis, complemen-
tum, & scopus omnis legis. Huic rei præfi-
gurandæ, solus Iesus Naue, non Moyses po-
pulum Dei in terram promissionis introdu-
xit: solus Dauid famosam Iebus ciuitatem
expugnauit: Goliæque immani gulam fre-
git: solus Samson portas vrbis inimicorum
humeris in montem sustulit: solus Elisæus
hospitæ suæ filium in vitam reuocauit: solus
Agnus librum aperuit, &c. Id est, solus Chri-
stus peccatum, mortem, inferos vicit, solus
humanum genus à captiuitate liberauit, so-
lus Patri cœlesti reconciliauit, solus cœlum
reserauit, primus intrauit, & electos isthuc
secum introduxit. Ex quibus toti mundo
manifestum est, eundem Dominum no-
strum IESVM CHRISTVM à Caluinianis
sua gloria spoliari, iustissimoque triumpho,
quem Pater ipsi vni & vnico reseruabat,
nequiter defraudari, cum priscos patres
ante ascensionem illius regnis cœlestibus
collocant.

Adhæc probe memini te ex Paulo proba- 8.
re, quod antequam Christus cœlos cum
corpore glorioso conscenderet, via Sanctis
interclusa erat, quandiu primū tabernacu-
lum

lum in statu remanebat. Christus assistens A Pontifex futurorum bonorum, per propriũ sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuẽta. Iesus introiuit in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nõbis. Et supra dixerat. Ad interiora velami-
Hebr.6. nis, vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus. Quomodo vero ante Christi ascensum nondum aperta Sanctorum via, si per annorum quatuor millia, tot Sanctorum myriadibus peruia fuit? Aut pro nobis Præcursor, si tantus cœtus illum antecessit? Ergo vt summus populi Hebræorum Pontifex ferebat in rationali nomina duodecim filiorum Israel cum intraret in sancta sanctorum, ita B & summ⁹ Sacerdos noster Christus aditum nobis patefecit ad cœleste Patris tabernaculum, viamque strauit pretiosissimo sanguine suo. Hinc Patres antequam ascendissent morituri dicebant se lugentes descensuros in infernum ad suos, quod infernus domus esset ipsorum, quodque ituri essent ad portas inferi: quibus verbis & ipsum Limbum, & inferiora terræ loca diserte significabant, Sed posteaquam Præcursor noster Christus, persoluto redemptionis nostræ pretio, iuit ad superos, ibique præparauit nobis locum, promittitur vni, quod nullis vnquam an-
Luc.23. tea: *Hodie mecum eris in Paradiso*: alteri cœlum C
Act.7. aperitur, vt ad præparatam sibi gloriam protinus perueniat: deniq; vniuersis in Do-
Apoc.14. mino morientibus dicitur: *quod à modo requiescunt à laboribus suis.* Hæc sunt quorum nunc in memoriam redeo: quæ diuina oracula mihi magnam fidem faciunt, animas antiquorum Patrum non protinus regno cælorum receptas fuisse, sed exspectandum habuisse in Sinu Abrahę ac inferorum Limbo, donec à Redemptore liberarentur, educerentur, & glorificarentur.

9. DOCT. Et memoriæ tuæ præstantiam suspicio, & animi firmitatem comprobo: quæ res efficiet, vt tribus aut quatuor solum D testimonijs hic contentus sim: vt huic sermoni colophonem imponam. Narratio Eu-
Luc.18. angelica de anima Lazari, (nam non solum Irenæus, Tertullianus, Hilarius, aliique veteres; sed etiam Bucerus, Brentius, Vermilius, Caluinus, aliique recentiores sectarij, historiam rei gestæ confirmant esse) narra-
Luc.16. tio inquam, Lazari morientis ante portam Epulonis, doctrinam Limbi probat abũde. Non enim dicitur sublata eius anima in cœlum: sed in locum cum patre Abrahamo, vnde & videri poterat, & lamẽtationęs precesque diuitis intelligere, qui cruciabatur in inferno. Nec dubitare oportet quin locus fuerit subterraneus, quo se iturum Dominus dixerat: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus* Matt.12.
diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ. Enimuero illud cor terræ neque cœlum est, neque alius locus in superioribus elementis, neque super terra sicut sepulchrum corporis eius: sed centrum, & infima telluris pars, vbi situs erat Limbus iste, seu Sinus Abrahæ quo descendit Christus, & ibi ab articulo mortis ad tempus vsq; resurrectionis permansit.

Paulus quoque breui quidem, sed grauissima oratione rem totam conficit, cum de 10.
Christo dicit: *Quod ascendit quid est, nisi quia &* Ephes.4.
descendit primum ad inferiores partes terræ? MINIST. Sane quidem comparat infima terræ loca cum superioribus, non autem cum cœlo: quocirca minime dubium est, quin in eo vere descenderit: sicut non dubitatur quin vere ascenderit ad cælos. Nec ipse quidem opus habuit isto descensu: descendit igitur non sibi, sed vt spiritus seruorum suorum qui ad tempus illud ibi detinebantur, inuiseret ac liberaret.

DOCTOR. Princeps Apostolorum ad- 11.
huc apertius enarrans, adfirmat quod hic filius Dei idemque filius hominis, *mortificatus* 1.Pet.3.4.
in carne, sed viuificatus spiritu, in eo, & iis qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit.

MINIST. Mihi locus ille satis apertus est, quamlibet Caluinus & Beza variis glossematis eum adulterare conati sint. Apostolus enim spiritũ immortalem opponit carni mortali, ac spiritus nomine eundem illum intelligit spiritum, quem Christus moriens Ioan.19.
in manus patris sui commendauit. Hoc igitur spiritu seu anima sua descendit in carcerem, quem Limbum appellamus, atque ibi miris & ineffabilibus modis quibus spiritus secum inuicem colloquuntur, Euangelium suum spiritibus Patrum prædicauit, cõpletum redemptionis humanæ lætissimũ nuncium patefecit, seq; ad eos descendisse nunciauit, vt eos supra cœlos secum exaltaret, &c. Adde nunc quædam veteris Ecclesiæ testimonia, & res confecta erit.

DOCTOR. Augustinus protestatur se 12.
credere, veteres Sanctos, qui ante aduen- L.10.ciu.c.
tum Christi sub eius spe decesserunt, in loca 15. Tract.
inferorum susceptos esse, licet à tormentis 49.in Io.in
immunia, donec CHRISTVS morte & Psal.85.
descensu suo eos in iustam libertatem vin- Ep.99.&
dicaret. Loca illa vocat aliquando inferos l.4.de anima c.15.

supe-

Ep. ad Heliodor. in Ps. 15.24. superiores, custodiam, carcerem, sinum Abrahæ, &c. Hieronymus ista Diuina mysteria demirans, erumpit in has voces: Ante Christum, Abraham in inferno: post Christum Latro in Paradiso. Et rursus: Anima Christi descendit ad inferos, vt electos suos inde eijceret, ligaret Diabolum. Item alibi. Animam Christi cum aliis Sanctorum animabus Deus de inferno reuocauit. Ambrosius scribit, quod morte corporis sui Iesus penetrauit inferos, vt liberaret eos, qui ibi astricti erant: & quod spolia cepit ex inferno, cum inde extraxit qui ibi detinebantur ob peccatum Adami, aut etiam ob suum, deducens eos secum in regnum Patris sui. Ser 19. in Ps. 118. & in ca. 4. Eph.

MIN. Satis mihi abunde feceris, si per indicem locos designaueris, vbi alij adhuc antiquiores Patres sancti hanc tractauerint materiam, vt sic in promptu consensum totius Ecclesiæ Christi habeam. DOCT. Chrysostomus Homilia quarta in Euangelium beati Marci: Nazianzenus oratione tertia de Theologia: Hilarius libro decimo de Trinitate: Lactantius libro quarto, cap. decimo-nono. Athanasius libro de incarnation. & Epistol. ad Epictetum. Origen. libro quinto in epistol. ad Romanos: Tertullian. libro de anima: & libro quarto aduersus Marcion. Irenæus libro quarto cap 45. & libro quinto cap. 31. Ignatius Epistol. ad Trallianos, &c.

ANIMAE PARVVLORVM QVONDAM sine Circumcisione hinc demigrantium, in Paradiso cælesti non admittebantur: sicut nec animæ eorum qui sub Euangelio sine Baptismo decedunt: contra 24. & 25. errorem Caluinianorum.

CAPVT X.

DOCTOR.

CVm Hæresiarcha in scriptis, & Prædicantes eius in concionibus *clamitent*, neq; Circuncisionem sub lege, neque Baptismum sub Euangelio fuisse sacramenta ad salutem pœnitus necessaria: nonne quantum in se est, animas decedentium sine illis in cælestem introducunt Paradisum? MIN. Maxime: quinetiam eos omnes qui huic opinioni non applaudunt, *paruulorum carnifices, tortores, & homicidas* nuncupant. Nituntur autem calumniis, quas Bucerus, Caluinus, Vermilius, & Beza plenis faucibus eructant, dum *hominum figmenta, somnia, fabulas, & aniles nænias* vocant, quidquid tam antiqui quã recẽtes Theologi de Limbis Patrum & paruulorum scripserunt & asseruerũt. Nec ipse Caluinus dubitanter super hac re sententiam dicit: *Cum filij fidelium comprehendantur sub fœdere quod Deus cum Abrahamo contraxit, promittens se fore Deum suum, & vniuersi seminis eius, illi beneficio ac effectu fruuntur istius pollicitationis: ac proinde sancti & iusti sunt, imo & citra Circuncisionem aut Baptismum seruantur.* Idem rursum scribit, vt nos Gallica eius verba Latinis reddimus: *Liberi fidelium ab aliis peculiari prærogatiua disparantur, adeo vt in ecclesia sancti reputentur.* Beza istum cæcum ductorem sequens in eandem incidit foueam. *Paruuli fidelium,* (inquiens) *habent in se germen ac semen fidei* (antequam baptizentur,) *cum Dominus eos à ventre matris sanctificauerit.* Ministri Geneuenses suis in 1. epist. ad Corint. cap. 7. notationibus Gallicis in eadem hallucinatione versantur: adeo in hac re consentit totus Zuinglianismus & Caluinismus. MIN. Nihil est certius, quam quod illos absq; his sacramentis locant in cælis, cum præsertim tradant eadem sacramenta tantum esse precedentis iustitiæ, gratiæ, adoptionisq; symbola, non aliud.

In cap. 3. Matth. Inst. l. 2. ca. 13. in 4. ca. ad Eph. in c. 17. Gen. Inst. l. 4. c. 16. In cap. 7. prioris Cor. v. 14. Conf. p. 4. Art. 48.

DOCT. Cum abunde istarum falsitatum conuicti sint, restat vt contrarias veritates, tum expresso Dei verbo, tum antiquorum interpretationibus, atque totius Ecclesiæ Christianæ decretis constanter tueamur. MIN. Auspicandi partes mihi concede: cõfido me probaturum Caluinianos in hisce duobus capitibus improbos hæreticos esse, idque etiam ipsius Caluini condemnatione. Scribit enim, vt gallica eius verba latina faciam. *Nos omnes naturaliter exulamus à regno Dei. Inter nos & ipsum perpetua discordia est, donec de integro nos renouet secunda generatione.* Paulo post. *Iam ab vtero matrum morti omnes destinati sumus, quia nascimur omnes filii iræ.* DOCT. At inter Christianos secunda ista natiuitas fit initiatione Baptismi, quem iccirco Paulus appellat *Lauacrum regenerationis & renouationis*: vt olim inter Iudæos Circuncisione fiebat. Itaque paruuli qui sine altero istorum Sacramentorum è viuis excedunt regno cælorum nequaquam potiuntur, sed excludũtur. Deinde, cum perpes discordia inter Deũ & illos intercedat, quia nascuntur *filii iræ*, mortique destinantur: peruium ac certum est, eos post mortem non recipi in gratiam, nec vitam æternam participare.

Confutatio 1. In ca. 3. Io. Ephes. 2. Tit. 3. Ephes. 2.

2\. MIN. Pergit se suosq; proprio suffragio conde-

In cap.12. Matth.v. 18.43. & in cap.9. Marc.v. 21. condemnare. *Natura inimici Dei sumus omnes. Diabolus in omnibus domicilium habet, quia inde expellitur à Filio Dei. Atq; non de vno aut altero sermo habetur: sed tota progenie Adæ. Certum est, ne infantes quidem simul atq; egressi sunt ex vtero, insontes coram Deo, & reatu solutos esse.* Hæc ille. DOCT. Si omnes natura sumus inimici Dei: imo si Diabolus in nobis domicilium habet donec expellatur à Filio Dei, totaque progenies Adę sub hac miserabili conditione nascitur, ne quidem exceptis fidelium paruulis, vt ipse Pythagoras vester dicit: qui conuenit cum tales maneant, vt in cæleste regnum admittantur? Et cum Deus amicos vocet eos, quos cælo dignatur, nonne hostes ac inimicos inde expellit ac exterminat? An Paradisus, sedes ac domicilium Dei, Sanctorumq; ciuitas sancta, consistere poterit, cum receptaculo Diaboli? Quo tandem iugo tam dispares formæ copulari poterunt? Sed ad reliqua progrediamur.

3. In cap.5. Rom.v.12. MINIST. Aduersus ea quæ tradit de paruulorum ex vteris sanctificatione, nouas contradictiones in hunc modum cumulat: *Illa enim naturalis prauitas, quam è matris vtero afferimus, tametsi, non ita cito fructus suos edat, peccatum tamen est coram Domino, & eius vltionem meretur. Atqui hoc est peccatum quod vocant originale.* Sed & Marloratus ex eodem, & aliis eiusdem sententiæ Authoribus refert

In 2.cap. Eph.v.3. & probat: *Omnes eos perpetuæ Damnationi obnoxios esse, qui ex transgressoribus perfidis, & peccati mancipiis Adamo & Heua orti sunt. Nos dici filios iræ, hoc est, perditos, morte æterna dignos, ac coram Deo damnatos. Tales sunt omnes natura: id est: ipsa origine & ab vtero matris. Paulus nos cum peccato gigni testatur: quemadmodum serpentes suum venenum ex vtero afferunt.* DOCT. Cum hæc adfirmat, totidem decreta aduersus se suosque pronunciat. Etenim cum omnes paruuli quamuis à fidelibus parentibus orti nascantur in peccato, & veluti serpentum fætus secum ferant venenum ab vteris matrum, certe non inde exeunt iusti ac sancti, sicut nugatores isti alibi obganniunt. Et cum æterna morte digni sint, imo & coram Deo perditi atque damnati reputentur: in eo statu decedentes antequam ex aqua & Spiritu

Ioan. 3. sancto renascantur, non admittuntur in Paradisum. Et cum nullam iustitiam vel salutem extra Christum habeant, non ante in Ecclesiam triumphantem allegi possunt, quam fuerint admissi in militantem, cuius olim Circuncisio patefaciebat ingressum, sicut nunc Baptismus Præterea, cum ab

A vtero matris secum ferãt eiusmodi peccatum quod vltionem Diuinam mereatur, fœdus ictum cum parentibus non prius sanctificat liberos quam ad Christum sint adducti, & in eius familiam cooptati, iustificenturque per Sacramenta quæ in hunc finem constituit, ac ministrari & recipi districte mandauit.

MINIST. Alibi rursum damnat Iudæorum iactantiam, *quod sanctitatem ex vtero se habere putarent, quia orti essent ex radice sancta,* nimirum Abraham. DOCT. Seipsum suosque in eo coarguit, quod in eadem opinatione & damnatione versentur: paruulos 4. In cap.8. Io.v.41.

B fidelium sanctos ex vtero reputantes, quod à fidelibus quibuscum Deus fœdus pepigit, oriantur. Sed plus satis de Caluinianis repugnantiis: Bezanas nunc quasdam adiicito.

MIN. Scribit iste: *Interior corruptio totius hominis, quam peccatum originis vocant, eum ab ipso conceptionis momento reum facit iræ Dei, ac proinde mortis æternæ.* DOCT. Vbi ergo illa sanctificatio, quam affingunt pueris, antequam nascantur? Poterit ne Beza conciliare cum peccato gratiam, cum iniquitate iustitiam, cum Dei amore & fauore iram ac vltionem eius, cum salute damnatio- 5. Confess.c.4.art.13.

C nem, eodem momento, & vna infantis paruuli animula? Et si omnis homo cum nascitur, est filius iræ, proindeque secundæ ac æternæ morti obnoxius; nonne consequens est paruulos Iudæorum incircuncisos, similiter & Christianorum non baptisatos, non esse participes vitæ cælestis.

MINIST. Idem author sic pergit: *Nil aliud nobis est à natura, ita vt nunc omnes corrupti nascimur, præter tenebras, & Dei odium.* Postea: *filii Dei nihil prorsus habent quod non acceperint: acceperint inquam, non nascendo sed renascendo.* Postremo. *Quum Deus sit perfecte iustus,* 6. Conf.c.4. art.17. Conf. breui art.1.

D *& omnes homines sint omnino peccatores, &c.* Alibi rursum fatetur, *quod omnes nascimur filii iræ, concipimur in iniquitate, remissione peccatorum, & regenerationis tessera, id est, Baptismo indigemus, iam inde ab ipso exortu.* DOCT. O magnam ac eximiam vim veritatis, quæ ab inuitis etiam hostium suorum faucibus, tam fœliciter erumpit! Etenim cum natura corrupti, & Deo infesti nascamur: tum omnis gratiæ & sanctitatis expertes simus, non sancti, aut cæli capaces: necesse est aut Circuncisione, vt olim sub lege, aut Baptismo, vt nunc sub Euangelio à peccato mun- L.contr. Castall. pag.408.

mundari, reconciliari, & renasci, si salui esse
velimus. Atque hoc ipsum est quod à Beato
Augustino suffuratus est Beza , quod gra-
tiam & salutem consequimur renascendo,
per Baptismum nascendo ex vteris ma-
trum. MINIST. Retuli fideliter quæ ex i-
psis hausta contra ipsos faciunt : tuæ nunc
partes sunt per Scripturas, Sanctorumque
Patrum interpretationes agendi.

7. DOCT. Diuina vtriusque Testamenti
Gen. 11. Scriptura perspicue testatur, nullum peccati
labe contaminatum in cælum ingressurum,
quoniam cum Deus omni ex parte sanctus
Ephes. 5. & purus sit, vult vt tales simus per gratiam,
Sapit. 4. quo secum habitare & regnare possimus.
Isaie 35. Etenim vult sponsam suam, id est, omnem
electam animam , esse prorsus sine omni
Ephes. 5. macula & ruga. Clamat per Isaiam : *Via san-
ctorum vocabitur sancta, & non transibit per eam
pollutus.* Sordibus peccatorum contaminati,
Matth. 22. regnum Dei non possidebunt. Pellitur è cæ-
4. lesti conuiuio , qui non erat indutus veste
nuptiali. Non admittuntur in thalamum
sponsi fatuæ virgines. Foras extruduntur
Apoc. 22. canes, impudici, venefici, &c. MIN. Hæc
omnia puræ putæ veritatis sunt, quippe de-
libata ex ipso Dei verbo. DOCT. Omnes
autem paruuli fidelium polluti sunt pecca-
to natalitio inuoluti sordibus iniquitatis,
imo aduersariis fatentibus, obnoxij iræ Dei,
vltioni , morti secundæ iam inde ab vteris
matrum: ergo cum tales ex hoc mundo dis-
cedunt , sine Circuncisionis vel Baptismi
remediis , non possunt gloria regni cælo-
rum gaudere. MIN. Hæc ratio tantam vim
habet, vt vno ictu vtrunque errorem Hu-
gnosticum subruat, & duo Catholicæ fidei
capita confirmet.

8. DOCT. His adde, quod cum Deus ille
Gen. 2. 3. vltionum Dominus primis parentibus com-
minatur fore, *vt morte moriantur*, in quacun-
que hora comederint ex fructu illis interdi-
Rom. 3. 5. cto: cumque Moses nos doceat, eos in veti-
tum pœnamque incurrisse : Paulus insuper
dicat *omnes in vno peccasse*, & per consequens
neminem non inuolui eadem condemna-
tione: prorsus vno edicto complectitur fru-
ctus cum arbore, ramos cum trunco, riuos
cum ipsis fontibus, id est, liberos omnes
cum parentibus, filios Adæ cum patre suo in
Deum omnipotentem grauiter deliquisse.
Denuntiando item fore vt *morte moriantur*,
nimirum quoad corpus & animam, & tam
morte prima quam secunda ; palam eos

A eijcit atq; eliminat è cælesti regno suo quan-
diu in hac miserabili conditione permane-
bunt. MIN. Vltro tibi assentior.

DOCT. Deus idem in pactione fœderis 9.
initi cum patre credentium Abrahamo
hanc legem sanciuit : *Masculus cuius præputii* Gen. 17.
*caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de
populo suo : quia pactum meum irritum fecit.*
Quæ lex ostendit pueros ante octauum æta-
tis diem contaminatos fuisse tam pernicio-
so scelere, vt rei forent vltionis Diuinæ : à
qua tunc non aliter absoluebantur, quam si
sacrum Circuncisionis signaculum in carne
sua reciperent. Ecquid enim aliud est Ani-
B mam deleri de populo Dei, quam in nume-
rum reproborum atque damnatorum rele-
gari? Cur etiam Angelus Mosen interficere Exod. 4.
voluit, quando in Ægyptum reuertebatur,
nisi quia tandiu distulerat conferre duobus
filijs suis hoc diuinitus institutum sacra-
mentum? MIN. Id sane in causa fuisse ma-
gis etiam apparet ex eo, quod confestim v-
xor eius arrepta petra filios circuncidit, &
hoc pacto mariti sui vitam ab Angelo ven-
dicauit. Vnde liquet iram Dei grauiter ac-
censam fuisse aduersus parentes, qui miseris
infantibus circuncisionem conferre super-
sedebant: quod argumento est irrefragabi-
C li, sacrum hoc signum ad salutem necessa-
rium fuisse.

DOCT. Ob eam causam Salomon qui 10.
ordine nascendi posterior Bethsabæ filius Prou. 4.
erat, non tantum priorem se matris filium, 2. Reg. 12.
sed & vnigenitum appellat, quia maior natu
frater Diem obierat priusquam circuncide-
retur, ac proinde nullum caput, nomen, aut
numerum in populo Dei obtinuerat. MIN.
Mira Dei iudicia , & tamen plena summæ
æquitatis, quippe mens humana repugnare
nec potest nec debet, nisi thronum illius di-
ripere, & aduersus illius maiestatem bellare
velit. Nec satis mirari queo, tantam in istis
postremæ sortis hominibus vecordiam
D extitisse, vt talia Dei decreta concutere au-
deant, vt Caluini hominis & fastu & errori-
bus inquinatissimi opiniones amplectan-
tur.

DOCT. Cum item Scriptura testetur, 11.
iustis de causis, & ex Diuina indulgentia per Iosue 5.
annos quadraginta Circuncisionem in de- Origen. &
sertis cessasse: Iosue autem solemni edicto Rupert. ibi.
iussisse, vt omnes circunciderentur, prius- Aug. l. de
quam in terrā sanctā ingredi fas esset: nonne fide ad
hoc typo satis adumbratur, nemini in ter- Petr. c. 35.

 ram

& l. de corrept. & grat. c. 13. ram viuentium accessum patere, nisi prius à A peccato originali per Sacramenta à Deo in hunc finem ordinata repurgetur? MIN. Non est in dubio ponendum, quin ista Israelitarum in desertis commoratio, typus nostri exilij & miseræ in terris vitæ symbolum fuerit. Iust. in Dialog. Tertull. l. aduer. Iud. Quin item terra illa toties promissa cælestem Paradisum repræsentauerit, quémadmodum & iste Iesus Filius Naue tam nomine quam operibus ipsum Dominum nostrum Iesum Christum significauerit. Vnde consequi video, nemini ius vllum competere ad cælestem hæreditatem, quin prius Sacramento regenerationis in Diuinam familiam sit arrogatus.

21. DOCT. Quid etiam causæ fuisse censes, Iob. 3. 14. 15. 25. Greg. in Moral. cur Iob ante legem tam amariter defleuerit, ac tragice execratus sit diem suæ natiuitatis, noctem conceptionis, stellas quæ in cælo fulgebant, & nũtium qui primus dixit eũ in terram venisse? Cur contestatur se conceptũ ex inmundo semine? Quorsum hęc tendunt, nisi vt ob oculos nobis peccati originalis fœditatem, qua omnes polluimur proponant, quodque eo contaminati, omni consortio Dei ac Angelorum eius sumus indigni?

13. Sed ad Dauidis accedo testimonia. Tantum abest vt instar Caluinianorum, glorietur ac prædicet se sanctum ab vtero matris, Ps. 50. vt è contrario palam confiteatur: *Ecce ego in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et de toto genere humano ait: Psal. 13. 53. *Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum non est vsq; ad vnum.* MIN. Annotat. Gallicus in Bibl. Certe fraterculi Geneuenses vltro fatentur, Dauidem in priore textu loqui de peccato & corruptione naturæ nostræ, quam ex vtero matris trahimus. Et magnificus ille Minister, qui illecebroso titulo, & quem vadimonium deseri posit, Librum suum inscripsit *Clypeum fidei*. is inquam, ita sentit. Dial. 3. *Homo præuaricator est priusquam in mundum veniat & à momento conceptionis peccator, quemadmodum* D *ait Dauid.* DOCT. Et Apostolus de peccato Ps. 50. Rom. 3. originis agens, posteriore textu confirmat omnes filios hominũ peccatis esse coopertos, ac proinde corã Deo damnationis reos. Quocirca Prædicantes vestri mutuo sese dissensionibus proscindunt, & obsistũt Spiritui Diuino, qui per Prophetam & Apostolum locutus est, cum dictitant liberos fidelium in vteris matrum sanctificari, ac per consequens sine Circũcisione aut Baptismo peruenire in regnum cælorum.

Quod & ore proprio falsitatis arguit ipse 14. Filius Dei sermone tam explicato ac perspicuo, vt mirer potuisse quenquam à diabolo sic fascinari, vt mutire ausit. Verba diriguntur ad Nicodemum: *Amen amen dico tibi, Nisi* Io. 3. *quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei:* Deinde clarius explicans quo sensu ista posterior hominis generatio capienda foret, subiungit: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Audis quater iterari solenne ac sanctum iusiurandum, *Amen*, seu, In veritate: quod patefacit Domino fuisse in mente maximum ac venerandissimum Sa- B cramentum constituere, sine quo nulli pateret ad Ecclesiæ suæ, regnumque cælorum aditus. Cum autem significat hanc Palingenesiam non esse fabulosam & Pythagoricã, sed fieri adminiculo aquæ, docet quodnam sit elementum, quæ visibilis materia tam eximij mysterij. Docens etiam renascentiam fore, tradit hominem Baptismo renouari, & velut refingi denuo, & ex filio Adæ, filio iræ atque mortis, fieri filium Dei, gratiæ, & vitæ beatæ ac sempiternæ. Concludit demum, quod sine hac renascentia nemo posit videre aut introire in regnum Dei. Ex quibus cuiuis peruium ac certum est, Sacramẽtum C istud ad iustitiam & salutem pernecessarium esse, ac damnatas eorum opiniones, qui contraria dictitant & prædicant.

MIN. Sed Caluini & gregales eius ne- 15 gant hæc Domini verba de sacramento Baptismi interpretanda esse. DOCT. Negant hoc Pedanei isti iudices: sed aliud affirmant maiorum gentium Patricij Tertullianus, Cyprianus, Cyrillus vterque, Gregorij tres, Basilius, Chrysostomus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, & reliquus ille flos antiquorum Patrum atque Doctorum, qui à Spiritu sancto ordinati summa cum integritatis ac doctrinæ gloria Græcam & Latinam Ecclesiam administrauerunt. Sententiam suam confirmat aliis Scripturis, vbi mysterium hoc appellatur Regeneratio & Renouatio hominis, allusione facta ad superiora Domini verba: *Nasci denuo, &, Renasci* Tit. 3. *ex aqua, & Spiritu sancto.* Quibus ergo potius 1. Petr. 1. fidem haberi conuenit: MINIST. Hæc tua expostulatio tantam æquitatem in se continet, vt Melanthon, Brentius, Bullingerus, Gualtherus, aliique Heluetij & Germani paulo doctiores Ministri, manus dederint

rint spectatæ veritati, nec dubitarint contrariis interpretationibus Caluinianam peruicaciam condemnare.

16. DOCT. Paulus vniuersum genus humanum coram Dei throno in ius vocans, omnes accusat & conuincit tanquam peccati ac mortis reos, dicens: *Causati sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse.* Quod Prophetis authoribus multis comprobans, ostendit id præcipue de peccato originis intelligendum esse: cui cum obnoxii nascantur infantes, rei sunt vtriusq; mortis donec purgentur in sanguine Christi, cuius vsum fructumque applicat confertque Baptismus. Ideoq; addit: *Omnes peccauerunt, & egent gratia Dei.* Deinde copiosius describens & miseriæ nostræ magnitudinem, & liberationis modũ, subnectit: *Sicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Et sicut vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum, in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi.* MIN. Certe Geneuenses fatentur, in priore textu describi ab Apostolo, & ad viuum delineari *naturam hominis, qualis est in seipsa:* posteriore autem, *Corruptionem naturæ, quam simpliciter peccatum vocat.* Quod alio trahi nõ potest nisi ad peccatum originis, quo paruuli cum sint infecti & commaculati, sub sententia mortis ac vltionis Diuinæ comprehenduntur, vt & ipse Caluinus non diffitetur. Verum, studeo ex te scire, quid Augustinus suo tempore de hoc articulo crediderit & docuerit: postea rem factam habebo.

Rom. 3. *Rom. 5.* *Notis in Gallica. Biblia.*

17. DOCT. Quatuor hac de re memoratu digna axiomata defendit. Primum, paruulos infantes ab vltima conceptione contrahere peccatum, quod quidem in Adamo erat actuale, personale, atque mortale, sed in pueris originale vocatur: idque firmat Scripturis quas supra citauimus. Secundum, quod huiusmodi peccatum vere offensa & crimen est coram Deo, qui quemque hac contaminatum priuat gratia, fauore, gloria, & vita cælesti, redditque obnoxium æternæ damnationi. Tertium quod vnicum remedium datum est, vt quis expiari possit à prædicto peccato, & à tristi absolui sententia, nimirum in lege Circuncisio, sub Euangelio Baptismus. Quartum sanctissimi & sapientissimi patris est axioma, quod ab institutione & promulgatione Baptismi, quotquot infantes ex hoc sæculo migrant priusquam in Christo regenerentur, ac per eundem Baptismum Ecclesiæ vniantur, æterna Dei visione & fruitione carent, nec vnquam in regnum cælorum perueniunt. Quæ omnia docte peruincit, & Scripturarum testimoniis, & rationum munimentis mirifice communit aduersus Pelagianos; quos rediuiua fornace hoc in errore recoquunt noui isti Cyclopes. MINIST. Cumulate desiderium meum expleuisti: reliqua persequamur.

Li. 5. hypognostic. *Enchirid. c. 93. 94.* *L. de fide ad Petr. ca. 27.* *Epist. 47.* *L. 6. cõtra Iul. c. 4.* *L. de pecc. merit. & remiss. c. 5.* *Ser. 28. de verbis Ap.* *L. de eccl. dog. c. 74.*

B

NON OMNES CHRISTIANI ET *baptizati salui erunt in Paradiso: aduersus 26. errorem.*

CAPVT XI.

DOCTOR.

VIgesimus-sextus Caluinianæ gentis error in eo est, quod omnes prorsus Christianos in cælis saluandos, neminem eorum in inferis damnatum iri contendunt. MIN. Cedo locum. DOCT. Author libri, cui *Clypeus fidei* (puta Caluinianæ) nomen est, ita inducit loquentem quendam Paridem: *Dixeras mihi, Neminem Christianorum damnatum iri.* Huic omnium Ministrorum nomine respondet Germanus: *Ita est. Scriptum enim extat: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluabitur.* Nec me præterit quin errorem istum exceperit à dictatore Beza. Sic namque scribit in sua fidei confessione: *Vnusquisque nostrum ita apud se ratiocinatur, Ego sum in Iesu Christo, ideoque non possum perire.* Et postea: *Omnes qui crediderint, cohæredes Christi efficientur.* Et hic, & alter illuuiem hauserũnt ex paludibus Caluini, qui iam ante tradiderat: *Concutiuntur certe fideles sæpenumero, sed nunquam penitus deiiciuntur.* Et paulo post: *Nullam accusationem aduersus nos admittet Deus: quia omni culpa nos absoluit.* Iam vero superius eum intellexisti palam affirmantem: *Quod Deus nihil aliud à nobis exigat, quam vt credamus.* Ex his autem concludunt: *Omnes Christiani & baptizati credunt: ergo sunt in Christo: ergo omnes seruabuntur: ergo nullus damnabitur.* MIN. Iam errorem video: & quæ delirat Author Clypei, ex cœno Caluiniano & Bezano arripuisse.

C *Dialog. 5. pag. 76.* *Cap. 4. art. 13.* *Cap. 6.* D *In cap. 8. Rom. v. 31. & 33.*

Verum, si Christiani nomen Electum ac prædestinatum præcise significet, nonne proloquium certum est? DOCT. Nemo in

Cõfutatio 1.

mo in dubium vocat, quin omnes electi & prædestinati saluentur. Sed hic de illa Dei æterna electione ac prædestinatione non agitur: verum de externa tantum & temporaria vocatione ad fidei Christianæ professionem, quæ fit in Baptismo: quod satis indicant verba Christi quibus aduersarii falso
Marc. 16. nituntur, *Qui crediderit, & baptisatus fuerit, &c.* Mihi vero perfacile erit probare, multos sic esse vocatos ad fidem, Baptismum, ac Ecclesiæ communionem, qui tamen vt reprobi in æternum sunt perituri, non in cælis seruandi. Nam & Iudas proditor, & Simon Magus, & Nicolaus Antiochenus, & Hymenæus, & Alexander, & Philetus, & Demas, & alii complures ad fidem vocati, & sacris vndis Baptismi aliquando renati & initiati, qui à fide postea naufragauerunt, haudquaquam regno Dei potiuntur: sed cum Diabolo & Angelis eius pœnis plectuntur sempiternis.

2. Instit. l. 4. c. 1. §. 13. MIN. Caluinus profecto se suosque in hac re coarguens, ab omni spe salutis abdicat hosce veteres schismaticos Nouatianos, Luciferianos, Donatistas, Rogatianos, & nonnullos Anabaptistas, qui fidem in Christum susceperunt, veram esse totam Scripturam fatentur, imo & de reformata à se Ecclesia, & de martyribus suis, super Caluinianos magnificentius gloriantur atque triumphant.

3. Matth. 3. 13. 25. Ad hæc, idem confitetur Ecclesiam Christi compositam esse ex miscellanea bonorum & malorum multitudine, veluti sagena omne genus piscium secum trahit, qui non ante seliguntur, quam ad litus appulerint: & velut in agris lolium vna cum farre ac frumento succrescit, nec ante seiunguntur, quam fruges reponantur in horreo: i-
Matth. 25. tem sicut in area grana simul & stipulæ & paleæ miscentur, donec ventilentur, &c. Itaque Dominus ipse hisce commemoratis similitudinibus satis ostendit Ecclesiam suam ad vltimum vsque huius sæculi diem huic miseriæ obnoxiam fore, vt nunquam malis ac reprobis hominibus sit caritura. Sic boni cum malis seruis, & virgines stultæ vna cum prudentibus, & hirci cum ouibus in hoc mundo versantur. Vnde consequens est, non solum schismaticos, qui vnitatem Ecclesiæ sæuis dissensionibus lacerauerint, tandem perditum iri: sed & eos qui non ad extremum in pietate & gratia Dei perseuerauerint, quantalibet fide ac sacrorum initiatione glorientur, & Christiani

A ac fideles vocentur, in æternum perituros.

Præterea, nihil antiquius habet Beza in scriptis ac concionibus suis quam vt omnes Pontifices, Episcopos, Doctores, Reges, Magistratus, denique quantum vbique est Christianorum, qui eius sectam non sequuntur, sugillet tanquam antichristos, infideles, Papistas, idololatras: eodemque ordine deputat quotquot vnquam fuerunt, sunt, aut erunt Catholici, iam ab orbe condito ad sæculi consummationem. Nec aliter sentit de Lutheranis, Vbiquistis, Brentianis, Schmidelinis, Heshusianis, Castalianis, VVestphalianis, Torgensibus, Pappis,
B Montensibus, Anabaptistis, quos ad vnum omnes velut excommunicatos, scatentes erroribus, & coram Deo reprobatos condemnat, licet baptizati fuerint, serio dicant se in Christum ac Euangelium eius credere. Quocirca palam est, & quam turpiter erret, & quam à semetipso discrepet, cum alibi teneat, quemque Christianum de salute propria certum esse, nec credentem posse damnari. 4.

Postremo, non puduit impudentem istum prædicantem consarcinatorem *Clypei fidei* Geneuanæ, quem initio istius disputationis citauisti, de Diuo Hieronymo scribe- 5. Dialog. 6. 7. 8.
C re, *quod fuerit homo furiosus, atrabiliarius, ac tantum-non rabiosus, scatens falsis opinionibus, denique nihil sanctior quam ipsemet diabolus, &c.*

DOCTOR. Has pro certo non tam atroces iniurias, quam horribiles blasphemias Ministellus ille Discipulus, à summo omnium talium rerum authore & præceptore Caluino didicit, arripuit, hausit; qui velut data opera consultoque sanctissimum & doctissimum hunc patrem Hieronymum citare solet, vt eum carpat, calumnietur, condemnet. Veluti cum scribit: *Hieronymus nimis luculentum maligni peruersique* In cap. 19. Matth. v. 10. & 11.
D *ingenii specimen in eo dedit, quod exagitat matrimonium.* Item. *Puerilis Hieronymi & similium fuit speculatio.* Et rursum: *Hieronymus* (ex gallico sermone Latina facimus ad verbum) *Nescio quo zelo excæcatus non tantum in falsas opiniones sponte delabitur: sed & impetu præcipitat semetipsum. Hieronymus fabricat ex hoc loco sophismata plusquam puerile, maligne cauillatur, & indigna homine prudente loquitur, &c.* Beza quoque se continere non potuit, quin virus acerbitatis suæ in sanctum virum illum euomeret, appellando eum, *blasphemum, aduersus Apostolos iniuriosum, improbum,* In 25. Matth. In 1. Cor. 7. v. 7. 9. 37. Annot. in c. 23. Act.

impie-

impietatis plenum, &c. MIN. Ad institutum redeo. Cum huic sancto viro tot criminum inuidiam obiiciunt, & sententiis suis eum condemnant, non tamen inficiari sustinebunt quin fuerit in lingua Hebraica, Græca, & Latina exercitatissimus, quin item crediderit & baptizatus fuerit: sequitur quosdam fideles & Christianos non esse saluandos. Atque hæc, quæ ex Caluinianis doctoribus aduersus ipsorum sententiam de qua nunc agimus, mihi in mentem venerunt.

6. DOCTOR. Non est consilium hoc tempore conuitia & atroces eorum, tam aduersus Beatum Hieronymum, quam alios Sanctos iniurias retundere: tantum in præsentia fert animus, & instituti nostri ratio postulat, vt diserta Scripturarum testatione peruincamus, per multos ex iis qui credunt Euangelio, Christum confitentur, & Christianismo per Baptismũ inserti sunt, non intraturos in regnum Dei: quod sic facio. Prænunciat Dominus in Euangelio, complures in die iudicii futuros, qui dicant:
Matth. 7. Luc. 6. *Domine, Domine, in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus:* quos tamen Christus hoc responso ablegabit: *Non noui vos. Discedite à me qui operamini iniquitatem.* MIN. His profecto verbis non compellabuntur Iudæi, Ethnici, Mahometani, vel alii quicunque infideles: sed tales Christiani (vt etiam vult Caluinus) qui honorificum in Ecclesia locum obtinuerint: quique sub vexillo Domini munus docendi obibant. Constat ergo multos, ex iis qui fidem & Baptismum Christi susceperint, fore perditum, iri atque damnari.

7. DOCT. Rursus scriptum est, multos
Io. 6. Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8. Christi Discipulos audito eius ad Capernaitas sermone, retrocessisse, nec amplius ambulasse cum ipso. Multos item complecti Euangelium & Christianismum profiteri; sed ad breue tempus. Nam aut Satanas aufert verbum de cordibus eorum ne credentes salui fiant: aut orta tentatione, confestim scandalizantur, aut amor sæculi & diuitiæ suffocant, verbum & sine fructu efficiunt. Ex hac nota fuerunt Iudas proditor, & id genus apostatæ, schismatici, hæresiarchæ: de quorum vno Dominus ipse pro-
Matth. 16. nunciat: *Væ homini illi per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset*
Act. 9. *homo ille.* Petrus alii denuntiat: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Cœlestis vox de a-

A liis edicit: *Odi facta Nicolaitarum.* Et rursus: Apoc. 2. 21.
Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. Atqui nemo Caluinista dixerit horũ quosdam non fuisse baptizatos, ac per consequens ad tempus annumeratos fidelibus credentibus, Christianis: imo & inter Diaconos, Ministros, Apostolos, & Discipulos extitisse: nullus negauerit qui nihilominus ad extremam misere perierint.

Præterea, cum Dominus Ecclesiæ suæ sta- 8.
tum assimilat homini, qui fecit cœnam ma-
B gnam, & vocauit multos, qui varie se excu- Luc. 14.
sarunt, nec ad condictum venerunt: hoc æstimandum cuiusque cogitationi relinquit, multos qui fide & Baptismo ad vitam æternam inuitati sunt, non ideo tamen introituros. Quo spectat illud de homine non ha- Matth. 22.
bente vestem nuptialem, qui ligatis manibus pedibusque missus est in tenebras exteriores. Quo docemur exemplo, fore vt nonnullos eorum, qui tanquam fideles allecti sunt in communionem Ecclesiæ, tandem æternæ damnationi mancipandos esse. Sed quid multis moror? Non-ne diserte scribitur, *Multos esse vocatos, paucos vero ele-*
C *ctos?* Quibus tandem supremus Iudex has Matth. 25.
diras detestationes exprobrabit, *Esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c.* nisi Christianis, qui fidem bonis operibus non exornarunt? Non-ne hi erunt hœdi, qui disgregabuntur ab agnis? Virgines fatuæ, quæ non intromittentur à Sponso vna cum sapientibus? Enimuero non illis vitio datur, quod non crediderint, non baptizati fuerint, non confessi sint nomen Christi: sed quod opera misericordiæ non fecerint: plurimi itaque è numero Christianorum ac fidelium non sunt adepturi regnum cœlorum.

D MIN. Certe Paulus multa genera flagi- 9.
tiosorum hominum cœlo interdicit, extra
infideles ac incredulos, cum minatur Co- 1. Cor. 6.
rinthiis: *Nolite errare. Neque fornicatores, neque idololatræ, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* DOCT. Profecto si tantum credere & baptizari sufficeret ad salutem obtinendam, plerique ex hac sentina hominum, Paulo quidem reclamante, sed applaudente Caluino, seruarentur.

MIN. Idem Apostolus ordini quoque 10.
perdi-

Galat. 5. perditorum accenset eos, qui faciunt opera A carnis, vt sunt adulteri, immundi, impudici, venefici, rixatores, sectarii, inuidi, homicidæ, ebriosi, comessatores, &c. quos omnes negat cœleste regnum consecuturos. Cui Ioan. 5. congruit hæc sententia Domini: *Qui mala egerunt, ibunt in resurrectionem iudicij & condemnationis.* Quocirca qui se saluum cupit, ad fidem & Baptismum addat bona opera, & superius enumerata vitia fugiat, & virtutum contrariarum officiis animum suum exornet.

11\. Sed occurritur nobis, & quidem consignatæ authoritates adferuntur ex D. Marco, Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* B Et ex Paulo: *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo, &c.* DOCT. Ita quidem si ad vltimum vitæ spiritum in ea sanctitate & gratia perseuerarint, quam in Baptismo suscipiunt: si reimpleant quæ illic profitentur: si Luc. 24. nec carni, nec mundo, nec diabolo, quibus Rom. 8. abrenunciarunt, consenserint vnquam: si seruarint omnia quæcunque præcepta sunt illis: si desideria carnis non perfecerint, &c. Luc. 13. 24. Sin aduersus ea faxint, necesse habebunt, per serium pœnitentiæ laborem peccatorũ suorum remissionem quærere, vt saluari mereantur. Deinde, non ita pertinaciter obhærescendum est vni, vel alteri Scripturæ C sententiæ, vt alias plurimas contemnamus, Mat. 7. 19. vbi bona opera facere iubemur, vt intremus 1. Cor. 13. in vitam, vbi Spes, Charitas, reliquarum virtutum chorus adeundus & amplexandus præcipitur. Postremo, penitus animo infigenda est ista Pauli eximia sententia: *Non* Rom. 2. *auditores legis iustificabuntur apud Deum: sed factores.*

VETERES ISTOS HÆRETICOS Vigilantium, Aerium, Iouinianum, Berengarium, VValdenses, Albigenses: & recentiores VViclefsum, Hussum, Hieronymum de Praga, Lutherum, Zvvinglium, Ecolampadium, Vermilium, Caluinum, & horum imitatores non receptos esse in Paradiso, sed in inferni gurgite demersos: aduersus quindecim Hugnosticorum errores.

CAPVT XII.

DOCTOR.

HActenus in genere demonstrauimus id quod in animo nobis erat probare, nimirum, Caluinianos in cœlo multos reponere & beare, aut ante constitutum à Deo tempus, aut qui nec ibi sunt, nec in posterum erunt. Iam cominus congrediar & manum conferam cum singulis, docebo que eos toto cœlo errare, cum in regno Dei collocant Vigilantium, Aerium, & cæteros qui in fronte capitis huius designãtur. MIN. Quibus probationibus euinces, quod Vigilantiũ in cœlo versari perhibeant? DOCT. Hoc argumento, quod Clypeus fidei Caluinicæ eum censet, *Probiorem, sanctiorem, & fideliorem virum fuisse, quam Diuus Hieronymus vnquam fuerit.* Barthatius poeta Caluinianus in Triumpho fidei suæ, Crispinus calcographus Geneuensis in Libro de Statu Ecclesiæ, & Danæus minister, Libro de Hæresibus, nunquam inter hæreticos Vigilantium, numerare voluerunt. Caluinus & Beza vbique occasiones quærunt & arripiunt exagitandi sanctum Hieronymum, quod acri studio, feruentique zelo Vigilantium oppugnauerit. Centuriatores Magdeburg. eundem vocitant *hominem immoderatissimum, iniuriosum, ac furiosum*, præponuntque viro doctori sanctissimo, fœdissimum hæreticum Vigilantium. Cent. 4. pag. 601. 1267.

MIN. Vnde vero tibi liquet Aerium ab istis inter cœlites sanctos recenseri? DOCT. Ex eo quod vestigiis eius insistunt, ac errores æmulantur. Purgatorium non credunt, Epiph. Da- vti nec ille credidit. Preces & oblationes masc. Eu- corporis & sanguinis Christi pro defunctis thym. Au- irrisione traducunt, vt & ille. Presbyteros gust. Isidor. æquant Episcopis, at ieiunia solenniter celebrari solita despicantur, quæ omnia cum erroribus Aerii concordant. MIN. Subscribunt sane omnibus istis, & tanquam verba Dei obstinata mente illa propugnant, atque proinde Aerium tanquam præceptorem ac sanctum obseruant.

MIN. De Iouiniano quid? DOCT. Et Aug. l. de huic laudes eximias tribuant tanquam fide hæres. li Ministro & præceptori suo, quia prior lon- Hieron. l. D go interuallo Monialibus, Religiosis, Pres- cont. Iouin. byteris, cunctis hominibus sacris, ineundi matrimonii copiam, vota Deo nuncupata frangendi licentiam fecerit: virginitatem nulla re coniugio potiorem dixerit; ieiunia nihil coram Deo mereri, superstitionis esse si quis statis diebus à vino & carne sibi abstinere indicat: virginem Mariam pari ni- Hildephõs. su, violentia, tormine, ac corruptione pe- Toletan. perisse, quo solent cæteræ matres, palam docuerit; quod & isti affirmare nihil verentur. MIN. Nemini mirum videri debet, si Clodius applaudat mœchis, Catilina Cethego.

thego. Quid enim magis conuenit ingenuæ indolis discipulo, quam vt honorem præceptori deferat. Itaque Crispinus Geneuensis indignatur, cum inter homines hæreticos connumerari.

L. de statu eccl.

Quod ad Berengarium attinet, non possunt quin eum agnoscant Sacramentariæ sectæ suæ præcursorem. Neminem enim citare possunt ante eius ætatem, qui asseruerit, vt isti ab eo docti sentiunt Corpus Domini non esse, atque adeo fieri non posse diuina potestate vt sit sub speciebus panis & vini in Eucharistia. Sed hanc tantum signum esse ac figuram, qua res immenso interuallo dissitæ repræsententur.

DOCT. Apud ipsos etiam honore diuorum consecrantur VValdenses, & Albigenses adeo vt quidam Ministerculi, qui non ita pridem in inferiori nostra Normania, per agrum Baiocensem conciones habebant, non dubitarint farcire centones cuiusdam horribilis libelli (de quo alius nobis erit dicendi locus) huiuscemodi verbis: *VValdenses erant fideles Dei serui, sequebantur doctrinam Euangelii, seque viriliter opposuerunt doctrinæ Pontificum iam abhinc plus minus annis quadringentis. Albigenses sese comites illis addiderunt. Pontifex in eos exciuit Dominicū & Franciscum, &c.*

Instruct. pag. 25.

MIN. His adde quod Ministri Geneuenses septem immanes libros conscripserunt, quos excudit Crispinus, vbi recitantur martyria & mortes obitæ à multis pro verbo Caluini: ibique VValdensium & Albigensium memoria celebratur, tanquam sanctorum martyrum, qui multa proficta fucataque sua veritate perpessi sint: nec fas esse putant dubitare, quin iam in cœlis æuo sempiterno potiantur. Quin & ipse Caluinus quadam ad Polonos epistola, VValdenses, *bonos fratres suos nominat, sectandos à Polonis consulit, dolet istos ab illis diuortium fecisse, quibuscum fraterna coniunctio ad extremum vsq; seruanda & colenda sit, &c.*

DOCT. In pari gradu pietatis atque gloriæ ab iis locantur Ioannes VVicleffus, Ioan. Hus, & Hieronymus Pragensis, de quibus scribunt Libro nouissime à nobis citato, *Præsules Romanos non recte & ordine versatos esse in capitali caussa aduersus eos instituenda. Nam cum propugnarent* (aiunt illi, muli mulos scabentes) *puram Euangelii doctrinam, & Ecclesiæ disciplinam iuxta Dei verbum reformari postularent, non iure iudicioque, sed vi atque iniuria, per incompetentes iudices condemnati fuerunt.* Beza quoque in Catalogo sanctorum sectæ suæ,

Instruct. p. 26. 27.

L. Icon.

A quibus imaginaria funera, & elogia tanquã gloriosis martyribus erigit, collocat inter primos Ioannem Hussum, Constantiæ exustum die sexta Iulii 1415. Cui succidaneum adiungit Hieronymum Pragensem, eodem loco & anno propter eosdem errores pari supplicio affectum.

Idē tergeminis honoribus extollit Martinum Lutherum, & eius imagini amplissimum hoc encomium subiicit: *Lutherus ore toto Diuinitus afflatam animi magnitudinem testans, hoc vultu fuit.* Quod cum poeta quidam Catholicus pessime quadrare censeret, in tricongialem istum Modiperatorem,

B & cui ad exemplum Satyrici Mathonis, pinguis aqualiculus distento sesquipede extabat, substituit hos versus magis aptos, & optime conuenientes.

Theuenianus.

Tali Bacchus erat, tali Gargantua vultu.

Tale triplex mentum Pantagruelis erat.

Idem rursus Beza omnes neruos poeticæ facundiæ suæ profundit in celebrandis Caluini sui laudibus, quem supra omnium Patrum merita, virtutesque extollit. Verba eius audiamus, *Monumentis Caluini nihil in sacris explicandis neque iudiciosius, neque enucleatius, neque magnificentius à quoquam verbi Diuini interprete adhuc scriptum fuit.* Et paulo post,

L. Iconum.

C

Apostolis, Euangelistis, Prophetis, horrendum dictu! eum anteferens, nec etiã ipsum Christum excipiens, scribit: *Caluino nemo docuit doctius.* Conueniant omnes prisci & recentes Ecclesiæ doctores, Martyres, Discipuli, &c. vniuersi infra vnius istius postremissimi laudes iacebunt. Nec iis contentus, initio rursum libri Epistolarū eiusdem Caluini, secundo Geneuæ editi 1576. idem Beza alios hæreseōn Ministros inducit illum tot honorificis titulis celebrantes, vt iis magis oneretur, quã honoretur. Vocant enim pestiferum hæresiarcham suum, *Virum do-*

D *ctum, mire facundum, purioris Christianismi instauratorem eximium, reuerendum, eruditione ac virtute præstantem, eruditissimum, clarissimum, præstantissimum Christi ministrum, plurimum colendum, magnum illustratorem doctrinæ pietatis, doctissimum Ecclesiæ doctorem, optimum, syncerissimum, obseruandissimum, clarissimum, fidelissimum, præstantissimum, summum Theologum, spectatissimum, suspiciendum antistitem, &c.* Quid superest, nisi *Diuinissimum*, vt Altissimo, post Satanam & Antichristum illud inanis gloriæ turpissimum mancipium æquare conentur? Sanctissimis quibusque cœlicolis titulos huiusmodi arrogantissime detrahunt,

hunt, vt eis seipsos exornent superbissime. Quis non abhorrebit? Tanquam malum auspicium detestabitur?

Remittit quidem se paululum Beza, & inferiori modulo canit Zvvinglium, Ecolampadium, & Vermilium, quos tamen contumelioso honore, omnibus sanctis Patribus & Doctoribus præponit: quod adhuc residuum ad eorum exæquandas laudes videbatur, id vt opinor, curæ Lausannensium, Bernatum, & Tigurinorũ commisit, vt scilicet, iis diuinos honores largirentur, quemadmodum sedulo fecerunt cum illustria facinora, vitasque talium carcinomatum præfationibus librorum attexuerunt.

Sectatoribus suis, & à se fascinatis homuncionibus ac mulierculis, quid non pietatis, sanctitudinis, ac gloriæ cœlestis tribuunt? *Omnes sanctificatos ex vteris matrum, omnes electos ac prædestinatos ab æterno, omnes de sua salute fide securos, omnes Christo concorpores, omnes filios Altissimi, omnes reformatos, euangelicos apostolos, sanctos iamque cælorum ciues, & Dei reipsa domesticos esse proclamant, testificantur, & omni adseueratione confirmant.* Sic mutuum muli se scabunt: peruersoque more & res &
Isa. 5. rerum vocabula confundunt, ac vocant a-
Ezech. 13. mara, dulcia: tenebras, lucem: vident vana, diuinant mendacium; dicunt pax, & non est pax: liniunt parietem absq; paleis: consuunt puluillos sub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia sub capite omnis ætatis, viuificant animas peccato mortuas, confortant manus iniustorum ne ab erroribus reuertantur in viam salutis, vnde seduxerunt eos, &c. His argumentis genuinos sese filios & imitatores probant esse superbi illius Angeli (vt obseruat D. Hieronymus) qui sacrilega raptus
In c.13.14. Isa. ambitione iactitabat se supra nubes ascensurum, æquaturumque sedem suam throno Altissimi. Produnt etiam se successores
2. Cor. 11. Pseudo-Apostolorum, qui transfigurabant se in Apostolos Christi, & in Angelos lucis, cum vere & reapse sint filii tenebrarum. Quid tu ad hæc omnia?

Cõfutatio I. MIN. Fateor quidem abunde conuictos à te summi sacrilegii, quod veteres hæreticos ac recentes Diuorum honoribus dignari non horrescant: sed non video qua ratione possis euincere totam illam nationem quam supra commemorasti, sine vlla spe salutis reprobatã ac damnatam esse. DOCT. At ego quinq; summa genera probationum animo conspicio, totidemque particulares species intueor, adeo firmas & stabiles, vt

A ascensum tuũ continuo præbiturus sis, modo veritatem & rationem ducem sequi non detrectaueris. Primo, nonne fateberis omnes Schismaticos, qui fastu, ambitu, ac errore ducti segregant se à communione Ecclesiæ Catholicæ, & hoc magnum sanctumque corpus Christi mysticum lacerare pergunt, ac impœnitentes moriuntur morti æternæ adiudicari? MIN. Cogor fateri. Hoc Apoc. 12.
enim habent à patre tenebrarum, & furioso dracone, qui Ecclesiam Angelicam in duas partes disparauit. Suntque æmuli ac succes- Num. 16.
sores Core, Dathan, & Abiron, qui turpi Psal. 105.
transfugio à Synagoga secesserunt, steteB runtque contra legitimos eius pastores Mosem & Aaronem: atque ob id cum corporibus & animis hiatu terræ absorpti sunt, & viui ad inferos descenderunt. DOCT. Ex hac celebri quidem, sed horrenda historia L. 1. contr.
sancti duo patres Optatus Mileuitanus & Parmen.
Augustinus recte colligunt, peccatum schi- L. 4. de Baptism.
smatis omnium esse maximum, cum maxime fuerit vindicatum. Hinc etiam D. Cy- L. de vnit. Eccl.
prianus, & post hunc D. Hieronymus probant, Schismaticos qui fœdo diuortio Spon- Ep. ad Damas.
sam Christi dilacerant, peiores & intestabi- Ioan. 19.
liores esse Iudæis ac lictoribus, qui tunicam L. 6. hist.
C Domini inconsutilem non disciderunt, sed integram reliquerunt ei, cui sortito obtigisset. Præterea Dionysius Alexandrinus, & eum secutus nobilis in historia Eusebius, nõ minus gloriosum ac salutare esse prædicant, perpeti martyriũ ad conseruandam Ecclesiæ vnitatem, quam pro Christi nominis cõfessione: tam capitali odio damnabile Schismaticorum crimen sancti Patres sunt prosecuti. MIN. De criminis istius atrocitate nullum quidem apud me dubium residet, cum præsertim Apostolus pacem, concor- 1. Cor. 1.
diam, vnitatem in Ecclesia saluam & illiba- Ephes. 4.
tam percupiat, & fugienda schismata. Quin- Philip. 2.
D etiam ipse Caluinus fatetur, *Schisma esse dissi-* Heb. 10.
dium voluntatis, cum quis desciscit ab Ecclesia, seu In 1. Cor.
per inuidiam, seu per odium, quod aduersus Eccle- c. 11. v. 19.
siæ pastores conceptum habet. Præterea, primam & 12. 25.
schismatum ac diuisionum originem hinc fluxisse, In Io. c. 9.
quod homines superbia turgidi, plus æquo sibi pla- v. 16.
cerent, aliosque despicerent. DOCT. Atqui nec tu, nec homo quisquã sensu communi præditus negauerit, quin superius nominati sectarii vere schismatici fuerint, qui & errore cæcati, & arrogantia ducti nuntium Ecclesiæ Apostolicæ & vniuersali remiserint, & ab eius Pastoribus diuortium fecerint, aperto velut Marte doctrinam eius communiter

receptam petiuerint, conciones clanculum A & seorsim habuerint, & (quod deterrimum est) in hoc miserabili statu mortem obiuerint: vt proinde manifestum ac certum sit, eos cum Core, Dathan, & Abiron, aliisque schismaticis æternam damnationem incurrisse. MINIST. Nihil habeo quod cum ratione & veritate possim respondere: cedo itaque nunc secundum genus probationum.

2. DOCT. Illud sumetur partim ex demortuis hæresibus, quas isti hodie noua incude refingunt: partim ex recentibus, quas inuenerunt ipsi, & magno cum totius orbis Christiani scandalo passim disseminant, nec B sine exitio propriarum animarum, ac præsenti periculo eorũ, qui his adhærent. MIN. Doce quod mortuas hæreses ab interitu vindicent. DOCT. Apertum est quod Simonis Magi, Marcionis, & Manichæorum aduersus liberum hominis arbitrium: Arrianorum contra generationem Filii ex Patris essentia: contra adorationem & inuocationem quatenus Deus & homo est; (quem & ignorantiæ accusant, vt Arriani factitarunt) iamdudum sepultos errores reuocent ad superos. Quin & infantes sanctos pronunciant ex vteris matrum, & sine Baptismo saluos, cum Pelagianis: altaria diruunt, signa C sacramentorum pedibus conculcant, templa succendunt, sacrum oleum & chrisma despiciunt, sacros homines ad aras contrucidant, cũ Donatistis & Circuncellionibus: pro fidelibus defunctis orandum & offerendum esse pernegant cum Aerianis: Sanctorum cultũ & inuocationem reprehendunt, post Vigilantianos: eorum memorias & imagines confringunt cum Iudæis & Iconomachis: Eucharistiæ cultum, vt quondam Manichæi, velut Cereris & Bacchi idololatriæ deputant: bellant cum summo Pontifice, negantque Sacerdotes absoluere à Peccatis, cum Nouato: solam fidem sufficere ad D iustitiam & salutem, cum Pseudoapostolis & Gnosticis autumant: votis virginitatis & continentiæ cũ Iouiniano refragantur: miraculosum partum sanctissimæ Deiparæ infamant post eundem Iouinianum, Eluidiũ, & Nestorium: denique, nulla est tam tetra, tam exsecranda, tam damnata hæresis, vnde non aliquam particulam, assimulatæ veritatis, & reformatæ religionis fuco nõ induxerint. MIN. Hæc profecto tam vera & certa esse ex Veterum lectione iam deprehendi, vt nihil de his dubitem. Nec opus est vt prolixius probes eos nouam hæresium farragiam inuexisse: siquidem hæret mihi in memoria, te ex eorum scriptis ac testimoniis plusquam ducentas annotasse contra sanctissimã Trinitatem, Diuinas perfectiones, & Filii Dei incarnationem, vitam, mortem, resurrectionem, &c. in priore colloquii nostri Septimana. DOCT. Quandoquidem hoc me labore liberas, concludam secundum probationum nostrarum genus hoc argumento. Omnes hæretici veteres & noui impœnitentes sunt reprobati & damnati: atqui omnes VValdenses, Hussitæ, Lutherani, Caluiniani sunt hæretici, quandoquidem veteres hæreses instaurant, & nouas comminiscuntur, in iisque obstinata mente moriuntur: sunt igitur homines reprobati à Deo, nec habebunt vnquam cum electis & beatis consortium.

MIN. Quo fundamento nititur tertium 3. probationum tuarum genus? DOCT. Huic quod prædicti hæretici non solum ab omni communione Ecclesiæ Catholicæ semoti, verum & affectu, effectuque tanquam hostes infesti ac immanes eam oppugnant. MINIST. De Aerio, Vigilantio, Iouiniano, & Berengario quidem causam non dico: sed nuperi isti iactitant se veram esse Ecclesiam, ab omnibus corruptelis iuxta purum putum Dei verbum repurgatam: tantum abest vt extra eam haberi velint. DOCT. Iampridem factum est ex quo Cyprianus, *Ep. ad Iubaian.* Lactantius, & Chrysostomus eandem istam ostentationem, qua gloriabantur horum Thrasonum antecessores, compescuerunt. Etenim nudum Ecclesiæ nomen cum quibusdam ritibus externis, illos Simios imitari dixerunt, qui cum veri homines non sint, actus tamen & gestus humanos mimica imitatione repræsentant.

Deinde, qui conuenit vt Ecclesiæ ab erro- 4. ribus repurgatæ superbam sibi inscriptionem arrogent, cum ex omnibus omniũ sectarum hæresibus sint conflati & coagmentati? Quo iure Ecclesia dicuntur, cum in doctrina, fide, religione, sacramentorũ numero, librorum sacrorum catalogo, tantopere dissideant? Cum nec Catholicam extensionem, nec Apostolicã successionem, nec morum sanctitatem habeant? Cum anathematis ab omnibus Episcopis & Conciliis fulminati sint? Cum cottidianis cõcionibus, scriptis, conspirationibus, factionibus veram Ecclesiam Catholicam, aut aperte petant, aut per cuniculos subruere conentur? Cum

 eius

eius templa spoliant, ornamenta rapiant, septa incendant, altaria demoliantur. Sacramenta aboleant, sacros libros comburant, salutare sacrificium profanent, eius Sacerdotes & Monachos omni diritate excrucient? Cum Turcas, Tataros, Mauros, Arabes, id est, Gog & Magog, in eius exitiũ concitent? Cum sedem Apostolicam, & eius insessorem Petri successorem, Christi vicariũ nullomodo velint agnoscere? Quo titulo Domini nostri Iesu Christi Ecclesia censebuntur, cũ eum traducant velut hominem ignarũ, ignauum, mollem, qui nec propriis verbis, nec solido fundamento Euangelium suum munierit, quem transuersum immoderati affectus rapuerint, qui nihil pro nobis commeritus sit, res imposibiles petierit, officio suo fungi detrectauerit, de propria salute in dubium venerit se à Deo Patre vsque ad desperationis notam derelictum questus sit, omnes prorsus damnatorum pœnas (sola perpetuitate dempta) in inferis exantlauerit? Nemo certe, qui particulam vllam sanæ rationis habeat, quique mores istorum hominum probe calluerit vnquã sibi persuaderi patietur, quod eorũ conuenticula Ecclesiæ sint reformatæ, vel membra Catholicæ, veræq; communionis Sanctorum: sed potius habebit eos instar capitaliũ illius inimicorum. At vero iis qui in tali statu atque conditione vitam finiunt, nullus locus superest in cœlesti Paradiso, sicut eruditissime docet nobile par antiquorum patrum Cyprianus & Augustinus: nec aduersarii hoc axioma diffitentur. Vnde colligere quibusuis est facile, illis sedem esse apud inferos, nedum vt vnquam ad regnum cœlorum aspirare posint. MIN. Præcisa est mihi omnis & facultas & voluntas refellendi quæ tam vere non solum verisimiliter attulisti: Licet igitur vt ad probationum quartum genus progrediaris.

L. de vnit. Eccl.

5. DOCT. Omnes prædicti hæresiarchæ, ac eorum fautores & sectatores, siue dum viuerent, siue post mortem, iusto, legitimoque Anathemate excommunicati sunt ab Ecclesia, & velut putrida membra reiecta resectaque ab eius corpore, & tradita in manu Satanæ. MIN. Non me latet & priscis & recentioribus Conciliis mille Anathemata, dirasque detestationes promulgatas fuisse tum in genere aduersus omnes hæreticos, tum speciatim aduersus prænominatos. DOCT. Atqui filius Dei pronuntiat, quod quicunque sic maledicentur & excommu-

Matth. 16. 18.

A nicabuntur, in terris, eodem iure censebuntur in cœlis. Et antiquissimis Tertullianus existimat hanc ab Ecclesia militante separationem ac relegationem esse instar præiudicii ad portendendam vltimam illam separationem, qua reprobi in vltimo iudicio à cœtu electorum in æternum separabuntur. Pro certo igitur habendum est hos miserabiles esse perditos, æternæque damnationi deuotos. MIN. Quod assumis quartum probationis genus?

Apolog. Matth. 25.

DOCT. Quod & voluntate & sententia semper abhorruerint à moribus, doctrinaque Veterum doctorum & sanctorum Pa- 6.
B trũ, qui fideliter ac fœliciter Ecclesiæ Christi præfuerunt, & post mortem sunt, & in æternum erunt compotes cœlestis Paradisi. MIN. Res ea nullius indiget probationis. Nulla enim apud me delebit obliuio graues contumelias quibus vellicant, ac intolerabiliter proscindunt lumina illa veteris Ecclesiæ Ignatium, Clementem, Dionysium, Irenæum, Cyprianum, Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Ambrosium, Hieronymum, Epiphanium, Augustinum, Gregorium, Damascenum, vti initio prioris nostri Colloquii notauimus. Denique, nemo vnquam vel sanctimonia vitæ, vel præstantia C doctrinæ, vel ætatis prærogatiua maledicentissimas eorum voces euitare potuit. DOCT. Velim etiam diligenter consideres quantopere damnatæ istorum hominum opiniones, scripta pestifera, & actiones peruersæ, pugnent ex diametro cũ pietate morum, sanctitate doctrinæ, disciplinaque antiquorum: tantam inter vtrosq; discrepantiam reperies, quantum differt lumen à tenebris, veritas à mendacio, Spiritus Dei à diabolo. Quemadmodum igitur salus bonorum Angelorum certam fidem facit reprobationis malorum: salus innocentis Abelis, Caini testatur exitium: salus Noe probat D ruinã perfidorum Gigantũ: salus Aaronis, Mosis, & Prophetarum seruorũ Dei patefacit æternam damnationem pseudoprophetarum: electio sanctorum Apostolorum quos Deus vocauit, certum signum reprobationis pseudoapostolorum, quos Satanas subornauit: quia fide, doctrina, moribus, vita, morte, penitus inter se dissiderunt: similiter nobis credendum & iudicandum est de beatis illis ac sanctis Patribus, si cum prædictis hæresiarchis conferantur. MIN. Plane persuasum habeo, si D. Petrus est in Paradiso, Simonem Magum antagonistam

eius

eius esse in inferis: si Paulus saluus est, Elymam veneficum esse damnatum. Et argumento à paribus & similibus ducto inferre licet, si Hieronymus, Epiphanius, Augustinus, Damascenus, beatam apud superos vitam degunt, Vigilantianos, Aerianos, Iouinianos, Berengarianos, & eius generis reliquos misere torqueri apud inferos: cum inter hos & illos tanta varietas, imo contrarietas intercesserit.

7. DOCT. Neque omittendum est silentio quinto hoc probationum loco, quam diuersa de vtrisque iudicia post mortem fecerit sancta & laudabilis posteritas. Cum enim perspectum haberet hos antiquos & bonos patres ex hac vita ad immortalitatem summa cum despicientia rerum mundanarum, mortificatione sui ipsius, charitate in proximos, & dilectione Dei concessisse: & his virtutibus cœlum adeptos miraculis claruisse apud eos qui reliquias ipsorum coluerunt, precibus eorum se commendauerunt, &c. publice testificata est, propagauitque ad nepotum memoriam, istos vere coram Deo Sanctos, iustos, in cœlis receptos esse, atque vna cum beatis Angelis, imo vero cum ipsomet Christo Domino, in cœlis receptos esse: ac dignos qui à nobis in terris honorentur & inuocentur. Iccirco enim in Diuorum ordinem relati sunt, & per vniuersum orbē terrarum maxime celebrantur Athanasius, Basilius, Chrysostomus, Epiphanius, Nazianzenus, Damascenus inter Græcos: Cyprianus, Hilarius, Martinus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus & alij inter Latinos. Sed prorsus dispari fato fuere superiores hæresiarchæ. Nam in hæresibus atq; flagitiis mortui damnatiq; tū ob proprias noxias, tum ob eorum perniciē quos impia seductione circumuenerunt: vnde mortui (vt diximus) maledicti & excommunicati tum in cœlis tum super terram; insuper, cū euidentibus vltionis Diuinæ indiciis, sæuis cruciatibus miseram vitam exhalarunt, & hinc deniq; in ea tormenta præcipitati sunt, quæ nullo vnquam tēporis spatio finientur.

8. Tantum item abest, vt Deus in eorum fauorem vel adprobationem miracula fecerit, vt contra, vltricem manum suam extenderit, & phialas indignationis suæ effuderit in prouincias, regna, respublicas, & ciuitates, quæ se nefariis eorum erroribus coinquinarunt, & grauiter afflixerit, vt vitam eorū detestabilē, ac errores infestos esse sibi vniuersis & singulis patefaceret. Duo magni A Constantini filij, Valens, Valentinianus iunior Asiæ ac Europæ imperatores Arrianis addicti, Anastasius primus Eutychianorum defensor, Theodoricus & Desiderius Longobardi, hostium Ecclesiæ fautores, Heraclius Monothelita, Leones & Constantini Iconomachorum propugnatores, &c. iusta Dei vltione mortem ignominiosam opetierunt, & vniuerso orbi graue & horrendum huiusce rei præbent exemplum, quādo animas simul & vitam & imperia miserandum in modum perdiderunt. Consulto tacitus prætereo prodigiosas mortes, & immensas clades atq; calamitates, quæ diuinitus infli- B ctæ sunt in Germania, in Gallia, in Belgio, in Anglia, in Scotia, &c. aduersus principes tam viros quam fœminas, à quibus fotæ promotæq; fuerunt hæreses huius sæculi. Tantum carptim infamem vitam, & damnabilem exitum quorundam hæresiarcharum persequemur, vt inde certa fides elici possit eorū coram Deo sempiternæ damnationis.

MIN. Mihi quidem satis copiose videris exsequutus generales aduersus cūctos probationes; exspecto nunc quid speciatim de singulis tibi videatur. DOCT. Exordiar à Vigilantio, quem D. Hieronymus adfirmat fuisse Samaritanum, Cainistam, Iudæum, ac C Eunomianum, verius quam Christianum: quod istorum errores, & impietates imitatus, & Ecclesiæ Dei pietatem auersatus sit. Insuper, constanter affirmat eum hominem extitisse furiosum, monstrum infœlix, ac dignum qui non modo ex omnium bonorum consortio, verum ex humanæ naturæ finibus, ob immanes blasphemias quas impuris faucibus aduersus Deum, & Sanctos eius eructabat, exterminaretur. Nec vllo modo dubitat, quin ab immundo spiritu possideretur, qui eum contra Christi spiritum concitabat, &c. En vitam, en mores, ac errores huius infœlicis hæretici: cuius etiam misera- D bilem exitum sic describit idem Beatus Hieronymus. Vigilantius Ecclesiæ Romanæ authoritate damnatus, inter phasides aues, & carnes suillas, non tam emisit spiritum, quam eructauit. Atq; hic tantum non principem locum inter Caluinicos diuos & Hugnosticorum sanctos obtinet. MIN. Profecto non tantum rubore suffundi, sed & horrore contremiscere deberent, quod tam damnabile monstrum Diuorum numero aggregare non vereantur. 9

Ep. ad Ripar. I. adu. Vigilant.

DOCT. Ad Aerium quod attinet, Veteres testantur eum, dolore repulsæ quod Episco- 10.

Epiphan.

Augus. Philast. Damasc. Isidor.

patum non esset adeptus, à fide, & Catholica Ecclesia desciuisse, sociumque se addidisse pessimis mortalium Arrianis aduersus æternam filij Dei cum Deo patre consubstantialitatem. In eadem persistens, & proficiens in peius, sugillabat authoritatem Episcoporum: docebat nec orandum, nec offerendum pro fidelibus defunctis, nec esse stata ieiunia obseruanda. Ex his patet aperte hominem fuisse ambitionis, vindictæ, iracundiæ, rebellionis, contradictionis, erroris, mendacij, & multarum blasphemiarum spiritu percitum, id est, à totidem spiritibus malignis possessum: vt omittam quod aduersus vnitatem sanctiss. Trinit. pugnabat, & viuentibus, mortuisque bellum indicebat. Itaque non iniuria hanc notam Epiphanius ei inurit, quod homo fuerit furiosus mente, elatus opinione, nec absre dictus Aerius, quia regebatur à spiritibus tenebrarum ac mendaciorum, quos in aere Paulus habitantes facit: à quibus impellebatur, vt in omni genere voluptatum ac delitiarum ætatulam exigeret. Ex his promptum est colligere, cũ paria fecerit quæ furentes Arriani, Libertini ac Epicurei, parem quoq; eum vitæ exitũ inuenisse. Nonne tibi videtur quod dici solet, Dignum patella operculum? Catalogo Diuorum Hugnosticorum sanctum dignissimum;

Contra hær. 75. & in Anacep. Epis. 5.

Infra L. 13. c. 9.

11. MIN. Tantorum flagitiorum me pudet pigetque. Sed quid habes quod Iouiniano possis obijcere, cum Monachus fuerit? DOCT. Fuit fateor, vt Iudas Apostolus, & Satan de cœlo cecidit. Habeo vero id quod obijcitur illi ab Augustino: nimirum quod cum Stoicis omnia peccata æqualia constitueret; hominem renatum peccare non posse assereret: ieiunium & abstinentiam à carnibus nihil prodesse, & beatiss. Virginem Mariam in partu corruptam, & virginitatẽ nihil amplius quam coniugium mereri impudenter autumaret. Quibus erroribus pertinaciter immortuus est, scelus hominis, & mancipium Satanæ. Habeo item quæ D. Hieronymus paucis verbis de eo prædicat: nimirum, quod impuri Basilidis errores iamdudum sepultos restituere conabatur: seque ita comparabat, vt damnabilem Epicurum nomine Christiani repræsentaret. Nonne bene beateque cum illis agitur, apud quos eiusmodi strumæ & vomicæ inter Sanctos accensentur? MIN. Vere quadrat in eos vetus hoc verbum: Similes habent labra lactucas.

L. de hær. c. 82. & L. de ecc. dogm. c. 68.

I. adu. Iouin. Ep. ad Domnio. Ep. ad Pamach.

A DOCTOR. Quod ad Berengarium spectat, tanta fuit in homine sanctitas, vt totis mille annis & quod excurrit, diabolus quæsiuerit, nec inuenire potuerit tam profligatum quempiam, & à Deo desertum qui negare sustineret realem & substantialẽ corporis & sanguinis nostri Iesu Christi præsentiam in Eucharistia. Cum itaq; primus exstiterit quem humani generis aduersarius eo impulerit vt inficiaretur omnipotentiã Dei in complendo tam cœlesti mysterio, filium Dei falsitate condemnaret, quod corpus suũ vocarit, & quidem idipsum quod pro nobis traditum est, cum esset tantum (vt ille blatit) B corporis sui signum: & signum sanguinis, qui ab eodem filio Dei sanguis adfirmatur, qui fuit effusus in remissionem peccatorũ. Hæc cum ita sint, an non tale monstrum, & organum Satanæ, connumerandum videtur inter vasa iræ & maledictionis Diuinæ, potius, quam in piorum, nedum in beatorum consortio? MIN. Indigna homine dubitatio. Memini quod Fulbertus Carnotensis Episcopus, cum in suum cubiculum Berengarius ingressus esset, teterrimum Diabolum illi astãtem videre sibi visus sit: eoq; spectro attonitus, continuo eum foras tanquam hominem perditum & diabolicum expelli iusC serit. Eodem accedit, quod ipsimet Ministri Geneuenses, hoc testimonium de eo ferũt, quod de Eucharistia loqui præsumpserit magis odio incitatus in Lanfrancum & Rogerium, magisq; gloria & spe victoriæ, quã studio veritatis reuelandæ vel propagandæ. Rursum, quod peruersa quædam aduersus Matrimonium, & Baptismum paruulorum tueretur axiomata. Quibus manifestum satis est eum prorsus indignum; qui Sanctorũ numerum adaugeat.

12. Ioan. 6. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. Lanfrancus. Algerus. Guitmundus. Sigebert. Guilelm. Bibliothec. Vincent. Belou. in spec.

L. de statu eccl. p. 267.

13. De VVald[...]ibus nequeo satis mirari tãtam fuisse in Parentio & comministris eius impudentiam, [...] scripserint *eos fuisse fideles* D *Dei seruos, ac euangelicæ [...]ritatis sectatores*, cum ipse Beza è contrario scribat: *Obsoleuisse inter eos Christianæ doctrinæ puritatem, &c.* Quin & Caluinus ipse illos damnat, scribens Epistola superius per te allata, *VValdenses doctrinam de Cœna obscurare & inuoluere, magisquam illustrare: non satis diserte ac enucleate de hoc mysterio loqui, & ab iis omnem interpretationem respui, &c.* DOCT. His adde, quod multi veteres & docti viri de his scripto reliquerunt, videlicet, quod sic omnem pietatem & verecundiam exuerint, vt publice in concionibus docerent, *Non esse flagitium quoties tentigine homines*

Instr. p. 25. Vide infra. L. 13. c. 6. L. Iconom.

Bernard. Luxemb. Guido. Æneas. Vernerus.

homines tentantur, impetum facere non solum in quaslibet fœminas, nullo delectu habito: sed (fugio loqui) *etiam in mares.* Quin & olim cum essem in ædibus Archiepiscopatus Ebredunensis, quæ ciuitas est in agro Delphinatus, vidi his oculis, & manibus tenui factam inquisitionem magni Regis Francisci iussionibus aduersus incolas vallium earum, vulgo, *Vau loyse, Vau pute, Fressinieres, Valdengrongne*, dictorum VValdensium & Albigensiũ erroribus contaminatos. In qua inquisitione continebatur, Prædictos incolas publice confessos, & confessionibus subscripsisse manibus proprijs, quod eorum *barbæ* (sic enim Ministros & Prædicantes vocabant) etiam tum traderent, *Non esse nefas promiscue cũ omnibus fœminis libidinem explere, solis Matribus exceptis, ne idem foramen repetere ac subire viderentur, vnde paulo ante exierant.* MIN. Horret animus à talibus monstris: quæ profecto digniora sunt vt viua comburantur in terris, ac deinde præcipitentur in Gehennam, nedum vt eorum nomen inter Sanctos comparere debeat.

14. DOCT. Albigenses nihilo meliores fuerunt. Nam omni ope consilioque studuerũt ab orco reuocare damnatas opiniones veterum Marcionitarum & Manichæorum, duo contraria rerum omnium principia, id est, duos Creatores & deos statuentium: alterũ perfecte bonum rerum inuisibilium, nouiq; Testamenti authorem: alterum summe malum, factorem rerum visibilium, veteris testamenti cõditorem, qui per summam iniuriam Sodomitas, Gigantes, Ægyptiosq; perdiderit. Adhæc, tam diabolicas blasphemias aduersus pijssimum Redemptorem & Saluatorem nostrum Iesum euomebant, vt eũ assererent fuisse hominem improbum, ac istius mali Dei peiorem filium. Insuper, ventrem & vesicam super sacris Euangelijs exonerãtes, Catholicis viris obijciebant cũ sarcasmo isto: *Miserabiles cæci, en vestrã legem.* Voces etiã horrendas, nec recitandas aduersus beatissimam Deiparam, & Magdalenam despumabant; generalem mortuorũ resurrectionem inficiabantur. Ioannem præcursorem principem dæmoniorum vocabant: Patriarchas & Prophetas omnes damnabant: deinde secum pugnantes, negabant vsquam esse purgatoriũ vel infernũ, vbi peccatores puniretur: Baptismum vt inutilem rejiciebant: Pythagoricam astruebant metempsychosin. Vociferabãtur itẽ aduers' Sanctorũ imagines: Papam dicebant antichristũ: cam-

Petrus Cisterc. hist. Albingens. c. 2.

A panas templorum dæmonum tubas appellabant: sanctiss. Eucharistiam negabant esse verum corpus Domini: vsuras, rapinas, direptiones templorũ, homicidia, stupra, etiam contra vsum naturalem suis permittebant: Denique, & dictis & factis (vt viri graues scripserunt) prodebant se vera membra ex corpore Antichristi, primogenitos Satanæ, progeniem malam & adulteram, semen nequam, filios sceleratos, in hypocrisi loquẽtes mendacium, seducentes corda simplicium, proficientes in peius, errantes, & in errorem mittentes, &c. En Patres Caluinianorum, en ministri ministrorum eorũ, en de-
B cessores quibus successerunt, en qui fundamenta reformatæ, si dijs placet, ecclesiæ vestræ, en belluli sancti qui Calendarium vestrum implent. MIN. Imo reuera filij diaboli, ad hoc nati & instituti vt facerent malũ coram Domino: quos (obsecro) noli mihi vlterius obtrudere. Iuxta enim tecum omnem mihi mentionem auersor ex animo, atque refugio.

DOCT. Quando ita vis, dimittam eos, & sancti vestri Ioan. VViccleffi vitam, doctrinam, & mortem summatim examinabo, ex copiis Thomæ VValdensis, Ioan. Nideri, Ioan. VVerneri, Aenææ Syluij, Bernardi 15.
C Luxemburgensis, Blondique narrationib'. Hic natione Anglus, à spiritu mendacij impulsus, anno circiter millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, multas de nouo hæreses commentus est, & veteres renouauit. Inter has docuit, *Hominẽ in peccato mortali constitutum baptizare nõ posse: Deum obedire debere diabolo: fas esse subditis cum Principes ac Magistratus ab officio deflectunt, non agnoscere, his eiurare obsequium, & omnem obedientiam abnegare.* Aiebant item, D. *Augustinum, Benedictum, Bernardum,* (*nisi pœnitentiam egerint*) *damnatos esse eo quod monasticos ordines instituerint.* Adhæc, voluit Sectatores suos noctu vt plurimum conuenire in antris, cellis, cubiculis,
D locisque secretioribus; atque concionandi specie, miscellaneam venerẽ, extinctis luminaribus, more pecudum, sine vllo cognationis, aut honestatis publicæ, discrimine, exercere, &c. Vt his a. malis occurreretur, congregati Oxoniæ Præsules & Doctores regni Angliæ, totã istam hominũ colluuiem, confutarunt, & anathemate notarũt: q̃ Decretum sua authoritate cõprobauit Cõciliũ nationale Londini hac de re cõgregatũ. Deinde, iterũ cõuicti cẽsuraq; notati fuerunt à Germ. Bohem. & Polon. Theologis in vrbe Pragæ

Praga: à Gallis in Academia Parisiensi: tandem vero à summo Christianorum Pontifice Alexandro 5. Quin & in concilio Constantiensi statutum fuit, vt ossa hæresiarchæ VVicleſi effoſſa è ſepulchro, carnificis manu & opera palam comburerentur in perniciosarum opinionum deteſtationem. Ac ne qua forſan ſuſpicio hæreat tam atrocia ſcelera viro (ſcil.) inculpato per calumniam affingi à Catholicis, Philippi Melanthonis hæreticiſsimi hominis, de homine & eius ſcriptis iudicium compendio perſtringo: *Inſpexi* (inquit) *VViclenum* (nam varie ſcribitur) *ſed deprehendi in eo multa alia (præter cœnam Domini) errata, ex quibus iudicium de ſpiritu eius fieri poteſt. Prorſus non intellexit, nec tenuit fidei iuſtitiam: inepte confundit Euangelium & Politica: nec videt Euangelium nobis concedere vt legitimis politiis vtamur. Contendit Presbyteris non licere, vt poßideant quidquam proprium: de dominio ciuili ſeditioſe rixatur.* Et alibi: *Plane furebat VViclenus, qui negabat Sacerdotibus licere tenere propriũ.* Lutherus quoq; de eodem ſcribit: *quod horribiles & diabolicas blaſphemias docuerit, &c.* Cũ igitur etiam aduerſariorum calculis, homo fuerit ſcatẽs erroribus, furioſus, ignarus Euangelij, blaſphemus, & diabolicus: ●nne potius deteſtatione dignus eſt, quam vt vllo modo Sanctus cenſeri debeat?

Ep. ad Frideric. Myconium. *Apolog. c. de human. tradit.* *To. 1. p. 463*

16. MIN. Aſſentior. Sed Caluinus & gregales grauiter ac ſæpe queruntur, Ioanni Huſſo & Hieron. Pragenſi factam atrocem iniuriam, *quando nec à Præſulibus Romanis* (inquiunt) *ordinario iure cum illis actum eſt. Damnati enim fuerunt per vim, & à Iudicibus non idoneis, quod doctrinam Euangelij tuerentur, & Eccleſiæ reformationem flagitarent.* DOCTOR. Scio hanc eſſe ſententiam miniſtrorũ inferioris Normaniæ, deſcriptam in quadam inſtructione, quam ad me manu ſcriptam ſuperioribus annis miſerunt. Dicam igitur primo de cõpetentia Iudicum: deinde, de modo & ordine procedendi: tum de cauſis cur damnati ſunt: poſtremo, de executione rei iudicatæ in Concilio Conſtantienſi.

Vide infra l. 13. c. 8. *P. tertius pag. 26. 27*

Si ſeria æſtimatione cauſam examinaueris, non dubito quin omnia recte & ordine facta fuiſſe libens confitearis.

Primum enim ſatis ſuperque conuicti ſunt, quod & ſermonibus & ſcriptis VValdenſium, Albigenſium, & VVicleſitarum, de quibus nunc dicebamus, impias opiniones, & blaſphemias diſſeminabant: nec ab propoſito dimoueri atq; ad ſanitatem redire volebant. Tum ab Epiſcopis ordine mo- A ti, excommunicati ſunt, ac traditi in manus Sigiſmundi Regis Hungariæ, & Romanorũ Imperatoris. Is cum Septemuiris Electorib. Imperij, ſedens pro tribunali in Throno iuſtitiæ, auguſto habitu, cum eos magis ac magis in erroribus obfirmatos cõperiſſet, ſanciuit vt viui comburerentur: quæ ſententia confeſtim executioni mandata eſt. Quod ſi tot Theologiæ Doctores, viginti nouẽ Cardinales, quadraginta ſeptem Archiepiſcopi, centum ſexaginta Epiſcopi, ac pene infiniti alij Præſules, verique doctiſsimi omnium Prouinciarum totius Europæ, qui Concilio aderant, parum idonei iudices ſunt ad exB plorandam aliquam doctrinam, vera ne ſit an falſa: ſi Proceres imperij, ſi Reges, ſi Imperatores, cum officiarijs & aſſeſſoribus ſuis, non habuerũt legitimam poteſtatem animaduertendi in duos facinoroſos nebulones, damnatarum opinionum conuictos, quæ tandem erit vllius Magiſtratus iuriſdictio? Quodnam ius gladij, ſiue merum imperium, cuiquam relinquetur? Quis Marcolphus lignum proprium inueniet, de quo pendeat?

MIN. Sed fieri poteſt, vt alia viá proceſſerint, quam ordo iudiciorum & æquitatis ratio poſtulare videatur? DOCT. Vdalri- 17.
C chus Richentalius ciuis Conſtantiæ, qui omnibus Concilij actionibus interfuit, magna fide & ſynceritate totam hiſtoriam perſenſuit: & poſt hunc, Albertus Krantzius, VVernerus VVeſtphalus, alijque viri Germani fide digni. Narrant autem, quod cum ſupradicti hæreſiarchæ Conſtantiam veniſſent, delegati ſint à Patrib⁹ Concilij Archiepiſcopus Raguſinus Italus, Epiſcopus Leodienſis Germanus, Vrſinus Taluenda doctor Gallus, Guilielmus Comes Anglus, & Ioannes Przibram Bohemus, viri vndequaque doctiſsimi, & è quinque nationibus ſelecti, vt cum duobus iſtis conferrent ac diſD ſererent, eoſq; conuictos, in rectam fidei ſemitam reducerent: quod neutiquam impetrari potuit: Tanta pertinacia mentes eorum inuaſerat. Decimaſeptima die Aprilis quatuor inſuper Cognitores ei dati ſunt vt examinarentur, & ſalutis commonefierent. Quarta menſis Maij, quadraginta eorum hæreſes publica cenſura notatæ ſunt, ſexta die ſecuta eſt condemnatio & executio Iohannis Huſsi.

MINIST. Quid porro Hieronymo Pragenſi diſcipulo eius contigit? DOCT. Cum 18.
is pœnitentiæ ſpem daret, vigeſimaquarta Septem-

Septembris, coram vniuerso Concilio, vniuersos VViclefi & Husi, quibus infectus fuerat, palam, conceptisque verbis errores anathematizauit: & per sacrosanctam Trinitatem, tactisque sacrosanctis Euangelijs, se toto reliquo vitæ cursu sequuturum doctrinam, & obtemperaturum iussis Ecclesię Catholicæ iurauit, & repromisit. Insuper, se suaque sententia cōdemnauit, vt viuus cremaretur, tanquam nefarius hæresiarcha, si vnquam ad pristinos errores relaberetur. Tandem ad maiorem pœnitentiæ & conuersionis fidem subscripsit manu propria, & protestatus est, omnia ista quæ retuli, scriptumque suum obtulit Patribus Concilij, plurimum gaudentibus super hoc peccatore pœnitentiam agente.

19. MINISTER. Quid tum? DOCTOR. Paulo post, miser locum fecit veteri prouerbio, *Canis reuersus ad vomitum. Sus lota ad volutabrum luti.* Nam furtim se proripuit ex vrbe Constantia, retractusq; ex fuga est, atque iterum coniectus in vincula. Nihil omissum est à Patribus, quo posset iste relapsus ad meliorem mentem reuocari: quin & indultum est homini spatium de conscientia & animi salute cogitandi vsque ad 30. diem Maij sequentis anni, id est, millesimi quadringentesimi decimi sexti. Cum vero nihil de mentis obstinatione remitteret, talisque ab Ecclesia declaratus foret, permissus est potestati magistratus sæcularis seu Politici, à quo morti adiudicatus, sententiam passus, quam in semetipsum pronunciauerat. Quid porro fieri potuit aut debuit ab vtroque magistratu, quod hic omissum desiderari queat? MIN. Iam video falsas & inanes esse querelas, quibus Caluiniani prædicantes aduersus Concilium illud inuidiam conflare studuerunt, quod in eo isti duo malefici digno factis supplicio sint affecti: Etenim neque Geneuenses Syndici tantam maturitatem adhibuerunt iudicij in Serueti ac Spifanij damnatione: nec Bernenses in plectendo Valentino Gentili: quantam patres Constantienses, cum duas istas pestes è medio sustulerunt.

Prou. 26. 2. Petr. 2.

20. DOCT. Vere pestiferi ac funesti fuerunt isti, non modo erroribus ac blasphemijs suis: sed & innumeris seditionibus, ac tumultibus, quibus totum Bohemię regnum pene deformarunt, confuderunt & labefactarūt. Nam horum concionibus sectatores & discipuli eorum inflammarunt templa, euerterunt aras, sacras imagines confregerunt, Presbyteros necarunt, stupris sacratas Deo virgines polluerunt, & plusquam Schytica bella vniuersis Catholicis indixerunt. Hos artuatim carpebant ac dissecabant, candentibus laminis exurebant, liquefactū plumbum obstructis faucibus ingerebant, molarum molibus obterebant, in flumina verticesque præcipitabant, fenestris domorum suarum pendulos affligebant, aut inde deturbatos hastilibus & gladijs carnificum inferius astantium excipiebant: quod septem Regis VVenceslai officiarijs contigit. Quin etiam eiusdem Regis sui demortui cadauer è sepulchro erutum, traxerunt in gemonias, vt hoc pietatis officio mutuam eius dissimulationem remunerarentur. Si hæc crimina digna non sunt, quæ morte inter homines plectantur, imo & æterna coram Deo damnatione puniantur: quid tandem erit, quod vllo genere supplicij dignum esse videatur? En causas legitimæ animaduersionis. En fructus hæreticarum Husi & Pragensis cōcionum. En heroica Sanctorum Caluinisticorum facinora. En vitam, & condignum vita finem. An non igitur & Beza, & sequaces fascino tenentur, & à spiritu vertiginis ac cæcitatis vexātur, quod eiusmodi alastoras ordinibus Diuorum & Sanctorum martyrum inserere non vereantur? MIN. Si martyres dicendi sunt, profectò Satanæ martyres fuerunt. Habet enim ille & his sæculis suos pseudomartyres, sicut & præteritis habuit suos pseudoprophetas & pseudoapostolos: quandoquidem hæc tormenta non subierunt propter nomen Domini, sed ob apostasiam, hæresin, & plane diabolicam vitæ consuetudinem. DOCT. Quid à me vltra desideras? quid postulas?

Tho. VValdensis. Io. Nider. Io. de Turrecrem. Pet. de Alliaco VVernerus. Æn. Sylu. Blondus. Luxemb. Gerson. Richent. Krant. Cochleus. L. Iconium.

MIN. Lutheri, Zvvinglij, Oecolampadij, Vermilij, Caluini, & sectatorum, vt causam summaria cōtestatione definias cupio. 21.
DOCT. Quæ ergo copiosissime dici possūt, breuiter à me strictimque dicentur. Primus istorum vota omnia turpi perfidia fefellit: monachus monacham scortum verius, quā vxorem duxit, & ex ea sex liberos suscepit: scriptis publicis se centuplo magis hæreticum esse professus est atque vnquam fuit Ioan. Hus: non dubitauit literis prodere, familiares sibi cum diabolis sermones ac congressus intercedere: defendit non esse resistendum immanibus Turcarum impressionibus aduersus Christianos: rusticam progeniem in magistratum, & proceres Imperij Romani aduersus Cæsarem & animauit & arma-

Lutherus. Aurifab. Rebenstolk Ionas. Scleidan. Cochleus. Rouerus. Lindanus. Fontanus. Surius. Staphilus. Prateolus.

armauit: Sex Ecclesiæ Christianę sacramenta negauit: vniuersam Europam bellicis tumultibus impleuit: plurimas tempore ac obliuione obsoletas hæreses iterum in oras luminis euocauit: nouas & inauditas confinxit: denique ab Ecclesia Catholica excommunicatus, vt athletam Epicuri decuit mero ac epulis distentus animam expirauit. MIN. Et vera, & certo comperta de Martino Luthero memoras.

22. *Sleidanus. Bullinger. Simlerus. Crispinus. Rouerus. Hosius. Fontanus. Surius. Prateolus.*

DOCT. *Zvvinglius* hoc sæculo primus sacramentarias insani Berengarij hæreses, in agro Tigurino, & Heluetiorum magna parte, ab inferis suscitauit: & illos à communione totius Ecclesiæ Catholicæ separauit: fortissimam gẽtem bellis ciuilibus permiscuit: effecitque vt multis diebus prælio directaq; acie crudelissime pugnaretur, multique ex his & illis hostilib. gladijs & hastis caderent. Tandem & ipse cum alijs acriter pugnans, Catholicorum popularium suorum cæde cruentus, vulnereque saucius, inter execrabiles blasphemias, ac eiurationes diuini numinis, militibus certantibus assuetas, infœlicem vitam fędo exitu finiuit, ac purpuream euomit animam. Eius corpus bello confecto, tanquam hominis hæretici, excommunicati, ac perditissimi pestiferique nebulonis iustis flammis in cinerem redactũ fuit. Fuit ne hæc vita, hæc conuersatio, hi mores viri prophetæ? Hęc ne disciplina sanctorum Apostolorum, Discipulorum, ac Christi Martyrum? MIN. Imo vero seditiosi tribuni plebis, improbi seductoris, parricidæ, & hominis à Deo reprobati. Lutherus etiam inter familiares suos de eo dictitare solebat: *Tanquam latro & seditiosus mortuus est Zvvinglius. Damnatus est, armis & cædibus alios ad suum errorem recipiendum adigere volens, &c.* MIN. Dic de tertio.

Petr. Rebenstock. to. 2. colloq. fol. 36.

23. DOCT. Oecolampadius ex Monacho ordinis sanctæ Brigidæ, factus hæreticus, Sacramentarius, & non tam maritus quam incestus & sacrilegus: Basilæam Heluetiam à simplicitate & integritate fidei Cath. ad plurima, horrendaque errorum inuolucra traduxit: ac demum *in iustam flagitiorum suorum mercedem* (ipsius etiam Lutheri testimonio & iudicio) *à Satanæ ignitis telis, iustissima Dei vindicta confossus est.* MIN. Certe si verum dicit Beza, *Lutherum ore toto diuinitus afflatum fuisse*, non est Caluinianis integrum infamem ac damnatum Oecolampadium inter Sanctos viros referre.

24. DOCT. Petrus Vermilius, qui in delitijs viuens Martyris sibi nomen arrogabat, natione Florentinus, professione Monachus, deinde & ab ordine & ab Ecclesia Christi, & à fide Cath. triplex apostata, & à duobus scortis (vxores vocabat) incestus atq; sacrilegus, in patria, initio cum quibusdam emissarijs, hominibus libertinis & impijs errores suos clanculum spargebat: tandem flagitij suspectus, & pœnam ex conscientia metuẽs, ad Zvvinglianos Tigurum profugit, atque illic impuritates suas cum hæresibus Sacramentariorum iungens, tandem aperte contra Dei omnipotentiam debacchatus est: quod ad illud vsque tempus reliquorum reformidauerat audacia. Hinc perpetuam virginitatem & integritatem perpetuam beatiss. Deiparæ pernegauit. Postea missus cum Paulo Fagio, vt regnum Angliæ pestilenti sua contagione communiter afflarent, ossa demortui ibidem primi scorti sui, cum pijs reliquijs sanctæ virginis Leocadiæ miscuit. Pulsus inde, Tigurum remeauit: atque inde à Hugnosticis Gallis vocatus, venit ad Colloquium Pissiacenum, vbi in publica fidei confessione à Beza & comministris quidem dissensit, sed in profanandis, spoliandis, ac euertendis Catholicorum templis, in confringendis aris & diuorum memorijs, inuadendis vrbibus, deprædandis Regni prouincijs, denique omnia replendi perduellionibus, seditionibus, cædibus, atque vastitatibus, (quarum rerum tristes adhuc reliquiæ nos macerant) pulchre conuenit atque consensit. MIN. Tam nefariam vitam non est quin feralis exitus consequatur, vt vsu venit huic scelesto cum suis Zvvinglianis.

DOCT. Quia me hortatus es, vt rem paucis absoluerem, de Caluino nihil aliud dicam, nisi quod reus est coram Deo & Angelis eius omnis humani sanguinis in bellis ciuilibus per Gallias, Belgeum, Scotiam, Angliam, Hiberniam profusi: quin & inuidiam sustinet omnium animarum, quæ ob id æternam incurrerunt damnationem. Itaque vita eius plena superbiæ, ambitionis, crudelitatis, errorum & tumultuum: & infamibus adulterijs tam corporalibus quam spiritualibus contaminata, eiusmodi catastrophen, vt Bolsecus & Harennius ministri qui præsto aderant, horrifica diuinæ vltionis & reprobationis cœlestis in eum signa & argumenta comperti sint: quæ res effecit, vt eieratis illius hæresibus, ad Ecclesiæ & fidei Catholicæ portum fœliciter sese receperint. 25.

MIN.

MIN. Sed horum duorum testium fides apud eos iustis exceptionibus reijci posse videtur. A

DOCTOR. At Beza suspectus illis esse non potest. Is refert Caluinum suum septem lethalibus morbis afflictum & discruciatum fuisse. Nec (opinor) archiministrum Lutheranum Schlusselburgium repudiabunt, quandoquidem cum Lutheranis se vnanimem consensum habere publicis scriptis iactitant, *Deus* (scripsit ille) *in virga furoris sui Caluinum visitans, atque horribiliter eum puniens, ante mortis infœlicis horam tremendam (nam Deus manu sua potenti adeo hæreticum percussit, vt desperaret) dæmonibus inuocatis iurans,* B *exsecrans, & blasphemans miserrime animam malignam exhalauit. Obiit autē Caluinus morbo pediculari, vermibus circa pudenda, in apostemate, seu vlcere fœtentissimo crescentibus, ita vt nullus assistentium fœtorem amplius ferre posset. Hæc publicis scriptis Caluino obiiciuntur (in quibus etiam de ipsius ἀσελγείᾳ, variis flagitiis, & Sodomiticis libidinibus, ob quas stigma ferro candenti dorso Caluini impressum fuerit à Magistratu, horrenda narrantur:) ad quæ nondum video solidam & luculentam aliquam refutationem à Sacramentariis editam esse, &c. Scio & lego Bezam aliter de vita, moribus, & obitu Caluini scribere. Cum vero Beza eadem hæresi, eodemque peccato nobilitatus sit, vt historia de Audeberto, & de Candida eius meretricula testatur, nemo ipsi hac in parte fidem habere potest.* C En vitam, mores, & mortem huius, si inferis placet, Prophetæ, Apostoli, ac noui Euangelistæ, Reformatorisque Caluini. En sanctitatem Hugnostica apotheosi dignam.

L. 2. Theologiæ Cal. art. 9.

MINISTER. Iuro miserabilis, perditi, damnati, atque Cum Caino, Antiocho, Herode, Iuda, Arrio, & aliis diuinæ religionis hostibus infœlicissimum exitum. Nec certe alium finem tandem consequi poterunt quotquot eius errores, impietates, & blasphemias sibi persuaderi permittent, aut eas D tutari & propagare studebunt, quocunque tandem nomine censeantur. Nam si cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam cadunt, &c.

* *
*

QVOD II QVI PROPTER CALVINIANAS hæreses supplicio sunt affecti, non sint veri Martyres Dei: nec à morte in Paradiso cœlesti suscipiantur: aduersus 42. & 43. Hugnosticorum errorem.

CAPVT XIII.

DOCTOR.

QVatuor sectarij Scriptores Latino, Gallico, Anglico, & Germanico sermone, multos immanesque libros conscribillarunt, & in lucem ediderunt; vbi quibuscunque possunt artificijs, ac eloquentiæ viribus persuadere nituntur, omnes eos qui post Ioannem Hussum, legitimo Magistratus iudicio condemnati, supplicio affecti sunt, quod fidem Catholicam deserentes, peruicaciter Lutheri, Zvvinglij, & Caluini hære[illegible]bus adhæserint, veros esse Dei martyres, ac [illegible]r consequens in Paradisum cum Christo [illegible]ceptos.

MIN. Vidi & legi crassum volumen Gallice contextum, & à Crispino Geneuæ excusum: item aliud authore Foxo Latine scriptum, & impressum Basileæ; necnon cuiusdam Pantaleonis Germani: deniq; Adriani Angli his de rebus libellos. Nec ignoro Bezam, Caluinum, Tubingenses & VVitebergenses, cæterosq; Prædicantes, in scriptis & concionibus suis, magnopere solitos celebrare suos martyres, eosdemque Diuorum ordinibus ascribere. Caluinus namque pro innata gentis stoliditate & inani gloriatione, iactat: *Sexcenti Martyres coram Deo aduocati, stabunt pro defensione meæ doctrinæ. Pro eadem causa hodie trecenta hominum millia periclitantur.* Cont. Hesshus. fol. 89.

Præterea, illos præ omnibus antiquis & veris martyribus Christi suspiciũt ac venerantur: quorum nomina tollũt è Calendarijs, vt nothos & ascriptitios inserãt, ad exẽplum furiosi Caligulæ, qui capite dempto numinibus suum imponi curabat. Documento sit prædictus Foxus Anglus, qui in locum magni Athanasij Ioan. Hussum suffecit, pro Simeone Ierosolymorum Episcopo, martyre, cognatoque domini nostri secundum carnem, ausus est Martinum Lutherũ substituere. Pro illustrissimis martyribus Mauritio & socijs Thebanis, supposuit quẽdam Robertum Barnesium: pro sanctissimo Abbate Macareo, impiissimũ VVicleffum: Hoperum nebulonem, pro S. Matthia Apostolo, Sanctum quoque Alexandrum

 Patriar-

Patriarcham Alex. & martyrem, à quo pri- A mum Arrius deprehensus in errore, & anathemate percussus est, debito ordine suo mouit, vt locum cuidam terræ filio Farrario patefaceret: & martyres Iouinum & Basileam, vt subijceret quendam Bilneū. Multos martyres in Africa sub Arrianis morte mulctatos expunxit è catalogo SS. vt Cranmerum triplicē ex Anglia apostatam intruderet. Processum & Martinianum abdicauit, vt Bradfortus adoptaretur. Et vt alios multo plures omittam, Caprasium antiquū Dei martyrem exhæredem fecit, vt in vacuam possessionem Latimerus, sacramentarius inuaderet, &c. Nec dissimulare possū, B quin mirabili desiderio incenderer laudandæ virtutis, & amplexandæ religionis eorum, cum legerem qua constantia & magnitudine animi summos cruciatus pertulissēt, euangelicam veritatem, & gloriam Domi[illegible] propugnando.

Confut. 1. DOCT. Quid si validissimis rationib[illegible] obtineo, non constantes eos, sed peruicaces extitisse: nec Euangelium confessos, sed turpiter inficiatos: neque pro veritate, aut gloria Dei mortem occubuisse, verum ob crimina, blasphemias, & abominandos errores: ac proinde nō posse dici veros Dei Martyres: nec cœlo potitos esse, sed in inferna C loca præcipitatos? Quid tum dicturus es?

MIN. Siquidem tantam rem præstare poteris, liberabis animam pungentibus spinis, & acerbis dubitationum aculeis, qui me noctes atque dies misere sollicitant: intellectū illustrabis discussa caligine errorum, quibus hactenus obuolutus & occæcatus fuit.

DOCT. Principio tenendum est, Non carceres, non vincula, non laqueos, nō gladios, non furcas, non ignes, aut flammas, nō alia credulitatis inuenta, vel mortes, q̄ miseris mortalibus infliguntur, simpliciter & absolute Martyres Dei facere: sed causis rationibusq; illorum res distinguitur & ponde- D ratur. Proinde non debemus attonito vultu mirari malefactorum pœnas, quam intrepide ad supplicium pergant, quanto mentis robore mortem oppetāt: aut cum in medijs cruciatibus læti & alacres exultare videntur, non iccirco statuendum est, eos esse viros fortes, sanctos, aut martyres. Nam hoc si statuas, multi prædones, homicidæ, sacrilegi, Iudęi, Turcę, Tartari, Persæ, Mauri, Ethnici, Gymnosophistæ, mulieres Indicæ, & id genus hominum, quos nemo dubitat esse reprobos & damnatos si in erroribus suis immoriātur, velut testes aut Martyres veri Dei sanctificari deberent. MIN. Nulli certe dubium, quin multi Ethnici, Spartana nobilitate cruces ac mortes concoxerint: quin ex his nonnulli diris superstitionib. imbuti, vel se vltro immolandos p̄buerint, vel sibi spōte manus attulerint. Nec potest negari, quin cōplures gladiatoria firmitate suppliciū tolerarent, nec ideo tamen sancti, aut Dei Martyres sunt censendi. Neq; n. Dominus simpliciter enuntiat, Beatos esse qui persecutionem patiuntur, sed addit, *propter iustitiā*: atq; *Matt. 5.* ita pati pro re iniusta & impia miserū ac in- *1.Pet. 2.* fœlicem potius patientem efficit, q̄ beatum. Paulus item non indefinite gloriatur in vin- *Philip. 1.* culis, perpessionibus, aut stigmatib. suis: sed *Coloss. 4.* quod ea toleraret propter Euangelium & *1.Tim. 2.* nomen Christi. DOCT. Huc respiciens Au- *Gal. 6.* gustinus, scite & prudenter ait: Martyrē non *Philem. 1.* facit pęna, sed causa. Chrysost. quoq; in eam *Ep. 61.* sententiam declamat: Raduntur latera la- *Orat. 1. ad Iud.* tronibus, sepulcrorum effractoribus, & veneficis. Eadem pœna sæpe Martyribus irrogatur. Supplicium & mortis genus idem est: causa & conscientia longe dispar: & ideo lata est inter vtrosque differentia. Proinde nō sola per se tormenta cōsideremus: sed causam & conscientiam cuiusque. Amamus & honoramus Martyres, non quod crucientur: sed quod ob Christum cruciatus ferunt. Contra, latrones detestamur, non quod puniuntur: sed quod ob malefacta puniuntur. Hactenus iste. MIN. In posterum sane cauebo diligēter: ne attonitus hæream in externo illo gestu, & habitu, quo quisque mortem patitur: sed causas & rationes expendam, propter quas cruciatibus & morti adiudicentur.

DOCT. Iam vero docui superiores istos 2. hæreticos, ac horum satellites & sectatores, non mori propter Dei causam, nec propter eius verbum, veritatem, aut gloriam: sed in primis, ob manifestam apostasiam, qua turpiter fidem ac Eccles. Cathol. abiurauerunt: nec id tantum, sed & eam diabolico plane odio calumniantur, deformant, diuexant, persequuntur. Primum namq; iusiurandum q̄ à miseris desertoribus istis Ministri vestri flagitant, h.e. (vt olim Nouatus) vt omnem Ecclesiæ Romanæ debitam obedientiam *L. præf.* eiurent, & Missam se nunquam audituros. Tertullianus igitur acute colligit: Hæreses facere apostatas, vt Persecutio Martyres. Et Hieronymus neminem excipiens, Om- *In c. 24.* nes hæresiarchas vno ordine habet non *Matt.* solum

L.1. cont Iouin. solum pro apostatis, sed & pro antichristis. A Et alibi ait: Sicubi audieris eos non à Domino nostro IesuChristo nuncupari, sed à quoque alio, vt puta Marcionistas, Valentinianos, &c. scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Nec ab eius mente discedit Augustinus, cum omnes qui ab vnione Ecclesiæ desciscunt, antichristos appellat his verbis: *Tract. 3. in ep. Io.* Omnes certe qui exeunt de Ecclesia, & ab vnitate eius præciduntur, Antichristi sunt. Nemo dubitet. Ioan. enim eos designauit: *1. Ioan. 2.* *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, &c.* MIN. Reuera Luther. Melanthon, Carolstadius, Zuinglius, Caluinus, & eorum gregales exierunt ab Ecclesia Cath. in B qua baptizati fuerunt: nec seruarunt promissa facta in sacramento regenerationis suæ, illam conuiciis & probris diuexatam lacerauerunt: proinde non est vt apostasiæ crimen vllo modo subterfugiant. DOCT. *Deut. 13.* Atqui Deus ore proprio capitalem pœnam *Exod. 32.* sancit in apostatas & antichristos. In eamque *3. Reg. 18.* rem Moses, Iosue, Phinees, Dauid, Elias, Io- *4. Reg. 9.* *Act. 5. 8. 13.* sias, Iehu, Machabæi, quinetiam Petrus & Paulus, Spiritus sancti impulsu, fortem ac fidelem operam nauarunt: quod velut rite ac præclare factum, amplissimo elogio Deus ipse comprobauit. Manet igitur ratum ac firmum, Hæreticos qui propter apostasiam & C antichristianismum addicentur morti, quocunque modò illam ferant, nihilo magis esse Dei Martyres, quam olim fuere pseudoprophetæ, adoratores vituli, Baalitæ, Ananias, Saphyra, Simon, Elymas, aut eos quos Apostolus tradidit Satanæ, omnium carnificum crudelissimo, cruciandos: aut denique Antichristus ipse, quem Dominus interficiet Spiritu oris sui.

3. MIN. Hæc sane valentissima ratio est, & quæ animum meum in sententiam tuam perducit. Secundum adiice. DOCT. Martyres Christi esse non possunt, quia morte damnantur, eo quod effœtas ac fœtidas Simo- D nis Magi, Marcionis, & Manichæi aduersus liberum arbitrium: Pseudapostolorum, Gnosticorum, ac Eunomianorum aduersus bonorum operum necessitatem ad iustitiam & salutem: Sabellianorum & Arrianorum aduersus sanctissimæ Trinitatis vnitatem, distinctionem, adorationem, & inuocationem, horrendas hæreses atque blasphemias, pro viribus recoquunt ac instaurant: Cum etiam Deum omnium peccatorum cooperatorem & authorem comminiscuntur, Florinorum, Blastorum, & Gnosticorum flagitiosas opiniones reuocant ab inferis. Valentinianos & Agnoitas approbant, cum Christum hominem ignorationis, & impropriarum elocutionum accusant. Eundem quatenus homo est, adorare & inuocare detrectantes, Nestorij se discipulos profitentur. Pelagianis consentiunt in causa peccati originalis, & Baptismi necessitate ac efficacitate. Donatistas æmulantur, cum ad eorum exemplum templa nostra diruunt, altaria subuertunt, ad aras trucidant sacerdotes, pedibus calcant sanctissima Sacramenta. Vigilantianis aggregantur, cum inuocationem Sanctorum, & venerationem reliquiarum aspernantur: Aerium quoque sequuntur aduersus preces & sacrificia quæ fiunt pro defunctis, &c. MIN. Priore colloquij nostri septimana, omnium hæreseon quæ per Satyram enumerasti, & quarum priore huius parte, tam liquido conuicti fuerunt, vt neminem Hugnosticorum id inficiaturum existimem, si spiritu docilitatis ad legendum industriam adhibuerit. DOC. Perinde quasi parum sit refingere veteres, nouas insuper fabricant aduersus Deitatem, humanitatem, conuersationem, doctrinam, passionem, mortem, resurrectionem, ascensionem, & reliqua opera & mysteria filij Dei ac Domini nostri Iesu Christi: aduersus septem Sacramentorum institutiones, formas, materias: ac effectus: aduersus libros canonicos: aduersus Ecclesiæ notas: aduersus sanctos omnes: vti ex parte iam docuimus, & paulo post docebimus. Denique, nulli vnquam hæretici fœcundiores mendaciorum extiterunt, audentiores in blasphemiis, impudentiores in concionibus, in scriptis, ac sermonibus, quam sint isti nouissimi Hugnostici. Quod cum ita sit, non-ne pronunciare possumus, à legitimo Magistratu nostro iure cæsos videri? Nec passos esse pro Euangelica veritate, sed propter instauratas veteres, & inuentas nouas hæreses? Sicque minime conuenire, vt in Paradisum abierint, aut vt pro Martyribus Christi habeantur? MIN. Nihilo sane magis atque Simon Magus, Marcion, Manes, Sabellius, Arrius, aliique alastores, quorum instaurant & amplificant errores, viamque muniunt nouissimo Antichristo.

DOCT. Tertio, morte affecti sunt ob infinitas coniurationes, monopolia, conspirationes, rebelliones, bella plusquam ciuilia, tumultus, quibus insurrexerunt aduersus legitimos Magistratus, Principes, Reges, Im- 4.

peratores, ab iis animos subditorum alienã- A do, eosque inter se funestis bellis committendo. Insuper, hostes eorum euocarunt, agros copiis armatorum inundarunt; terram cæde, sanguine, cadaueribus piorum polluerunt: sanctas virgines, castasque matronas prostituerunt: florem nobilitatis ferro necarunt: miseros agricolas exusserunt: ciues affixerunt patibulis: sacerdotes & monachos per omnia ludibriorum & tormentorum genera dilacerarunt. MIN. Certe, vt recentes historias paucis replicemus, non possunt Lutherani aliique hæretici ministri negare, quin Principes & respublicas Germaniæ aduersus Cæsarem Carolum quintum conci- B tauerint. Rusticos Franconiæ aduersus Nobilitatem, Anabaptistas aduersus Episcop. & Dominum suum Monasteriensem: Belgas, Flandros, Batauos, Hollandos, Zelandos, & Phrysios aduersus naturalem Principem: & in sui domini subuersionem Gallos, Germanos, Scotos, Anglos, Hibernos: deniq; Mauros, atq; Turcas, fœderibus, promissis, calumniis, legationibusq; sollicitauerint. Quinetiam manifestum est, quod in Scotia subditos impulerint, vt legitimam Reginam litiũ calumniis implicarent: vt omnem ipsi reuerentiam, fidelitatem, & obedientiã denegarent, in palatio obsiderẽt, regia dignitate ab- C dicarent, seq; permittere libidini eorum, qui post 18. annorum miserrimam captiuitatem, ignominiosa carnificis manu caput ipsi amputarunt. Similiter iam septies in Francia ciuicos motus repetierunt: plurib. prœliis congressi sunt: Regem suum obsederunt: monetam murcidam in minoritatis eius ludibriũ cuderunt: famosos vndique libellos in eum, eiusque propinquos disperserunt: Portum-Gratiæ munificissimum regni propugnaculum Anglis hostibus patriæ prodiderunt: Germanos equites sæpius in Regni penetralia introduxerunt, vt omnia ferro flammisq; fœdarent: immissis percussoribus neca- D runt Principes, & Regum officiarios: fana solo adæquarũt, monasteria demoliti sunt: sacras bibliothecas exusserunt: sepulchra illustrium Dominorum, & ossa patrum suorum effoderunt: reliquias Apostolorum & Martyrum partim in cineres redegerunt, partim abiecerunt in gemonias, deniq; lumen hoc regnorum, & sidus gentium, tot cladibus, ærumnis, ac desolationibus cumulauerunt, vt ad occasum, & fatalem metam peruenisse videatur. Atq; hæc Caluinianorum Prædicantum, & sectatorum præclara facinora.

DOC. Atq; hæ sunt causæ propter quas interdum lege cum iis actum est, conuictique perduellionum & læsæ Maiestatis tam diuinæ quam humanæ, dignum moribus factisque suis exitum inuenerunt. Hæc seges & materies istorum Caluini martyrum. Eant nunc, & iactitent se pro veritate, & reformatione Ecclesiæ persecutiones passos, &c.

MIN. Non celabo te, quid mihi acciderit, 5. dum eorum Martyrologia curiosius euoluo: quod & ea valde suspecta & dubia mihi reddiderunt. Inter legendum namq; occurrerũt multi, quos certo noueram iure necatos fuisse, non propter verbum Dei, sed ob latrocinia, sacrilegia, seditiones, proditiones, & parricidia: quosdam etiam compertum habebam sibi præ desperatione salutis ex cõscientia criminum, sua manu necem consciuisse. Sane perculsit ea cogitatio labentem animum, effecitq; vt vniuersos istiusmodi libros mendaciorũ ac imposturarum nomine suspectos habuerim. DOCT. Bonum profecto factum fuerit, si nonnullos ex vtraque nota nominatim designaueris. MIN. In catalogo Foxi Angli commemoratur Onlæus, eiusque conscelerati, quibus inflicta nex est, quod partim artibus magicis, partim proditione Regem Angliæ de medio tollere moliti sint. Ob idem crimen interfecti fuerunt Cobham, Acton, Broun, Beuerlay, cum triginta & sex conspirationis eorum affinibus. King & Debnam sacrilegij scelere damnati perierunt. Atque hi de priore nota. Ad posteriorem pertinent Randalius, qui vt alter Achitophel aut Iudas, laqueo sibi fregit gulam. Hales, qui sponte se in fluuium dedit præcipitem. Hunnus, qui pugione proprio pectus fodit, &c. En præclaros & fortes, Foxi martyres. En sancti Hugnostici.

Nec puduit Pantaleonem Zuinglio martyrij gloriam asserere, qui contra patriam pugnando sceleratam mortem oppetiuit: iudicioque Lutheri, vt latro iuste periit. Et vt vna fidelia simul omnes parietes dealbet, ille eundem titulum tribuit omnib. perduellibus, qui abhinc 40. annis in vniuersis ciuilibus Galliæ bellis occubuerunt. Vidi etiam libellum, vbi Poltrotus ille sicarius, qui Ducem Guisium, Regis vicarium per summum scelus obtruncauit, & ob id decreto Regio, ac Senatusconsulto Curiæ tanquam nefarius percussor, admissis equis in 4. partes distractus est, tanquam aliquis sanctus martyr collaudatur. Quendam etiam alium inter martyres sectæ suę connumerant, quem nemo

mo nescit sæpius per contumaciam morte A damnatum placito curiæ Parisiensis, & sententiam in effigie mandatam exsecutioni, propter rebelliones, seditiones, sacrilegia, bella excitata, & diuinæ ac humanæ Maiestatis læsæ publica crimina. DOCT. Oro te, videntur-ne tibi tales martyres proxime ad similitudinem Petri, Pauli, Stephani, Laurentij, & aliorum veterũ accedere? An non potius referre perditos ac furiosos eos Circun-
Epist. 68. celliones, de quibus D. Augustinus scribit: Viuunt latrones, & honorari volunt vt Mar-
L. 5. *hist. c.* 18. tyres? Eusebius ét recitat Mõtanistas in tantũ vecordię prouectos, vt prædicationibus suis B velut Martyrem celebrarent quendam factionis suæ Alexandrum, qui tamen prædo famosus, & fur improbior fuerat, eoque nomine causa cognita supplicium persoluerat.
L. 3. 4. 5. *Bohem. hist.* Exemplum secuti sunt Taboritæ & Bohemi in seditioso tribuno militum, sicario & sacrilego Zischa, qui iam moribundus testamento cauit, vt hæretici regionis istius (quibus in bello aduersus Reges suos imperitauerat) tympanum ex eius corio conficerent, idque in prœliis contra Catholicos circumferrent atque pulsarent, &c.

7. MIN. Satis iam de istis: cæteras rationes ob quas Hugnoltici martyres Christi nec dici C nec esse posśint, exsequere. DOCT. Iustisśimum sumptum est de iis supplicium ob famosos libellos, quos compositos excudunt, & quantũ possunt longe lateq; disseminant in opprobrium Dominorum, Principum, ac Regum Catholicorum: sicuti in Francia factitarunt aduersus optimos Reges suos Henricum secundum, Franciscum secundum, Carolum nonum, Henricum tertium: contra Reginam prioris vxorem, matremq; sequentium: contra Reginam Scotiæ viduam Francisci secundi: contra Reginam Hispaniarum Regum nostrorum sororem: contra D illustrisśimos Cardinales & principes Borbonium, Lotharenum, & Guisium: contra eorum fratres item ac nepotes. Nec huic fortisśimo & Christianisśimo Regi nostro Henrico quarto, qui nunc rerum potitur, pepercerunt. MIN. Enimuero editi sunt ab eis Libelli mirificis inscriptionibus. *vt Matutinum suscitabulum, Secretum fisci, Franco-gallia, Historia turbarum, Vita Catharinæ, Antiguisartus, Henricus Eremita*, similesq; nugæ, quarum titulus magna ex parte Maledicentiam præ se fert: in iis congeruntur omnia probra, flagitia & scelera, quibus atrox odium aduersus illustres personas concitari solet à turbulentis & factiosis hominibus: quod crimen nulla morte satis plecti potest.

DOCT. Opinor te quoque memoria tenere contumelias & iniurias, quas scriptis deblaterant aduersus sanctisśimos Apostolos Petrum, Paulum, & Iacobum: aduersus Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem Euangelistas: necnon aduersus discipulos, martyres, doctores & pastores totius Ecclesiæ Dei Catholicæ: quibus criminationibus conuicimus eos tam euidenter, vt nullus vltra locus inficiationi relictus sit. MIN. Horum omnium probe sum memor: nec dubito tantas imposturas atque blasphemias dignisśimas esse, quæ ferro potius Magistratus vindicentur, quam refellentur calamo disputantium. 8.

DOCT. Præterea, grauisśimam animaduersionẽ à Magistratibus promerentur horribiles insolentiæ, quib. pasśim, vbi potestas datur, effusisśime debacchari solent. Veluti cum Iudæorum, Saracenorum, aut Turcarum ritu, figuras crucis Christi dirumpunt: memorias & imagines Sanctorum si ex solido lapide sint, confringunt: si ex ligno, flammis absumunt: si ex argento & auro, conflãt in nummos: calices & sacras vestes suppilãt: veneranda sacramenta pedibus conculcant: in sacris Baptisteriis turpitudines innominandas perpetrant: templa Deo in memoriã sanctorum eius dicata conuellunt ex imis sedibus, &c. Igitur supplicium ob maleficia sua iustisśime ferunt, & optimo iure plectuntur: nedum ob veritatem, aut Euangelium, aut reformatam Religionem martyrio coronantur. MIN. Nemo etenim negare potest, quin Crispinus, Foxus, & Pantaleon in martyrum suorum ordinem retulerint Ioan. Lotharenum, Guliel. Leiton, Nicolaum Marsum, Robertum King, Debnam, Sanromanum, Nauierum, & alios complures, quibus à Magistratu condigna flagitiis merces irrogata est, quod aut cruces, aut imagines diruissent: nonnulli quod consecratam hostiam ex manu Sacerdotis correptam in frusta continuissent: quæ scelera seditionis insimulantur etiam ab ipso Martino Luthero: *L. cont cœlest. Proph.* *Spiritus* (inquit) *Iconomachorum non est bonus: spirat enim cædes & seditiones, etiam si disśimulet ad tempus, quandiu non videt opportunitatem.* 9.

DOC. His adde antiquisśimi concilij Eliber- *Cap.* 60. tini decretum, quo statuitur, vt qui raptus inconsulto zelo etiam idola Ethnicorũ effringeret, & ob eam causam ab iis occisus esset in numerum Martyrum nõ admitteretur: quia (dicunt

(dicunt Patres) iſtud nec præceptum eſt in A
Euangelio, nec ab Apoſtolis vſurpatũ. Quid
ergo ſtatuendum de furentibus Aeolis iſtis,
qui in venerabilem memoriam Ieſu cruci-
fixi, & beatiſſ. matris eius tam turpiter & in-
digne deſpuunt? Qui ad exemplum Donati-
Optat. l. 2. contr. Par. ſtarum, aut obiiciunt canibus ſacroſanctam
Euchariſtiam, aut ſacras aras euertunt, aut
phialas vbi ſanctum Chriſma ſeruatur, con-
fringunt? Conflant in maſſas Calices pretio-
ſi ſanguinis Chriſti portitores? Auguſtinus
Epiſt. 154. Serm. 6. de verb. Dom. interdicens ne quis euertere audeat abomi-
nationes (i. idola) Paganorum inuitis Domi-
nis, inuadendo eorum terras ac poſſeſsio-
nes: is ne tuo iudicio, martyrem cenſuiſſet B
eum, qui ſupplicio affectus eſſet, eo quod ve-
nerandum Domini noſtri patientis monu-
mentum atque figuram confregiſſet? MIN.
Minime vero gentium.

10. DOCT. Adhæc, tam inflati ſunt ambitu
& cupiditate inanis gloriæ, vt cultum & ho-
nores ex miſeria quærent, id eſt, vltro ſe pe-
riculis & ſuppliciis offerunt pro ſuſtinendis
Caluini erroribus, quo celebrentur in Libel-
lis atque concionibus Prædicantum tan-
quam magnanimi heroes & martyres Do-
mini. MIN. Eſt-ne credibile, quemquam
adeo dulcis animæ prodigum eſſe, vt pro
putans cuſtodiam ſui corporis, quam omne C
genus animantum ſumma ope totiſque viri-
bus tuetur ac defendit: ſpiritum per immen-
ſos cruciatus effundat? Atque id faciat nullo
ſolido bono ductus, ſed euanidam ob lau-
dem, & fumum auræ popularis? DOCT.
Tantam vim habet vanæ gloriæ aculeus, vt
L. 1. c. 9. ſcribat Lactan. Epicurum hoc ſtimulo con-
citatum aduerſus diuinam prouidentiam
inſurrexiſſe: ſummum bonum in volupta-
te, in dolore malum collocaſſe: multoſque
alios commentum eſſe damnatiſsimos er-
rores, hoc fine ſolum, vt author alicuius ſe-
L. de vtil. cred. c. 1. ctæ perhiberetur. Et Auguſt. ab intima ſtirpe
hæreſeon omnium exquirens originem, D
concludit eos oriri ab effrænato tempora-
riæ commoditatis appetitu: & maxime glo-
riæ, principatuſque gratia. Eiuſmodi contu-
melioſum honorem Arrius inter Arrianos
obtinuit: Neſtor. inter Neſtorian. Luth. inter
Luther. Zuinglius inter Zuinglianos: Calui-
L. 2. contr. 2. Gaud. Epiſt. c. 19. nus inter Caluinianos, &c. Alibi exemplum
adfert Circuncellionum (genus erat hæreti-
corum Donatiſtarum) qui tanto impetu ac
feruore præcipites ruebant ad famam mar-
tyrij, vt & Paganos, & Catholicos viros ad
mortem ſibi compellerent inferendam.
Quod ſi nemo repertus eſſet, qui perire vo-
lentes nollet occidere, dabant ſe præcipites
è rupibus, aut profundis fluminibus ſeipſos
ſubmergebant, laqueis ſe præfocabant, aut
flammis abſumenda corpora ſubiiciebant.
Quinetiam Tertullianus teſtatur Lucretiam *L. ad Martyras.*
Romanam fœminam ſua ſibi manu necem
attuliſſe, vt caſtitati ſuæ gloriam pareret. Mu-
tium Sceuolam coram Rege Porſenna ma-
num ambuſsiſſe, vt hoc factum eius famam
haberet. Heraclitum ardore Solis oculos
excoxiſſe; Empedoclem in ardentem Aet-
nam inſiluiſſe: Peregrinum igni impoſitum:
Didonem rogis ſeſe dediſſe: vxorem Aſdru-
balis vna cum liberis vltro in cineres conſu-
mi ſe pertuliſſe: Cleopatram pabulo ſerpen-
tibus fuiſſe: plures item & viros & fœminas
ſpõte ſua crudeliſsimam ſubiuiſſe mortem,
vt aut ignominiam vitarent, aut laudem in
terris ab hominibus conſequerentur. Quam
multos legimus Scythas, Gymnoſophiſtas,
Græcos, Iudæos, Romanos, & Barbaros, ea- *Hiſt. Indi.*
dem de cauſa prompte & parate finem ſibi
maturaſſe? Nonne etiam hodie in regno
Bengala, Indorum fœminæ conſcendunt
maritales rogos, & alacri animo acerbiſsi-
mos ſubeunt dolores, vt à parentibus & affi-
nibus laudentur tanquam ſingularis exem-
pli matronæ, quæ maritos & viuos & mor-
tuos amare perſiſtant?

Et certamen habent lethi, quæ ſponte ſequatur
Coniugium, pudor eſt non licuiſſe mori.

MINIST. Veriſsima ſunt quæ narras de 11.
acri ſtimulo, & vanæ gloriæ potenti effectu:
nec dubito quin infiniti Ethnici hoc velut
œſtro pereiti alacriter ad mortem cucurre-
rint: ſed vt hoc de hominibus Chriſtianis
credam, non poſſum adduci. DOCT. Quid
ita? Nonne circuncelliones & Chriſtianos,
& Euangelicos, & reformatæ Eccleſiæ iuxta
formam Donati ſe profitebantur? Sed ne
veterum hæreticorum obſoletos annales
voluemus, conſidera quid noſtris tempori-
bus multis ſectarum profeſſoribus euenerit.
In vrbe Germaniæ cui nomen Lotembur- *Sleidan.*
gum, vno tempore cremati ſunt viri no- *Surius.*
uem, & ſubmerſæ decem fœminæ Anaba- *Rouer.*
ptiſtæ. Paſſauij octo viri cremati, duæ fœ- *Fontan.*
minæ ſubmerſæ: quinque item continuo *Cochleus.*
ſubmerſi in Rheno Baſileæ: item permulti *Copus.*
adoleſcentes, eandem ob cauſam, tantum
non ad necem publice virgis cæſi ſunt: quo-
rum omnium nemo auditus eſt gemitum

aut suspirium edere: contra, gaudere omnes, A & incredibili peruicacia gloriari, quod pro nomine Domini, pro Euangelio, pro veritate paterentur: nec se dubitare quin Martyribus numerandi essent. Decem in Anglia viui combusti sunt diuersis temporibus, partim ob Arrianismum, partim ob Anabaptismum, qui vultu ac sermone præ se ferebant magnum contemptum ignis ac mortis, quia persuasum habebant se hæc pati propter Dei gloriam. Plusquam centum millia Rusticorum in Franconia, locisque finitimis trucidari sustinuerunt pro doctrina Lutheri, & eius sectatorum, qui obtentu Christianæ li- B bertatis, omnium rerum licentiam ipsis persuadebant. Innumerabiles Adamitæ cæsi sunt in Bohemia, nec multo pauciores Anabaptistæ, aliique fratres atque sorores Charitatis (hoc modo Libertinam hæresin vocant) in Polonia, Morauia, Silesia, Saxonia, Hassia, Hollandia, Zelandia, Frisia, & Flandria: qui se omnes gloriosos Christi Martyres in ipsa morte venditabant atque gloriabantur. Valentinus Gentilis Bernæ capite imminutus, & Seruetus Geneuæ exustus, nonne gloriabantur se vberiori luce perfusos à Domino, melius veritatem nosse, & re- C formatiores esse Christianos, quam omnes istorum locorum Prædicantes, & Ministros. Immensa vis hominum seditiosorum periit in ciuilibus bellis Galliæ, dum propugnant Maroti psalmos, commenta Caluini, decreta Bezæ, dumque velut pro aris & focis dimicant pro libertate, vt vocant, conscientiarum: id est pro fortunis quorundam apostatarum, mêdicorum, Galatronum, incestuosorum, qui se Ministros appellant, & miras per artes ipsis consuadent fore, vt hæc faciendo, magnifici euadant Martyres, & directo limine conuolent ad superos.

12. MIN. Tam vera & certa sunt hæc omnia, D vt nihil habeam quod illis opponam. Veruntamen miror vnde tantus ardor. Nam si hac mente patiantur, vt ab hominibus reputentur Martyres, & in Martyrologiis Ministrorum scribantur, vt famam & gloriam ab hominibus accipiant: hæc cogitatio non est à Spiritu sancto. DOCT. Mellifluus Bernardus huic tuæ admirationi occurrens affirmat, eam proficisci ex eo quod homines non satis attente perpendunt, quantum possit faciatque Diabolus in corda mentesque eorum quos possidet. Nonne plus est (ait ille) sibimet hominem inicere manus, quam id libenter ab alio sustinere? Hoc autem in multis potuisse diabolum frequenter experti sumus, qui seipsos aut submerserunt aut suspenderunt. Denique Iudas suspendit seipsum, Diabolo sine dubio immittente. Nihil ergo simile habent constanstantia Martyrum, & pertinacia horum: quia mortis contemptum in illis pietas, in istis cordis duritia operatus.] MIN. Deploranda sane miserorum cæcitas, nisi quod in erroribus & miseriis sibi placent, in mendaciis alienisque inuentis gratulantur, Interim stat illud, nec labefactari potest, eos dum sic moriuntur, non intrare in cœlum vna cum gloriosis Dei Martyribus: sed torqueri in inferis cum Diabolo & angelis eius. DOCT. Attende qui Hieronym. diserto Pauli testimonio idipsum euincat. Martyrium si ideo fiat, vt admirationi & laudi habeamur, frustra sanguis effusus est. Loquatur Apostolus, loquatur vas electionis: *Si tradidero corpus meum vt glorier, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.*] Consentit magnus Antistes Augustinus his verbis: Apud hæreticos qui propter iniquitates & errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerint, nomine martyrij se iactant, vt hoc pallio de albati facilius furentur quia lupi sunt. Si autem vultis scire in quo numero habendi sunt, pastorem bonum Paulum audite. Quoniam non omnes qui corpora sua in passione etiam ignibus tradunt, æstimandi sunt sanguinem fudisse pro ouibus, sed potius contra oues: *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans.* Audite vt eos tangat, imo transfodiat, qui falso martyrij nomine in passionibus gloriantur. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Nihil illi prodest, quia caritas deest. Adde charitatem, prosunt omnia. Detrahe caritatem, nihil prosunt cætera.] Alibi hanc differentiam notat inter veteres illos & sanctos Dei Martyres, & nouitios hæreticorum pseudomartyres: Caritate fecerunt Martyres illi, qui in tempore persecutionum passi sunt, isti autem de tumore & de superbia faciunt.

MIN. Sed si contingeret aliquem eorum captum à Turcis, Ethnicis, Iudæis, Arrianis, Trinit. aut Libertinis cremari, quod confiteretur Iesum Christum esse verum Deum hominem, & vnicum generis Saluatorem: nonne verus Martyr esset quamuis in reliquo pertinaciter adhæreret Caluinicis opinionibus? DOCT. Nihil minus. Nam prisci 13.

Marginalia: *Serm. 66. in Cant.* — *Matth. 27.* — *Ioan. 13.* — *Com. in 5. c. ad Gal.* — *1. Cor. 13.* — *Ser. 50. de ver. Dom.* — *Matth. 7.* — *1. Cor. 13.* — *Tract. 6. in Ioan.*

Euseb. li. 5. hist. c. 15. & 16. Niceph. Martyres Christi cum ad supplicia raperentur, si qui forte Montanistam, Marcionistā, Gnosticum, aliumve Sectarium Duci secum animaduertissent, ab eorum consortio seiungebant se: quin & carnifices orabant ne simul morerentur, neu sanguinem miscerēt cum eorum sanguine: quia prędicti hæretici cum nec filij sint nec membra Ecclesiæ Catholicæ, non debebant aut poterant in numero verorum ac legitimorum Martyrum collocari. MIN. Mirabile narras, & quod nunquam mihi in mentem venerat. DOCT. Si antiquorum monumenta diligentius expendisses, didicisses à B. Cypriano, quod Martyr esse non possit, qui in Ecclesia non est.] Augustinus quoque ait: firmissime tene, & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum vel schismaticum, in nomine Patris & Filij & Spiritus S. baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, & si pro Christi nomine sanguinem fuderit, nullatenus posse saluari. Omni enim homini qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet vnitatem, neque Baptismus, neque eleemosyna quamlibet copiosa, neque mors pro Christi nomine suscepta, proficere potest ad salutem, quando in eo vel hæretica vel schismatica prauitas perseuerat, quæ ducit ad mortem.] Et D. Hieronymus eadem comprobans ait: Quod hæretici foris nefanda committunt, extra arcam Noe naufragio perierunt.] Et rursus alibi: Grandis labor, sed grande præmium esse quod Martyres, esse quod Apostoli, esse quod Christus est. Quæ quidem vniuersa tunc prosunt, cum in Ecclesia fiunt.] &c. MIN. Video sane antiquos Ecclesiæ proceres, nunquam adduci potuisse, vt hæreticorum vel schismaticorū approbarēt Martyria. DOC. Imo ne quidem pro Christianis eos habuerunt: sed eos tanquam Ethnicos, Idololatras, & antichristos reiecerunt.

(Margin: Li. de vnit. Eccl. — Epist. 52. 54. 74. — Lib. de fide ad Petr. 39. — In cap. 23. Ezech. — In cap. 5. ad Gal. — Epist. ad Eustoch.)

A B C D

14. MIN. Si hoc peruiceris magnam à me gratiam inibis. Nam eadem opera docueris nihil in terris esse detestabilius ac damnabilius, schismatis ac hæreseos crimine: proinde pseudomartyras Hugnosticorum tam procul abesse à Paradiso, quantum inde distat abyssus inferorum. Vir Apostolicorum temporum Tertullianus non habet loco Christiani, nisi eum qui ad extremum in fide Catholica perseuerat. Nam qui ab ea desciscunt, velut paleæ sunt segregatæ à formento, lolium à frumento disiunctum, hædi ab agnis, plantæ à Patre cælesti non plantatæ. Velut Lucifer à bonis Angelis disparatus, velut Iudas abiungens se à cœtu Apostolorum: velut Nicolaus, Phigelus, Hermogenes, & Philetus, qui propter hæreses à magno corpore Ecclesiæ sunt auulsi. MINIS. Quam miro verborum compendio res magnas includis? Sunt enim totidem oracula cœlestia, quibus hæretici titulo Christianorum spoliantur. DOCT. Statim concludit: Si hæretici sunt, Christiani esse non possunt. Et cum loquitur de hæresi Simonis magi, quem in multis Caluiniani sequuntur, his verbis vtitur: Vtique & ipsa inter idololatrias deputabatur, & à Petro Apostolo damnabatur. Et paulo post: Hæreses ab idololatria non distant: cum & authoris, & operis eiusdem sint cuius & idololatria. Mendacium quod dicunt, genus est idololatriæ. Alibi adhuc apertius: Sicut nationes manibus, ita & ipsi (hæretici) verbis idola fabricantur, id est, alium Deum, & alium Christum. Irenæus martyr eo paulo vetustior, scriptum reliquit, quod Polycarpus, cum in Marcionem hæresiarcham incidisset, non alio alloquio hominem prosequutus est, *nisi quod eum vocauit, primogenitum Satanæ.* Ignatius & ipse martyr, & his antiquior, hæreticos vocat, Seductores animarum, inimicos crucis Christi, traduces eorum qui crucifixerunt eum, belluas agrestes, aspides, basiliscos, scorpiones, canes, serpentes, dracones, progeniem Diaboli, &c. Quibus verbis apparet Patres sic animatos fuisse, vt hæreticos potius Ethnicis, Antichristis, belluis, & Diaboli filiis annumerarent, quam hominibus Christianis, nedum sanctis Martyribus Christi. MIN. Nec possum nec fas esse arbitror vllam exceptionem obiicere tam grauibus & inculpatis testibus: sed quia Paradoxum videtur, & præter opinionem omnium, cuperem adhuc pluribus munimentis magis magisque confirmari.

(Margin: L. præscrip. — L. præs. — Act. 8. — L. adu. Prax. — L. 3. cap. 3. — Epist. ad Tral. Philadelph. & Antiochen.)

15. DOCT. Epiphanius scribit: Omnes hæreticos æquiuoce vocant Christianos, qui Christiani non sunt. Manichæos, inquam, & Marcionitas, Gnosticos, & alios. D. Hieronymus multis in locis tenet, Totidem idola fabricari, & adorari ab hæreticis, quot falsa dogmata sub prætextu diuini verbi comminiscuntur. Tandem ita concludit: Omne dogma contrarium veritati adorat opera manuum suarum, & constituit idola in terra sua, &c. Item: Omnia dogmata falsitatis idola nominantur. Et deinceps: Hæreseon principes simulacra dogmatum suorum artificij corde componunt, & venerantur

(Margin: Contra hær. 29. — In cap. 2. Isa. — In ca. 44. Isa.)

In cap. 3. Dan. rantur ea quæ à se sciunt esse simulata. Et alibi: Omnes hæretici qui fulgore eloquentię sæcularis falsum dogma componunt, auream statuam faciunt, vt auditores cadentes adorent idolum falsitatis. Et rursum alibi: *In cap. 8. Ose.* Sicut nationes corporalia simulacra venerantur, sic hæretici Deos putant idola, quæ de corde suo finxerunt, & ideo reputabuntur in numero nationum. Rursumque: *In cap. 2. Habac.* Sculptile atque conflatile reor dogmata esse peruersa, quæ ab his à quibus facta sunt adorantur. Vide Arrium sibi sculpsisse idolum creaturæ, & adorasse quod sculpsit. Cerne Eunomium conflasse imaginem falsam, & conflationi suæ curuare ceruicem, &c. MIN. Non potest dici significantius omnem hæreticorum erroneam opinionem esse idolum. Proinde cum eam statuunt loco verbi Dei, pro ea decertant & moriũtur, vere fabricãt, erigunt & adorant idolum, & auditoribus suis adorandum proponunt: vnde consequitur, Omnes hæreticos paganos & idololatras esse. Sed vnde colligis, eos Antichristos ab illo vocari?

16\. DOCT. Inciuile est, nisi tota lege perspecta iudicare vel respondere. Attende igitur quid hic Author alibi dicat. *Dial. cont. Lucifer.* Sicubi audieris (inquit) quosdam non à Domino, sed ab alio nuncupari, vt puta, Marcionitas, Valentinianos, Montenses, &c. scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam. Et idem alibi: *In cap. 1. Nahum.* Tot Antichristi sunt, quot falsa dogmata. Item: *In cap. 24. Matth.* Ego reor omnes hæresiarchas Antichristos esse: & sub nomine Christi ea docere, quæ contraria sunt Christo, &c. MINIST. Nihil iam dubito quin si D. Hieronymus legisset, vel audiuisset in concionibus Caluinum, Bezam, & similes, vociferantes Christum non esse miraculose natum ex Virgine, non ab initio beatum, non omniscium, non omnipotentem, non sufficientem ad promerendam redemptionem nostram: imo etiam detrectasse munus Mediatoris, nihil corporea morte sua fecisse pro nobis, in ea tantum extremæ desperationis materiam esse, & cæteras Geneuanorum Prædicantum aduersus Christum blasphemias: non est dubium quin eos velut Antichristos horruisset, nedum vt ob hæc flagitia damnatos, in Martyribus habendos iudicasset.

17\. Subiunge quædam ex magno Augustino, & desiderium meum cumulate expleueris. DOCTOR. Scribit alicubi: *Lib. de Pastor. c. 12.* Hereticus & si non frater Diaboli, certe adiutor & filius est. Item alibi: *Tract. 3. in epist. Io.* Omnes qui exeunt de Ecclesia, & ab vnitate eius præciduntur, Antichristi sunt. Nemo dubitat. Ioannes designauit, *Ex nobis exierunt, &c.* MINIST. Atqui Caluinus, Beza, & hoc genus omne, exierunt de Ecclesia, & ab eius vnitate præcisi sunt: igitur Augustino iudice, sunt adiutores & filij Diaboli & Antichristi. Proinde, cum propter hæc à Magistratu plectuntur, non possunt esse vel dici Martyres Christi.

18\. Postremo, cuperem à te rescire, vtrum veteres hæreticorum familiæ, suos quoque Martyres venditarint, iisque pro munimento vsi sint ad doctrinæ suæ fidem fulciendam: sicut hodie fit ab istis? DOCT. Imo isti hac in parte ab illis superantur. Etenim solenne suum Diabolus obtinet, vt in suorum cœtibus conetur adumbrare (sicut Iustinus Martyr & Tertullianus grauiter annotarunt) quidquid in sancta Dei Ecclesia bonum ac sanctum animaduertit. Itaq; reputans in domo Dei veros Prophetas reperiri, falsos sibi vindicauit: videns Ecclesiam splendidis claruisse miraculis, ficta in conuentus suorum Ministrorum adsciscere conatus est, vt ea quæ Iambres, Mambres, Baalitæ, Simon, Elymas, Menander, Marcus, Montanus, aliique venefici fecerunt. Cum essent in Ecclesia Dei vera veri ad docendum Apostoli, ad seducendum Diabolus habuit Pseudoapostolos. Similiter, cum ad Dei cultum cerneret erecta templa, altaria, sacrificia, sacerdotes, pontifices, virgines, hæc infernalis simia nihil non horum imitata, inter Ethnicos sua phana, aras, sacrificia, flamines, pontifices, & Vestales constituit. Et vt Deus præcones verbi sui constituit, sic Satanas Ministros & prædicantes errorum sibi adoptauit. Denique, cum haberet Deus tam constantes seruos & magnanimos assertores causæ ac religionis suæ, aduersus infideles, vt mirabili fortitudine pertulerint vincula, gladios, cruces, bestias, exquisitissima genera pœnarum: hic ab orco Mimus reperit sibi tam præfractas ceruices, & obstinati rigoris satellites, qui vt patroni sui mendacia, errores, blasphemias tueantur, nullum supplicium subterfugiunt.

19\. MINIS. Hæc quidem mira æque ac certa, verum ad interrogationem non respondes, videlicet, quęnam veteres sectæ Pseudomartyrum suorum nomine gloriari consueuerint. DOC. Mane, isthuc ibam. Tertullianus *Lib. adu. Prax.* Praxeam fœdum hæreticum his coloribus delineat,

delineat, quod turbulentus fuerit, atque etiam de iactatione martyrij inflatus, ob solū, & simplex, & breue carceris tædium. A Eusebius testatur, *L. 5. hist. c. 16.* Montanistis nihil æque studio fuisse, quam vt sectæ suæ martyres tergeminis honoribus extollerent, *Epiph. cont. hæres. 69. 76. 80.* rati se hoc pacto conciliaturos authoritatem doctrinæ suæ contra Spiritum sanctum. Sed non est (inquit) quod quisquam ob eiusmodi technas magnopere commoueatur: quandoquidem multæ aliæ hæreses, atque adeo Marcionistæ multo magis gloriabantur ob frequentiam martyrum, qui ex eorum conuenticulis prodierant. Epiphanius author est, Arrium concilio Niceno condemnatum, & ex finibus B imperij Romani à Constantino magno exterminatum, *Contra hær. 69.* solitum gloriari, se hanc ærumnam tolerare pro tuenda veritate, & Dei Patris gloria. *Epist. 68.* Augustinus memoriæ prodidit, quod Donatistæ magna ex parte, viuebant vt latrones, moriebantur vt Circuncelliones, & à suis honorabantur vt martyres. Non deponunt (ait scelera latronum) & honorem sibi exigunt Martyrum. *Epist. 50.* Alibi exprobrat ipsis, quod tam incredibili cupiditate tituli martyrum exardescerent, vt impressiones facerent in Paganos quo ab ipsis interficerentur. Interdū obuiis, nisi se necarent, necem minitabantur. Cum neminem inuenirent C à quo ferale munꝰ istud impetrare possent, corpora sua in præceps iaciebant vel aquis se submergebant, aut flammis torrendos se permittebant. Nec dubitat beatus Antistes, quin ab ipso Diabolo ad hanc intemperiem adigerentur, qui iam ante tentarat *Matth. 4. Marc. 5. Matth. 17.* Dominum, vt se de pinnaculo templi deorsum mitteret, quique in aquas gregem porcorum præcipitarat: & lunaticum hominē nunc in aquam, nunc in ignem coniecerat. *L. contra Ep. Manichæi, c. 8.* Idem Pater vitio vertit Manichæis, quod maiore solemnitate soliti essent celebrare diem emortualem hæresiarchę sui Manis, quē Rex persarum excoriari viuum iusserat, quam D fœlicissimum diem resurrectionis Domini nostri Iesu Christi. Nouatiani quoque palam *Socrates li. 4. hist. cap. 23. & li. 7. c. 25. Nicetas Psellus. Bernard. ser. 66. in Cantica.* iactabant penes se rectam esse religionem & veram Ecclesiam, ideoq; sectæ author Nouatus sub imperio Valeriani Martyrium subiisset: multique eius discipuli sub tyrannide Constantij & Valentis ad supplicia rapti fuissent. Idem Nestoriani, Priscillianistæ, Massaliani, ac Euphemitæ. Idem & Apostolitæ & Petrobrusiani postea fecerunt. Ac ne singulis immorer, paucæ sectæ reperientur licet inuicem dissidentes, quæ non martyres suos ostētauerint. Nihil igitur mirum si nunc Anabaptistę, Lutherani, Caluiniani, Seruetistæ, Trinitarij, Valentiniani, itidem præstent.

Sed breuem instituamus comparationem eorum miraculorum, quæ prisci & sancti Doctores memorant accidisse religioso tactu cultuq; reliquiarum S. Martyrum, veros denique & vetustos illos Martyres Christi, cum istis nuperis & suppositiciis. 20. Hinc enim cuique peruium fiet, quantum inter illos & istos distet. *Orat. in Iul. & in Carminib.* Nazianzenus refert non solum corpora verorum Martyrum, sed etiam guttulas eorum cruoris, cineres, & alia monimenta, cum honorabantur & tangebantur in fide & pietate, malignos spiritus eiecisse, & omnia morborum genera persanasse. Gregorius Nyssenus scribit, *Orat. in laud. S. Theod.* quod is qui secum asportare poterat nonnihil pulueris à sepulchro Theodori martyris, felicem sese prædicabat tanquam reperto inæstimabili thesauro, propter illustria miracula quæ inde fiebant. Chrysostomus ardebat ingenti *Ho. 8. ad Eph.* desiderio videndi & osculandi catenas, quibus Romæ Paulus adstrictus fuerat, ob admirandas virtutes quæ ex ipsarum contactu promanabant. Idem alibi testatur, malignos spiritus tam aspere torqueri ab ossibus Martyrum, vt præ dolore corpora possessorum deserere cogerentur. Damascenus in hanc *L. 4. de fid. ortod.* rem copiosius disserit, & ex Scripturis sacris eandem confirmat.

Venio ad patres Latinos. Augustinus ex 21. professo materiam hanc tractans, *L. 22. ciu. c. 8.* ait se vidisse Cæcum illuminari, & Dæmoniacos sanari tactis ossibus SS. Geruasij & Prothasij Martyrum. Item, visum restitui fœminæ, faciei suæ imponenti flores, qui Diui Stephani reliquias attigerant: necnon iisdem floribus quatuor alios ægrotos sanari: tribus adhuc podagricis præsens leuamen adferri: tres adolescentes à mortuis excitari: deinde, puellas duas: denique miracula fieri propemodum innumerabilia. Testis est D. Hieronymus *Epitaph. Paulæ.* Paulam Romanam vidisse res mirificas ad sepulcra Abdiæ, Elisæi, & Ioannis Baptistæ: grauiterque Vigilantium increpat *Li. aduers. Vigilant. Ep. 85.* tanquam obsessum à Dæmone, quod virtutes calumniaretur, quæ ab ossibus Sanctorum procedebant. Ambrosius recitat *Serm. 93.* complures cæcos, ac mutilos sanitati redditos fuisse tangendo vestes, ossa, & sepulchra Martyrum: iudicatq; hæreticos isthæc deridentes filios æstimandos esse eorum qui miracula Domini nostri Iesu Christi Beelzebut *Luc. 11.* principi Dęmoniorum adscribebant. Quin-

etiam

etiam eos esse diabolos, qui fugere ab obsessis compulsi, nihilominus virtutem eius diuinam fatebantur, &c. A

22. Dic tu nunc mihi vicissim, quæ miracula vnquam ædita fuerunt ad cineres Hussi aut Pragensis? Quæ in sepulchris Lutheri, Zuinglij, Caluini, & aliorum Sectariorum? MINIST. Nullum equidem fando audiui: tantum hoc scio illis exprobrari ab Erasmo, quod ne Felem quidem vnquam à tussi liberare valuerunt: aut efficere vt equus claudicans recto talo incederet. DOCT. Salsissime profecto eos ridens Tertullianus scribit: In peruersum Apostolos æmulantur. Illi n. de mortuis viuos faciebant: isti de viuis mortuos faciunt.] B

Epist. ad frat. infor. Germaniæ. L. præs.

23. Sed de his satis: totam hanc disputationem sic concludo. Cum ciuilis Magistratus vestros martyrii falsarios plectat non ob verbum Dei sanctissimum & verissimum: sed propter apostasias à fide & Ecclesia Catholica: propter exoletas hæreses quas ab inferis suscitant, & recentes quas inuehunt: propter coniurationes, rebelliones, seditiones, sacrilegia, direptiones, cædes, libellos famosos, euersiones altarium, inflammationes templorum, vastitates vrbium, bella excitata, idololatrias spiritales, blasphemias in Christum, & in omnes Sanctos eius, & alia infinita, imminutæ Maiestatis diuinæ & humanæ, crimina, nulla ratione fieri potest, vt habeantur Martyres Dei, sed sunt reuera flagitiosa diaboli mancipia. Deinde, cum viuant segregati à veræ Ecclesiæ vnitate tanquam desertores ac perfidi transfugæ: in sceleribus peruicaces & impœnitentes moriantur: nullam certe partem habent in regno Christi & Dei. Postremo, cum testatas & indictas inimicitias exerceant aduersus doctrinam fidemque omnium verorum & priscorum Martyrum Christi: cumq; vitam instituant abhorrentem à sanctis moribus, bonis operibus, & conuersatione sanctorum Patrum: imo & sacrilega temeritate calumnientur eorum miracula, sanctimoniam obtrectent, memoriam contumelijs incessant: aduersus illorum sepulchra, ossa, cineres, & memorias, veterum persecutorum more, insaniant, & debacchentur: nemini dubium esse potest, eiusmodi sceleratis nullam cum Sanctis cælitibus fore in regno cœlorum communionem. C D

QVOD CYPRIANVS, HIERONYMUS, Ambrosius, Augustinus, Benedictus, Gregorius, Bernardus, Franciscus, Dominicus, & eorum Aemuli vere Sancti sint, & in Paradiso recepti: aduersus 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. & 53. Hugnosticorum blasphemas hæreses quibus eos addicunt æternæ damnationi.

CAPVT XIV.

MINISTER.

DVo pollicitus es te probaturum aduersus Caluinianorum errores: alterum quod Sanctos prædicarent, & in cœlis collocarent multos, qui non sunt: alterum vice versa quod nonnullos adiudicant perditioni, & è Paradiso pro viribus detrahunt, qui vitam illic beatam & gloriosam cum Deo traducunt. Primam partem accurate & copiose prosequutus es, restat vt ad secundum progrediaris. DOCT. Cum in vniuersum sine exceptione damnant omnes qui olim religionum Monasticarum ordines instituerunt, necnon eos qui se adstringunt votis castitatis, obedientiæ, & paupertatis Apostolicæ calumnijs impetunt tanquam homines superstitiosos, hypocritas, diabolo consecratos, & cum eo pariter damnatos: quot amabo, Sanctos patres reprobant, quos tamen Deus supremo decreto elegit, sanctificauit, & in regno cœlesti glorificauit? MINISTER. Amplius deliberandum censeo, Non enim mihi liquet, quinam istorum ordinum primi ac præcipui fuerint authores. DOCT. D. Hieronymus & alij contendunt Eliam, Eliseum, & eos qui in Scripturis vocantur Filij, id est, Discipuli & imitatores Prophetarum, fuisse homines religiosos, & velut Monachos illius temporis. Quinetiam Filios Rechab præiuisse viam, & exemplum reliquisse ad instituendam vitam Monasticam, quam postea D. Ioannes Baptista, & eum sequuti innumerabiles alij constanter amplexati sint. In hoc genere fuerunt Paulus, Hilarion, Antonius, Macarij, Basilius, Ephrem, Hieronymus, Augustinus, Benedictus, Gregorius, Bernardus, Franciscus, Dominicus, & alij per Africam, Asiam, ac Europam plurimi, qui vel instituerunt, vel consummarunt vitam in sanctis obseruationibus & votis Monasticis. Athanasius porro satis euidenter declarat

Authores vitæ monasticæ. Epist. ad Paulin. ad Rustic. ad Eustoch. Nazianz. Basil. Chrysost. Sozom. Cassian. Isidor. Bern.

In vita Anton.

Monachos, & Monasteria fuisse etiam ante A sanctum Antonium, scribens hunc adolescentulum suasum fuisse ad id vitæ genus cōplectendum à quodam probo sene, qui bonam ætatis partem in eo consumpserat. Et multo ante eum Cyprianus martyr & Tertullianus testantur Virgines iam tum publica deuotione semet Deo consecrasse: sicque iam vota Monastica in vsu fuisse. Magnus Dionysius Areopagita mittens epistolam ad Demophilum Monachum: & in Hierarchia Eccles. describens ritus in receptione Monachorum obseruari solitos, testimonium perhibet hanc sanctam vocationem, & viuendi conditionem ab æuo Apostolorum extitisse. Ignatius auditor B. Ioan. Euangelistæ totiens se commendans precibus sanctarum Virginum, tanquam gregis Ecclesiastici floribus, professionis Monialium dignitatem celebrat. Et vt compendio finiam. Martialis vnus ex 72. obnubens Valeriam, Matthæus Euangelista Iphigeniam, Paulus suffragatione sua comprobans perpetuam virginitatem, qua Deo Tecla iusiurandi religione obstrinxerat: verbis & operibus vitæ Monasticæ vota & ceremonias firmauerunt.

L. de habit. Virginum L. de velādis virgin.

Abdias. Metaphr. Ambros. Ado.

MINIST. Peccant ergo grauiter illius hostes non ignoratione solum, sed & arroganti C malitia, cum eiusmodi Authores in inuidiam vocant, imo damnabiles pronunciare non erubescunt.

Sed citari velim ipsos Hæresiarcharū textus & locos, vbi errorem istum tuentur.

Heret. maledicta in Monachos.

DOCTOR. Beza homo scilicet virginali verecundia, omnes Monachos appellat, *superstitiosos, voratores, superbos, otiosos, gulosos, ebriosos, amphoras potius quam homines, ignorantes, blasphemos, inuidos, ambitiosos, proditores, homicidas, &c.* & ipsa Monasteria vocat, *lustra, & teterrimarum ac monstrosissimarum libidinum officinas, vel fœdissimas potius cloacas, quarum fœtorem ne diaboli quidem ipsi possint amplius susti-* D *nere, &c.* Postremo, votum ipsum continentiæ, *inuectum à Satana*, Caluinus eos contemptim conterit tanquam *homines abalienatos & excommunicatos à corpore Ecclesiæ, conuenticula schismaticorum, lupanaria, porcorum haras.* Vocat eorum vota Deo nuncupata, *abominationes coram Deo, mores peruersos, improbos, idololatrias, quibus diabolo sese consecrant.* Deinde, compulsus authoritate Basilij, Nazianzeni, Chrysostomi & Augustini, vt fateatur vsum Monasteriorum rem esse peruetustam: fastidiosus censor nihilominus ait, *Id*

Confess. c. 7 art. 14.

Inst. l. 4. c. 13. §. 14. 15. 16. 17.

sibi omne displicere tanquam stultas adfectationes inuicem æmulandi, & exempla toti ecclesiæ perniciosa.

MINISTER. Cum tam parui pendat vniuersam institutionem monasticam, non est consentaneum, vt authores illius in Paradiso collocet.

Sed quid Germani ministri de illa censuerunt? DOCTOR. Melanthon ceremonias & vota Monachorum nominat, *Hypocrises, stultas obseruationes, Pharisaicas traditiones, & Mahometanas.* Lutherus abiecta cuculla, statum monasticum appellauit, *Terrenum, Ethnicum, cœnum*: eosque omnes qui castitatem B vouent, *idololatras, qui corpora sacrificent & consecrent Moloch, &c.* Hanc autem proluuiem omnes isti hauserunt ex lacunis Hussi, & VViffcleffi, qui in Concilio Constantiensi damnati fuerunt, quoniam inter plures alios errores scripserant & docuerant, *quod Sancti peccauerant instituendo Monasticos ordines: nec eos habendos esse pro Christianis, qui se iis obseruantiis obligarent.* Item nominatim, *Augustinum, Benedictum, Bernardum esse damnatos, quia instituerint & obseruauerint regulas monasticas: atque istas omnes religiones à diabolo fuisse introductas.* Atque hæ sunt censuræ, hæc decreta, quæ isti filij perditionis ac mendacij pronunciant aduersus æternam salutem tot Sanctorum Patrum: quos quantum in se est, cœlis deturbant, vt ad inferos detrudant.

Apolog. pro conf. Aug.

In cap. 7. 1. ad Cor.

Art. 22. 23. 31. 34. 35. 44. 45.

MINISTER. Hæc quidem accusationem tuam in generali iustam & veram patefaciunt: sed in particulari audire vellem. DOCTOR. Quod ad Diui Hieronymi salutem pertinet, nobilis ille Scutigerulus fidei Caluinianæ, non horret eum appellare. *Hominem furiosum, rabidum, atrabiliarium, falsis opinionibus imbutum, & nihilo sanctiorem habendum, quam ipsum cacodæmonem.* Quam maledicentissimam orationem à dictatoribus Caluino & Beza recepit: qui non alia mente Diuum Hieronymum citant, nisi vt suggillēt, ac maligne vellicent, vti superius demonstrauimus. Alibi, idem Caluinus, quinque antiquos Patres alios vnico damnationis elogio complectitur, scribens: *Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, & alii similes: quibus addere licet, si cui libet, Gregorium & Bernardum, cæterosque.* Eiusdem notæ, sæpissime diuerterunt à recta norma bene ædificandi. Multis alijs locis acerbe taxat & incusat beatum Augustinum, suppresso tamen eius nomine, sicut cum eum vocat *Theologastrum, nuga-*

Dial. 6. 7. & 8.

In 1. Cor. 7 v. 7. & 9. In c. Matt. 19. v. 10. 11 In 1. Cor. 13. v. 15. In c. 16. 11. 13. & Io.

nugatorem, interpretem sine iudicio, authorem opinionum ineptarum falsarum & profanarum, fatuum, delirum, plusquam ridiculum: authorem tam varium & inconstantem, vt à decrepita vetulæ desideriis transuersum se rapi pateretur.

MINIST. Valde aueo scire & intelligere, Num & aliquid aduersus istos sanctissimos Dei homines dixerit & scripserit Martinus Lutherus.

DOCTOR. Henricus Petrus Rebenstok, Eschersheymensis minister Lutheranus, duos libros edidit, 1571. Francofurti impressos, quibus titulum fecit: *Colloquia, meditationes, &c. D. Martini Lutheri*, in quibus hæc aduersus eos refert Lutherana impia verba atque decreta: *Chrysostomus nihil fere syncere scribit, quam de Baptismo paruulorum. Hieronymus nihil præter suas deuotiones tractat.*
L.1.fol.20. Et postea sic Augustin. detrahit, & Hieronymi scripta superbe despicit: *Multi libri Augustini nihil sunt. Hieronymus fere totus nihil est: exceptis historiis, quæ paucis foliis inscribi possunt.*
L.2.f.24. fol.199. Rursus alios superbia magna contemnens, ait: *Basilius & Ambrosius sunt frigidi: Gregorius Nazianzenus accusatur quod ipse in sua poesi versatus, nihil syncere de Deo scripsit.* Rursumque, vt Bestiæ Apocalypticæ cornu, sic
fol.135. sancta Spiritus sancti organa impetit: *Chrysostomus multos splendidos composuit libros: sed tantum sunt chaos & saccus verborum sine re.* Et paulo post, impius Cham patri suo insul-
fol.136. tans ait: *Augustinus non habuit vitam portentosam & Monasticam, sed Papistæ affingunt talia in defensionem errorum suorum. Chrysostomus seditiosus & garrulus videtur.* Et iterum postea:
fol.137. *Hieronymus quia pacem habuit, nihil boni scripsit, neque censeo eum numerandum inter Doctores Ecclesiæ, quia fuit hæreticus. Nihil de Christo tractat, nisi quod nomine vtitur. Nullum inter Scriptores ita odi vt ipsum: tantum de ieiuniis, cibis, & virginitate scripsit.* Atque hæc impij desertoris impia aduersus sanctissimos Patres decreta, hæ calumniæ, hæc maledicta. Et ne mundus ignoraret Lutherum præstantioribus Dei seruis, & sanctioribus Ecclesiæ Pastoribus ac cælibibus bellum indixisse, alter illius commensalium Ioannes Aurifaber, hæc rursum de illo præceptore suo re-
Colloq. mens. fert: *Hieronymus legi potest, propter solam Historiam. Nam fidei & veræ religionis ne semel in scriptis suis meminit. Chrysostomum nullo loco habeo, nihil est enim nisi loquaculus. Basilius nihil plane valet, totus est Monachus. Illum ne pili quidem facio. Hieronymus inter doctores Ecclesiæ numerari non debet. Est enim hæreticus. Cyprianus est infirmus Theologus, &c.*

MIN. Et de hoc plus satis. Pudet enim pigetque tam satanicorum maledictorum & mendaciorum.

DOCTOR. Tantum igitur & paucis referam ea, quæ Authorum vestrorũ furor effrenatissimus effudit aduersus S. S. Franciscum & Dominicum Apostolicæ vitæ instauratores, & CHRISTI IESV imitatores. Curauerunt namque in lucem edendum libellum gallicum, cui nomen *Alchoram ordinis fratrum Minorum*: in quem coniecerunt myriadas calumniarum, & plaustra conuiciorum quæ plenis faucibus euomuerunt aduersus sanctissimum eiusdem sodalitij authorem. Nam statim in primo limine Dialog.15. vocant eum, *Idolum stigmatizatum, &c.* Deinde, in Scuto fidei suæ scribunt, *Regulam eius non posse consistere cum regula Christi: maledictam esse: pugnantem cum Euangelio: mendacem, quæ dehonestet ac euertat Ecclesiam, & contumeliosa sit aduersus Dominum, &c.* Claudunt totam disputationem hac Ministralis modestiæ clausula: *Regula quam introduxit tota ista fax Papicolarum mera sunt figmẽta superstitiosorum & idololatrarum. Eiusmodi Papistica colluuies tam detortis ac peruersis moribus est, vt Christum libenter ab Ecclesia sua deturbarent, ad substituendam eius loco Franciscum, Dominicum, & alios cum suis humanis & plusquam Pharisaicis traditionibus. Franciscus, & alii cucullìones, idololatræ superstitiosi, iudicio suo Christo sapientiores sunt.* Beza denique in hac extrema senecta sua, calamo, lingua, menteque delirans de sanctissimo illo Dei seruo, & quodam Confor- Ser.2.de passione. pag.39. mitatum libro scripsit: *Stupida, infœlix, & plusquam execrabilis Conformitas eius cum Christo, in inferno fabricata, per Satanam euomita, abominabilis idoli Francisci. Hoc tam spurcum & detestabile idolum, &c.* Atque hæc noua nouorum Apostolorum moderatio; hoc potius de sanctissimis Dei seruis peruersum, & à Satana suggestum iudicium.

Deinde, velut singulari certamine cum sancto Dominico, & eius sancto præclaroque ordine congredientes, illum nominant, hostem. *Hostem professum omnium bonorum, aduersarium Euangelii, crudelem sanguinarium, tyrannum, homicidam*: cum re vera fuerit homo inculpatissimus, humilimus, ac præstantissimus Dei seruus: quemadmodum & ordo eius Christianismo perutilis,

tilis, imo Ecclesiæ Catholicæ necessarius, cuius rei specimen præbent summi Pontifices Cardinales, Episcopi, ex eo assumpti: & doctissima monumenta Alberti Magni S. Thomæ, Antonini, Vincentij, Hugonis, & plusquam quingẽtorum aliorum, quorum nomina collegit in Bibliotheca fratrum Prædicatorum Antonius Senensis. En tibi authores iniuriarum, maledictorum, obtrectationum, & damnationum aduersus primos & potissimos vitæ Monasticæ fundatores. En hostes iuratissimos, qui nullo Dei metu deterriti, quantum in se situm fuit, conati sunt eos supernis regnis detrudere, & inferis mancipare. Quid tibi videtur?

Confut. 1. MINISTER. Hugnosticos tam aperte conuinci sacrilegæ impietatis, quod damnent SS. Cyprianum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Benedictum, Gregorium, Bernardum, Franciscum, Dominicum, horumque vniuersos Sectatores, vt id dissimulari nequeat. Illud etiam mihi videtur, dum tot iniurias, dirasque detestationes eructant aduersus hos eximios Christi famulos, hac nota indicant se à Spiritu blasphemiæ possideri, nec vllam sibi superesse vel curam verecundiæ, vel reuerentiam numinis. *Matt.5.* Quod si is qui fratri suo dicit Racha, reus est concilio: qui fatuum vocat, gehenna ignis dignus est, quod tandem supplicium tum in hoc, tum in futuro sæculo expectare debent alastores isti, qui tam intemperanter in Sanctos & electos Dei debacchantur: *Ps.100.* Si Dauid & iuste & palam persequebatur eum, qui clam detrahebat populo suo: profecto Magistratus Christianus iusta reprehensione non carebit nisi seuere animaduertat in eos qui amicis Dei, & ciuibus cœlorum tam petulanter insultant. Et cum Scriptura dicat, *Detractores esse Deo odibiles*, quid sentiendum de Caluino & sectatoribus, qui tanta cum impudentia non solum culpant inculpatissimos viros, sed damnatorio stylo confodiunt pretiosa ista Spiritus sancti organa, & viua membra Christi? *Prou.24. Rom.1. 1.Cor.5.*

2. Præterea, cum sic publice flagitioseque infamant quos Deus sanctificauit, & secum iam asciuit in regnum cœlorum: hoc argumento manifeste produnt se veros esse Antichristi præcursores & metatores, quos *Apoc.13.* Ioannes describit sub forma bestiæ habentis septem capita, & super vnoquoque nomen blasphemiæ, osque apertum ad blasphemandum contra Deum, & tabernaculum eius & nomen eius, & aduersus eos qui A habitant in cœlis, & bellum faciũt aduersus sanctos. Quid enim aliud est bellare contra Sanctos, quam negare eos Christianos fuisse, & damnatos esse, quod faciunt Hussitæ? Aut os aperire ad blasphemandum aduersus illos, quam eos dictitare, *Blasphemos, inuidos, proditores, homicidas, schismaticos, porcos, idololatras, abominationes coram Deo, diabolo consecratos, furiosos, rabidos, minus sanctos cacodæmone ipso*, quod faciunt Caluinus, Beza, & cuncti Hugnostici in Scuto fidei suæ? Atque hæc est mea de illis sententia.

3. DOCTOR. His addi potest, quod cum ita sua despumant aduersus ordinum B Monasticorum Professores opprobria & conuicia, imitantur Arrianos, qui tam hostili odio sui temporis Monachos & Anachoretas persequebantur, vt horum paucis diebus tria millia per Aegyptum & Thebaidem crudeliter ceciderint. Hieronymus etiam recitat Valentem immanem tyrannum ac pestilentem hæreticum, tam capitalibus odijs dissedisse ab vniuerso genere Monachorum, vt edictum promulgauerit, quo cautum erat, vt aut Monachi arma sumerent, & militarem vitam instituerent: aut inhumaniter mactarentur. Donatistæ (vt author est Augustinus) iisdem inimicitijs C persecuti sunt Monachos: & eundem ipsum graui læsum contumelia putarent, quod eiusmodi ordinem instituisset. Tantum vero abest, vt sanctus vir hac exprobratione existimationem suam vlla ex parte minui putaret, vt contra laudem inde aucupatus sit tanquam ex laudabili instituto, quod totius Ecclesiæ suffragio multiplici confirmatum est. *Athan. ep. ad Orthod. & ad solit. Niceph. l. 11.c.27. Cassiod.li. 7.c.39. Ruff.lib. c.3. In Chron. In Ps.132. li. adu. Petil.c.40. Epist.89.*

Postremo, referunt historiæ Hunnos, VVandalos, Gothos, Ostrogothos, VVisigothos, Iconomachos aliosque publicos Christianæ religionis hostes, cum huic bellum indicerent, aduersus Monachos præ D sertim desæuiisse, monasteria & ecclesias eorum subuertisse: vt vere dici possit, Nullos infensiores religiosorum hominum hostes extitisse, quam hostes Dei. Nec dubitandum est, quin hoc odium à Satana proficiscatur, qui eos incitat, stimulat, & accendit, qui sub eius signis militant, vt ad internecionem illos redigere conentur, quos probe nouit tentationibus, fraudibus, & machinationibus suis obsistere. Quocirca recte ait vnus ex Patribus: Omnes quidem Christianos Diabolus odit: sed probos Monachos, Christique virgines tolerare *Paul.diac. Victor. Vtic. Cassiod. Iornand. Niceph. Cassiod. Zonar. Glycas. Anton. ap. Athan.*

in vita illius Theodor. Hieron. Pallad. Cassian. Metaphr. Surius. rare nullo modo potest.] Exemplo esse possunt horrendi insultus, & terrificæ tentationes, quibus antiquos illos Monasteriorum fundatores Hilarionem, Paulum, Antoniũ, Maccarium, Hieronymum, Benedictum, aggressus, horum fidem & pietatem præ cæteris hominibus, formidolosis spectris & illusionibus, labefactare conatus est. Tales sunt Antagonistæ monachorum, tales Hugnosticorum præcursores; atq; hæc monumenta crudelitatis, quæ sibi Caluiniani ad imitandum proposuerunt: quæ apud cordatos homines pro legitima præsentium errorum confutatione valere possunt.

4. MIN. Magnam persensi animo & voluptatem & vtilitatem ex hoc sermone tuo. Digitum enim intendisti ad intimos fontes hostilitatis Hugnosticæ aduersus institutores Monachorum & Cœnob. insuper docuisti me & sanius & benignius iudicare ac sentire de sanctis vocationibus istis, quam antea senseram. Sed si testatis Scripturis obtinere potes, vitæ Monasticæ statum à Deo probari, maiore cum fiducia nulloq; scrupulo reprehensiones atq; censuras Caluin. profligabo. DOCT. Nihil est quod tam facile expedire possim. Sed initio nosse debes

Definitio. Monast. religionis Monasticæ definitionem. Hæc nihil aliud est, quam perfecta obseruatio consiliorum Euang. & imitatio vitæ Dominicæ, & Apost. votis solemnibus obedientiæ castitatis, & paupertatis confirmata. Porro inter Consilia Euang. quæ sunt perfectiones commendatæ, non mandatæ; nec præcepto sancitæ, sed in exemplum propositæ ijs qui sese student exactiores reliquis præstare: obedientia, castitas, & paupertas, præcipuum locum obtinent. Filius Dei sane hæc omnia

Matt.19. Mar.10. Luc.18. complexus, cuidam Adolescenti consulit. *Si vis esse perfectus, vade, & vende quidquid habes, da pauperibus: & veni, sequere me: & habebis thesaurum magnum in cælo.* MIN. Apparet certe non esse præceptum, sed consilium & adhortationem, quandoquidem dixerat Adolescẽs se omnia legis præcepta seruasse à iuuentute sua. Cui vanæ gloriationi Dominus subiicit: *Vnum tibi deest*, nimirum, obseruatio consiliorum, quod & conditionalis annexa magis euincit, *Si vis perfectus esse.* Nõ est enim iussio, qua teneantur vniuersi: sed concilium vitæ perfectioris, instillata ijs qui cæteris antecellere conantur. Præterea, enunciatum istud, *Vende, quidquid habes, & da pauperibus*, consilium est voluntariæ paupertatis. Hæc verba, *Sequere me*, notant obedientiam & casti-

A tatem: quarum virtutum specimen omnibus numeris absolutum, Dominus Iesus in omni conuersatione sua præbuit.

DOCT. Huius vitæ perfectioris atque religiosæ professionem amplexos se Apost. 5.
manifeste declarant cum voce Petri protestantur: *Ecce, reliquimus omnia, & secuti sumus te, &c.* Nam qui vxores habuerant veluti Petrus, eas vt cælibes viuerent, reliquerant: necnon domos, scaphas, retia, vt paupertatis disciplinam capesserent: demum sibi ipsis renunciauerant, vt se totos Magistri mandatis manciparent, quæ vera est obedientia. MINIST. Nihil habeo quod his oppo- *Matt.19.*
B nam.

DOCT. Idem Filius Dei consilium castitatis inculcans, ait: *Quosdam esse eunuchos, qui se castrarunt propter regnum cælorum.* Deinde adiungit: *Qui capere potest* (hoc consilium & donum) *capiat.* Obedientiam vero commẽdat cum dicit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me.* MIN. Non est Dubium quin hæc verba consilij sint, non præcepti: rem enim totam relinquit cuiusque arbitrio. Abnegare autem semetipsum, est voluntatem propriam abdicare præ amore Dei. 6. *Matth.19. Mar.8. Luc.9.*

DOCT. Paulus & vita & doctrina Præce- 7.
C ptoris eximius æmulator, non contentus semel castitatem commendasse, ter quater-ve totus in eo est. *Bonum est homini* (inquit) *mulierem non tangere. Vellem omnes esse sicut meipsum. Dico autem non nuptis & viduis, bonum est si sic maneant, sicut & ego. De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, existimo hoc bonum esse propter instantem. Solutus es ab vxore? Noli quærere vxorem. Qui non habet vxorem, cogitat quæ Domini sunt, & quomodo placeat Deo. Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & Spiritu. Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit: Beatior erit* *1.Cor.7.*
D (vidua) *si sic permanserit secundum meum consilium, &c.* An non ergo aperta de castitate seruanda, consilia? Vehementes & ardentes adhortationes? Hinc autem factum est, vt in primitiua Ecclesia numerus ingens virorũ ac mulierum incensus zelo & pietate venderet possessiones suas, & pecuniam inde collectam adferret ad pedes Apostolorum, pauperibus distribuendam: atque ita in cõmune vitam instituere, paupertate, castitate, & obedientia Deo sancte repromissis. Hoc non solus B. Lucas recitat: sed & Philo Iudæus, l. de vita contemplat. Clemens lib. 3. *Act.4.5.*

Act.4.5. Const. Apost. Dionysius lib. de Hierarch. Eccl. Ignatius in Epist. Iustinus Martyr. Apolog. 2. Athenagoras in legat. Tertul. in Apologetico Euseb. hist. Eccl. Cyprianus in Epistolis: & ne singulos ad testimonium citem, omnes prisci patres tam Græci quam Latini luculentis authoritatibus id ipsum confirment. Quid nunc? Hæ probationes satis ne tibi faciunt, an etiam aliud quippiam desideras? MINIST. Plane vero satisfaciunt. Nam & Dominus in Euangelio suo vitæ perfectioris consilia proponit: tum autem & ipse, & Apostoli eius sic vitam conformarunt: horumque exemplum imitata est pars optima primorum Christianorum. Vnde liquido patet Caluinum & secutores eius summam commereri reprehensionem, quod sic iniuriosi, maledicique sint aduersus sanctos patres, ac huius instituti religiosi instauratores.

8. DOCT. Si seria etiam æstimatione considerare volueris excellentia Spiritus Sancti dona, quibus hi priores Monasteriorum, & regularum Monasticarum conditores, insigniti fuerint Diuinæ comprobationis eorū apertissima signa conspicies. Omnes etenim claruerunt dono miraculorum, quæ multa & illustria fecerunt tam ante, quā post mortem. Athanasius magnus id de sancto Antonio testatur: Hieronymus de Paulo & Hilarione: Eusebius Vercellensis de Hieronymo: Posidonius de Augustino: Gregorius de Benedicto: Petrus Diaconus de Gregorio: Palladius, Cassianus, & Theodoretus de Maccariis & aliis plurimis: Bonauentura de Francisco: de Dominico autem Diuus Antoninus, Vincentius, Iordanes, Constantinus Humbertus, Gerardus, & Theodorus Appoldiensis, omnes viri probi & docti. MINIST. Testatur quidem Scriptura (Matth.7.) quosdam dum in terris degebant, in nomine Domini signa fecisse, quos tamen constat ab eo esse reprobatos: sed hoc nunquam legitur de iis, qui post excessum è vita miracula facere perseuerarint. Quapropter minime dubito quin primi illi Monasticorum ordinum instauratores, velut Sancti & amici Dei gloria celesti perfruantur.

9 Sed cuperem vt à thesi ad hypothesin descenderes, hoc est, vt post vniuersales & cōmunes sanctificationis & glorificationis eorum probationes, ad argumenta singularia descēderes, enincerésque, prædictos authores tam piam in terris vitam exegisse, vt iam in cælis sempiterna fœlicitate gaudeāt: A aduersus falsas Hugnosticorum criminationes, condemnationes, & proscriptiones. Initium sit à Cypriano, quem Caluinus dicit *exorbitasse à bene ædificandi regula*: Lutherus, *infirmum Theologum appellat*: Melancton in 14. Rom. *absurdarum opinionum authorem*: & Caluiniani in Scuto fidei suæ vocant, *impurum, delirum, insipientem, sacrarum paginarum deprauatorem, &c.*

DOCT. Pontius Diaconus, qui perpetuo, etiam ad ipsum vsque martyrij & mortis articulum, eidem affuit, scriptum reliquit (D. Cypriani pietas.) quod cū adhuc Catechumenus, omnia bona sua vendiderit, eaque propter Christum B dederit pauperibus, tum vt expeditus Deo inseruiret, tum vt animum ab omni alia cura liberum in Deum attolleret. Quod laudabile propositum adeo sollicite per omnem vitā seruauit, vt ex desertis locis quo tempore persecutionum secedebat, literas ad suos Sacerdotes Carthaginienses missitaret, quibus (Epist. 5. 6. 36. 37. 60. & li. de oper. & eleemos.) nihil æque studio habebat, quam vt pauperum curam gererent, iisque cum fide & diligentia bonorum Ecclesiasticorum iustam portionem largirentur. Idem recitat se collectam fecisse centum millium sestertiorum, quæ mittenda curauit ad Episcopos Numidiæ redimendis pauperibus Christia- C nis è manu barbarorum. MINIST. Tanta (Matth. 10. Matth. 25.) certe caritas eximia gloriosaque remuneratione carere non potest apud eum, qui mercedem pollicetur iis, qui vel aquæ frigidæ calicem in suo nomine porrexerint: quiq; tam magnifice regnum cælorum donat illis, qui pauperibus, egentibus, sitientibus, nudis, infirmis, captiuis subuenerint. DO. Ille cum esset Episc. omnia veri & solliciti pastoris impleuit munia, ducendo, docendoq; commissum suæ curæ gregem, animum ad martyria quæ tum frequenter accidebant forti pectore toleranda multos Iudæos atq; Gētiles ad Christum adducendo hæreses solide D refellendo: germanam caritatem & bonos mores assidue commendando: semet exercendo continenter in omni castitate, humilitate, patientia, caritate, constantia, & cæteris aliarum virtutum officiis, adeo quidem, vt magni viri illi Lactātius, Maximus, Prudentius, Nazianzenus, Hieron. Aug. fateantur se non posse pro dignitate laudes eius extollere, & sanctitatem mirari. Cum igitur coram Deo, & Angelis eius, tanta pietatis gloria floruerit, multas ei Diuinus spiritus rerum cæ- (Li. 2. cont. Cresc. 32.) lestium reuelationes contulit: eundemque constanti ac glorioso martyrio decoratum è

terræ

terris ad cœlos euocauit. Tantūmodo locū vnū ex D. Aug. proferā, vbi de huius viri sancti charismatib. loquens ait. Cypr. laudē ego consequi non valeo, eius multis literis mea scripta nō cōparo, eius ingeniū diligo, eius ore delector, eius caritatē miror, eius martyriū veneror.] Habes hic fidē, religionē, doctrinam, & pietatem huius eximij Antistitis. Habes exactissimā curam, studiū, operā & industriā sanctissimi pastoris. Habes vitā, opera, mores, & beatā mortem cōstantissimi athletæ domini. Habes deniq; quibus veluti gradibus hic nobilis martyr in Paradisum conscenderit: hæc quæ ante mille & ducetos annos cōtestante, prædicante, & ad posterorū, æternamq; memoriam scribente B. Patre. Aug. Quid igitur de Caluinianis censes, eū sic cōuiciis suis impetentibus, & reprobantib. MIN. Non dubito quin impudentissimas criminationes istorum ab eorum ore exprimat spiritus ille mendacii & blasphemiæ, quem omnes in corde circunferunt.

At summopere desidero vt breuiter laudes Hier. recenseas. Nō enim est apud Hugn. tam parui pretij nebulo, tā imi subsellii furcifer, qui aliquod telum mal edicentiæ in eū coniiciat, idcirco vt opinor, quod tam acriter inuectus est in Iouinianum atq; Vigilantium, quod par improborum hæreticorum in arenam producunt. Doc. Si viri sumus, nō pluris hæc maledicta faciemus, quam latratus canum, aut rudentes asinos. Nihil enim assequūtur, quam vt rabiem suam omnibus perspicuam & manifestam faciant: nec efficere possunt quin tanti Herois virtus, doctrina, probique mores fulgeant velut sol in cælo. Primum enim quatuor illis annis quibus in Syriæ desertis tam austeram vitam vixit, vt mirari quam imitari eam facilius sit, neq; carnes, neq; pisces, neq; coctum quippiam manducauit. Victus somno ossa vix hærentia humi collidebat. Quotidie lachrymę, quotidie gemitus, nec à pectoris cessabat verberibus, donec rediret ipsa Domino iubēte, tranquillitas. Huic austeritati, sanctitatiq; vitæ, assiduū sacrarum literarum studiū coniungebat: tantamque adeptus est earum notitiam & sapientiam, vt in literis Latinis Græcis, Hebraicis, & Chaldaicis parem deinceps reliquerit neminem. Augusl. ex Africa, Orosius ab Hispa. Damasus, Paulin. & alij plures ab Italia; Epiph. è Cypro, Theoph. ab Alex. innumerabiles alij ex omnibus orbis partibus: ad eum velut ad oraculum cōmune, & os Spiritus S. confugerunt, vt quæ igno-

Ep. ad Eustoch.

A rabant, ille doceret: in quibus dubitabant, firmarentur: & consolationes in rebus aduersis reputarent. Haudquaquam enim inscite de illo ait: *Nemo hominum sciuit, quod Hieronymus ignorauit.* Incredibile quantopere magnus ille doctor Augustin. doctrinam eius admiretur, honoret sanctitatem, laudet labores, commendet interpretationes: ab ipsoque doceri cupiat, tanquam discipulus à magistro. Sulpitius Seuerus, sex cum eo mēses moratus in Bethlehem cupiebat reliquū vitæ suæ tempus ad pedes tanti viri exigere. Coact' alio discedere, hoc de eo testimoniū reliquit: Ita literis omnibus institutus est, vt

Aug. ep. ad Hier. Li. 1. contra Iul. c. 7. L. 18. de ciuit. c. 43.

Dialog. 1.

B se illi in omni scientia nemo audeat comparare. Oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non desinit: sed plane omnes boni eū admirantur ac diligunt.] Cassiodorus senator, Gregorius pontifex, Paulinus Nolanus, Prosper Aquitanicus, Gennadius Massiliensis, Beda Anglus, & alij, laudes eius ore pleno decantant. Heluidius, Iouinianus, Vigilantius, & cætera fæx hæreticorum vim ac impetum argumentorum eius non potuerunt sustinere. Euseb. Cremon. qui comes adfuit morienti, magni illius viri fœlicem exitum memorat: & quod multis ad tactum cilicii, & reliquiarum eius miraculis editis, Deus

C patefecit quantopere vitam, studia, labores, & virtutes eius approbarit: & animam æterna vita & gloria sua cælesti dignam iudicarit.

MINIST. Habetne Ambrosius aliquod ab antiquis cuiusdam sanctitatis elogium, ꝙ Caluinianorum maledictis opponatur? DOCTOR. Paulinus refert Deum ab ineunte Ambrosii pueritia, quædam cōmonstrasse præsagia futuræ olim in eo mansuetudinis, pietatis, ac eloquentiæ, cum apes sine noxa leniter eius labiolis cum esset in cunis, insederunt. Theodoretus, Socrates, Sozomenus authores sunt, eum cum Iudex laicus esset, Diuinitus postulatum fuisse ab vniuer-

D so Mediolanensi populo, comprobatum ab Imper. Valentiniano, & à multis Episcopis in Synodo congregatis inauguratum Episcopum constitutumq; Pastorem istius amplissimæ ciuitatis atque prouinciæ: quod sibi præter votum & animi sententiam euenisse tastatur, adeo auersus erat ab omni ambitu & damnabili simonia. Basilius magnus ex animo gratias agit Deo, ꝙ Ecclesiæ suæ tam idoneum, pium, integrum, & eruditum, Pontificem præfecerit, sibique gratulatur, quod cū tali viro familiaritatis & amicitiæ iura si-

Præfat. in vitā Ambros.

Lib. 4. Lib. 4. Lib. 6.

L. 1. offic. Epist. 82. Epist. 55.

Fff 2 bi

bi intercederent, facultas quæ daretur per literas interpretes inuicem communicandi de rebus Diuinis & Ecclesiasticis: quod genus officij mutuo diligenter coluerunt. Augustinus ex Africa in Europam celebritate famaq; de sanctitate & doctrina eius pertractus, Mediolani hominem conuenit, à quo paternum in morem acceptus, tam pulchre sub hoc Dei homine profecit, vt ex pernicioso Manichæo maxime Catholicus, & sanctissimus Ecclesiæ Doctor ac vtilissimus Pastor euaserit. Hac de causa sæpius eum appellat, Excellentem dispensatorem mysteriorum Dei, Optimum & charissimum patrem suum in Christo, Qui per sanctum Baptisma genuerat eum Euangelio vitæ æternæ. Laudat & veneratur labores eius, ærumnas, pericula, constantiamq; in propugnanda fide Catholica tam aduersus fraudes & corruptelas hæreticorum, quam aduersus odia, minas, & insultus tyrannorum. Non raro citat authoritatem & veritatē scriptorum eius contra hæreticos, velut apud Christianos irrefragabilem. Adfirmat talem fuisse viri coram Deo sanctimoniam, vt etiam ipsis Dæmonibus metum incuteret. Theodosius Imperat. ab eo correptus, imo & in ordinem publice pœnitentium redactus, fassus est se in toto imperio Romano neminem reperisse Antistitem Ambrosio digniorem. Valentinianus iunior & Iustina mater eius, omni ope consilioq; tendentes, vt Arrianismum stabilirent, & Catholicam religionem subuerterent: huius herois sola cōstantia ab instituto destiterunt, Fortiter obstitit tyrannidi Maximi, Eugenij & Argobastis: Ruffinum ad silentium adegit: Symmachi paganicam impudentiam compescuit: imo (vt testantur de eo Hieronymus & Paulus Diaconus) totam Italiam, cum maxima parte Galliarum, ab erroribus Arrianorum ad fidei Catholicæ veritatem traduxit. Præterea, pauperes tātopere dilexit, & captiuorum rationem habuit, vt simul atq; factus fuerit Episcopus, ipsis distribui iusserit quidquid bonorum ante possederat. Postea, cum nihil sibi reliqui fecisset, vasa Ecclesiastica conflari & cudi iussit, vt Christianos è barbarorum manibus liberaret, sepeliret mortuos, nudos vestiret, pauperes aleret, viduis & orphanis opē ferret, vt ipse sibi testis est, & has in eo virtutes Augustinus mirifice collaudat. Tandem cū per años viginti & duos in vinea Domini strenue laborasset, Christus fidelem seruum suū volens ad se vocare, laboribusq; perfunctum honore & gloria cælesti coronare, diē mortis ei reuelauit, missoq; Angelo ad Episcopum Vercellensem, qui ei sanctissim. corpus & sanguinē dominicum impertiret, brachijs in crucis modū conformatis, suis benedicens, & spiritum Deo commēdans, ex hac valle lachrymarū in regnum cælorum emigrauit. MIN. Vitā sane fœlicissimam & sanctissimam tu mihi narras, nec aliud iudicare possum de perditis istis hominibus, qui tali virtute ac pietate virum criminantur, quam eos omnem omnino verecundiam ab se abdicasse, coopertos esse omnibus flagitijs, à Domino relictos, mancipioq; traditos Principis tenebrarum, qui sic eorum excæcat iudicia, voluntates deprauat, & linguas acuit ad obtrectandum sanctissimis Dei seruis. Accede nūc ad Augustinum, quem ferunt erroribus Manichæorum quondam infectum.

DOCT. Annos quidem nouem in ea hæsit, sed magno totius Ecclesiæ cath. fructu illius morbo & matris suæ lachrymis & precibus, & Diuinis ad eum vocibus, & cōtinuis D. Ambrosij cohortationibus tandem purgatus est. Hinc magna ingenij qua valebat, sagacitate, Manichæorum fraudes, imposturas, & præstigias detexit, confutauit, profligauit, vt nullibi ante faciem eius consistere possent. Baptizatus, & Catholica religione imbutus anno ætatis suæ circiter trigesimo, vsq; ad annum septuagesimum sextum qui fuit illi nouissimus, tam sancte & inculpate vitam instituit, vt in contemptu rerum mūdanarum, & carnis suæ mortificationem Apostolicam sanctimoniam prorsus imitaretur. Vixit quoq; perenni continentia, meditationibus, precibus, vigilijs, studijs, verbi Dei prædicationibus, scriptionibus pro pietate nostra supra quā dici potest semper occupatus. At vide quam & ipsi hæresiarchæ consentiant in eius prædicationem & suiipsorum vituperium atq; reprobationem. Nam Lutherus de eo dicere solebat, vt Rebenstock commensalis illius collegit: *S. Augustinus præ omnibus Doctoribus mihi placuit & placet. Insignis est Doctor, omni laude dignus: solide & syncerissime rem tractat.* Et Melancton publica de eo oratione ait: *Merito Aug amare debemus, qui cælestem illum thesaurum præcipue cōseruauit. Ornatus est Aug. miraculis quibusdā, expulit dæmones, & quosdā ægrotos sanauit.* Magdeburgenses quoque summa cum reuerentia sic eundem celebrant: *Recte affirmari potest, eum veri Episcopi officio perfunctum esse. Nam veram* docti-

Marginal notes (left column): Aug. li. 5. confess. cap. 13. l. 6. ca. 5. — Li. 1. contr. Iul. c. 2. li. 2. l. 1. de grat. Christ. & l. 1. de nupt. & concup. — Li. 1. de cura pro mor. l. 21. de ciuit. c. 8. Theodor. l. 5. c. 10. — Hieron. in Chron. Paulus Diac. li. 12. — Paulin. in vita. — Li. 2. off. ca. 20.

Marginal notes (right column): Hieron. in Chron. Herm. contract. — 12. Aug. l. 3. Conf. ca. 6. 7. 8. 1. li. 4. c. 1. L. 5. c. 13. L. 7. cap. 2. L. 8. c. 5. 6. 7. 12. L. 9. c. 34. 5. — L. 2. colloq. fol. 135. — Declam. de S. Aug. — Cent. 5. col. 1118. 1119.

doctrinam non modo in sua Ecclesia, sed vbicunque rogabatur prædicauit, ac ea docuit, quæ ex Apostolorum scriptis didicit: errores confutauit, & contra dicentes conuicit. Vitia & mala opera grauiter reprehendit; & quæ ad pietatem pertinent, diligenter inculcauit. Notorie peccantes, aut hæresin defendentes claue ligante constrinxit, & pœnitentiam agentes ad Ecclesiam reduxit, eosque gratia Dei consolatus est. Plurimos Manichæos, Donatistas, Pelagianos, & Paganos conuertit. Possidonius ei adscribit donum miraculorum. Nam oratione, obsessos eum curasse, & ægrotum manus impositione restituisse sanitati refert. Hunc sanctum & strenuum athletam Dei ad conseruandum fideliter sacrum depositum religionis Iesu Christi. Toto tempore ministerii sui Ecclesiastici multas & asperas dimicationes ac certamina sustinuisse contra veritatis hostes, vt fuerunt Manichæi, Donatistæ, Ariani, Priscillianistæ, Marcionistæ, Apollinaristæ, Photiniani, Nouatiani, Pelagiani, Iudæi, & Pagani, quos gloriose deuicit, multosque ex iis in gremium Ecclesiæ, & ad ouile Iesu Christi recollegit. [*L. de vita Aug. c. 29.*] Idem Protestantes adhuc scribunt, *eum à conuersione sua vitam admodum piam egisse, & beneficum fuisse erga pauperes. Consortia fugisse mulierum, & quidem etiam propinquarum, ad suspiciones effugiendas. Frugalem habuisse mensam, cum sacrarum Scripturarum lectione, vsumque vasibus ligneis, figulinis, vel marmoreis. Hospitalem fuisse, odisse auaritiam, arrogantiam, vanam gloriam, atque in primis aliorum obtrectationes. Vestitu permodesto, minimeque sumptuoso vsum fuisse.* Tandem (inquiunt) *plenus omni pietate, virtute, & bonis operibus, anno ætatis septuagesimo sexto, febri correptus, recitando cum piis lachrymis Septem Psalmos pœnitentiales, & in manibus Dei spiritum suum commendando, pacifice illum Domino reddidit.* Atque hæc Germanorum Lutheranorum de Augustini pietate, laboribus, & sanctitate vt vera, sic omnino certa testimonia: vnde patet solum Caluinum & gregales tam eximii viri famam corrodere, & existimationem maledictis suis impudentissime lacessere. [*Cent. 5. col. 1134. 1135. 1136.*] [*Possidonius in vita Aug.*]

11. MIN. Sed quid æquales, quid posteriorum seculorum Patres de illo senserunt? DOCT. Illi hunc vt selectum Spiritus sancti organum honore & amore digno prosecuti sunt: isti nocturna diurnaque manu libros eius versauerunt, imitati sunt doctrinam, & sub tam excellenti magistro proficere studuerunt. MINIST. Recita sodes, aliqua testimonia. DOCT. D. Hieronymus ad eum scribens hoc exordio Epistolam auspicatur: Domino sancto, ac beatissimo Papæ Augustino. Omni quidem tempore beatitudinem tuam eo quo decet honore veneratus sum, & habitantem in te dilexi Dominum Saluatorem: sed nunc si fieri potest, cumulo aliquid addimus, &c.] Paulinus virtutum eius admirationi raptus, in hanc exclamationem erumpit. O verum sal mundi, quo corda nostra condiuntur! O lumen vere positum super Ecclesiæ candelabrum inunctum oleo exultationis à Spiritu septiformi, vt illuminentur omnes Catholici, & nebulæ omnium hæreseôn dissipentur! Os tuum est canale aquæ vitæ, & vena Diuini fontis istius, quæ salire facit homines in vitam æternam. Anima mea præ desiderio suspirat & sitit te, optans irrorari à copioso flumine sapientiæ tuæ, &c.] Et ne multis morer, Sulpitius Seuerus appellat eum, Veram apem Dei colligentem dulce mel verborum eius. Cælestinus Papa, Virum sanctæ memoriæ, qui semper habitus est inter præcipuos & irreprehensibiles Doctores. Gregorius Papa; Christianos omnes adhortatur ad legendos libros eius, tanquam omni sana doctrina & pietate redundantes. Prosper Aquitanicus testatur eum fuisse sagaci ingenio, suaui eloquio, doctum in literis humanis, valde exercitatum in Ecclesiasticis & Diuinis, dilucidum in suis disputationibus, in omni actu suo compositum, Catholicum in suis expositionibus, acutum in dissoluendis difficultatibus, circunspectum in conuincendis hæreticis, prudentem & fidum in exponendis Scripturis. Cassiodorus scribit, eum in omni genere disciplinarum apprime versatum fuisse, subtilem in differendo, prorsus Catholicum, prorsus orthodoxum, purum & integrum repletumque lumine cælesti. Hilarius Arelatensis dicit, eum excellentissimum Doctorem, defensorem nostræ fidei, assiduum in meditationibus Diuinis, carentem metu mortis, destructorem sacrilegorum, debellatorem omnium hæreticorum, fulcrum & firmamentum omnium vere credentium. Remigius Antis. ait, quod quemadmodum Sol omnes reliquos planetas luce ac maiestate præcellit, sic & Augustinus doctrinæ laude reliquis præstet interpretibus. Bernardus sic de eo loquitur. Augustinus est validissimus malleus hæreticorum. Rupertus optime indicat, Spiritum sanctum hoc organo fuisse vsum ad magnam Dei laudem, ad Ecclesiæ sustentaculum, & ad perpetuam fidei Catholicæ muni-

[*Hieron. Epist. ad August.*] [*Paulin. Epist. ad Aust.*] [*Epist. ad Aug.*] [*Epist. ad Episc. Gall.*] [*Epist. 37.*] [*Epist. de grat. & lib. arb.*] [*Prolog. in Ps.*] [*Epist. ad frat.*] [*In Epist. 2. Cor.*] [*Ser. 80. in Cantic.*] [*Lib. 1. de oper. Spir. cap. 19.*]

munitionem: quodque fuerit verum columen ac firmamentum veritatis, super quo Sapientia Dei thronũ suum collocauit, &c. Quid de his censes? MIN. Profectò longe sanius hos iudicare, & sanctius loqui de isto Dei seruo, quam Hugnostici faciant, qui nihil nisi conuicia, & blasphemias in Electos, filios Dei, & hæredes cælorum despumant.

14. Verum, progrediamur ad alios. Quid ais de sancto Benedicto tot Monachorum & Monialium patre? Hos namque vniuersos acri stilo damnant Caluiniani. DOCT. *Malach.2.* Aio Deum omnipotentem qui per Prophetam pollicetur se benedicturum iis, quibus pseudoprophetæ maledicent, tot contulisse charismata huic vere sancto & benedicto viro, vt ex eius ordine electi fuerint viginti *Sabellic. lib.2. Ennead.8. Trithemius.* quatuor supremi Ecclesiæ Christianæ Rectores, ducenti Cardinales, sexcenti Archiepiscopi, quatuor millia Episcoporum, atque innumeri Doctores, sanctique viri, qui *Li.2.Dial. c.11.15.26. 31.32. Paulus Diac. l.16.* fœliciter in vinea Domini nostri percolenda desudarunt. Aio cum beato Gregorio, quod præstabilis hic seruus & imitator Christi tantopere dilectus est à Deo propter vitæ sanctimoniam, vt in vita & post mortem multis claruerit miraculis, puta, sanauerit leprosos, illuminauerit cæcos, expulerit dæmones, mortuos resuscitauerit, ac Spiritu Prophetico res futuras prædixerit. Demum, sex ante obitum diebus, denunciata sibi per reuelationem morte, iusserit se in oratorium ferri, sanctissimum Domini corpus sibi administrari: brachiisque in crucis formam expansis, cum lacrymis & feruentissimis precibus, fœlicem animam in manus Redemptoris sui deposuerit.

15. MIN. Omnes isti Neoterici parum fauent Gregorio, quia Papa fuit, sæpius Missam celebrauit, precatus est pro defunctis, multaque alia fecit cum horum placitis pugnantia. DOCT. *Matth.5.* Filius Dei prædicat eos felices, quos improbi odio habebunt, ac persequentur propter nomen suum: proinde morbus ille quo rapiuntur Hugnostici *Paulus. Diacon. Io. Stella. Platina. Niceph. lib.18. Isidor. Rabben.* aduersus hunc vigilantissimum & sanctissimum Ecclesiæ Dominicæ Pastorem, cedit illi potius in honorem, quam in contumeliam. Etenim tantam in vita sanctitatem præ se tulit dum in terris fuit, vt iam inde ab adolescentia voluptatibus & pompis mundi nuntium remiserit, vniuersum patrimonium venundatum partim pauperi-

A bus erogauerit: partim in ædificatione sex in Sicilia Monasteriorum consumpserit. Vnum autem Romæ vbi in omni castitate, abstinentia, & paupertate sic vixit Apostolica, vt Spiritum Prophetiæ acceperit à Domino, Diuinis sæpe reuelationibus, & colloquiis Angelicis gauisus sit: tandem etiam miraculorum dono excelluerit. Ornatus quoq; peculiari gratia Spiritus sancti, quem Paulus Diaconus Discipulus & commensalis eius sæpe se vidisse perhibet sub specie *Damasc. ser. de defunct. Euthym. in Pampl.* columbæ eius capiti insidentem. Græci quoque scripta illius sic æstimarunt, vt in linguam suam transfundendos curauerint B tres eius libros de cura Pastorali, quatuor item Dialogos quos velut grauis & authentici Scriptoris subinde laudant. Adhæc, Ministri Lutherani fateri coguntur, seruatam *Cent.6.pa. 679.680. 681.685. 686.687.* ab eo fuisse doctrinam Dei sanctam & inuiolatam in omnibus articulis, eundemque fideliter pro veritate decertasse contra Paganos, Iudæos, Arrianos, Manichæos, Donatistas, Agnoitas: conuersos ab eo Angelos, Baleares, Sardos, & rusticos Campanos ad Iesum Christum: Longobardos ab eo reductos ab Arrianismo ad fidem orthodoxam: purgatam Galliam à Simoniacis, conuictum Eutychem Constantinopolita- C num male de resurrectione sentientem: comprobata eius suffragiis quatuor priora Concilia generalia. Rursum fatentur eum fuisse perliberalem erga pauperes & peregrinos: summæ humilitatis & humanitatis erga singulos: acerrimum iuris iustitiæque vindicem, præcipuum castitatis amatorem, quiq; mirifice proborum & doctorum hominum consuetudine delectaretur. Denique, tanta cum cura & fide functiones Ecclesiasticas ab eo fuisse administratas, vt eius tempore talem in Ecclesia statum in vrbe Roma obtineret, qualis fuisse perhibetur Alexandriæ sub Apostolis Luca & Marco. D MIN. Quid ergo nunc sibi volunt tribunitii spiritus isti Caluinisticæ factionis? Est ne quod obiectare possint aduersus tam clara sanctitatis & doctrinæ Christianæ testimonia?

DOCT. Quod ad Diuum Bernardum spectat Discipuli eius quinque libros ediderunt de illius vita & conuersatione. Hunc 16. tanta sanctitatis gloria claruisse ferunt, vt *L.1.c.1.2.* iam inde à pueritia ex vultu eius ad modestiam composito, ex præcoci in verbis prudentia, & ex pietate quam factis præferebat, colligi posset fore aliquando virum, quem

quem S. Dei singulari fauore dignaretur. Adhuc puerulus prout poterat in pauperes effusus erat, veneficam vt carminibus suis capiti eius afflicto mederetur, accersitam procul abegit. Adolescens mirabili constantia illibatam castitatem seruauit. Delecto vitæ monasticæ instituto, sex fratribus suis, aliisque multis nobilibus adolescentibus persuasit, vt exemplum suum sequerentur. Carnem assiduis vigiliis, ieiuniis, orationibus, studiis, rerum cælestium meditationibus sic domuit & spiritui, seruire coegit, vt vitam potius cælestem duceret quam terrestrem. Tantam vero gratiam à Domino consecutus est, vt donis plane Apostolicis, id est, miraculorum, & viuens & mortuus claruerit. Enimuero solo interdum, verbo, interdũ solo tactu, mutis loquelam, cæcis visum, rectum claudis gressum restituit, obsessos à dæmonibus liberauit, paralyticos, epilepticos, hydropicos, freneticos sanauit. Frequenter in Ecstasin raptus, reuelationum, & rerum diuinarũ particeps fuit. Tandem post fœlicẽ huius vitæ decursum, anno ætatis sexagesimo quarto, cum fratres suos ad omnem virtutem hortatus esset, & sacratissimam Eucharistiam suscepisset, animam in manus Christi deposuit, anno salutis millesimo cẽtesimo quinquagesimo tertio. MIN. Legi aliquoties eius scripta, in quibus tantam doctrinam, tot eximias admonitiones, & meditationes diuinas, tantam deniq; pietatis dulcedinem deprehendi, vt anima mea quodãmodo supra cælos assurgere videretur. Nec ambigo talem authorem vere Spiritu Dei afflatũ imbutumque fuisse. Si nihil aliud, certe hæc vna cogitatio ad eum omni obseruantia, tanquam sanctissimum Dei seruum complectendum sufficeret: quidquid contra ganniant & grunniant obtrectatores isti Sanctorum.

Cap. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. — Cap. 10. 12. 14. 15. L. 2. c. 2. 3. 4.

17. Verum, superest tibi vltimus labor, vt probes Franciscum & Dominicum receptos esse in Paradisum: tunc cumulatam victoriam reportabis aduersus errorum decuriam, quam initio huius articuli profligandam sumpsisti. Et quidem priorem Beza, in primis sibi contumeliis vexandum suscipiens, scribit, *Turpem, maledictam & plusquam execrabilem conformitatem, in inferno fabricatam, euomitam per Satanam, abominabile idolum, vocatum S. Franciscum. Hoc tam fœdum & detestabile idolum, &c.* DOCT. Fallitur certe Bestia, putans his grossis & sesquipedalibus verbis simplices terrere, & à cultu

Serm. de 2. pass. pa. 39.

A Sanctorum reuocare: quando è contrario his comitiis causam suam prodit, & nihil nisi risum prudentibus moueat. Conferam autem in compendium, quæ copiose persecuti sunt sancti doctores Bonauentura, Antoninus, Vincentius, & post hos Volaterranus, Martinus Capella, Philippus Bergomas, Petrus de Natalibus, Aloysius, Surius, & alii, de beato patre Francisco. Ab anno ætatis vigesimo quinto, quod initium fuit eius ad vitam Monasticam conuersionis, vsque ad quadragesimum, qui fuit illi postremus, nihil potius vel antiquius habuit, quã vt mores suos Apostolicis assimilaret, &

B Christum pro viribus imitaretur. Pro amore namque Dei Mundum hunc pro nihilo putauit, à voluptatibus cunctis temperauit: commercia, domum, parentum amorem carnalem contempsit, & carnem suam cum vitiis crucifigendo domuit. Nunquam maiore gaudio fruebatur, quam vbi cum Domino IESV crucem, id est, paupertatem extremam, castitatem, humilitatem, in morbis & cunctis aduersis mirabilem patientiam ferebat. Peccata tum propria, tum aliena, veris & spirantibus lacrymis vbertim deplorabat tanta cum cordis

C contritione & amaritudine, vt acies oculorum eius vehementer hebetari & caligare cœperit. Abstinuit à temeto, victu omni cocto, ac electili. Ieiuniis tam creber ac frequens erat, vt corpus eius macie suprema confectum, sola pelle vix amictum esset, atque ægre pedibus insistere valeret. Precibus ac meditationibus Diuinis iugiter incumbebat, tanto cum feruore, vt sæpe illum noctu orare ingressum lux oppresserit, sæpe nox cum cœpisset mane. Visus est interdum raptus, & sublatus in aerem brachiis in crucis effigiem extensis. Deo aliquando supplicabat vt iudici, colloquebatur vt Pa-

D tri, interdum colludebat vt amico. Hinc etiam dictitare solebat. Orationem, esse familiare cum Deo colloquium, & officium Angelorum; quia cum quis orat, coram Maiestate Dei se sistit, vt cum religiosa fiducia in sinum eius sua effundat desideria, solicitudines deponat, & opem salutarem obtestetur. Cum autem fatigato corpore, somno opprimeretur, lapis aut lignum durum ceruical erat. Vestis erat lacerna, cum femoralibus & fune, interrogatusque qui aduersus penetrabile frigus durare posset hyeme? respondit: Quisquis ardebit feruenti cupiditate regni cælestis, facile-

cile vim terreni frigoris exsuperabit. Insuper, sacras Scripturas tanta dignatione venerabatur ratus id quod est, verum Dei sermonem, vt iuberet si quid forte humi neglectum iaceret, id protinus colligerent, studiose asseruarent, & honestiore loco reponerent. Et cum à Spiritu sancto donum aliquod intelligentiæ illarum accepisset, sibi laborem impendendum erudiendis aliis, quoquo admissus erat pœnitentiam & conuersionem ad Deum prædicabat cum tanto zelo & ardore, vt auditores mirabiliter afficerentur. Atque adeo solebat dicere, miserum esse concionatorem, cui nihil adesset præter verbum quo circunsonantur aures, non interior illa vis quæ perueniat ad sensus, & influit in animos auditorum. Ad hæc, multi rerum euentus, quas fore prædixerat, certam fidem fecerunt, eum afflatum fuisse gratia & spiritu prophetandi. Præterea, precibus & operibus eius tot miracula super omni genere creaturarum facta sunt, vt nihil supra. Tam erat tota mente in contemplatione pro nobis crucifixi Iesu Christi defixus, tam eius inflammatus amore, imo velut in eum transformatus, vt duobus ante mortem annis, post apparitionem eiusdem Redemptoris in crucem affixi, quinque vulnera, cicatrices, & stigmata illius, impressa remanserint in quinque corporis Francisci partibus. Quod miraculum comprobatum est multorum grauium & sanctorum testium relationibus, qui ea viderunt & manibus contrectarunt tam ante, quam post mortem eius. Tandem cum eius ordo, id est, Fratrum minorum, in magnam multitudinem diuinitus excreuisset, eiusque regula esset confirmata viua voce Innocentii tertii, deinde scripto communita per Honorium tertium: vir ille cumulatus fide, sanctitate, & omnibus bonis operibus, anno Domini 1226. vitam hanc mortalem cum beata & immortali commutauit: sicut Deus ipse innumeris miraculis propter eum factis toti mundo huic patefecit. MIN. Certe tam sanctæ laudandæque vitæ commemoratio magnum calcar addidit, vt impensius admirer tam venerabilem Dei famulum: nec aliud sentire possum de vituperatoribus eius, quam esse homines peccato mancipatos, & ab omni virtute auersos. Pertexe reliqua.

17. *Theodor. Iordan.* DOCT. Multi iidemque graues Authores qui vitam B. Dominici literarum monumentis consignauerunt, vt sunt Antoninus, Vincentius, Palmerius, Volaterranus, Sabellicus, Nauclerus, Schedelius, Bergomensis, testantur matrem & matrimam eius Diuinas habuisse reuelationes, quibus futura viri sanctitas præsagiebatur. *Constant. Humbert. Gerardus.* Cum adhuc adolescentulus, scholas frequentaret, videretque in summa caritate annonæ permultos fame pereuntes, cæteris omnibus erogatis, tandem & libros ad vnum vendidit, vt pretio inde redacto miseris esurientibus subueniret. Incensus zelo domus Dei, totos decem annos sanctam fidem catholicam aduersus Albigensium errores asseruit, tanta constantia, Doctrinâ, & pietate, vt multas dispulsas oues in ouile Domini nostri compulerit, totumque tractum Galliæ Narbonensis in vera fide & Ecclesiæ Dei vnitate seruauerit. Confessio fidei nostræ quam chartis mandauerat, tertio ab hæreticis in ignem coniecta, permansit inuiolabilis: hæreses autem scriptæ ab iis qui contra disputabant, protinus absumptæ flammis, in cineres euanuerunt. Bis se vænundandum tanquam alter Paulinus, obtulit vt captiuos pauperes è manibus barbarorum liberaret. Tam feruidis precibus pro sua, & proximorum salute deum orabat, vt semper exoraret. Futura sæpe prædixit: mortuos suscitauit: exiguum panis precibus in esum plurimorum multiplicauit: malignos spiritus expulit: tempestates & importunas pluuias sedauit: cuidam fratri donum linguarum impetrauit: multaque plura miracula edidit, quibus Deus patefecit quam sibi tam eximius vir acceptus fuerit. Æstuans martyrii desiderio, mortem sibi minitantibus Hæreticis respondit: Si in potestatem vestram inciderem, rogarem vos ne me simplici morte absolueretis, sed minutis ictibus singula corporis membra successiue decerperetis, tandemque luminibus effossis, truncum & lacerum corpus in sanguine volutari sineretis, ob eius amorem & seruitium, qui pro me sanguinem in cruce profudit. Tam eximius honorum & voluptatum huius mundi contemptor fuit, vt tres Episcopatus vltro sibi oblatos repudiarit, & vnico contentus indumento, hyemis acerbitatem sustineret. Nuda humus cubile fuit: carnibus & vino magnam partem abstinuit: nec vllas vnquam possessiones Bononiæ sibi oblatas adire noluit. Tandem Deus voluit gloriosos serui sui labores æterna gloria compensare, Diem transitus ei reuelauit, ad quem vir sanctus se tot lacrymis,

mis, orationibus, & sanctis ad fratres hortationibus præparauit, vt sumptis sacrosanctis Sacramentis, fœlicem animam ei reddiderit, à quo eam acceperat, anno salutis millesimo ducentesimo vigesimo-primo: & decimo post obitum anno à summo Christianorum Pontifice Gregorio in ordinem Sanctorum cooptatus fuerit. A

18. MIN. Perorata hæc causa est. Satis enim probasti Monasticas institutiones in verbo Dei fundatas esse, Prophetas & Apostolos eius rei exemplum posteris reliquisse: pessimos item veterum tyrannorum ac hæreticorum imitatores esse illos qui iis aduersantur: imo tales improbos & futuri Antichristi anteambulones esse, & à malignis spiritibus agitari. Postremo vitas quorundam percensendo, euicisti quam inculpate sancteque vitam in terris egerint, quot ærumnas & labores pro Christo pertulerint, quæ dona Spiritus sanctus in eos contulerit, quibus miraculis excelluerint, & quam fœlici exitu istam mortalitatem exuerint, vt induerent immortalitatem. Quæ omnia fidem faciunt, eos vera Dei visione atq; fruitione in cælis potiri: fremant licet, & inuidia rumpantur omnes Hugnostici. Hæc sunt quæ didici, & ex hoc tractatu collegi: quæque polliceor me perpetuo [illegible] & assertturum, dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus. B C

QVOD ECCLESIA CATHOLICA nec vnquam errauerit, nec errare possit in canonizatione sanctorum: aduersus 54.55. Caluinianorum errorem.

CAPVT XV.

MINISTER.

SEd quoniam Hugnostici irrisionibus excipiunt Canonizationem Sanctorum, Papamque falsitatis coarguunt, quod ex libidine sua Sanctos faciat quos velit: locus hic vberiorem de re ista tractatum desiderat. Nam VVicleffus, Hussus, Lutherus, aliique scripserunt, *Papam in hoc aut alio canonizando non sanius errare, quam Turcam suum Mahometem, Haly, Caliphам, aliosque Alchoranistas honorando.* Concinnatores Centuriarum Magdeb. huic impudentiæ addunt, *Papam id agendo esse Antichristum, interque notas eius esse Canonizationem sanctorum.* Vermilius, Caluinus, & tota illa porticus [illegible] modestius de hac re iudicat. Beza [illegible] suam modestiam Ministralem Sanctorum in Diuos relatorum legendas appellat: *Ablegandas stercoreas.* In vita Caluini. Percupio ergo in primis scire, quid sit Canonizare Sanctum: quis eius instituti author sit, denique si in eo Pontifex fallit vel fallitur. A

DOCT. Canonizare Sanctum aliquem nihil aliud est, quam publica, solemni, certissimaque testatione toti mundo planum facere, quod is ad extremum vitam sanctam exegerit, post mortem cum Christo in cœlis viuit, ac proinde dignus existit quem colant & in terris inuocent Christiani. MIN. Hanc finitioné cupio per partes explicari. DOCT. Dico in primis opus esse publico certoque Ecclesiæ testimonio, ad intercludendas priuatas superstitiones, quæ sensim obrepere possent, & indignos honore Sanctorum donari: vt Optatus Mileuitanus exprobrat euenisse Lucillæ mulieri hæreticæ, quæ specie religionis osculabatur ossa cuiusdã mortui, tanquam Sancti, cum reuera talis non esset. Diuus quoque Martinus quendam ob latrocinia iuste cæsum comperit in honore fuisse: quod deinceps prohibuit fieri. Item Alexander tertius interdixit, ne amplius vel ut sanctus & martyr haberetur quidã interfectus, dum ebrius esset & mentis impos. Confut. 1. L. 1. cont. Parmen. Seuerus. Extra de reliq. & Sanct. ven. c. Audiu. B

Secundo, requiritur certa testificatio, quod Canonizandus vitam sanctam ad extremum vsq; peregerit. Regnum enim cœlorum iis duntaxat promittitur, qui in pietate perseuerauerint vsque in finem, Palma siquidem posita est non in carceribus, sed in meta. Nec laudabilia principia quidquam profuere Salomoni, Iudæ, Sauli, Simoni, Nicolao, Demæ, vel aliis qui in proposito non perstiterunt. Ecclesia vero quæ à Spiritu sancto gubernatur, probe examinata cuiuspiam finali sanctitate, cœlitusque confirmata miraculis, ante & post mortem editis ope precum & meritorum eius, omni cum fiducia potest ac debet iuxta Dei verbum iudicare & pronunciare talem vere Sanctum esse, in cœlis receptum & glorificatum: ac proinde dignum qui in terris à nobis colatur, & inuocetur. MIN. Nihil hic video quod non probe conueniat cum verbo Dei, iustaque ratione. Restat solum de inuocatione, de qua seorsim post hæc inquiremus. C 2. Ioan. 6. Mat. h. 10. 24. Apo. 2. Ioan. 14. D

Iam scire cupio, quis primus ac præcipuus Author est ceremoniæ Canonizandi, seu publice declarandi hunc vel illũ vere Sanctum & cœlitem esse? DOCT. Deus ipse pater cœli & terræ, testimonio comprobans sancti-

sanctitatem Abelis, Enochi, Noe, Abrahæ, A
Matth. 11. Iobi, Mosis, Dauidis & aliorum complurium. Ipse Dei filius publico præconio celebrans præcursoris sui multiplices virtutes:
Matth. 8. & quod Abraham, Isaac, Iacob, & Prophetæ sint in regno Dei. Ipse quoq; Spiritus sanctus manifesta numinis sui præsentia, donisque singularibus collatis in Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Euangelistas, Discipulos, Martyres, Confessores, & Virgines, omnibus sæculis, temporibus, & locis. Deinde Scriptores veteris ac noui Testamenti, tanquam organa Spiritus sancti multos Canonizarunt, hoc est, publicitus, ac pro certo testificati sunt finalem quorundam in sanctitate perseuerantiam. Exemplo est Syraci- B
Eccl. 44. 45. 46. des author Ecclesiastici, qui magnam eorum sortem recenset veterum Patriarcharum, Sacerdotum, Regũ, & Prophetarum.
Heb. 11. Paulus quoque sexdecim Sanctos enume-
Act. 7. 12. rat. Lucas item fœlicem obitum Stephani
Euseb. & Iacobi fratris Ioannis describit. Authores
Theodor. historiarum Eccles. cum recitant virtutes
Sozom. heroicas, constantiam diuinam, patientiam
Socrat. mirabilem, charitatem, pietatem, ardorem,
Cassiod. & conspicua miracula Sanctorum Marty-
Niceph. rum, qui pro Christi nomine & fide spiri-
Zonar. tum profuderunt, Hi etenim satis luculen-
Metaphr. tum ac locuples testimonium vniuersæ posteritati reliquerunt, vt tales heroas crederemus & prædicaremus esse iam receptos & glorificatos in cœlis, ac dignos qui honorarentur & inuocarentur in terris. C

4. Præterea, cum docti, pii, summique præcipuarum Ecclesiarum pastores in Commentarios Ecclesiasticos seu tabellas (quas δίπτυχα appellabant) nomina eorum, quos honore & inuocatione dignos iudicabant, post decessum ex hac vita retulerunt: quandam Canonizationis formam & rationem
1. Const. seruabant Clemens Rom. Apostolorum cooperator atque successor, edicto præcipiens vt dies & festa eorum celebrarentur, qui va- D
riis tormentorum generibus pro doctrina Christiana mortem oppeterent: Sanctorum
Epist. vtriusq; sexus Martyrum canonizationem decernit. Cyprianus & ipse tandem martyr, iubens in Acta referri, sibique iudicem eorum tradi, qui eandem ob causam velut hostiæ sacrificarentur; ad memoriam eorum festis & anniuersariis celebrandam: hanc imitatus est traditionem & institutionem Apostolicam. Cum refert Eusebius in primis illis Ecclesiæ temporibus, quotannis celebratum fuisse B. B. Ignatii & Polycarpi fœlix martyrium, horum adumbrat publicam canonizationem.

Basilius magnus, Nazianzenus, Chryso- 5.
stomus, Nissenus inter veteres Græcos. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Leo, Chrysologus, Fulgentius, aliique Patres Latini, cum in Ecclesiis suis, publicis ad populum concionibus promulgarunt, & literis ad posteritatis memoriã consecrarunt laudes, virtutes, ac miracula & piorum virorum & sanctarum fœminarum, quos & ipsi palam inuocabant, & inuocandos persuadebant: aperte declarabant hos vere Sanctos, & in numerum Diuorum receptos.

Ad hæc, frequens praxis & vsitata totius 6.
Ecclesiæ consuetudo in hac re vim sententiæ constantisque iudicii pondus habere debet: atque ita sentiendum est ab Ecclesia recipi proponique fidelibus tales viros tanquam Canonizatos, & indubitanter à Deo Sanctos & gloriosos in Paradiso factos: quorum dies festos statis anni temporibus obseruat, siue sint Martyres, siue Confessores, siue Virgines.

Postremo, vt in hac re modus teneretur, 7.
& abusus qui in diœcesibus, ecclesiisq; par- *Extra de*
ticularibus committi posset, tolleretur: Su- *reliq. &*
premi Ecclesiæ pastores, Diuique Petri suc- *ven. Sanct.*
cessores Alexander tertius & Innocentius *c. 1. 2.*
tertius decreto sanciuerunt, Ne deinceps quis pro vere Sancto in populo Christiano teneatur, priusquam Successores eorum, causa diligenter cognita, matureque pensitata sententiam ea de re pronunciarint, &c.

MIN. Pulchre tu quidem Canonizationis principia in Deum authorem refers, qui caput & fons est omnis sanctitatis atque sanctificationis. Deinde, recte doces sequutos hoc Diuinum exemplar Ecclesiæ Pastores tanquã Dei ministros; denique, apposite subiicis certam in eo normam à D. Petri successoribus, ad tollendam omnem superstitionis causam, præscriptam fuisse. Restat vt probes eos hac in re nunquam aberrasse, sed nec errare posse.

DOCT. Ordo & modus quem in Ca- 8.
nonizatione sancti cuiuslibet obseruant, omnem errandi materiem rescindunt. Priusquam enim id fiat, ieiunia, precesque publicas indicunt, vt facti veritatem Deus aperire dignetur, vtque tota res in eius honorem, ac Ecclesiæ cedat ædificationem. Deinde, cognitionem causæ instituunt, & quanta diligentia, fide quæ fieri potest, inquisitionem decernunt, vt legitimis probationibus & certis

certis apertisque testimoniis constet de fide, vita, moribus, conuersatione, & obitu eius, qui canonizandus proponitur. Postremo, cum abunde liquet eum vera fide præditum fuisse & in sanctitate vitæ ad extremum perseuerasse: item quod Deus precum, meritorumque illius interuentu, aut reliquiarum eius contactu vera & manifesta miracula fecerit, non solum ante, sed & post mortem eius: tum ex concilio fratrum, & eorum qui adsunt Pastorum Ecclesiasticorum sententia, Pontifex Christianorum palam edicit, Talem esse vere Sanctum, collectum in regno cœlorum: iubetque vt redigatur in ordinem & catalogum eorum, quos festis, imaginibus, prædicationibus, & inuocationibus honorare conuenit. MIN. Profecto
Matth. 18. non est verisimile quin Dominus omnem rei veritatem patefaciat, qui promittit vbi duo vel tres congregati erunt in nomine suo, se ibi futurum in medio eorum: & exauditurum vota & preces seruorum suorum, sibi ex animo supplicantium.

9. Deinde, illud mihi in mentem venit. Si
Io. 3. 9. 19. Nicodemus, si Cæcus à natiuitate sua, si Centurio, milites, & plurimi Iudæi, perspectis Domini in morte miraculis, recte coniecerunt, & certo statuerunt eum missum à Deo, sanctum & Prophetam Deo carissimū, Messiam in lege promissum, vereque filium Dei: pari ratione & Successores B. Petri, & alios Ecclesiæ Proceres iudicare & adfirmare posse idque sine vlla erroris suspitione hunc vel illum vere Sanctum esse, qui pie & suppliciter inuocatus, qui vera edit miracu-
L. adu. Vigil. epist. ad Marcel. Epitaph. Paulæ. la. DOCT. Hieronymus huic sententiæ tuæ suffragatur, cum à particulari narratione miraculorum quæ fiebant ad sepulchra ossaque Elisei, Abdiæ, Ioannis Baptistæ, Andreæ Apost. Hilarionis, & aliorum complurium, elicit hoc commune dogma, nempe, Reliquias Sanctorum honorandas esse, & beatos eorum spiritus inuocandos: vt qui iam de facto perfecte fruantur gloria Paradisi. Eodem modo ratiocinatur Augustinus,
L. 22. ciuit. c. 8. multa genera miraculorum referens, quæ sanctorum Stephani, Geruasii, & Prothasii contractu Reliquiarū facta sunt. Idem alibi
L. de vtili. cred. c. 17. L. cont. ep. Fundam. c. 4. testatur, se in vnione ac fide Ecclesiæ Cathol. retineri, propter splendorem miraculorum, quæ fiebant in ea, tanquam vera certaq; testimonia, quod Deus habitet in medio eius, eandemque sanctificet, doceat, atq; defendat. Vnde colligere pronum est, quod, cum vera miracula non fiant nisi fauore & potestate Diuina, ea comprobant sanctitatem & virtutem eorum quorum precibus & meritis accidunt, vt ad gloriam Dei dirigantur. Quapropter Supremus Ecclesiæ secundum Christum, pastor & rector, nec errare nec decipi potest, cum eos in catalogo Sanctorum cooptat, quos Deus per mirabilia, signa & miracula, sibi gratos esse manifestat.

Addere libet superioribus id quod Christus Petro & successoribus sanctissime repromisit. 10. Nempe, præsto illis adfuturū Spiritum sanctum, quo duce & auspice aberrare non possent, quoties de fidei, atque bonorum morum rebus decernendum foret: sed suggereret doceretque omnem veritatem. Atqui, defunctum hoc sæculo referre inter Beatos; & publice testatum facere, quod dignus sit quem omnis populus Christianus veneretur ac inuocet, ad vtrumque manifeste pertinet: illi igitur in eis nec vnquam errarunt, nec errare possunt. MIN. Cedo testimonia sacra, quibus hanc promissionem & prærogatiuam confirmas. DOCT. Primum ait Christus: *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* Luc. 22. Idem quoque dixit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Matth. 16. MIN. Qui veterū Theologorum inde statuerunt Petrum & Successores eius labi non posse, cum de fide ac moribus definiunt? DOCT. Lucius martyr ante mille & trecentos annos de ea scripsit: Epi. ad Hispan. & Gallos. Ecclesia Romana Apost. est, quæ à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit, secundum ipsius Domini pollicitationem dicentis: *Ego rogaui pro te, &c.* Epist. 1. Felix & ipse martyr, Leoq; Serm. 3. de assump. suæ ad Episc. magnus idem scribunt atque sentiunt. Et post hos mellifluus Bernardus: Epist. 109. Oportet ad vestrum referre Apostolatum pericula quæque, præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Subiicit cōtinuo superiorem promissionem Euangelicam. MIN. Hæc interpretamenta solum primæ promissioni conueniunt: quid adfers pro secunda?

DOCT. De hac antiquissimus Origenes 11. scripsit: In c. 16. Matth. Manifestum est quod nec aduersus Petrum, nec aduersus Ecclesiam portæ præualere poterunt inferorum. Atqui, si Successores Petri delusi ipsi fallerent populū Dei, cum Sanctos in album cœlitum referunt; certe portæ inferorū aduersus Petri successorem & vniuersam Ecclesiam Christi præualuis-

Lit. ep. 3. Carm. de vita sua. naluissent. Huc respiciens Cyprianus martyr ait: Ad Romanos perfidia non potest habere accessum. Et Nazianzenus: Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & semper eam retinet, sicut decet vrbem, quæ toti orbi præsidet, semper de Deo integram fidem habere. Et D. Hieronymus: Apolog. 3. con. Ruffin. Scito Romanã fidem Apostolica voce laudatam hæreticas præstigias non recipere: etiamsi angelus aliter enuntiet quam semel prædicatum est, Pauli authoritate munitam non posse mutari. Gal. 1. MIN. Sufficiunt hi tres diuini interpretes: non enim dubito quin cæteri omnes de ista sede Apostolica eandem sententiam & tenuerint & docuerint. Nempe Iesum Christum ex promissi fide sic ei semper præsto adfuisse, vt secundum Cyprianum, perfidia nunquam eo habuerit accessum: secundum Nazianzenum, semper de Deo integram fidem retinuerit: & secundum Hieronymum, fides Romana nunquam hæreticas præstigias receperit; nec vllis erroribus mutari possit. Vnde aperte consequi video quod intendis, Nullam aberrationem contigisse, aut posse contingere in Sanctorum iuxta Ecclesiæ Romanæ ritum facta canonizatione.

12. DOCT. Hæc adeo vera, certa, & manifesta sunt vt nemo aduersariorum potuerit, vel possit vnquam aliquem ab Ecclesia Romana Sanctum promulgatum ac receptum ciere, in quo canonizãdo deceptio aut fraus vlla deprehendatur. Euoluant vetera monumenta, replicent annales, curiosa indagine scrutentur patrum commentarios, rigido examine inquirant in vitas, in mores, in mortes omnium Sanctorũ, nihil offendent quo dentem allidant (si calumnias & conficta mendacia excipias, in quibus plusquam iuueniliter abundant & exsultant) nihil, inquam, habent quod carpant quo minus iure canonizati videantur.

13. MIN. Sane cum cunctas eorum rationes inspicio quibus nituntur aduersus canonizationem Sanctorum, deductis iniuriis, scommatibus, petulantibus dicteriis: summa summarum redit ad hanc vnicam Augustini sententiam: *Multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ cruciantur in inferis.* DOCT. Quid si Augustinus nunquam hoc dixerit vel scripserit? Citat ne quispiam eorum locum vbi Augustinus sic loquatur? An tu forsitan id in eius libris legisti? MIN. Minime gentium, & facilius fore putem Nili caput reperire, quam locũ istum qui Augustino ascribitur. DOCT. Nec mihi quidquam liquet nisi quod in obscuri cuiusdam Lutherani thesibus annotatum erat in margine, *Lib. 2. contra Gaudentium*, non iudicato capite. Quæ causa fecit, vt totum librum iterum diligenter perlustrarem, vbi nihil tale reperi, nec vsquam alibi apud istum authorem. Vnde verisimili coniectura ducor, falso affictam viro sancto parum sanctam propositionem istam: indeq; corruit Hugnosticum argumentum, cuius basis est impostura & falsitas?

Sed detur Augustinum sic fuisse locutum. 14. Nihil ea res hostes Sanctorum iuuat, vel contra vere Sanctos facit. Subiectam enim materiam expendere oportet, vt locus sane intelligatur. Sermo profecto erit de Circumcellionibus hæreticis, quos Donatistæ tanquam sanctos martyres colebant. De iis enim vere scribit Augustinus: Viuunt latrones, & honorari volunt vt martyres. Ducunt vitam latronum, & nomen volunt habere martyrum.

VNIVERSOS PATRES ET ANTEcessores nostros, qui in fide Catholica, & Ecclesiæ Romanæ obedientia vixerunt & decesserunt, non esse damnatos in inferis: sed in Paradiso saluos: contra Hugnosticorum errorem 56. 57.

CAPVT XVI.

MINISTER.

QVid iam? Restant ne adhuc alii, quos Caluiniani deturbent è cœlesti Paradiso, vt præcipitent ad inferos? DOCT. Superest tanta multitudo, vt numerum inire Apoc. 7. solus Deus possit. MIN. Quid ita? DOCT. Quia peruicaciter pugnant omnes Christianos qui per vniuersum terrarum orbem vixerunt, eandem nobiscum amplexi religionem, eadem recipiendo Sacramenta, Missam frequentando, Apostolicæ sedi obediendo, constanterque perseuerando, ac in ista pietate immoriendo: omnes inquam, istos in inferis demersos esse cũ misera gente reprobatorum atque damnatorum impudenter adfirmant. MIN. Sed quas ob res tot insontes animas tam temere addicunt æternæ damnationi? DOCT. *Quia* (inquiunt) *omnes verum Deum, & verum Christum non solum ignorauerunt, sed in eorum locum nouos & fictitios substituerunt, coluerunt, & inuocarunt. Insuper, nomen dederunt Satanæ & Antichristo, ac*

sto, ac eisdem militauerunt aduersus expressum verbum Dei, ac eius Euangelium. Fuerunt omnes idololatræ, infideles, Antichristi, non magis imbuti vera fide ac religione, quam detestabiles Turcæ, Iudæi, vel Pagani. Atqui huiusmodi hominibus nulla pars est aut hæreditas in regno cœlorum, &c. MIN. Sane hæc est censoria notatio, qua Caluinus & ministri eius comprehendunt vniuersos qui vnquam fuerunt toto orbe Catholici. Siquidem in Expositione (quam mendacissimo titulo Ecclesiasticam & Catholicam inscribunt) super nouo Testamento, tales de omnibus vere Catholicis ferunt sententias: *Nec Iudæi infideles, nec Turcæ, imo nec Papistæ, Christi doctrinam respicientes, Deum Patrem cognoscunt.* In cap. 11. Matth. v. 27. Et postea: *Cum simulant se osculari Dei pedes, superbe cõspuunt in eius faciem.* In cap. 23. Matth. v. 24. Et ad cap. 5. Ioannis v 38. *Vtcunq; Iudæi, Turcæ, & Papistæ de Dei sermone glorientur, quia tamen quẽ misit Pater reijciunt, & ei minime credunt, friuola & inanis est eorum gloriatio.* Et ad cap. 8. v 44. *Satanæ effigiem in Papatu hodie omnes perspiciunt.* Et ad cap. 19. Luc. v. 14. *Christo ac Euangelio nũtium remiserunt, imperioq; eius se subtraxerunt quotquot Mahometi spurcitias, & Romanensium fraudes, Christi negato, amplexi sunt.* Et alibi citra vllum exceptionis modum, condemnãt omnes quotquot B. Petri Successorẽ agnoscunt, his verbis: *Sola illa descriptio ad damnandam totam Papatus colluuiem sufficiet, &c.* Iterũ, nemine excepto: *Tam infesto odio flagrantur Papistæ contra Euangelium, vt Libertinos, Epicureos, & alia huiusmodi portenta libenter foueant, modo ad illud labefactandum vtantur his adiutoribus, &c.*

Caluin. & Marlorat.

In cap. 70. Mat. v. 16.

In cap. 23. Math. v. 39.

Neque hoc effugio vti possunt, vt dicant, Ignoratione maiores nostros excusari quominus veritatem nondum patefactam cognouerint: nam in eodem libro sæpius iterant: *Papistarum est crassa & voluntaria ignorantia, quæ eos non excusat.* Scribit item Caluinus: *Si nunc viueret Petrus, eum discerperent Papistæ, lapidibus obruerent Paulum, si Christus ipse adhuc ageret in mundo, eum lento igni vstularent.* At quis huiusmodi hominibus cœlos patere diceret: & non potius ipsum gurgitem inferorum? Et negans aliquam Ecclesiam in qua solum salus est, ante hæc sua tempora extitisse, iterum ait: *Anteactis seculis sic hominum ingratitudinem vltus est Dominus, vt nulla veræ Ecclesiæ facies extaret, &c.* Ex quibus sequeretur, Neminem Christianorum ante aduentum vnius Ioannis Caluini vere Christianũ, vere filium Ecclesiæ, vere iustum, aut vere

In cap. 21. Mat. v. 39.

Præfat. Instit.

A saluum in cœlis receptum fuisse: sed omnes vt infideles, antichristianos, idololatras, & ipsius Satanæ mancipia, membraq; in æternum perijsse, &c. Exspecto iam vt te ad expugnandum hunc errorem compares.

DOCT. Fiet, si tamen prius morem tuum seruaueris ac annotando quam ipsimet inter se diuersis opinionibus confligãt. MIN. Quænam maior repugnantia dici potest, quam cum alibi adfirmant: *Quod nemo Christianus damnabitur, eo quod scriptum sit: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit?* Atqui patres, matres, aui, ataui, & alij prædecessores Caluini, Vermilij, Bezæ, Fareli, Vireti, & similium, baptizati fuerunt in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: Symbolum Apostolorum, quo summa vere fidei comprehensa est, ad vitæ finem retinuerunt: hæc quæ liberis suis constanter & fideliter vt acceperant, tradiderunt & reliquerunt. An vero illi ipsi nati sunt, educati sunt, inter Ethnicos, Saracenos, Mauros, Turcas, Tataros, Indos, Garamantas, & Cannibalos? Lactati alio, quam Christiano lacte? Non vtrunque Apostolorum Symbolum initio receperunt? Vtrunque Testamentum ab alijs, quam Christianis acceperunt? Non puto eos, & si hoc fortasse cogitent, palam ausos profiteri. Igitur ex eorum sententia confidere debemus eos, nostrosq; omnes parentes saluos esse, non damnatos, vt ingrati blasphemiq; Prædicantes nos sine omnium bonorum horrore, calumniantur.

Confutatio.

1.

In Scuto fidei, Dial. 5. p. 76.

B

C

2. Præterea, cum ita sub appellatione Papistarum, omnes prædecessores suos & nostros inferis mancipant tanquam infideles, idololatras, antichristos, & Christi aduersarios, grauiter peccant temerario iudicio aduersus proximos, ingratitudine aduersus parentes, barbara immanitate aduersus maximam generis humani partem, impietate nõ ferẽda aduersus omnes Sanctos, & sacrilega D præsumptione aduersus inuestigabiles vias Domini. Nec dubitãdum est, quin si Cham & Chanaam iusta detestatione maledicti fuerunt, quod parentem vnum habuissent ludibrio: Simeon & Leui, quod Patri suo atrocẽ consciuissent inuidiam: Absalon misere periit, quod arma scelerata contra patrem sumpsisset: deniq; sacri & intestabiles sunt coram Deo, qui patrem aut matrem cõtumeliis affecerint: non dubitandum est, inquam, quin Caluinus, & affectatores eius infinitis modis detestabiliores futuri sint ante Deum, & vniuersos Angelos eius, quod tam immanibus

Gen. 9. Gen. 34. 49. 2. Reg. 18. Exod. 20. Leuit. 10. Deut. 27. Prou. 10.

briis nomen, famamque tot tantorumque parentum conuulnerent: imo æternæ morti deuoueant?

3. *Epist. data Argentorati 1538. Ep. Farell.* Ad hæc, Caluinum proprio ore, ac scripto damnatum sic teneo. Fatetur enim *tantam Sacramentorum reuerentiam esse oportere, vt vbicunque extare cernantur, Ecclesiam esse censeant omnes.* Atqui inter auos nostros fuit verũ Baptisma: fuit in Eucharistia tantum saltem panis & vini, quantum inter Sacramentarios. Igitur vera Ecclesia. Idem postea scribit: *Sic Papistis detrahimus Ecclesiæ nomen, vt tamen illic quasdam manere reliquias Ecclesiæ non negemus.* Rursum apertius, Epist. ad Sozinum Italum, 1549. ait: *Rationibus solidis me probasse puto, Ecclesiam licet semiruptam, imo si lubet, diruptam ac deformem, aliquã tamẽ manere in Papatu.* Ergo tota ibi est, quia sancta Biblia, sancta Sacramenta, sancta tria Symbola cõstãter retinet, ac profitetur: ergo ibi peccatorũ remissio, iustitia, & salus æterna: vos autem desertores, schismatici, extranei prorsusq; homines perditi.

4. DOCT. Quin etiam iure vocari possunt plusquam patrum, matrum, fratrum, præceptorum suorum homicidæ. Quantum enim animæ corporibus sunt præstantiores; & mors sempiternaque damnatio, longe grauior temporaria morte: tanto execratius peccant, qui parentes sempiternis pœnis suffragio suo mancipant, quam omnes patricidæ, matricidæ, fratricidæ, qui ab omni æuo exstiterunt: [illegible]ocirca non est ambigẽdum, quin omnia [illegible]rarum & maledictionum exempla, quæ Deus homicidis interminatur, in caput ac perniciem eorum redundatura sint, qui sequentur impiam hæresin Ministrorum, à quibus sic immaniter & nostri & ipsorum-met parentes condemnantur. Nos contra, qui memorias eorum honore religioso complectimur, fidem æmulamur, bonos mores imitando referre studemus, eorumque animas iam cœlo receptas esse credimus & prædicamus: certo confidimus fore vt fruamur beneficiis & benedictionibus, quæ pios & parentum amantes liberos manent, vtque decurso huius vitæ stadio, cum iis in cœleste regnum peruenire mereamur.

5. MIN. Hæc quidem verissima sunt: sed altius in arcem disputationis inuadendum est, vt tantus error expugnari poss[illegible]. DOCT. Non-ne hoc ipsum ago, & iugulum causæ peto, cum ipsa eius fundamenta conuello, quæ vides esse mera mendacia, calumnias, & execrandas maledictiones? Nullã enim Scripturarum authoritatẽ adducunt, nullam te-

A stimonij aut reuelationis Diuinæ, vt probent quod contendunt: sed veteris comœdiæ licentiã renouant, & conuitia spargunt è plaustro. Nos è contrario, testes habemus omnes Scripturas & traditiones Apostolicas, omnes historias Ecclesiasticas, continuam assensionem quindecim aut sedecim sæculorum, à Iesu Christo ad nostram ætatem. Habemus authoritatem omniũ Conciliorũ, miracula Sanctorũ Martyrũ, doctrinam piorum Cõfessorum, libros Pastorum, Doctorum, qui hucusq in Ecclesia Catholica floruerũt: quibus firmamentis subnixi defendimus, nullã vnquam in mundo aliam doctrinam Chri-

B stianam extitisse, non aliam fidem, nõ aliam legem, non aliam religionem Cath. non aliã Ecclesiam, non alium populum Dei, non aliud iter ad salutem, non alia Sacramenta, nõ aliam peccatorũ remissionem, aliosve modos Deo placendi: quam quos tenuerunt prædicti patres & antecessores nostri. Defendimus, inquam, & omnibus superioribus documentis probare confidimus, eos sanctissimæ Trinitatis veram fidem habuisse, Deum vnum & verum coluisse & inuocasse in Christum verum mundi redemptorẽ & iudicẽ credidisse, Biblia sacra fideliter seruasse, corde & ore tribus fidei nostræ Sym-

C bolis adhæsisse, sanctorum Conciliorum ac Romanæ Apostolicæque Ecclesiæ decretis nunquam contradixisse. Præterea, à cunctis abhorruisse hæresibus, sanctum Baptisma, suscepisse, obseruasse Decalogum pro viribus, veræ pœnitentiæ fructus fecisse, deniq; migrasse ex hoc mundo in aliũ postulata à Deo, & proximis, omniũ offensarum venia, aliisq; offensas remittendo, & in vnica Dei propter merita Christi misericordia sperãdo. Quapropter certa & constanti fiducia tuemur, quod recta via in Paradisum cœlestẽ aut mox, aut paulo postea profecti sunt his totis quingentis & mille annis, antequam

D istorum Pelopidarum nomina, factaq; fando audita essent vsquam gẽtium. Quæcunq; vero dicteria & opprobria canes impurissimi aduersus eorum famam & salutẽ despumant, totidem sunt peruersa damnabiliaq; mendacia.

Et vt ad absurda ex iis blasphemiis emergentia descendamus: sequeretur hoc quod autumant Hugnostici, posito, sanctos martyres ac successores Diui Petri, Linũ, Cletũ, Clementẽ, Anacletũ, Euaristũ, Alexãdrum, Sixtum, Thelesphorum, Higynum, Pium, Anicetum, Soterem, Eleutherium, & Victo- 6.

rem,

rem, qui priore post Apostolos sæculo clauum Ecclesiæ Romanæ tenuerunt; item hos alios Martyres, ac Pastores præcipuarum Ecclesiarum, Polycratem, Ignatium, Theophilum, Pantenum, Quadratum, Aristidem, Dionysium, Clementem, Miltiadem, Melitonem, Hegesippum, Polycarpum, Heronē, Serapionem, aliosque Apostolorum Discipulos, qui hisce temporibus tanta cum sanctitate Asiam & Africam in fide & pietate Christi erudierunt & retinuerunt, & alios eiusmodi propemodum infinitos Ecclesiarū occidentalium fundatores: omnes hos inquam, statuendum esset velut Papistas, idolatras, antichristi membra & supposita, sempiternam incurrisse damnationem. Nam & viuæ vocis oraculo professi sunt, & scriptorum monumentis commendarunt, & sanguine proprio in martyriis obsignarunt eādem quam maiores nostri cōtinua serie traditam religionem acceperunt, & inoffenso tenore ad nostrum vsque tempus propagauerunt.

7. MINIST. Caluinica progenies priorē articulum, qui est de tot tantorumque virorum damnatione, abominari sese finget: posteriorem hunc, de eadem illorum nobiscū religione peruicacissime, scio, pernegabit.

Ieren. l. 3. c. 3. l. 5. c. 19 L. 4. c. 32. & 34. Inst. Dialog. & Apolog. 2. Mar. ep. ad Burdeg. Iren. l. 4. ca. 72. Clem. l. 1. 2 3. 4. Strom. Ignat. Clem. Dionys. Tertul.

DOCTOR. At ego ex eorum Patrum scriptis tam Græcis quam Latinis probauero, quod Romanæ Ecclesiæ in alias omnes Primatum agnouerint, Virginem Mariam pro nobis intercedere apud Deum docuerint: verum corpus & sanguinem Christi adesse ac offerri in Eucharistia, & ad eum finem erecta in templis alta[illegible]defenderint: salutari signo crucis frontes communierint: hominem præditum libero arbitrio asseruerint: bona opera ad iustitiam & salutem necessaria tenuerint: virginitatis statum matrimonio præcellere adfirmauerint: nec non alios religionis articulos, quos Caluinus & eius lixæ tam atrociter infamant, & quorum gratia nos cum Patribus tam acriter coarguunt & damnant. MIN. Perspicuum est quatuor è Germania Ministros in secunda Centuria, & duos è lacunis Geneuensibus in libro cui titulus *De statu Ecclesiæ*, quem Ioan Crispinus typis excudit, id verum esse cōfiteri. Vnde sequitur aut omnes prædictos martyres & patres iure damnatos esse: aut (quod certo certius est) Caluinianos impostores & mēdaces esse peruersissimos.

8. DOCT. Pari de causa par iudicium statuendum esset in alios sanctos Pastores, Do-A ctores, qui superioribus altero sæculo successerunt, quiq; pro Euangelio & Ecclesia Christi in vrbe Roma sanguinem suū profuderunt: quo in numero fuerunt Zephirinus, Calixtus, Vrbanus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus, Dionysius, Felix, &c. Sic eodem tempore faciebant in Alexandria & Africa, Heraclas, Dionysius, Pierius Achillas, Cyprianus, Ammonius, Hippolytus, &c. Necnon per Asiam Pamphilus, Meletius, Theodorus, Theoctistes, Maximus, Firmilianus, Babylas, & innumera alia organa Spiritus sancti. MIN. Recte ratiocinaris. Neque enim non potest, quin omnes sapientissimi B doctores & fortissimi martyres crediderint & docuerint corpus & sanguinē domini esse in Eucharistia, vere offerri pro viuis ac defūctis: primatū Romanæ Ecclesiæ agnoscendū: legitimū matrimonium inter Sacramenta Christiana connumerandū: verā pœnitentiā contineri contritione, confessione, & satisfactione velut partibus: preces nuncupatas Sanctis cœlestib. mortalibus plurimū prodesse: libertatem arbitrii in homine etiā post lapsum residere: bona opera ad iustificationem & salutē necessaria esse: vota semel Deo nuncupata, constanter seruanda: consuetas Baptismi ceremonias obseruandas, & cætera C omnia religionis capita, quæ Nouatores isti in cōtrouersiam adducunt. Nam scripta per hosce sanctos Doctores posteritati relicta tam dilucide illa cōtinent & adfirmant, vt Centuriatores Magdeburgenses & alii per Europam eruditiores Ministri velint nolint id cōfiteri cogantur. Atqui æternæ damnationi deuouere tot Sanctos patres, vna cum tot myriadibus populorū qui horū doctrinā & fidem sunt amplexi, tam detestanda res est, vt omnes ingenuas mentes horror eius merito subire debeat. Planum igitur, & certū est, prædecessores nostros, in eadem nobiscū religione institutos, gratos fuisse Deo, & cum ipso in regnum cœlorum receptos D esse.

Cypr. ep. 3. & ad Cæcil. Tertul. l. de coro. milit. & l. 4. ad Marc. L. de præsc. L. de Monog. L. de patient. Orig. l. 2. in Iob. Hom. 16. in Iosue &c.

Cent. 3. c. 4 6. 7. 10.

DOCT. Paucis cōplectar totam hanc dissertationē. Licet enim mihi affirmare, quod omnes sancti Patres doctores Ecclesiæ Christianæ, qui quarto, quinto, sextoq; eius sæculo floruerunt, eandē pietatem ac doctrinam perpetuarunt, quam omnes deinceps Christiani secuti sunt, vt ipsi Centuriatores palam fatentur & scribunt. Quo argumento colligitur, quod cum parentes nostros suosque damnant Caluiniani, eandem notam pariter toti veteri & vniuerso Christianismo inurunt. 9.

Cent. 4. c. 4.

inurunt. Quod peccatum vere arbitror esse A admissum contra Spiritum sanctum. Hic n.
Deut.32. iubet nos, *Meminisse dierum antiquorum, cogitare generationes singulas. Interrogare Patres vt dicant, & annuncient nobis*, quænam vera sit religio. *In antiquis enim est sapientia, & nullo*
Iob.12. *tempore prudentia.* Ait rursum: *Ne transgrediaris*
Prou.22. *terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.*
Ierem.6. *Præcepit vt interrogemus de semitis antiquis, quæ*
Eccl.8. *sit via bona, ambulemus in ea, vt sit quies animab. nostris.* Nec nos prætereat narratio Seniorũ: ipsi enim didicerunt à patribus suis. Deniq;
Heb.13. vt meminerim⁹ Præpositorum nostrorum, qui locuti sunt nobis verbum Dei, & eorum B fidem imitemur. Quocirca tam impudenter & nequiter sub titulo Papatus, reprobare tot myriadas piorum Christianorum, qui tot sæculis ætatem nostram anteuerterunt, & eandem religionem, quam à patribus suis acceperant, patres à martyrib. martyres à discipulis Apostolorum, & hi à Christo didicerant, eam nobis quasi per manus tradiderunt: hos inquam, tales viros reprobare & damnare, nihil aliud est, quam
Matt.12. dicere verbum blasphemiæ cõtra Spir.S. &
1.Ioan.5. peccatum ad mortẽ committere, q. neq, in hoc sæculo, neque in futuro remittetur.

10. Præterea, Caluinica contra omnes sic posita & constituta censura, sequetur omnes ærumnas, pœnas, passiones, dolores, angustias, denique crucem, mortem, sanguinem & meritum Domini nostri Iesu Christi, hactenus sine vllo effectu ac fructu fuisse circa salutem generis humani: omnes eius promissiones de redemptione hui⁹ mundi credentis, pœnitentis atque baptizati nondum
Matt.9. impletas: Ecclesiam ac regnum eius de ter-
Luc.15. ris periisse: tyrannidem Satanæ plus posse, &
Ioan.3. regnum magis pollere, quam vel Christi
Matt.16. virtus vel imperium. Eundem Satanam nec
Luc.11. victum, nec ligatum, nec spolijs suis exutum
Mat.9. priore Christi aduentu: quæ omnia plane
Ioan.11. blasphema sunt, & verbo Dei expresso con-
Apoc.12. traria.

11. Quin & illud consequens esset, ipsum Spi-
Io.14.15. ritum S. non mansisse in æternum Ecclesiæ moderatorem & arbitrum, quod tamen
Cantic.2. Christus repromisit: nec illi suggessisse om-
Ephes.5. nem veritatem: nec eam reddidisse sine ru-
Ephes.4. ga & macula: nec cariorem eandẽ habuisse
Mat.20. veteri Iudæorum Synagoga: nec maiorem vim exeruisse per Sacramenta Christiana, quam per veteres vmbras Legis Mosaicæ: non perpetua successione idoneos illi pastores subministrasse: quæ omnia rursus contumeliæ sunt intolerabiles contra veritatem & maiestatem eiusdem Spiritus sancti.

Dicendum etiam foret, labores sanctorũ 12.
Apostolorum, qui mundum ad verã fidem Ioan.15.
ac religionem conuerterunt, nullo aut per- Act.1.
exiguo fructu constitisse, peregrinationes & Marc.16.
prædicationes eorum pene frustra fuisse, primos eorum discipulos, qui totius mundi Ecclesias administrarunt, non solum officij Iren.l.3 c.
sui negligentes, & rerum imperitos: verum 2.3.
etiam erroribus deformatos, & meros animarum caupones atq; seductores extitisse: quæ latissima culpa vel incuriæ, vel imperitiæ prædictorum Apostolorum imputanda foret, quod parum cauissent ne quid Ecclesia Christi suæ fidei concredita detrimenti caperet.

Ex eodem iterum errore colligi posset, o- 13.
mnia miracula, quæ Martyres, Confessores, Virgines, sancti oẽs in nomine Dei fecerunt, præstigias fuisse & incantamenta dæmoniorum: quæ blasphemia est plusquam Iudaica. Carceres item, vincula, iudicia, tormenta, supplicia, mortes, quas Domini causa, martyres ineluctabili constantia pertulerunt, in irritum cessisse. Confessiones fidei nostræ ab ijs ante Reges & Præsides huius mundi C factas, falsas & fallaces esse: nec eos secundũ Euãgeij promissa, post felicem vitæ exitum in vitam æternam receptos fuisse: quandoquidem eandem, quam & nos fidem nunc profitemur, & illi profitebãtur, vt ex eorum scriptis coram toto mundo comprobamus. Hanc vero Caluiniani *Iudaicam, Turcicam, Ethnicam, Antichristianam, Satanicam* (& si quid magis horrendum euomere possent) *perfidiam & impietatem* vocare non timent.

Et vt paucis concludam, quęcunq; absur- 14.
da & incongrua in nostro priore colloquio collegimus, vere & ipsa re contingerent, si Deus permisisset suam Ecclesʃ. Cath. siue in D fide, siue in bonorum morum definitione tot sæculis aberrare quot impudenter calumniantur Caluiniani. MIN. Hic articulus ad liquidum perduct⁹ est. Dicamus nunc, vtrũ licitum ac vtile sit, necne, Sanctos inuocare & colere, & qui cultus eis tribuendus. DOCTOR. Dies iam ad vesperã inclinat: & copiose tractauimus de loco Paradisi; de via & modo quo Sancti illuc peruenerũt: quinam ibi sint, aut nõ: & quatenus clara Dei visione perfruantur. Adhæc, compescuimus Hugnosticorum atroces contumelias & imposturas, quibus innumerabilẽ nobis Sanctorum multitudinem ẽ cœlis deripere, & ad inferos

inferos detrudere nituntur. Video itaque A pensum huiusce diei non parca manu absolutum: Superest vt oremus Deum, diem crastinam exspectantes, qua petitioni tuæ morem pro virili geremus.

ORATIO.

O Deus sanctißime, ac iustißime omnium hominum Iudex, qui enormem Adami lapsum, totamque illius posteritatem claro Maiestatis tuæ conspectu, perfectaque bonorum cœlestium fruitione priuasti, quoad vnigenitus filius tuus Iesus offensam hanc sua paßione & morte piaret: & Ascensione gloriosa cœlos penetrans, sedem iis pararet qui vere crediderint, baptizati fuerint, de peccatis postea commißis dignos fructus egerint pœnitentiæ, cuiusmodi fuerunt omnes pij parentes & antecessores nostri: contra vero destinasti ignem æternum diabolo & angelis eius, ministris, seductoribus, blasphemis, hæreticis, schismaticis & apostatis: ex animo tibi supplicamus, vt nos gratia tua continenter complecti digneris, quo ab omni liberemur errore, ac peccato mortali: crescamus in fide & bonis operibus: vt post decursum huius miseræ vitæ nostræ stadium, vna cum sanctis Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, Pœnitentibus, & antecessoribus nostris, in cœlis perpetuo contemplemur beatißimam faciem tuam sicuti est.

Amen.



LIBER NONVS,

IN QVO OCTOGINTA ET DVO CALVINIANORVM ERRORES, SANctis cœlestibus aduersantes refelluntur.

NEFARIVM ESSE INIVRIIS AFFICERE ET CONTVMEliis diuexare sanctos Patriarchas Noe, Abraham & Saram, Isaac & Rebeccam, Iacob & duas vxores eius, contra octo errores Hugnosticorum.

CAPVT PRIMVM.

MINISTER.

Solito maturius surrexi, & multo mane B huc veni, peramice Doctor, præ desiderio tecum fusius conferendi sermones de gloria, qua in cœlis sancti collætantur: atque in primis sciscitari libet, An fas sit illis obiectare peccata, occentare iniurias, & multorum criminum calumnias irrogare? Deinde, vtrum nos ament: videant preces nostras: precentur pro nobis: quo pacto sint honorandi? Denique, in quibus consistat gloria & felicitas ea, qua nunc in cœlis perfruuntur? DOCT. Cum Authores vestri de veteribus Patriarchis atque Prophetis verba faciunt, omne genus contumeliarum & opprobriorum congerunt in eos, quæ vix in ergastulo crucis cãdidatus pateretur. Stringunt etiam suæ maledicentiæ tela in Ioannem Baptistam, qui oraculo Domini, inter natos mulierum non habuit maiorem: non immunes habent beatos Angelos: non beatißimam Deiparam Virginem: adeo vt æquanimitate singulari sit opus ad eos audiẽdos, & ad refellendos errores eorum, longo sermone, diligentiq; meditatione. MIN. De patientia & attentione mea caue ne dubites. Nam etsi negotiosus essem, tamen semper vacaret audire dissertationes, quæ ad gloriam Dei, & animarum salutem pertinent: nec vnquam defatigarer, licet sermo ad plures hebdomadas, imo in totos menses & annos produceretur. Quod itaque felix & faustum sit, ordire cum Deo, & ordine singulas partes expone: non deerit tibi attentus auditor: nec surdo, quod aiunt, narrabis fabulam.

Summa huius libri.

DOCT. Caluinus vno impetu Noe alterum mundi parentem, septem accusat atrocium scelerum. Primum de horrenda & abomi-

abominanda desperatione: *Necesse erat* (inquit) *vt desperatione confusus salutem suam in arcam includeret.* Deinde, summæ imprudentię, dicens: *Omni consilio destitutus, in arcam se inclusit.* Tertio ait: *In turpem ac pudidum modum sui oblitus est.* Quarto: *Fœdam mentis alienationem contraxit.* Quinto, etiam Deum sic grauat inuidia: *Deus æternam probri maculã ei inussit.* Sexto addit: *Non satis modeste grauiterque se gessit, cum diras maledictiones in irrisorem filium, velut fulmẽ iaculatus est.* Septimo loco scribit: *Nec Moses recitare sustinuit quas contumelias ira & atra bile percitus in eum despumauit.* Ac vt numerum denarium expleret VVolfgangus Musculus tres alias in eundem criminationes cumulauit. Nimirum, quod *Curiositate peccarit, tentando Deum. Quod patientiæ limites transierit exeundo ex arca: quodque rem fidei contrariam fecerit, &c.* MIN. Si par illud Prædicantum vera loquantur, Noe non fuit adeo sanctus & iustus coram Deo, sicut Moyses, Paulus, & ipsemet dominus testimonium de eo perhibent. Sed hæc ad confutationis locum remittenda. Narra nunc quas proferunt contumelias aduersus Abrahæ & Saræ lectissimum coniugium, ex quo tandem prodiit Christus secundum carnem.

In c. 6. Gen. v. 13. In c. 7. v. 6. In ca. 9. v. 20. In c. 9. v. 2... Com. in ca. 8. Gen.

DOCT. Caluinus vtrosque appellat *Mendaces, peruersos, fallaces, stultos, simulatos, ingratos, crudeles, sophistas, adulteros, lenones, idololatras, desperatos, peccantes contra naturam, & infideles aduersus Deum.* Fingens enim se sobrie & reuerenter velle expẽdere factum Abrahæ ingredientis Aegyptum ait: *Primum simulationi, ad quam inducit vxorem suam, videtur aliquid esse mendacij admixtum. Hoc magno vitio non caruit, quod per eum non stetit quominus vxorem prostitueret. Nam cum vxorem esse dissimulat, denudat eius pudicitiam legitimo præsidio.* Et illico simulans proteruos quosdam canes hinc latrantes refellere, rursum ita prodit laceratque vtriusque famam & integritatem: *Cum vxorem suam in adulterij periculum coniicit, minime excusabilis esse videtur. In ipsa via aberrat. Particularis lapsus eius non negandus est. Discriminis euentum non committit Deo, ne vxoris pudicitiam male proderet.* Et paulo post castitatem pudicissimæ fœminæ ita probri insimulat. *Quum abducta fuerit, & in aula habitauerit ad tempus aliquod, multi à rege corruptam putant:* Et seipsum in eorum numero esse declarans, ait: *Neque enim credibile est, quum homo libidinosus eam haberet in manu, pepercisse eius pudicitiæ. Id quidem promeritus fuerat Abram, qui locum non dederat gratiæ Dei, nec vxoris castitatem in eius fidem & custodiam deposuerat, &c.* Addit postea: *Quanquam agnouit Abram se dare iustam stultitiæ suæ, vel præposteræ cautionis pœnam: secundo tamen in idem vitium relapsus est, vt suo loco videbimus.* MIN. Oportet sane Caluinum hominem fuisse natura maleuolum & maledicentissimum, quando tantus Patriarcha cum castissima eius coniuge, criminationes eius non effugerunt. Ecce profecto vtrunque (vt vere retulisti) insimulatum, mẽdacij, simulationis, magni & inexcusabilis vitij, stultitiæ, prostitutionis, impudicitiæ, corruptionis, lenocinij, ac diffidentiæ in Deum. Non quid aliud superest?

Com. in c. 12. Gen. v. 11. In cap. 12. Gen. v. 11. In ca. 16. v. 1. 3. 5. 6. In c. 20. v. 2. Vers. 15. In c. 8. Ro. v. 35. In cap. 2. Exod. v. 16. In cap. 14. Gen. v. 18. Vers. 1...

DOCT. Plurimum plane. Non n. tam paucis contenta fuit in Sanctos cœli ciues Caluiniana impudentia. Sic enim piissimam auiam Christi Saram multis vexat cõtumelijs, multis iactat iniurijs: *Sarai rationem alienã à verbo Dei apud se quærit. In ipso progressu non leuiter peccauit, quod orbitatis impatiens, à verbo Dei discessit. Obrepit desperatio. Connubij legem peruertit, lectum coniugalem polluendo. Nec culpa etiam vacat Abram, quod stulto ac præpostero vxoris consilio obsequutus est. Reprehensione digna est Abrahæ facilitas. Vtriusque autem claudicat fides. Dei virtutem non debuit alligare ordini naturæ, vel restringere ad suum sensum.* Et in sequentibus: *Admittit concubinam quæ instar pellicis futura erat. Ad eandem quã ipsa feruebat impatientiam maritum sollicitat. Vacillat quidem Abrahæ fides, cum à verbo Dei declinans, vxoris impulsu ad remedium prohibitum transferre se patitur. Momento vno tentationi succumbit.* Deinde, dolosissimo schemate vtens, idipsum quod negare se de illa fingit, palam adfirmat: *Neque enim domui suæ voluit erigere lupanar, nec ancillæ suæ productrix, vel mariti lena esse.*

In cap. 16. Gen. v. 1. Vers. 2. Vers. 5.

MINIS. O hominem in disputando vafrum, veteratorem, & malitiosum! Ecquid enim aliud est Abræ, *vxorem prostituere, pudicitiam eius nudare præsidio, pudicitiam prodere* (quod Caluinus palam tribuit Abrahæ) quã ei lenocinari? Aut quid, *Coniugij legem peruertere, lectum coniugalem polluere, pellicem viro quærere & subministrare, alienam in thorum mariti inducere* (quorum à Caluino insimulatur Sara) quam domi suæ lupanar erigere, & mariti lenam esse, quod hic simulate Caluinus negat & damnat?

DOCT. Rursum velut conserta manu aduersus Saram dimicans, accusat eam, *quod loquenti Deo fidem abrogauit: quod non sit excusanda Saræ incredulitas. Cum incredulitate fuit coniunctus Saræ risus. Dei potentiam intra ser[...]is sui*

In Gen. ca. 18. v. 12. 13

sui metas inclusit. *Iniuriam fecit Deo, non agnoscens inæstimabilem eius potentiam.* Et in ipsum A
In c. 20. v. 2. Patriarcham redintegrans bellum, postea scribit: *Semel Deũ tentauit, nec per culpam suam stetit, quin vxor ad alienum virum transiret. Adde, quod etiam ab ingratitudine immunis non fuit Abraham. Gratiam priorem sibi diuinitus oblatam, quantum in se est irritam facit. Si probe omnia expendimus, infidelitate peccauit, &c.*

MIN. Iam plus satis conuiciorum & probrorum aduersus sanctiss. Abraham & Sarã: si quid contra Isaac & Rebeccam scripserit obtrectator, adijce. DOCT. Resumpto paululum spiritu, sedatiore vtcunq; impetu rursus incipit incurrere contra Isaac & Rebeccam, his verbis: *In eo primum culpandus est*
In c. 26. Gen. v. 7. 8. 10. *Isaac, quod seruandæ vitæ causa, ad simulationem mendacio non absimilem confugit. Deinde, quod vxorem à fide coniugii absoluens, alienis prostituit. Excusari non potest eius socordia. Loquitur Moyses de aliquo liberiore gestu Isaac, qui vel dissolutæ lasciuiæ, vel coniugalis amoris testis esset. Debuit vltro se damnare, quod se & vxorem Deo non commendans, sua incredulitate ad illicitum remedium delapsus esset. Vnde sequitur vacilasse fidem Isaac, quũ ab officio mariti deflexit.* Nec iis contentus addit postea: *Cæcus rapitur in amorem primogeniti*
In c. 27. Gen. v. 4. *filii, vt eum alteri præferat, atque ita cum oraculo Dei luctetur. Peruersus filii amor quædam fuit cæcitatis species, quæ illi magis obstitit, quam externa oculorum caligo.*

Postea simulatam ad tempus verecundiã exuens, in sanctissimam matronam Rebeccam contumeliose inuadit, vocans eã *Astu-*
Vers. 5. *tam, dolosam, fallacem, damnabilem, mendacem, præstigiis in re seria ludentem, cæleste oraculum suo mendacio obscurantem. Hostile inter fratres odium accendentem, totam domum turbantem, &c.* MIN. Proh! Hæc plane est intolerabilis impudentia, accusare sanctissimum Patriarcham simulationis, mendacij, lenocinij, incredulitatis, socordiæ, dissolutæ lasciuiæ, infidelitatis, obliuionis Dei, amẽtiæ, peruersitatis, &c. Est ne hæc moderatio Euangelica, Fœminã singularis pietatis & exempli, tot tantisque contumelijs intemperanter onerare?

Sed quid aduersus sanctissimum Iacob, & duas eius coniuges Liam & Rachelem importunus iste canis latrare potuit? DOCT. Inprimis, illum omni fide (quæ cunctarum
In c. 27. Gen. v. 11. 13. virtutum basis est,) exuit, dicens: *Quod Iacob non sponte se patri offert, fidei valde contrarium est. Secum disceptans, se fide destitui ostendit. Dubitatione obtenebratam videmus fuisse eius fidẽ.* Hinc Rebeccam sanctissimam matrem eius sic rursum adoritur: *Securè maledictionis ream se facit. Vnde a. tam supina confidentia? Nullo n. Dei mandato instructa, &c.* Eandem paulo postea vocat: *Vocationis suæ transilientem, fraudulentam, errantem, fallacem, &c.* Vers. 14. Et ad ipsum Iacob censorium stylum rursus conuertens, scribit: *Iacob non simpliciter ab eo quod rectum est deflectit in matris obsequium: interim vitio non caret particularis error: quia talibus fallaciis adiuuanda non fuit Dei veritas. Temeritatis culpam sustinet, quod Dei prouidentiæ diffidens, ad benedictionem patris occupandam fraude obrepsit.* Et rursum: Vers. 19. *Deposito metu, audacter & secure mentitur. Benedictionem fraude petit, seque mendaciter insinuat.* B *Sacrum Dei nomen suis mendaciis permiscet. Periurii culpa non caret.* Rursus obtrectandi occasiones quærit ex sancti Iacob matrimonio, his verbis: *Peruertit (Laban) omnia naturæ* In c. 29. Gen. v. 27. *iura dum germanas sorores in lectum vnum conijcit, vt altera sit alterius pellex. Quantumuis excellat Iacob, non tamen illi nascitur soboles nisi ex impura colluuie, dum præter naturam miscentur vno in lecto duæ sorores, quasi belluino more. Poterat Leam dimittere, quod vxor non esset legitima. Iacob autem sic eam vxorem inuitus retinet, vt malum duplicet polygamia, triplicet vero incestuosis nuptiis. Lea fraudis paternæ conscia, sorori maritum indigne abduxerat: sed eius culpa non excusat* C *libidinem Iacob, vers. 30.* Et in beatam Rachelem rursum calamum stringens, scribit: *Sororis contemptu & dolore exultat.* In c. 30. v. 1. 2. 3. *Dominus hanc prauam lætitiam compescit. Inuidia vritur, nec ferre potest in ea esse vxoriæ dignitatis. Ne sorori quidem parcit: ac parum abest quin iracundiam suam euomat in Deum. Petulanter insurgit in Deum ipsum, nihil tribuit Dei prouidentiæ. Illi generis humani curam ac gubernationem eripit. Ad Dominum non confugit, sed illicitis artibus perrumpit ad victoriam. Impie Rachel ac peruerso medio, non secus ac inuito Deo materfamilias fieri appetit, &c.*

MIN. Iam parce, quæso te, auribus meis, Confut. 1. D & tot contumelijs, obtrectationibus, & imprecationibus aduersus sanctissimos & antiquissimos seruos Dei finem impone. Quãuis enim omnem attentionem & patiẽtiam tibi pollicitus sim: horret tamen animus audire, quæ refers ex maledictis Caluinianis. Itaque in rem magis fore duxerim, talia refutare, priusquam ad reliqua digrediaris. DOCT. Ordire vt soles, à cõtradictionib⁹, quibus obtrectator secũ ipse pugnat. MIN. Primum de Noe differens ita loquitur: *Probe & sancte viuens, purum se à cõmunibus mundi inquinamentis seruabat, quia præuentus erat Dei* In c. 6. Ge. v. 8. *gratia,*

gratia,&c. DOCT. Alibi ergo prodit insanabile maledicendi cacoethes, cum tot crimina & scelera quæ audisti, affingit sanctissimo viro Dei.

2. *In c. 6. Ge. v. 8. 9.* MIN. Postea subijcit: *quod postquam Deus eum semel amplexus est, semper hominem custodire perseuerauerit,* ne ruina & clade cæterorum mortalium inuolueretur: *eum fuisse virum integrum, sincerum, & sine vlla vanitate aut hypocrisi.* Statim adiungit: *Mirabile fuit constantiæ exemplum, quod vndique scelerum fœtore circundatus, contagionem inde nullam contraxerit. Strenuus & inuictus athleta, quem tot peruersa sæcula non mutarunt.* DOCT. Totidem igitur sunt fœdissima mendacia, diabolicæque calumniæ quoties vocat eum curiosum, impatientem, infamem ac desperatum hominem.

3. MIN. Hinc collaudans alacritatem & promptitudinem, qua Dei mandatum in fabricando arcam exequutus est, vt ex diluuio seruaretur, ait: *Nullus ei molestus, vel difficilis est labor, nullo tædio frangitur.* *Vers. 13. 14.*

DOCT. Vnde igitur exsculpsit Musculus impatientiam eius, & peccatum aduersus fidem? Vnde hausit desperationem eius Caluinus. MIN. Pergit adhuc in recensendis Noe laudibus: *Sequitur mandatum exstruendæ arcæ, in quo Deus mirifice fidem & obedientiam serui sui probauit.* DOCT. Non potuit ergo esse homo desperatus, non omni consilio destitutus, nec Deus æternam probri maculam ei inussit, vt alibi mendacissimus obtrectator persuadere conatur.

4. *Vers. 18.* MIN. Addit insuper, quod Moses in immensum extollit fidem Noe: quod eius in fide constantiam tam altis erat defixa radicibus, vt exstirpari non potuerit: quod se Deo pœnitus resignauit, reddens ei debitum honorem: quod omnibus in rebus, non aliqua tantum ex parte, morem Deo gesserit. DOCTOR. Perpende quanta sit vis veritatis! Iuratus hostis eam confiteri & prædicare cogitur, postquam abnegauit: & laudibus euehere virtutes S. Patriarchæ, quem paulo ante mendacissimis obtrectationibus depresserat!

5. Sed de contradictionibus tantum est: venio ad testimonia, quibus Spiritus S. iustitiam & sanctitatem huius viri comprobauit: quæ facile Hugnosticos impetus retundent. *Gen. 6. 7.* Ita enim per Mosem de eo loquitur: *Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis: cum Deo ambulauit. Et dixit Deus ad Noe: Fac tibi arcam, &c. Ponam fœdus meum tecum, &c. Fecit*

A *Noe omnia quæ præceperat ei Deus, &c.* Statim additur: *Dixit Dominus ad eum: Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam. Te enim vidi iustum coram me in generatione hac, &c.* MIN. Plane luculenta sunt sanctitatis, fidei, pietatis, & obeditionis eius testimonia, quæ Deus ipse defert fidelissimo seruo suo. Necesse est itaque illum fuisse virum sine fuco & fallacijs, præditum vera sanctitate, perfectaque iustitia: cum Deus ipse testetur eum sibi gratum exsistere, ac iustum, integrum, perfectumque in oculis suæ diuinæ Maiestatis.

DOCTOR. Confer nunc paulum antitheses diuinas cum maledictis Caluinianis. 6.
B Deus testatur Noe fuisse iustum, perfectum, obedientem omnibus quæ præcepit illi, gratum in oculis eius, & dignum qui cum fœdus pacisceretur: Caluiniani contra, prædicant eum fuisse hominem curiosum, tentatorem Domini Dei sui, impatientem, omni consilio destitutum, fœda mentis alienatione titubantem, detestandum, infamem, & infidelem. Quibus potius assentiemur?

MINIS. Perge porro enumerare laudes Patriarchæ. 7.

DOCTOR. Moyses deinde scribit: *Noe* (ex arca egressus) *ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis,* *Gen. 8.*
C *obtulit holocausta super altare: odoratusque est Dominus odorem suauitatis:* id est, gratum & acceptum habuit. Et dixit: *Nequaquam amplius maledicam terræ, &c.* Cum autem exstruit altare Domino, nonne præ se fert quod eximia fide magnitudinem & maiestatem diuinam agnoscat, sub qua seipsum demittit? Nunquid sacrificando, summum obsequium eidem persoluit? Nonne quibuscunque modis potest, gratias habet pro liberatione, & alijs beneficijs à Deo acceptis? Nonne veneratur & inuocat eum, tanquam creatorem & seruatorem suum? Mundas oblationes cum elegit, nonne religiosam obseruãtiam,
D & exquisitam in Dei cultu diligentiam adhibet? Cumque id facit coram omni familia sua, nonne suos ad verum veri Dei cultũ informare studet? Denique, an Deus continuo benedixisset hominem infamem, detestandum, infidelem, ac desperatum: sicut mox benedixit Noe? MIN. Non est dubium quin à maligno spiritu possideantur detortæ mẽtes istorum, quibus volupe est, talem virum prosequi maledictis: cui Spiritus Dei tam præclara sanctitatis elogia tribuit.

DOCT. Alibi, Noe, Iob, & Daniel coniunguntur instar trium virorum iustitiæ & 8. *Ezech.*
perfe-

perfectionis, in quorum gratiam Deus nihil A non facturus sit, nisi scelera profligata mortalium impedimento forent. Sapiens quoque recenset eum inter gloriosos viros, quorum pietates non defecerunt, & laus in æternum manet. Deinde, de eo testatur: *Noe inuentus est iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Ideo dimissum est reliquum terræ, cum factum est diluuium.* MIN. At vero virtutes & pietates quas in eo prædicat Caluinus, sunt carere omni consilio, fide, spe, modestia, sapientia, honestate, grauitate homine digna probo & honesto.

Eccl.44.

9. DOCT. Longe vero alia mens est Apostolo Dei qui sic pleno ore hominis laudes B decantat: *Fide Noe responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum: & iustitiæ quæ per fidem est, hæres est institutus.* MIN. Audio vbique fidem, audio obedientiam, & iustitiam eius prædicari à Prophetis, publicari ab Apost. dilaudari à Spiritu S. soli Caluin. reclamitant.

Heb.11.

10. DOCT. Quinetiam Christus proponit eum in specimen reuerentiæ & obedientiæ, quæ debetur Deo. Petrus citat tanquam hominem sanctum, cuius actiones sacramenta nostræ pietatis adumbrarint: nec modo velut in se, & coram Deo iustum: sed & velut eximium apud alios iustitiæ præconem. Quid amplius requiri potest, vnde virtus, sanctitas, & pietas eius à calumniis & accusationibus hæreticorum vindicetur?

Mat. 24. Luc 17. 1.Pet.3. 2.Petr.1.

11. MIN. Aliquod saltem responsum expecto, qui possit excusari fœditas illa, qua temulentus, & somno vinoque sepultus partes corporis velandas denudauit. Nam vt muscæ, & eiusmodi insecta, læuibus politisque locis non diu insident, scabris adhærescunt: ita sinistrum Caluinianorum acumen virtutes huius viri leuiter præteruolat, in turpibus immoratur, & petulanter exsultat. DOCT. Sancti Patres, & benigni Scripturarum in- D terpretes excusant illum ab omni peccato mortali, quod inuerecundi Bacchi vim & bibendi modum ac mensuram ignoraret, eo quod ante diluuium illius vsus nullus extiterat. Deinde, culpam hac etiã allegoria defendunt, quod & in se, & in ipso actu figurauerit id quod euenturũ erat domino nostro Iesu Christo, qui velut amore salutis nostræ ebrius & nudus in cruce crudeli morte obdormiuit: & à Iudæis (velut Noe à filio) probris & contumeliis multis affectus & derisus est. Quod autem diris caput irrisoris filij de-

Gen 9. Lyran. Alcuin. Isidor. Procop. Chrysost. Tertul. lib. adu. Iud. Iren. l.1. c.29. & l. 4.c.30. Mat.27. Ioan.19.

nouit, nihil in eo crudeliter admisit, quemadmodum hæreticus Prædicans imaginatur: sed è contrario, rem fecit æquitatis & iustitiæ plenam, aduersus profligatum & reprobatum nebulonem: quam & Deus ipse ratam habuit, vt apparet ex euentis inde cõsequutis.

DE ABRAHAM, ISAAC, IACOB, *& vxoribus eorum.*

MIN. Hactenus de Noe, transeamus ad 1. patres fidei nostræ Abraham, Isaac, Iacob, sanctasque eorum vxores, & accusationes criminationesque Caluinianorum refellamus. DOCT. Magni in primis præiudicii aduersus eos pondus habet, quod veteres Gnostici, Marcionitæ, Cainitæ, & Manichæi, ab vniuersa Ecclesia reprobati fuerunt, ideo quod & scriptis & concionibus similes aduersus eosdem seruos Dei calumnias confinxerint, quales & nunc Caluiniani. Non quod negemus, aiunt Patres, quin multi ex antiquis in grauissimas reprehensiones incurrerint, vt Aaron in conflatione vituli, Samson adhærendo ethnicis fœminis, Dauid dormiendo cum Bethsabea, Ionas fugiendo à facie Domini, &c. Sed cum Deus statim eorum castigarit peccata, & pœnitentes à delictis emundarit, deincepsque eos C probarit: non sunt vlterius à nobis carpendi: Verum enimuero cum nusquam in scripturis reprehensus sit Abraham, nusquam culpatus Isaac, nusquam condemnatus Iacob: & summam certe in iis integritatem arguit: & damnabilem in Caluinianis arrogantiam, & diabolicam conuitiandi libidinem, quod inculpatissimos homines tanta contumeliarum acerbitate traducant.

Iren.l.4. c.45.50. Aug.l.22. cont. Faust. c.5.30.31. 49.50.

Non abs re sapiens ait, Obtrectatores esse 2. detestabiles coram Deo: Paulus odibiles vocat: Dauid protestatur se bellum ipsis indicere. Dominus quoq; in Euangelio decernit, eum esse dignum qui puniatur ex consilij sententia, qui fratri suo dixerit *Racha*, qui autem *Fatue*, reum esse gehennæ ignis: Quibus testimoniis elucet, puniendos esse à Magistratu maledicos, detractores, qui contumelias aduersus pios & fideles Dei seruos euomere non cessant.

Prou.24. Rom 1. 1.Cor.11. Psal.54. Mat.5.

DOCT. Tantum abest vt Deus quem- 3. quam ex his patribus culpet, aut in crimen vocet: vt contra, laudet, extollat, & honore eos afficiat toties, quoties ad eos sermonem dirigit. Ait enim de Abraham: *Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam male-* Gen.12.20.

dicentibus tibi. MIN. Non igitur dubito quin A Caluinus & gregales eius sint à Deo maledicti, propter immania probra, quibus & ipsum, & vxorem, & filios eorum fœdissime proscindunt.

4. DOCT. Paulo post recitatur Pharao flagellatus fuisse magnis plagis, & domus eius, propter Sarai vxorem Abram. Tantundem accidit Abimelech regi Palæstinorum. Quod
Gen 15. 25. euidenter demonstrat, quantum vterque &
Gen. 13. 14. maritus & vxor Deo fuerint curæ. Rursum,
15. 16. 17. Moses vitam horum describens, narrat
18. 22. Deum frequenter illis apparuisse, promittendo mirabilia: largiendo insignes de hostibus victorias, benedictionem à cunctis gen- B tibus, consolationem in aduersis, & liberationem à periculis: deducẽdo eos in omnib. viis: recipiendo se protectorem ipsorum fore, & mercedem magnam nimis tributurũ: reuelando ipsis secreta sua, mittendoq; angelos hospites: percutiendo cum ipsis fœdus, dandoq; progeniem præter ordinem naturæ, quæ multiplicaretur tanquam stellæ cæli, & arena maris, vndeque nasceretur Messias vere Deus-homo, Saluator totius mundi. Quis honos, quis fauor, quæ gratia vel gloria votis expeti maior ab homine mortali possit?

5. Postremo, sanctus ille vir cum religiose C castam & pudicam thori consortem, plenus annis atque virtutibus, veneranda senectute spectabilis, animam penes Creatoris sui manus deposuit, corpus ibidem à filiis compositum est, vbi fidelis vxor Sara, particeps ærumnarum, socia fidei, peregrinarum particeps, & consors bonorum operum. Hæc sunt testimonia quæ Mosis ministerio Spiritus S. perhibuit parentibus fidei nostræ Abrahæ & Saræ: quæ & totidem sunt grauissimæ authoritates aduersus Hugnosticas contumelias.

6. MIN. Quid in eorum laudem adferes ex
Mat. 8. 22. Euangelio? DOC. Primum, quod Christus D affirmat, hosce tres Patriarchas recumbere in regno cœlorum: hinc quod Deus tales ser-
Luc. 16. uos laudi sibi ducens, dicat eos non esse mortuos, sed viuentes in conspectu suo. Testatur insuper, quod in loco consolationis erant, etiam antequam Saluator descenderet ad inferos, & ascenderet ad cœlos. Laudans rur-
Luc. 19. sum fidem & opera Zachæi, dicit domum e-
Ioh. 5. 8. ius esse seruatam, eo quod *esset filius Abrahæ:* quæ totidem sunt diuinæ sapientiæ argumenta, quibus virtus & sanctitas eximij Patriarchæ comprobatur. Iudæos præterea remittit ad imitationem fidei, pietatis, & aliarum virtutum prædicti Patriarchæ, si velint eius veri filij censeri. Laudat ipsum quod viderit diem suum, & gauisus sit. Quibus encomiis declaratur eum fuisse tum diligens ac deuotus in cultu veræ religionis: tum iustus & perfectus in exercitatione virtutum. Tantum abest vt contaminatus fuerit iis sceleribus, quorum à Caluino & Musculo non minus falso quam impudenter insimulatur.

MIN. Quid de eo censent Apostoli? DOC. 7.
Famam & existimationem eius fortiter pro- Rom. 4.
pugnantes, aiunt tam illustri fide præditum fuisse, vt ei reputata fuerit ad iustitiam vt pater dicatur omnium credentium, vt animus Dei vocari meritus sit, cuius fidei vestigiis insistere aporteat. Quod non infirmatus sit in fide, nec diffidentia hæsitauerit in promissione Dei: sed gloriam ei dederit, plenissime sciens, quia quæcunq; promisit Deus potens est & facere. Item alibi dicitur: *Qui ex fide* Gal. 3.
sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Exspectabat Heb. 11.
fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus fide & ipsa Sara sterilis, virtutem ad concipiendum semen accepit, quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat. Postremo, omnes consentiunt, quod Sara fuerit sancta fœmina, eius- 1. Pet. 5.
demque fidem, castitatem, charitatem, modestiam, obedientiam, aliasque virtutes eius innumeras ad imitandum proponunt fœminis Christianis. Quæ fauorabilis & consentiens approbatio vniuersas Caluinicas calumnias facile dissipat. MIN. Spiritus sanctus profecto non ita commendaret dotes ac virtutes infidelium, idololatrarum, ingratorum, adulterorum, & lenonum, quæ sunt præclaræ Caluini voces. Ordo autem nunc requirit, vt dicas de iustificatione Isaac & vxoris eius.

DOCT. Conceptio eius miraculosa, à tri- 8.
bus angelis cœlestibus denunciata, cum in- Gen. 18.
comparabili ei⁹ erga Deum, & patrem suum pietate coniuncta, satis ostendit quanta in pectore eius latuerit fides, spes, charitas, religio, & pietas. Quæ si diligenter & digne ponderentur, iusto pudore confundent omnes istos Sanctorum obtrectatores.

Deinde, preces eius diuinitus exauditæ, 9.
patientia & longanimitas in peregrinationi- Gen. 21.
bus, spiritus prophetiæ ipsi concessus à Deo, 22. 23. 24.
benedictiones delatæ in terris, ratificatæ in Heb. 11.
cœlis: abunde monstrant quam alienus fuerit à turpi vecordia, simulationibus, mendaciis,

ciis, improbitatibus, & prostitutionibus: quorum flagitiorum ab hæreticis Prædicantibus incusatur.

10. Similiter admirabilis Iacob patientia: electio Dei æterna, qua dicitur, *Iacob dilexi*: votum Deo nuncupatum: Dei & Angelorum eius priuata cum eodem colloquia: testimonia quæ de ipso per suos Prophetas Deus perhibet: laudes quas eius virtuti & honori tribuunt Apostoli ac Euangelistæ, satis superq; faciunt ad obturandum ora aduersus eum loquentium iniqua.

Gen. 27.28 29 30.&c. Malach.1. Mat.8 11.

11. MIN. Hæc quidem certa & vera. Sed quid respondes ad polygamiam, quam eis Caluinus magno vitio vertit? Habuit enim Abraham Saram & Agar: Iacob duas sorores, & vtriusque earum ancillas. Si telum hoc repulisses, hæreticus detractor, manifestæ malitiæ constrictus conuictusq; teneretur. DOCT. Si legisset, aut certe credendas existimasset priscorum & Sanctorum patrum interpretationes, didicisset ab his, pluralitatem vxorum permissam fuisse patriarchis peculiari dispensatione & voluntate diuina tum vt vberius propagaretur sancta & benedicta populi diuini progenies: tum vt sub figura repræsentaretur mysterium futuri Saluatoris, qui ex Iudæis & Gentibus, hoc est, ex diuersis gentibus, linguis, & prouinciis, multos per adoptionem liberos, in vnam Ecclesiæ Cath. sponsæ suæ familiam, ac tandem in vitam æternam aggregaturus erat. Quod pulchre confirmat Paulus exemplo duarum Abrahæ vxorem Saræ & Agaris: quarũ prior designat nouum Testamentum gignens filios libertatis Christianæ, posterior sub seruitute legali & Iudaica.

Iust. in Dial. Iren. l.4. c.38. Tert. adu. Mar. August. contra Faustum. Gal.4.

12. MINIS. Nihil isthoc certius: sed propius congrediamur. DOC. Aug. & post hunc Eucherius, asserunt quod Abraham & Iacob adulterij minime suspecti esse debent ob plures vxores quas eodem tempore pariter habuerint, quia sic consuetudo vigebat in populo Dei. Quando mos erat, inquiunt, crimen non erat: & nunc propterea crimen est, quia mos non est. Addunt etiam, prædictos Patriarchas non immoderata libidine compulsos fuisse vt id facerent, quod ex reliquis vitæ actionibus facile perspicitur: sed laudabili cupidine sanctam sobolem (in qua sola veri Dei notio, cultus, timor, & inuocatio vigebat) propagandi. Adhæc, confirmant Agar ancillam fuisse legitimam Abrahæ cõiugem, non meretricem: sicut & Lia, Bala, Zelpha fuerunt legitimæ vxores Iacob, non scorta vel prostibula, vt nouus Aedilis Caluin. iudicat. MIN. Sane si Caluini calumniæ veritate niterentur, nihil aliud fuissent domus istorum sanctorum Patriarcharum, quam fœdissima lupanaria: matres familias, turpissima scorta: pars melior quorum patrum, spuria & notha proles: quæ prorsus intolerandæ cõtumeliæ sunt, non solum aduersus eos, verumetiam aduersus ipsum Christum, & sanctissimam eius matrem, qui genus inde traxerunt. Si quos alios adhuc habes primæ notæ Authores, lauda.

L.20. cont. Faustum c. 30. li.2. cõt adu. legis c. 9. L.3. de doct. Chri. c.18.19.20 Lib.16. ciu. c.25.31.

DOCT. Ambros. docet, eos non peccasse ducendo plures vxores, quia id tunc nulla lege vetabatur. Hieron. scribit, illos tunc in statu matrimonij tam fuisse acceptos Deo, quam nunc sunt continentes: quandoquidẽ pluralitas vxorum ipsis à Deo concedebatur. Theod. q.66.84. in Genesin. Cyril. Alex. lib.11. eod. Chrysost. hom.56. Clem. Alex. l.2. 3. Stromaton, eandem cum superioribus doctrinam tuentur. 13.

L. de Abrah. c.4. ep.13. l.2. adu. Iou. ad Gerunt.

Denique Eccles. Cath. suum interponens iudicium definiit, prædictos Patriarchas in eo sequutos esse reuelationem & permissionem, quam habuerunt à Deo proindeq; nefas esse eos propter polygamiam accusari aut vituperari: Lib.4. Decr. c.19. de diuortiis. cap.8. 14.

QVOD IOB, MOSES, ET IOSVE non sint probris & conuiciis lacerandi: aduersus 9.10. & 11. Hugnosticorum errores.

CAPVT II.

MINISTER.

Mirarer equidem, si tria illa sanctitatis lumina, Iob, Moses, & Iosue censuras Geneuensium aristarchorum effugere potuissent. DOCT. Ex innumeris aliis locis tria tantum seligam, vbi dictator eorum Calu. diuum Iobum onerat maximis & exsecratissimis criminibus, vti sunt ista, *Murmur & rebellio aduersus Deum, officia & beneficia Dei probris incessere, notam ingratitudinis subire, spem omnem despondere, non nosse Deum nec religionem, non credere vitam alteram, non resurrectionem.* Sic enim loquitur in 1. Sermone Gallico (nos autem Latine ad verbum reddimus) super lib. Iob: *Iob omnes modestiæ terminos excedit: enormia & exorbitantia verba profert, ad eo vt homo plane desperatus videatur.* In sermone vndecimo: *Murmurat aduersus Deum, nec subijcit se Deo, qua par erat modestia & moderatione.*

Ingratus

Ingratus fuit contra Deum, videtur velle insurgere aduersus Deum. In serm. duodecimo: *Omnia Dei beneficia vno fasce inuoluit, omnia pariter ingratissime interpretatur. Loquitur vt Ethnicus, qui nullam spem habet vitæ secundæ, futuræq; resurrectionis. Loquitur tanquam incredulus, qui nec Deũ, nec religionem nouit vllam, &c.* MIN. Profecto nil dici aut cogitari potest exsecratius istis flagitiis, vbi maiestas Dei non solum grauiter læditur, sed etiam in vniuersum abnegatur: cuiusmodi sunt quæ Caluinus attribuit Iobo. Sed quid de Mose censet?

In cap. 2. Exod. v. 12. In cap. 4. 5. DOCT. Gallica eius verba Latina faciamus. *Non fuit* (inquit) *ea constantia & magnitudine animi qua decebat, sed hæsitauit in fide. Fides eius pene suffocata fuit. Non adfuit homini præsens animus. Iniuriam inflixit Deo. Propter homines detrectauit obtemperare Deo. Fuit diffidens & ingratus aduersus Deum. Furiosius insaniit, quam vniuersus populus Israel. Maior est eius insania, quam totius populi. Pœnituit eum vocationis suæ. Deum tarditatis arguit.* MIN. Oro te, supersedeas pluribus. Non enim æquis auribus accipere possum tam impias obtrectationes aduersus hunc singularem Dei seruum & amicum. Perstringe paucis, quæ loquitur aduersus Iosue successorem eius, & magnanimum Israelis imperatorem.

In c. 7. 9. Iosue. DOCT. Ineptus & stolidus iste Phormio, dicit, *Eum non admodum prouidum fuisse in re militari, sed iniuriosum: quique res non satis attente consideraret.* Nonne hoc est quod veteri prouerbio iactatur, Sus Mineruam. Deinde confidentius hominem aggreditur, aitque, *Eum tum nimis cito labasse animo, quasique tædio debilitatum, spem despondisse, fidem eius obscuratam fuisse præ vehementia & impetu affectuum. Quod limites moderationis transgressus sit, contenderit aduersus Deum, seque eius promissionibus ac decretis opposuerit, & Dei fœdus aboleuerit.* Postea, eum accusat *nimis supinæ ignorantiæ, temeritatis non excusandæ, quodque Dei gratiam contempserit, & sanctum nomen eius dupliciter prophanauerit, &c.* MIN. Accusationum & calumniarum abunde est: iam noli plura contexere. DOCT. Tantum hoc vnum addam, quod singulari improbitate excellit. Author scuti fidei Geneuanæ vociferatur: *Iosue fuit mendax, & transgressor legis diuinæ.*

Confut. 1. MIN. Nonne mendacia verba citat, quæ dixerit ille: aut delicta, in quibus Legem transgressus sit? DOCT. Nihil minus: non magis quam cõtra cæteros productos. MIN. Cum igitur nihil probent, nec Dei verbo, nec antiquitatis testimonio: concludo ex eorum Topicis, non esse admittendos ad accusandum: sed reiiciendos & condamnãdos tanquam improbos impostores, & calumniatores Sanctorum Dei seruorum! Quis enim esset innocens, si accusare sufficeret?

2. L. 4. c. 45. 46. 50. DOCT. Adde superioribus istis regulam, quam antiquus & sapiens martyr Irenæus se accepisse refert à quodam auditore & discipulo Apostolorum. Cum Spiritus S. non accusat vel reprehendit antiquos patres istos, nemo mortalium eos reprehendere aut accusare debet, nisi velit assurgere supra Deũ, seque sapientiorem ac prouidentiorem iudicari postulet ipso Spiritu S. Atqui nullus in Scripturis locus exstat, vbi Iob arguatur atheismi, desperationis, ingratitudinis, quodque in Deum, & beneficia eius contumeliosus fuerit: nusquam scriptum aut dictum, vbi Moses perfidus fuerit, vbi Deo iniurius, vbi furiis agitatus Deum accusauerit: Iosue item nullo tali crimine à Spiritu S. in Scriptura condamnetur. Sunt igitur superiora maledicta amentis Caluini impia glossemata: sunt iniuriæ recens in officina istorum Cyclopum fabricatæ: sunt tela Satanæ ignita, post 4. & 5. annorum millia contra famam, pietatem & gloriam beatorum cœlitum per Caluinianos iactata. Quoties autem Spiritus S. prædictos veteres sanctos redarguit, velut Dauidis adulterium homicidio cumulatum, &c. eiusmodi reprehensiones nobis sufficere debent, nec sunt exasperandæ, vel nouis accessionibus amplificandæ. Quinimo hæc consideratio mentes nostras impellere debet ad humilianda corda nostra coram Deo, ad notitiam fragilitatis humanæ, ad confessionem peccatorum nostrorum, & deprecandam de illis veniam. MIN. Regulam vere sanctam & Apostolicam narras. Sed primo loco inuestigemus, An Iob vspiam in Scriptura suspectus habeatur eorum criminum, quæ Caluinus ipsi impingit.

3. Iob. 1. DOCT. Imo contra Spiritus S. & frequenter & constanter pronunciat, *quod fuerit vir simplex, rectus, timens Deum, & recedens à malo*: quodque parem in omnibus filiis orientis non habuerit. MINISTER. Qui conuenit igitur dicere, quod in Deum blasphemus extiterit? Quod murmurator in eum & ingratus? Quod rebellis, & homo desperatæ spei? Quod sine Deo, & sine religione, vt Caluinus iniuriose comminiscitur?

DOCT.

4. Iob. 2. DOC. Quin è contrario scribitur, tantam ei curam fuisse, ne quid eius filij peccarent, vt ad eos missitaret, vt sanctificaret illos, consurgensq; diluculo offerret holocausta iuxta numerum ipsorum. Dicebat enim: *Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint* (i. maledixerint & blasphemauerint) *Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus.* MINIS. Hæc certe Spiritus S. verba longo interuallo distant à Caluini criminationibus, dicentis eum murmurare solitum, & rebellare Deo. Si timebat ne liberi Deum in cordibus suis offenderent, credibile est eum sic eos instituisse, ne verbo ne-ve facto exteriore Deus in cuncta familia sua læderetur.

5 DOCT. Quin & Deus ipse de tanti serui sui integritate & sanctitate apud Satanam sic gloriatur: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit similis ei in terra, homo simplex, & rectus, timens Deum, & recedens à malo?* Si Propheta quispiam, si Apostolus aut Euangelista, si Angelus Dei tale testimonium de sanctitate & innocentia cuiusquam perhiberet: quis ei fidem derogaret? Quanto magis ergo Deo credemus, qui id ore proprio testificatur?

6. Postquam item Satan vniuersa eius bona, familiam, facultates, liberos omnes crudeliter perdidisset, vir sanctus non quidem miseriarum sensu carens, sed ingenti dolore oppressus, scidit vestimenta sua, & tonso capite corruit in terram. Quod non fecit adactus desperatione, sicut splendide mentitur Caluinus; sed humilitate & patientia, sicut subiicit Spiritus S. Subiicit enim quod adorauerit Deum dicens: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum. Sit nomen Domini benedictum.* Hæc enim verba sunt, non desperantis, non murmurantis, non rebellantis Deo, vt vult hæreticus: sed omnium maxime credentis, sperantis, & patientissimi hominis. MIN. Non dubito quin singulæ sententiæ totidem sint irrefragabilia decreta, quibus damnatur calumniatorum caterua.

Iob. 1.

7. Iob. 2. DOCT. Dominus iterum dicens ad Satan: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra? Vir simplex, ac rectus, timens Deum, recedens à malo, & adhuc permanens in innocentia sua?* magis magisq; illustrat eximiam probitatem & perpetuam virtutem hominis, aduersus omnes omnium obtrectatorum maledicentias.

8. Reputa hic etiam tecum, quam hic magnanimus heros fortiter sese gesserit in medio calamitatum suarum cursu: & hinc optime coniecturam feceris, quam fuerit alienus ab omni murmure, ab ingratitudine, à rebellione, & ab omni desperatione aduersus Deum. Nam cum Satanas eum percussisset vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem capitis, vir sanctus sese demittens coram Deo, confessusque se puluerem terræ, testa saniem rasit, sedens in sterquilinio. Dixit autem illi vxor: *Adbuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere. Qui ait ad illam. Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, mala cur non sustineamus?* MIN. O patientiam singularem! O constantiam in amore & timore Dei! O quam calumniatorem Caluinus se prodit, cum talem virum tam insolenter criminatur! Imo Diabolum ipsum impietate superat, coactum hominem admirari, seque ab eo victum fateri, nedum vt maledictis laceret. Iob. 1. Iob. 2.

DOCT. In locum desperationis, quam ei vitilitigator tribuit, audi obfirmatissimæ spei eius professionem. Cum agnosceret se probari à Domino, effatur altam vocem: *Etiam si occiderit me, sperabo in eum.* MINIST. Certe hic ipse Caluinus herbam porrigit, & fateri cogitur, Iob non fuisse ex eorum numero, quibus vna salus est, nullam sperare salutem: sed indefinenter confidisse Deo, & ad eius opem tota mente confugisse. 9. Iob. 13.

DOCT. Alio loco dicit se, post tenebras miseriarum suarum sperare prosperitatis lucem. Et certa resurrectionis spe sustentatus sic animum obfirmat: *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Quem visurus sum ego ipse: & non alius: Reposita est hæc spes mea in sinu meo:* id est, penitus defixa est intimis sensibus ac menti meæ. 10. Iob. 17. Iob. 19.

MIN. Elegantissima sane hypotyposis constantissimæ fidei, speique inconcussæ, quam perpetuo retinuit, etiam in extremo miseriarum omnium conflictu, Deus ipse omnes eius actiones comprobat, cum sic tandem parentes ac molestos consolatores eius alloquitur: *Non estis locuti recta coram me, sicut seruus meus Iob.* Quibus verbis & hunc absoluit, & illos condemnat. Accessit in cumulum magnifica remuneratio, restitutioque bonorum ad duplum. Nouissime coronatus est gloria cælesti & vita æterna. 11. Iob. 42.

12. Iob. 3. Sed quoniam Caluinus tragice exaggerat quod Iob detestatus sit diem, quo natus est, noctem qua fuit conceptus: multaque dira imprecatus est stellis quæ tum fulgebant in firmamento: quod item interdum lamentabiliter apud Dominum queritur de doloribus quos patiebatur: quid ad ea respondebimus? Peccat ne tunc defectu fidei, desperatione, aut obmurmuratione aduersus Deum? DOCT. Minime gentium. Iam enim recens audisti ipsum, Deo iudice, non solum excusari, sed & cum laude dimitti. Sed vehementer expressit cum omni patientia & demissione tentationes, angustias, & ærumnas, quibus conflictabatur: ita tamen vt retinuerit firmam in animo fidem, spem, & reuerentiam erga Deum. Præterea, prophetico spiritu in persona propria declarat quales quantæque sint miseriæ, pœnæ, calamitates, quas vniuersum genus humanum promeretur, tum ob peccatum originale quod ab vtero contrahimus: tum ob alia plurima flagitia, quæ nos in omni vita comitantur. Reliquas rationes vberius tibi explicabunt Hieronymus, Philippus, Chrysostomus, Gregorius, & qui in Cathena græca huius libri interpretes nominantur.

Iob. 5. Tertul. l. de patient. Orig. l. 8. in Leuit. Amb. in 4. c. Luc. Cypr. l. de bono patientia.

DE S. MOYSE.

MIN. Excutiamus nunc facta Mosis, & consulamus Scripturas, vt noscamus, An fuerit tam pusillanimus & debilis in fide, tam incredulus & ingratus in Deum, tam furiosus & contumeliosos in proximos, atq; Caluinus prædicare non erubuit. DOCT. Fac diligenter tantum mediteris, quam admirabili prouidentia Deus in infantem hunc recens natum vsus sit, cum eũ ab aquis, à crocodilis, aliisq; præsentissimis periculis liberauit. Considera quomodo nutritus & educatus sit, in regiam familiam adoptatus adoleuerit, cultu victuque Regali. Nota mihi sodes, miracula quæ de eo refert vetus & grauis historicus Iosephus. Denique cum intentione reputa, quam per varios casus, per tot discrimina rerum seruatus sit in Madiam, ad mare rubrum, & in desertis. Hinc enim facile perspicies nihil minus esse verum, quam vt talis esse credatur, qualem eum calumniatur Caluinus.

Confut. 1. Exod. 2. 3. &c.

2. Exod. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Expende postea mirandas res & prodigia, quæ ad eius nutum vel preces fecit Dominus. Castigauit Aegyptum decem horrendis plagis, & sanauit: profundos Maris rubri vortices nudauit, & in hostium per internecionem aquas reduxit: aquarum amaritudinem ligno sanauit: eduxit aquam de petra: manna de cœlis: carnes largitus est in deserto: obtrectantes lepra percussit & sanauit, qui ei obstiterunt terra dehiscit, &c. Ex his omnibus procliue est colligere quam carus & acceptus Deo fuerit. MIN. Si regula Euangelica vera est, *peccatores Deus non exaudit; sed si quis voluntatem eius facit, hunc exaudit:* in promptu erit conclusio, Mosem nec ingratum, nec perfidum, nec contumeliosum in Deum extitisse vt Hæresiarcha mentitur: sed è contrario, sanctissimum & laudatissimum, virum coram Deo & Angelis eius. Exod. 16. 17. &c. Io. 9.

3. DOCT. Id actus Deus ipse comprobat. Tanto siquidem honore eum dignatur vt loquatur cum ipso facie ad faciem tanquam amicus cum amico. Dicitque. *Inuenisti gratiam coram me: noui te ex nomine.* Videntur ne tibi hæc verba dirigi ad aliquem infidum, ingratum, furiosum, aut diuinæ maiestatis accusatorem, cuiusmodi fuisse Mosem perhibet Caluinus? MIN. Nequaquam, quoniã talem Deus abominaretur, & summo iure condemnaret. Exod. 33.

4. DOCT. Adhæc, expressa sunt in eo vestigia diuini fauoris, quod bis quadraginta diebus, in monte Sinai, sine humanis alimentis, inter ignes, fulgura, & tonitrua perseuerauerit: bis legem digito Dei scriptam in lapidibus: & in diuina gratia exsplenduit velut illustres radij solares. Sæpe Deus eum clara luce circundedit, eiusque conspectum ademit ingrato populo Israelitarum: effecit vt etiam in vltima senecta ne rugis obsolesceret, ne fugeret viror eius, ne dentes mouerentur, ne oculi caligarent, neve sensuum exteriorum vsu vllo modo impediretur. Nonne Deus his argumentis satis declarauit, quantopere interior pars illa sancta & perfecta coram se fuerit? Exod. 19. & 20. Deut. 34.

5. Feruens item zelus ad leges Dei seruandas, mirabile salutis Israelitarum studium, diligens in facinorosos animaduersio, iustitia in puniendis præuaricatoribus, patientia incredibilis qua gentem contumacissimam pertulit, caritas in remittendis eorum delictis, obseruatio diuinorum mandatorum: certe totidem sunt quæ in eo eluxerunt virtutes heroicæ.

6. Postremo, Deus ei diem mortis reuelans sanctam terram de monte demonstrans, euocans in locum vbi hanc vitam terminaturus erat vt meliorem auspicaretur, animã eius

Deut. Iud. eius lenissimo obitu assumens, & corpus e- A
ius Angelis tradens sepeliendum, mittens
Michaelem Archangelum, qui super ea re
contra diabolum altercaretur, ac suscitans
illum post annos bis mille, vt spectator & te-
Matth. 17. stis esset Dominicæ transfigurationis: non-
ne singularibus priuilegiis, excellentibus
donis, & summis beneficiis hunc insignem
seruum suum illustrauit: simulq; eos omnes
damnauit qui eum diffamant & traducunt.
MIN. Sane cum Deus tot modis hominem
honorarit, & infestos habeat illos qui ipsum
dehonestant: Christus etiam testimoniis e-
ius Euangelium suum confirmauerit: Pau-
Heb. 3. lus insuper eum vocet, *Fidelem seruum in domo* B
Dei, vnanimi consensu totam fæcem Calui-
nisticam, & calumniatricem aperte da-
mnant.

Sed quo responso diluendum est, quod
Num. 20. non satis bene Deum glorificarit ad aquas
27. contradictionis? DOCT. Quod cum ab i-
psomet Domino Deo reprehensus & casti-
gatus sit eo nomine, non decet quenquam
id iterum ei exprobrare. Nec vero tam a-
trox facinus fuit, atque rigidi quæsitores isti
clamitant. Siquidem ipse Spiritus sanctus e-
mollit facti inuidiam, & culpæ partem deri-
Psal. 105. uat in peruicaciam refractariæ gentis. *Quia*
(inquit) *exacerbauerunt Spiritum eius, &c.* C

DE S. IOSVE.

1. MINIS. Satis iam defensus est Moses: ad
successorem eius progrediamur. Non me-
retur vituperari tanquam homo negligens,
incuriosus, & in re militari quam illi per
Mosem commendauerat Deus, pusilli &
fracti animi? DOCT. Imo vero pessimam
& maximam crucem meretur Caluinus,
qui in vmbra & schola educatus, audet in a-
ciem & certamen descendere cum duce mi-
litum, quo non vigilantior vnquam Cæsar,
non animosior Alexander, non Hector aut D
Achilles generosior, non felicior Augustus
Iosue. 6. 8. &c. extitit. Admirabiles victoriæ quas reporta-
uit ex regibus Hiericho & Hai, trigintaque
magnis principibus Amorrhæorum, Iebu-
sæorum, Heuæorum, Pherezeorum, & Pa-
læstinorum, domitaque Chananæorum re-
gione, satis probant aduersus sycophantem,
quod vix vllus Imperator fuerit, qui cum il-
lo comparari possit.

2. MINIST. Mittamus nunc bellicam lau-
dem, & imperatorias virtutes: quæro ex te,
Nunquid contemptor Dei fuerit, qui se pro-
missis eius opposuerit, testamentum ac fœ-
dus aboleuerit? Aut saltem, homo mendax
fuerit, & transgressor legis diuinæ, vt im-
pingunt ei Caluinistæ? DOCT. Deus vero i-
pse ab istis criminationibus eum vindicat,
cum sic eum alloquitur: *Sicut fui cum Moyse,* Iosue 1.
ero & tecum: non dimittam neque derelinquam te,
&c. Confortare, & esto robustus. Tu enim sorte di-
uides populo huic terram, pro qua iuraui patribus
tuis; vt traderem eam illis. Confortare igitur, &
esto robustus valde: vt custodias, & facias omnem
legem, quam præcepit tibi Moyses seruus meus. Ne
declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram vt in-
telligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen legis
huius ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus ac no-
ctibus, vt custodias, & facias omnia, quæ scripta
sunt in eo. Noli metuere, & noli timere: quoniam
tecum est Dominus Deus tuus in omnibus, ad quæ-
cunque perrexeris. Hæc verba Dei viuentis &
omnipotentis ad Iosue. Rogo, dignaretur
ne tam amico colloquio, contemptorem
numinis sui, promissorum suorum hostem,
& pacti fœderis euersorem? Talia ne verba
faceret cum homine mendaci: qui iuxta Eu-
angelium, *filius est diaboli*? Aut sisteret cursum Io. 8.
Solis ad transgressoris legis suæ voces & pre-
ces?

Sed quid Legi diuinæ magis consentaneũ, 3.
quam quod procurauit, vt circuncideretur
omnis masculus de populo, qui per quadra-
ginta annos in deserto natus fuerat, & incir-
cuncisus manserat? Quod morte punierit Iosue. 7.
Achan ob sacrilegium in legem admissum?
Quod hortatus sit Israeliticas tribus, vt ser-
monis meminissent, quem præceperat ipsis
Moses seruus Domini? Quod ciuitates refu-
gij constituerit in populo Israel, vt lex postu-
labat? Quod vrbes designauerit Leuitis?
Quod grauiter & religiose duodecim tribus
commonuerit, vt incumberent Dei serui-
tio, legem eius obseruarent, & diligenter fu-
gerent ethnicas superstitiones?

MIN. Sed quid habes, quod respondeas 4.
Caluino scribenti: *Iosue dupliciter prophanasse*
nomen Domini? DOCT. Eum esse tripliciter
& quadrupliciter impostorem, & iniurio-
sum, aduersus hunc sanctissimum Dei ser-
uum. Nam ob honorem & reuerentiam,
qua Deum venerabatur, Raab meretrici
pepercit, & toti familiæ eius, in excidio vr-
bis Iericho: fidem datam Gabaonitis serua-
uit: & inuocatione Dei mira fecit in cælo
& in terra. Quid? An Spiritus sanctus vn-
quam de *duplici prophanatore Dei*, tanta ta-
liaque pronunciasset. *Non præteriit de omnibus*

mandatis (inquit) *nec vnum quidem verbum, quod iusserat Dominus Moysi.* A

5. Ausculta etiam nunc quam seorsim à
Eccl. 46. Caluinianis maledicis sentiat & dicat Sapiens: *fortis in bello Iesus Naue, successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes vt consequeretur hæreditatem Israel. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, & iactando contra ciuitates romphæas? Quis ante illum sic restitit? Inuocauit altissimum in oppugnando inimicos vndique, & audiuit illum magnus & sanctus Deus in saxis grandinis virtute valde forti. Impetum fecit contra gentem hostilem, & in descensu perdidit contrarios, vt cognoscant gentes potentiam eius, quia contra Deum pugnare non est facile.* MIN. Caluinistæ profectò manifestant se ab immundo spiritu agitari, cum tot spurcitias & immunditias exhalant in eos, quos Dominus in verbo suo tantopere commendat & extollit. Atque satis de Iosue. Reperit ne Momus noster quod in Elia & Daniele culpare & carpere posset?

ELIAM ET DANIELEM SANCTISsimos Dei Prophetas contumeliis non esse afficiendos: aduersus 12. & 13. errorem Caluinianorum.

CAPVT III.

DOCTOR.

SAne si quis animum induceret ea credere, quæ Caluinus & Vermilius blaterant aduersus illud eximium par virorum, non tantum Prophetarum honore non dignaretur, sed ne quidem inter probatæ famæ viros illos comparare deberent. Nam eorum
Cal. in c. 11. Rom. v. 2. & 3. Vermil. in l. 3. Reg. ca. 19. sensu. *Elias fuit homo deprauatus, nimis vehementi zelo correptus: turpiter vocationem suam deseruit, vitam præferens diuinæ vocationi, nec simpliciter, nec rectè Deo respondit, cum ab eo interrogaretur. Peccauit etiam quiritando se solum è clade ac persecutione superstitem restare. Raptus item fuit spiritu seruitutis & vindictæ.* Ex Gallico Caluini scripto, verba eius Latina sunt. MINIS. Præclara sane commendatio, quæ sex ad minimum criminibus hominem innocentissimum aspergit. Sed aueo scire, quid
Cal. in c. 1. Dan. v. 8. vitio vertant Danieli. DOCT. *Quod superstitione & molesto fastidio laboraret, cum cibos ethnicos gustare noluit. Quod zelo inconsiderato deditus fuerit, homo leuis & inconstans: & quod eius sobrietas & abstinentia simpliciter & absolutè non sit laudanda. Quod per Chaldæam pergens promiscuè cum aliis cibos communes, lege Diuina prohibitos, edere consueuerit.* Postea, rursum eum accusat, *quod aulica Regum vitia contraxerit: socium se præbuerit sacrilegij & impietatis Nabuchodonosoris: quod ambitiosus fuerit, sociisque suis dignitates & munera per ambitum quæsiuerit, &c.* In cap. 1. Dan. v. 46. & 48.
Atque hæc sunt ex parte, quæ Reformator vester confingit, & sanctis Prophetis Dei impingit. Quid tibi videtur.

MINISTER. Caluinum & eius asseclas in hoc similes sunt Neroni, Heliogabalo, aliisque proiectissimæ nequitiæ monstris, Confut. 1. Sueton.
qui cæteros homines ex ingenio suo metientes, neminem probum & honestum esse B dicebant: vt hoc scilicet effugio aut solatio suas improbitates velarent, quod assererent vniuersam gentem humanam flagitiis coopertam esse: sed nonnullos valere artificiis ad peruersitatem obuoluẽdam. Ita hi detractores Sanctorum ipsis obiiciunt ambitionem, apostasiam, Dei contemptum, spiritum vindictæ, leuitatem, inconstantiam, & impietatem, vt ex superioribus apparet: qui ia sciunt, hæc omnia vere in se competere: putantque magnum sibi fore leuamen, si scabiem suam integris affricuerint. Faciunt item quod solent meretrices, quæ matronis C famam infamem aspergere nituntur, vt communione culpæ priuatum dedecus imminuant. Sequuntur quoque impietatem veterum Ethnicorum, qui diis suis adulteria, stupra, furta, homicidia, reliquasque mortalitatis maculas asscribebant, vt eorum exemplis excusari possent. Sic Caluiniani, si criminis alicuius incusentur, mox in patrocinium aduocant sanctos Patriarchas, Prophetas, Apostolos, & alios Sanctos: putantque se probe purgatos, si per calumniam affinitate criminis eos secum denuntiant. Qua in re duplex, imo triplex facinus admittunt, nimirum, aduersus Deum, D qui Sanctos seruauit & glorificauit: aduersus Sanctos, quos improbe criminantur: & aduersus vniuersos homines, quibus animos addunt, vt sub exemplis clarorum virorum non solum fidenter, sed etiam libenter peccent.

DOCT. Si quæ tibi occurrunt Caluinisticæ contradictiones, quibus ipse (vt solet mendax spiritus) secum dissideat, profer eas vt hactenus instituisti. MINIST. Alicubi scribit, *sub Elia persona in transfiguratione Domini repræsentatos fuisse omnes prophetas quia si Mosem excipias, omnium præstantissimus extitit.* 2. In c. 17. v. 3.

extitit. Verum Dei cultum ex integro restituit: fuit incomparabilis restaurator & propugnator legis diuinæ, pietatis ac religionis. DOCT. Cur igitur homo nefarius ei nunc obtrudit spiritū vltionis, contemptum numinis, apostasiam & ambitum: quę vitia pugnant ex diametro cum excellentia veri Prophetæ?

3. *In 1.c. Daniel. v. 1. Ezech. 14. & 16.* MIN. Idem alibi sic virtutes Danielis extollit: *Si qua tunc fuit integritas in toto populo, certe Daniel erat primarium exemplar. Nam Ezechiel inter tres iustos eum numerat, à quibus Deum placari posse verisimile erat. Fuit igitur tanta virtutum præstantia in Daniele, vt esset quasi cælestis Angelus inter mortales.*

DOCT. Iam vero recens audisti quas virtutes Angelicas ipsi tribuat, nimirum, superstitionem, leuitatem, inconstantiam, dissimulationes & assentationes aulicas, sacrilegia, ambitum, & impietatē. Sic ex eodem ore (quod in homines inconstantes iactatur) efflat frigidum & calidum. Et vt est in *Isa. 5.* Prophetis, dicit malum bonum, & bonum malum: ponitque tenebras lucem, & lucem tenebras.

4. MINISTER. Pergit in recensendis Angelicis Danielis virtutibus: *Erat* (inquit) *Angelica sanctitas in Daniele. Iam à pueritia se totum addixerat pietati. Indigni sumus, qui soluamus corrigias calceamentorum pedum eius. Non destitit Deum pure colere.* Vnde efficitur eum auersissimum fuisse ab impijs criminibus, quæ tribuit illi Minister iste & magister mendaciorum.

5. *In cap. 6. Dan. v. 10.* Non definit se ipse condemnare, & Danielem laudando semetipsum falsitatis coarguere, cum subijcit: *Daniel fortitudine Spiritus Dei fuit indutus, vt vitam suam in sacrificium Deo offerret. Cū mors esset ante oculos eius, ipsam intrepide oppetere maluit, quā cessare à pietatis officio. Tenendum est placuisse Deo hanc animi magnitudinem in sancto propheta. Et liberatio eius ostendit quantopere probata fuerit eius pietas, quia maluerat se propria vita abdicare, quam mutare aliquid ex sua consuetudine, quantum ad cultum Dei.* DOCT. Igitur in calumnia manifesta Caluinus deprehenditur, cum alibi insimulat eum leuitatis, inconstantiæ, sacrilegij, & ambitus: quæ vitia penitus contraria sunt illis virtutibus.

6. *In c. 6. Dan. Ezech. 14.* MINIST. Iterum scribit: *Nemo poterat in eum conijcere oculos, quin occurreret gloria & potentia Dei Israelis. Non frustra eum Ezechiel nominat inter tres sanctissimos, qui fuerūt ab exordio mundi. Hoc fuit maximum, etiam cum esset adhuc adolescens, vel etiam in media ætate, coniungi cum* A *Iob, & cum Noah, sic vt esset tertius in sanctitate rara, & fere incredibili.* Vnde palam est eum omnino aborruisse à turpibus flagitiis, quorum alibi illum insimulat.

DOCTOR. Nec debes tacitus præterire, 7. quod Daniel ab ineunte adolescentia deuouerit se ieiunijs, abstinentiæ, precibus, castitati perpetuæ, & rigidæ legis Dei obseruationi: & ideo à Spiritu sancto datum sit ei donū prophetiæ, interpretationis somniorum & miraculorum. Item liberandi innocentes falsis testimonijs oppressos, & in extremum vitæ periculum adductos. Rursum, detegēdi imposturas idololatrarum, ac eorū idola B euertendi, ad magnam gloriam Dei, & afflicti populi eius eximiam consolationem. Postremo, semel & iterum ex vnguibus & faucibus leonum, quibus deuorādus fuerat obiectus seruatus est: *quia coram Deo* (inquit) *iustitia inuenta est in me*, quæ verba sic exponit D. Hieron. *Quia præcesserunt Prophetæ bona merita, vt non tam gratia, quam iustitia retributio in hac liberatione notetur.* *Dan. 1. 2. 3. 4. Dan. 13. 14. Dan. 6. 14.*

MINIST. Hucusque satis de sanctitate 8. Danielis: Eliam à Caluino & Vermilio tam furialiter oppugnatum defendamus. DOCTOR. Auspicare à contradictionibus obtrectatorum. MIN. Iam vnam ex Caluino C adduxi, nunc has attexam è Vermilio. Cum loquitur de zelo eius aduersus Baalitas, quos occidi curauit, eum ab omni crimine absoluit, dicens: *Nō peccauit in eo, neque n. quidquam fecit particulari & immoderato affectu, sed tanquam minister & executor iudiciorum Dei contra tales impios qui non modo temporariam mortem, verum etiam æternam merebantur.* Comparatq; hoc eius factum, cum Pauli facto aduersus Elymam magnum, Petri cōtra mendacem Ananiam, & Simonem quoq; Magum: qua in re laudandi, non culpandi fuerunt. DOCTOR. Quid igitur dici potest Caluino peruersius quod zelum istū audeat culpare tanD quam *hominis immodici, nimiumq; vehementis?* Quid item eodem Vermilio vanius, sibique repugnantius, cum alibi hunc zelū appellat *maiorem æquo seueritatem, & spiritum vindictæ?* *In c. 11. Ro. v. 9. Act. 5. 8. & 13.*

MIN. Pergit item Vineta sua, quod aiunt, 9. cædere, cum scribit: Ad id vocatus erat Elias, vt iudicia diuinæ seueritatis exsequeretur. Nec ex seipso, verum ex Deo, & Angeli monitu: ita duriter se gerebat. Potuit quidem specietenus homicida videri nec tamen pro tali habendus est, cum solum fuerit Dei minister. DOCT. Si ad hunc finem à Deo vocatus erat, nonne zelus eius tāquam *In l. 4. Reg. c. 1.*

diuinus censendus & laudandus est? Aut cum in crimen vocatur, nonne in Deum ipsum, qui hunc accenderat, culpa redũdat? Præterea, si cum ita duriter se gerebat, nihil nisi & ex Dei imperio, & Angeli monitu faciebat; nullo certe errore circumuentus est, nec æquo vehementior exstitit: sed vocationem suam maxime sequutus est. Postremo, cum non fuerit homicida, sed Dei minister: non potest dici à spiritu vindictæ, id est, ab ipso Satana correptus, sed potius à Spiritu obedientiæ ductus.

10. *Loc. com. p. 415. 416.* MIN. Idem rursus Vermilius non modo liberat eum omni culpa, sed ornat laudibus, sic: *fecit rem laudabilem, & legi diuinæ consentaneam, quæ multis in locis iubet idololatras, apostatas, seductores, falsos prophetas, & blasphemos homines diuersis cruciatibus interfici, ne populum Dei seducant.* *Deut. 13. & 17. Leu. 24.* Ex hac autem nota erant illi quadringenti & quinquaginta ministri Baaliticæ impietatis, & quinquagenarij eorũ propugnatores: iure igitur cæsi sunt ab Elia. Rex quoq; Achab præsens, & non contradicens, eorum morti consensisse videtur. Nec vero quidquam sua professione indignum fecit Elias cum gladium strinxit aduersus istos, nihilomagis quam Samuel aduersus Agag, aut Moyses aduersus adoratores vituli, aut Phinees aduersus Zambri & Cosbi, aut Abraham paratus filium immolare.

11. *L. 3. 4. Reg.* DOCT. Cum igitur Prædicantes horum Prophetarum detractores, suis viribus concidant quid amplius restat? MIN. Vt etiam ipsorum Prophetarum sanctitas & integritas Scriptura quoq; comprobetur. DOCT. Quid vero attinet in re tam aperta testimonijs abuti? Nonne S. Eliæ vita cœlestis verius quam terrena, ieiunia, abstinentiæ mirabiles, vilissima vestimenta, preces efficacissimæ, miracula tam crebra, zelus erga legem Dei, studium & labor in erudiendo populo, diuina constantia in resistendo tyrannis, reuelationes cælitus factæ, colloquia cũ Deo communicata, laudes ab ipso Spiritu sancto celebratæ, probationes sunt omni exceptione maiores, quibus integritas hominis & perpetua innocentia confirmatur? MIN. Non possum equidem animo concipere firmiora testimonia, quibus liqueat aliquem esse sanctum & acceptum Deo, præditumq; gratia Spiritus sancti: cum qua fieri nequit vt superiora peccata vllo modo concurrant.

12. *Eccl. 48.* DOCT. Operæpretium est audire quibus encomijs exornet eum Sapiens. *Surrexit* A *Elias Propheta quasi ignis* (inquit) *& verbum ipsius quasi facula ardebat. Qui induxit in illos famem, & zelo suo diminuit eos. Verbo Domini continuit cœlum, & deduxit ter ignem de cœlo. Quam glorificatus fuisti Elia in mirabilibus tuis! Et quis potest similiter gloriari sibi? Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei. Qui deiecisti Regem ad perniciem, & confregisti facile potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo. Qui audis in Sina iudicium, & in Horeb iudicia defensionis. Qui vngis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis successores tuos post te. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Beati sunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt, &c.* B MIN. Sapiens sane longe aliter honorat huius Prophetæ virtutes, quam Caluinus discipulos suos decet. Nec puto Deum tam mirabili modo sustulisse eum ex humanis citra mortis aut corruptionis interuentum, si contaminatus fuisset iis vitijs, quæ Caluinus ipsi tribuit.

DOCTOR. Vt ergo compendio finiam, Iacobus Apostolus vim orationum Eliæ dilaudat, Angelus Gabriel virtutes celebrat, Filius Dei sæpe mentionem eius facit cum honore: quæ totidem sunt oracula, quibus & iustitia eius asseritur, & nebulæ calumniatorum eius dissipantur. 13. *Iac. 5. Luc. 1. Matt. 11. & 17. Luc. 4.*

C

ISAIAS NON FVIT TVRPIFICATUS criminibus, quæ obiicit illi Caluinus: contra errorem 14.

CAPVT IV.

MINISTER.

SVm in ea sententia vt existimem eos nihil habere, quo sanctitatem Isaiæ in dubium vocent. Nam Caluinus, Oecolampadius, *Præfat. cõ.* Musculus, Marloratus, & plures alij de tribu Ministrorum, totam eloquentiæ suæ vim consumunt, vt eius laudem supra cæteros D Prophetas extollant, atque omnes ingenij doctrinæque neruos explicant in exponendis sacris eius vaticinijs. DOCT. Magno ergo in errore versaris. Caluinus enim paucis verbis multas ei & grauissimas criminationes impingit, vtputa, cum ait: *Insolita visione ita consternatus est, vt Prophetam se esse obliuisceretur. Nullus enim fuit in eo sensus, qui non obstupesceret præsentia Dei, vt quasi lymphatus se in tenebras abdidisset. Imo iam desperans de vita, sponte mortem aduocasset.* *Com. in ca. 6. Isa.* Nec contentus hac ingenti plaga, repetit: *Communem totius corporis pollutionem resipit, atque obliuiscitur puritatis, quam à*

Deo

Deo acceperat, Non tantum labiis, sed & aliis partibus corporis pollutus erat. Obtrectator adhuc pergit. *In tanta vitiorum colluuie immunis esse non potuit, quin vt reliquæ corporis partes, sic ipse contagione quadam inficeretur, &c.* In c.42.

Confut. 1. MINIST. Nequeo satis mirari spiritus istos contradictionis, inconstantiæ, & detrectationis, qui rem eandem nunc altissime extollunt, nunc abiectissime deprimunt: album nigrum dicunt, & sine metu diuinæ maledictionis, bonum malum ponunt, lucē tenebras, & amarum dulce. Isa.5. Caluinus enim Epistola liminari ad Eduardum Angliæ Regem prædicat hunc Prophetam editū fuisse Regio semine, *nobilissimum legatum extitisse,* B *supremi Regum Regis Iesu Christi, doctorem tam perfectum, vt boni Reges (vt Ezechias) non solum tanquam sanctum hominem reueriti sint, sed & obtemperauerint eius consiliis doctrinæque se submiserint, admonitionibus acquieuerint, & seueras eius increpationes æqui boniique consuluerint.* Alibi vero tota perfectio, doctrina, & sanctitas, quam in eo recognoscit, est obliuio muneris sui, stupor, pollutio totius corporis, desperatio. DOCT. Sane si hic propheta fuerit vir sanctus, vt Caluinus alio loco scribit, non fuit omnibus partibus contaminatus, vt alibi mentitur: & cūm fuerit perfectus doctor, non potuit obliuisci vocationis suæ: C & cum eius doctrinam comitata sit vis & efficacia Spiritus sancti, conuenit profecto vt aliquis in eo sensus extiterit.

2. MINISTER. Gallasius Caluini discipulus in præfatione ad lectorem scribit, *Isaiam inter alios Prophetas merito primum locum tenere.* Necesse est ergo vt fuerit sanctior Ieremia, fidelior Mose in domo Domini, dilectior Deo quam Dauid, & maiore zelo erga cultum Dei quam Elias. Deinde, si præcipuū inter Prophetas locum tenuerit, vt fatetur Discipulus: & nihilominus *homo fuit sensu destitutus, stupidus, pollutus omni ex parte, & desperatus,* vt Magister pronunciat: an non inde D sequetur, omnes Prophetas fuisse vecordes, amentes, furiosos, sordidos, desperatos? Ac consequenter, potius organa diaboli, quam Spiritus sancti? Quæ blasphemia superat omnem impietatem Simonianam, Marcioniticam, & Mahometicam.

3. Præfat. In c. 8. 21. 23.30. Idem Caluinus iterum à se dissentiens, testatur hunc Prophetam fuisse *Munitum inuincibili constantia, fortique animo docendi munus impleuisse, Prophetandi officio functum annos sexaginta tres & amplius, nec ab instituto deflexisse, ob quascunque temporum varietates aut perturbationes, quæ sub vicissitudine quinque Regum Iuda contigerunt: sub quibus summa cum industria partes suas administrauit.* DOCT. Non igitur fuit ita deprauatus aut pollutus, nec ita mente & consilio destitutus, vt hic mendaciloquus alibi refert. Nam constans & perpetua recte faciendi voluntas temporibus difficillimis, non cadit in homines contaminatos & desperatos.

MIN. Idem querens, cur Isaias Deum tot compellat amici & dilecti nomine, *Cantabo pro dilecto meo, canticum dilecti mei, vinea fuit dilecto meo, &c.* Respondet: *Quia natus erat ex maioribus Domini Iesu vel potius quia repræsentabat eius personam, eratque Deo carus, & impense fauebat eius sponsæ, quæ est Ecclesia.* Alibi item scribit: *Non includit se (Isaias) vna cum peccatoribus quos increpat, quia timebat & colebat Deū, & conscientiæ libertate fruebatur. Adhac, non potuisset libere alios incusare iis criminibus, quorum ipsemet infamia flagraret: nec idoneus fuisset ad causam Dei defendendam, si turpiter viuendo ius ei suum ademisset, &c.* Ex quibus euidenter patet, Isaiam fuisse singulariter dilectū à Deo, qui personam eius repræsentabat, & gloriam propugnabat acerrime, non autem omnibus ex partibus pollutum ac contaminatum, vt fingit hæresiarcha. 4. Cap.5. In c. 59. V.

Deinde, cum integer vitæ, scelerisq; purus, Deum in libertate conscientiæ coleret, non erat infectus communi Iudæorum cōtagione, non quæsiuit latebras, nec de vita desperabundus mortem in solatium aduocauit, vt obtrectator persuadere contendit. Hæc habui ex Caluino, quæ in Caluinum dicerem. Expecto nunc iudicium tuum. 5.

DOCT. Nisi profecto vir sanctissimus & integerrimus fuisset iste propheta, Deus sese toties ac tam familiariter ipsi non communicasset: non tanti muneris in Ecclesia sua procurationem eius fidei credidisset: denique, nec ipse diuinam vocationem tam diu, tamque fœliciter adimplesset. MINIS. Enimuero simul atque Moses & Aaron à recta via deerrarunt, Deus exemplum in eos statuit: Dauid statim post delictum pœnas dedit: Propheta qui sibi verba Dari passus erat leoni permisit: Ionæ fugam diris suppliciis expiauit: quocirca non est dubitandum, quin Isaias publice reprehensus & castigatus vltioni diuinæ parentasset, si vt hæreticus commentatur, sine mente, sine sensu, toto corpore pollutus, ab omni spe relictus, & impositi sibi à Deo muneris immemor fuisset. 6.

DOCT.

7. DOCT. Tantum abest, vt vir sanctus officium detrectauerit, aut vllum Dei mandatum grauatus fuerit, vt contra, feruido pectore, & mirabili promptitudine cum quæreret Deus, *quem mittam? Aut quis ibit nobis?* cõtinuo suam operam obtulerit, dicens: *Ecce ego, mitte me.* Pari fide & alacritate soluit saccum de lumbis, & calceamenta de pedibus, iuitque toto triennio nudus, & discalceatus, statim atque iussit Dominus: tametsi non solũ perabsurda res videretur, sed & factu difficilis & coram hominibus ignominiosa. MIN. Hæc longe dissidẽt à calumnijs Hugnosticis, qui sanctum virum accusant, *quod oblitus fuerit se esse Prophetam, quod sese in tenebras abdiderit, quod contaminatus fuerit communi contage populi Iudaici*, plus æquo recalcitrationis atque refractarij.

Isa. 6. *Isa. 20.*

8. DOCT. Si quis etiam serio contempletur oracula grauissima de incarnatione, natiuitate, vita, donis, signis, passione, morte, sepultura Messiæ, quæ huic longe clarius manifestata quam cæteris Prophetis, facile sibi persuadebit, huiusmodi Spiritus S. reuelationes non cadere in hominem omni ex parte pollutum, vecordem, aut desperatum: sed in organum idoneum, & rerum cœlestium capax & purissimum.

Isa. 7. 9. 35. 53. &c.

9. Adde in auctarium dona miraculorum, non omnibus passim concessa. Nam Ezechiam Regem lethali morbo laborantẽ sanauit: & in eius gratiam cursum Solis decem gradibus retrorsum regredi fecit: quod nec antea, nec vllo post tempore contigit.

Isa. 38. *4. Reg. 20.*

10. Postremo, non est silendus sanctissimi viri exitus, dum ex hac vita ad immortalẽ migrauit, nimirũ, atrocissimo supplicij genere, per medium corpus serra dissect⁹: quos cruciatus martyr constantissimus admirabili patientia pertulit. Deus autem & ante & post obitum multis illustrib⁹ miraculis eius meritis & precibus editis, palam testatum fecit, quam sibi carus & acceptus foret. MIN. Hęc certe miranda opera Deus nequaquam pręstat per homines amentes, pollutos, aut deploratæ salutis: proinde falsissimum est, quod Hæresiarcha talibus flagitijs eum affinem fuisse criminatur.

Iustin. Martyr. in Dial. *Hieron. Epiphan. Isidor.*

11. DOCT. Intexi potest superioribus hoc velut corollarium ab eo, quem diuina vox sapientissimum proclamauit: *Deus liberauit populum suum in manu Isaiæ S. Prophetæ. Fecit Ezechias quod placuit Deo, & fortiter iuit in via Dauid Patris sui, quam mandauit ei Isaias Propheta magnus, & fidelis in conspectu Dei, &c.* MIN. Hæc profecto aduersa fronte confligunt, cũ Caluini criminationibus. Cum enim Spir. S. adscribat illi titulos *magni, sancti, & fidelis Prophetæ*, non fuit ex omni parte contaminatus in conspectu Dei. Quanta ergo insolentia, vocare eum lymphatum hominem, & omni sensu destitutum.

Eccl. 48.

DOCT. Etiam illud cum animo tuo reputa, si tam profanus, tam turpis, tã improbus, & inconstans fuisset atq; Geneuensis reformator fingit: an hunc honorem detulisset ei filius Dei, vt plus decies eum allegaret tanquam S. Prophetam: suaq; miracula, doctrinam, atque vocationem monimentis eius comprobaret? An Paulus 25. locis eum authorem laudaret? Petrus octies? Ioannes decies sexies? An Matthæus, Marcus, Lucas, Apostoli, fundamenta fidei ac salutis nostræ scriptis lymphati, insani, atque profligati hominis sententijs cõfirmassent? MIN. Ipsa certe tam detestandæ rei sola cogitatio mihi horrorem incutit: nedum vt tales blasphemias scriptis aut concionibus ausim asseuerare. Sed quid prisci Patres super hoc homine iudicant? 12.

13. DOCT. Ambrosius ab Augustino sub initia conuersionis suæ interrogatus, quos Bibliorum libros primum ac potissimum legere deberet? Respondit, Vaticinia Isaiæ, vtpote, in Hebræo fonte facundissima, & plena mysteriorum Christianorum, ob abundantiam Spiritus S. in eo habitantis. Hieronymus magis eum habet Euangelistæ loco, quam Prophetæ: concluditq; fuisse sanctissimum virum, Deoq; dilectum, non solum nomine, cuius interpretatio est σωτηρία κυρίου, salus Domini: verũ etiam quia summa constantia, patientiaque persecutiones, contumelias, plagas tolerauit: tandemque serra lignea propter verbum & gloriam Dei crudelissime dissectus est.

L. 9. conf. c. 5. *Proleg. Gale. procem. in Ioel. Comment. in c. 14. & 57. Isa.*

14. Et vt Græcos Latinis coniungam: Basilius & Nazianzenus admirantur gratias & beneficia diuina, quibus in hac vita præ cæteris decoratus fuit. Exempli causa, quod viderit maiestatem Dei in throno suo residentem, perceperit auribus cœlestium Seraphinorũ symphoniam: è quibus vnus calculum ex altari sumens linguam eius perpurgarit, vt dignius ac facũdius officio suo fungeretur. Tanta porro dona nemini mortalium vnquam concessa fuerunt: tantum abest vt fuerit homo lymphatus, corruptus, sine mente, sine sensu, aut sine spe, quemadmodum comminiscuntur Caluiniani.

Com. in 6. Isa. Orat. in laudem patr.

NATI-

NATIVITATEM IOANNIS BAPTISTÆ sanctam fuisse: proinde à Christianis celebrari oportere, contra errorem 15. & 16.

CAPVT V.

MINISTER.

Vide P. Canisium. QVid tandem comminisci possunt aduersus plusquam Prophetam præcursorem Domini? DOCT. Deturpant ac deformant eum omni genere criminum & contumeliarum. Et nequam vitæ eius partem intactam relinquant, ipsos eius natales peccati infamia conspergunt. Scribit enim Minister
In 4. ca. Matth. Brentius, *Gestat peccatum in quo conceptus & natus est in carne sua: quare necesse habet crucem suã sustollere & affligi, vt admoneatur de reliquiis peccati sui.* Scribunt etiam Caluinistæ in Clypeo fidei suæ, Pagina 39. *Ioannes legis Diuinæ transgressor erat: seque peccati labe pollutum sentiebat.* MINIS. Non aliæ probationes requiruntur: sunt enim apertissimæ. Nec ab alio fonte fluxit, quod in omnibus conuenticulis suis obseruationem ac festum Natiuitatis eius tanquam diem Papisticam & superstitiosam expunxerunt. DOCT. Aggredere igitur ad confutationem vtriusque erroris: idque testimonio suorum authorum.

Confutatio. 1. Com. in ca. 17 Gen. In cap. 7. prioris ad Corinth. MIN. Caluinus & qui cum eo sapiunt omnes contendunt vniuersos fidelium paruulos *sanctos & mundos esse ab omni peccato, iam inde ab vteris matrum*, tanquam eo ipso tempore participes sint fœderis atque promissi, quod Deus pepigit cum patre fidei nostræ Abraham, & eius semine. Atqui Præcursor filius erat Zachariæ & parentum iustorum coram Domino, è progenie Abrahæ Igitur aut regula eorum falsa est: aut Ioannes ab vtero sanctus & purus: sicque natales eius celebritate inter Christianos dignissimi.

2. L. public. precum. Atque etiam hinc fieri puto, vt omnes alij Ministri, Lutherani, in omnibus suis concionibus hoc festum celebrent. Imo & Angli, qui Caluini placita sectantur, ex instituto Reginæ suæ, Natiuitatem Ioannis Baptistæ
Bern. Alchor. solemniter obseruant. Et quod magis mirãdum est, Turcæ, Persæ, Mauri, Tatari, Alchoranistæ omnes, hunc præcursorem magnopere venerantur, eiusque festum celebrant. Vnde sequitur Caluinistas Gallos cæteris Ministris, ac etiam infidelibus esse deteriores.

A DOCTOR. Nec effugere possunt, quin ab expresso Dei verbo coarguantur: quãdoquidem in eo Angelus Zachariæ patri è cælo reuelat. *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ, & multi in natiuitate eius gaudebunt.* Atqui huiusmodi charismata Spiritus sancti non admittunt in societatem peccatũ, nec eodem tempore aut in eodem subiecto consistere possunt. Ergo Natiuitas Ioannis caruit peccato, cum iam antequam nasceretur plenus esset Spiritu sancto. Cum autem additur fore vt multi in Natiuitate eius gauderent: nonne hoc innuit, eum diem à piis hominibus cum celebritate & gaudio cele-
B brandum esse: sicut è contrario ab improbis contemnitur & ridetur. MIN. Hæc tam manifesta sunt, vt sine contemptu verbi Diuini, ac Angelorum eius contumelia in controuersiam vocari non possint. 3. Luc. 1.

DOCT. Auscultemus quæ porro de futura pueri præstantia narret cælestis Nuntius: *Erit magnus coram Domino, vinum & siceram non bibet.* Quomodo magnus; nisi ratione beneficiorum & priuilegiorum diuinorũ, quibus vltra sortem mortalitatis prouehetur? Hæc eius magnitudo tanto ante denuntiata, nonne prorsus concidit & prorsus euanescit, si communi contagione turpificata
C fuit eius natiuitas? Cum additur, *Vinum & siceram non bibet*, nonne significatur cælestem potius quam terrenam in homine vitam cõspectum iri? 4. Luc. 1.

Quid aliud item declarat exultatio pueri, quã præ gaudio exsiliuit in vtero matris simulatque Virginis Deiparæ vox auribus eius insonuit? MINIS. Certe nefas est dubitare, quin istud argumẽto certissimo fit, vsum rationis præcocem, & ante legitimam tempestiuitatem exstitisse, peccatum originis condonatum, & exuberantia Spiritus S. dona in eum effusa fuisse: quod de nemine alio ita relatum nouimus. 5. Luc. 1.

D Itaque Minister Brentius his argumentis conuictus, his velut palinodiam canit: *Ioannes donatus est Spiritu S. in vtero matris, & accepit remissionem peccatorum per Christum.* DOCT. Si donatus est Spiritu S. nec per vllum vitiũ illum perdere potuit antequam nasceretur: turpiter sane hallucinatur idem Brent. cum statim postea refert *eum natum esse & conceptum in peccato.* Deinde, si per gratiam Christi peccatorum remissionem accepit, perspicuum est Natiuitatem eius velut sanctam ac memorabilem à Christianis celebrari oportere, vt laudetur Deus in in Sanctis suis. 6. In cap. 4. Matth.

7. MIN. Quid Patres de hac ista re senserunt? DOC. Bernardus cōparat eum imo & præfert Ieremiæ, quem Deus elegit antequam in vtero formaretur, cum ita scribit: ille quidē in vtero matris sanctificatur: Hic Spiritu S. repletus cognoscitur; id quod longo tempore prius ab Ambrosio & Hieronymo fuerat obseruatum. Eusebius Emissenus homo eiusdem fidei sic ait: Prius gratiam suscepit quam vitam, prius gratiam meruit, quam lucem, Quid mirum si in eo culpa aditum nō inuenit, cuius animā sibi Deus in ipsis exordiis occupauit? Magnum est Spiritu S. illustrari: sed multo maius est impleri.] Chrysologus omnem eloquentiæ vim profundit in extollenda sancta hac & miraculosa natiuitate. Beatus (inquit) D. Ioannes, qui ante personuit à Spiritu S. quam humano more plorauit. Beatus qui prius meruit possidere diuina, quam ei humana contigissent. Beatus qui ante nouit cælum, quam terram. Beatus qui futura prædixit, antequam vidisset præsentia Beatus qui prius Deum cognouit, quā corpus proprium. Beatus, & vnice Beatus, qui priusquam quærere sciret meritum inuenit. Beatus qui non labore peruenit ad gratiam: sed beneficio gratiæ descēdit ad labores, &c.] Et idem rursum. Videtis (inquit) Diuum Ioannem prius in cælum peruenisse, quam terram contingeret: prius Spiritum diuinum accepisse, quam humanum: prius dona Dei, quam membra corporis: prius Deo vixisse, quam sibi, &c.

Ser. de lau. Bapt. *Serm.* *Serm. 1. de Io. Bapt.* *Serm. 88.*

8 MINIST. Latinorum patrum abunde est: Græcorum cōsensionem expecto. DOCT. Quotquot magno concilio Chalcedonensi adfuerunt, hanc magni Athanasii sentētiam suis calculis probauerunt. Gloriosa virtus Diuina Ioannem repleuit & sanctificauit, effecitque vt purus à peccato nasceretur, & Spiritu S. plenus. Fuit profecto *magnus coram Domino*, quem Angelus annunciat, Deus sanctificat, Spiritus sanctus replet: & sanctitas vitæ commendat, &c. MIN. Iam expectationem meam expleuisti tū expressis Scripturarum locis, tum vnanimi priscorum Patrū assensu, de sanctissimi Præcursoris sanctificatione ex vtero, Spiritus sancti repletione priusquam ageret in humanis & de stupenda celebrandaque illius natiuitate. Quas ei præterea calumnias obtrudunt?

Orat. contr Arrian. *Luc. 1.*

A

IOANNEM NON FVISSE VSVM *cibis à lege Dei prohibitis: non schismaticum extitisse: nec iudicatum hæreticum: contra 17. 18. 19. errorem.*

CAPVT VI.

DOCTOR.

NON minore fraude & malitia, quā impietate, nouelli isti hæreseon Ministri illicitorum ciborum vsum, schismatis crimē, B denique etiam hæreseos suspitionem & labē huic omnium Prophetarum sanctissimo impingere nituntur: tum vt propriam vitæ licentiam, schisma, hæresinque specioso Ioannis nomine aliquatenus excusent: tum vt Sanctis detrahendi & calumniandi libidinē suam expleant. Melancthon his paucis verbis priorem struit calumniam: *De locustis ego arbitror, vt contra Legem fecit Ioannes, discedens à templo, ita contra Legem de cibo fecisse.* Centuriatores Magdeburgenses, Strigelius, Losssius, atque sequaces eorum, aiunt, *Locustas quibus victitasse fertur Ioannes, non fuisse terrestre genus animalis, sed speciem Cancrorum maris, quos* C *ad ripam fluuii Iordanis piscatores reiiciebant tanquam res immundas, & Lege vetitas.* Tandem concludunt: *Vescitur locustis contra legem, Locusta vsitate cancros significant, quibus non licebat vesci populo legis.*

Conc. de Io. Bapt. *Cent. 1. col. 195. 250.*

MINIST. Ecquid venerabilis Beza? Mirarer certe si his non immisceret suam garrulitatem. DOCTOR. Ait primo, *Appellatione locustarum non intelligendum aut Cancros aquatiles, aut cicadas terrestres, sed pyra syluestria.* Secundo corrigit, seu potius suo sacrilegio deprauat ipsummet Euangelium, & pro ἀκρίδας, substituit ἀκρόδρυς. MIN. Os nullum, vel potius pugilis? Sed reprimo me. Forsitan D indigne tulit Præcursorem prandere sine bellariis, atque ita bonus delitiarum arbiter & erudito luxu, pyra hæc inuenit alicunde, vt irritaret gulam, & stomacho auerso dulcem elaboraret saporem. DOC. Bucerus vt insaniam ratione & historica fide muniret, ait, *apud AEthiopas, locustas fumo indurari, & sale condiri, vt Diutius asseruentur.* Losssius & Strigelius Lautitiarum artifices, Siluestre mel quo Diuus Ioannes vitam tolerabat, transformant in *Man, seu Manna*, genus medicamenti, sapore gratissimi, quod in officinis pharmacopolar. prostat: pari audacia, qua Chytræus, Diomedis acumen imitatus permutat

Annot. in c. 3. Matth.

mutat vestimentum eiusdem Præcursoris de pilis camelorum, *in magnificam & pretiosam vestem vndulatam, quam vulgari verbo Camelotum appellamus.* Atque ita perspicis, nihil in vita Sanctorum tam religiosum ac venerandum reperiri, quod sacrilega Ministrorũ colluuies non prophanet, & irrisione petulantissima traducat.

MIN. Quis præcursori crimen schismatis ac hæreseos tribuit? DOCT. Iam audiuisti quid senserit Melancthon. Huic consentiũt Cẽturiatores, aiuntque missos ab Ierusalem nuntios, qui eum rogarent: *Quare à templo ordinario discederet? Missi sunt cum Sacerdotibus Leuitæ, vt ex eo quærant, cur audeat inconsultis Pontificibus, nouos cœtus facere: aut denique eum de manifesta hæresi accusent ac conuincant.* Cent. 1. l. 1. col. 255. Postea sic legatos istos Ioanni dixisse confingunt: *Conuinceris esse hæreticus, & pestis religionis,* col. 361. In eadem hæresi sunt Georgius Maior, Vermilius, Brentius, & Zuinglius quo cum sibi belle conuenire scribunt Geneuenses Caluiniani. Quid porro tibi de iis omnibus videtur?

Confutatio. MIN. Primum, nec verum esse nec verisimile, vt Ioannes, verum humilitatis, & obe-
1. dientiæ exemplum, qui propter Diuinorũ mandatorum obseruationem graues mundi inimicitias subiit, in carcerem coniectus est, tandemque capitis affectus supplicio, vt is (inquam) non tam animi quam ventris gratia legem Diuinam contempserit: prauoque more cæteros in rebellionem aduersus diuinas ordinationes impulerit, vbi tam diserte prohibetur vsus & esus cancrorum tanquam piscis immundi & contaminati.

2. Deinde, hoc aio, cum incredibili zelo cõ-
Luc. 3. cussiones militum, exactiones publicanorũ,
Matth. 3. ingratitudinem populi, Pharisæorum hypo-
Mar. 6. crisin, Pontificum ambitum, imo etiam Re-
Matth. 14. gum incestus & adulteria, similesque Diuinæ legis præuaricationes reprehendat & dãnet, non tam turpiter ab officio desciuisset, vt ventri suo morigeraretur.

3. Addo, quod cum vitam egerit in desertis,
Luc. 3. nec inde sit egressus vsque in diem ostensionis suæ ad Israel, sicut ait Euangelista: cumq; assidue ardentissimis precibus, Diuinis meditationibus, & laudibus deditus fuerit: credibile non est eum à tam præclaris virtutum exercitationibus supersedisse, vt otiose deambularet ad ripam Iordanis, atque ibi vel prece vel pretio cancros aquatiles à piscatoribus acciperet, vel abiectos colligeret: nedum vt fumo induraret, vel sale adsperge-

A ret ad diuturniorem conseruationem, vt sine vlla Scriptura, sineque vlla Patrum authoritate noui Ministerculi nugantur.

DOCTOR. Imo vero peccant aduersus 4.
hæc Diuina verba: *Esca eius erat locustæ, & mel* Luc. 3.
siluestre, Locustas & mel siluestre edebat. Cuiuis porro notum est locustas siue cicadas bestiolas esse terrestres: non aquatiles pisces. Leuit. 11.
Genus animalium mundum, lege Diuina declaratum & permissum: non vetitum, tanquam immundum: frequens in siluis, montibus, vallibus, locis siccis & desertis, vbi habitabat Ioannes: non autem ad litora maris, aut ripas fluminum. Vnde peruium est

B colligere, quod Ioannes cum istis locustis vesceretur, nihil eum aduersus legem Dei commisisse, sicut Ministri criminantur: sed vsum fuisse carne munda & licita: non pisciculis per legem prohibitis.

MINIST. Erasmus vir certe Græce La- 5.
tineque doctus, vt si quis vnquam Minister, hanc etymi rationẽ reddit, cur locustas siue cicadas Græci vocent ἀκρίδας, quia saliendo libant summitates florũ, easq; morsu depascuntur, sicut in Exodo legimus, cap. 10. ἄκρον enim Græcis est quod Latinis vertex, cacumen, fastigium. Addit idem author, eos in magno errore versari, qui locustas

C inter cibos lege prohibitos referunt, cum decimo cap. Leuitici contrarium à Deo statuatur.

Brentius & ipse contendit cancros Græce 6.
dici καρκίνους, ac proinde turpiter hallucinari In ca. 3.
eos qui ἀκρίδας cancros interpretantur, non Matth.
locustas aut cicadas: continuoque subiicit, Ioannem rigidum custodem & obseruantissimum ceremoniarum legis, non esitauisse res immundas atque prohibitas, ne obtrectatoribus ansam præberet ad eludenda testimonia de Iesu vero Messia: quem & eadẽ lege promissum, & à Prophetis prænuntiatũ aduenisse digito monstrabat.

D DOCT. Recte Brentius: & contra gre- 7.
galium suorũ errores. Erat enim solius Messiæ ceremonias legis adimplendo abolere & antiquare: non autẽ Ioannis, qui & sub lege natus, & ad eius obseruationem obligatus fuit, vt aperte docet Euangelista: *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem gratia & veritas per Iesum Christum facta est,* quem ideo D. Paulus Matth. 11.
appellat *Finem legis.* Ita & Ioannes appellatur Rom. 10.
Lucerna quæ tenebrarum aliquid admixtum Io. 5.
habeat: rex autem Iesus & sol, & lux mundi, quia figuras & ceremonias legis exequendo finem iis imposuit, mundumque velut Io. 1. 8.

manu afferuit in vindicias secundum spiritualem ac Euangelicam libertatem, sub qua deinceps vniuersi mortales viuerent. Quocirca Ministri non possunt hanc prærogatiuam indulgere Ioan. vt cibos lege prohibitos comederit, vt finem ceremoniis ac legi imponeret., Legemque Euangel, statueret, qui manifesto sacrilegio, Christum verum Messiam hoc honore despolient, ac velut ordine moueant, vt iurisdictionem ac officiũ eius tradant alteri.

8. MIN. Ac de primo errore satis iã videamus si Ioannes Schism. ac hæreticus habitus fuerit à Iudæis. DOC. Cedo quid ipse sentis? MIN. Ex Calu. hypothesi negabo simpliciter me id credere, quia nihil tale scriptũ est: vetant autem quidquam aut docere aut credere, quod non scripto contineatur quin potius arguam eos manifestæ calumniæ aduersus sanctissimum Prophetarum.

9. Cent. 1. li. 1. col. 356. 357. Deinde si Centuriatores secum consentire volunt, corruit duplex istud sine basi crimen. Aiunt enim Ioan. edoctum fuisse à patre suo Pontif. & sacerdote Zach. scholasq; publicas Iudæorum frequentasse, quinimo eidem patri successisse in officio, recte & ordine prouinciam hanc gessisse in templo Ierosol. docuisse in Synag. fuisse omnibus admirationi: quæ omnia certissimo & euidentissimo sunt argumẽto quod is nec schisma in Ecclesiã inuexit, nec hæresin docuit: sed publicam pacem, vnitatem, & pietatem vbique tenuit & defendit.

10. Luc. 1. Ioan. 1. DOCT. Enimuero cum Euangelistæ eius aduentum, officium, & viuendi institutũ describunt, adfirmant fuisse hominem missum à Deo, vt testimonium perhiberet de lumine Iesu Christo. *Non erat* (inquit) *ille lux, sed vt testificaretur de lumine, vt omnes crederent per illum.*

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Quibus officij partibus tam fideliter ac diligenter functus est, prædicando Baptismum pœnitentiæ, præparandoq; viam Domino, vt omnes Ierosolymitani, Iudæi, quique regionem Iordani fluuio finitimam inhabitabant, vndique magno concursu ad eũ audiẽdum accederent: doctrinam eius amplexarentur, peccata confiterentur, dignos pœnitentiæ fructus facerent, & magna auiditate præriperent Messiam, qui protinus apparere debebat. MIN. Haudquaquam ergo eum fugitabant Iudæi velut schismaticũ, sed sequebantur velut legitimum ac verum pastorem: nec detestabantur vt hæreticum, sed obseruabant velut fidum Doctorem atque magistrum.

DOCT. Eius rei fidem faciunt non solum publicani, milites, artifices, mercatores, agricolæ, Pharisęi, Scribę, & Doctores ordinarii legis Mosaicæ, quibus ille vtebatur auditoribus ac discipulis: sed & Sacerdotes atque Pontifices, ipso conscientiæ sensu Prophetã eum agnoscebant, nec eius baptismũ reprehẽdere aut condemnare sunt ausi: *quia omnes* (ait Euang.) *eum tanquam Prophetam habebant.* MIN. Itaque vt video, soli nouelli isti Ministri, in schismatis ac hæresis propriç miseram adulationem, illum de quodam schismate ac hæresi suspectũ reddere nituntur. 11. Luc. 3. Matth. 11.

DOCT. Iidem Euangelistæ post Filium Dei, testãtur vocationem eius rectam ac legitimã fuisse, ministerium pridem ante designatum à Deo, & prædictum à Prophetis, vbi dicitur: *Vox clamantis in deserto, parate vias Domini.* Item: *Angelus missus ante faciem Domini, ad præparandam* viam eius: hoc est, ad indicandum Iesum Christum, verum Deum & verum hominem, seruatorem ac iudicem omnium mortalium: Quibus ex rebus euincitur, illum nõ arrogasse sibi extra ordinem ministerium, vt nugantur Ministerculi vestri, quo nubem obducant sacrilegæ suæ temeritati: non mouit antiquum ordinem à Deo constitutum in Synagoga, vt dici debeat Schismaticus: nec doctrinam nouã introduxit, vt occasionem daret vt haberetur hæreticus. 12. Isa. 40. Malach. 3.

MIN. Quid ais de legatione Leuitarum & Sacerdotum, quos ad Ioan. miserunt Iudæi ab Ierosolymis? Nam huic maxime fundamẽto Ministri superstruũt schismatis ac hæreseos calumniã. DOCT. Primum, Legatos nunquam impegisse viro Dei notam schismatis vel hæresis. Deinde, tantũ abfuisse vt eum hoc nomine suspectũ haberent, vt contra, singularẽ famam de vitæ eius sanctitate, & doctrinæ veritate cõceperint in tantũ, vt eum Messiam esse opinarẽtur ob similitudinẽ virtutum, quibus insignem fore Messiam Prophetæ prædixerant. Hinc libere simpliciterq; sciscitantibus respondit: *Non sum ego Christus.* MIN. Certe nihil minus cõgruit cũ suspicione schismatis, aut persecutione propter hæresin facta, quam eorum interrogata cum superiore respõso. Quinimo videtur ita fuisse animati, vt honorem tanquam Messiæ delaturi essent, si se talem confessus fuisset. Nec in dubio ponendũ est, quin acriter hominem increpuissent, si quæ suspicio hæsisset 13. Io. 1. Chrysost. hom 15. in Io. Beda in c. 1. Io.

eſſet eum eſſe perturbatorem publicæ tranquillitatis, emiſſarium ſeditionis, diſsipatorem vnionis, contemptorem ſpiritualis authoritatis: denique, prædicatorem doctrinæ diſcrepantis à lege & Prophetis. Proinde, cum nec eum damnent, nec ei interdicant miniſterio, plane probant, & recipiendam eius doctrinam iudicant.

14. DOCT. Cum hoc reſponſum audiuiſſent, eum ſcilicet nec eſſe Meſsiam, nec Eliam, nec prophetam qualem imaginabantur, pergunt de ceremonia Baptiſmi ſciſcitari. Quibus ſatisfacit dicendo, Baptiſmum ſuum ſymbolum eſſe agendæ pœnitentiæ, & præparationem ad Baptiſm. Meſsiæ, qui iam erat in medio eorum baptizaturus in remiſsionem peccatorum. Huic atteſtationi acquieuerunt, nec vllam obiecerunt remoram, quominus baptizaret, prædicaret, & teſtimonium de Ieſu Chriſto vero Meſsia palam & priuatim perhiberet. Quin & ipſimet deinceps acceſſerunt ad eius Baptiſmũ: interrogarique, quid de eo cenſerent, non auſi ſunt inficiari quin ad Deum authorem & approbatorem referendus eſſet. MIN. Sciebant videlicet, Iſaiam, Ierem. Ezech. aliosque veteres Proph. multis externis ceremoniis vſos eſſe, vt fidem vaticiniis aſtruerent, & ad ea complectendum, credendum ac retinendum efficacius populum inducerent. Inſuper apud populares ſuos multa baptiſmorum & lauacrorum genera erant in vſu: quæ res effecit, vt haud difficulter huius præcurſoris ac Prophetæ ceremonias approbauerint citra vllius offenſæ ſignificationem.

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.
Matth. 21.
Eſa. 20. Ierem. 28. Ezech. 5.

15. DOCT. Denique, Ioſephus Matthatiæ, Ioſippus Gorionis, ac Egeſippus, tres Hebraici ſcriptores, qui paulo poſt ea tempora floruerunt locuples teſtimonium exhibent, nunquam Iudæos gentiles ſuos tam ſiniſtra de Ioanne iudicia feciſſe, atq; hic monitus Miniſtrorum Senatulus conſiſtorialis ipſis affingit. Quin è contrario famam & opinionem apud eos obtinuit Prophetæ miſsi à Deo, S. hominis, qui ſermone & exemplo quemque ad emendationem vitæ, & ad decus honeſtatis hortaretur, eos præſertim qui doctrinã ipſius ſequebantur, & Baptiſmum recipiebant, &c. MIN. Ex iis manifeſte perſpicio, tres Miniſtrorum errores aduerſus Chriſti præcurſorẽ meras eſſe falſimonias, euidentes impoſturas, & opiniones verbo Dei, venerandæque antiquitati repugnantes. Nunc ſermonem alio conuertamus.

L. 18. Antiquit.

A

IOANNEM PER TRIGINTA TOTOS annos non ignoraſſe ſeruatorem mundi Ieſum Chriſtum: aduerſus 20. errorem.

CAPVT VII.

DOCTOR.

MElancton & Bucerus lumen ac decus amicorum Caluini, hanc irrogant contumeliam ſanctiſs. Præcurſori, vt eum cuius gratia præmittebatur, ipſi ignotum dicant, donec trigeſimum ætatis annum attigiſſet, (B) quo tempore Chriſtus ad eum venit vt baptizaretur, auditaque fuit vox de cælo, *Hic eſt filius meus dilectus, &c.* Prior enim ille ſcribit: *Ioannes aliquando non cognouit quod Ieſus eſſet Meſsias, & Filius Dei habens naturam Diuinam & humanam.* Poſterior vero: *Neſciebat Chriſtum donec ſuper illum vidit Spiritum S. deſcendentem.* Item alibi: *Vera certaque fide & cognitione Chriſti vir tantus aliquando fuit deſtitutus, &c.* Quid ad hæc obmuteſcis? Non potius aut probas, aut reprobas.

Matth. 3. In cap. 1. Io.
In cap. 3. Io.
Hom. 17. in Io.

MIN. Eos plane vociferor & ſecum diſſidere & excellentiſs. Prophetarum iniurios eſſe, & ſacro Euangelio palam aduerſari. (C) Primum enim alibi defendunt, prædictum Ioannem ab ineunte adoleſcentia condidiciſſe ex parentibus, quænam eſſent partes ſuæ in annunciando, prædicendoque aduentu Meſsiæ: ſæpius contuliſſe & ſociaſſe ſermonem cum Ieſu, Maria, & Ioſepho: publica Iudææ collegia ſtudioſe viſitaſſe: docuiſſe in templo & in Synagogis: quæ contingere non potuerunt, quin & frequenter viderit, & familiariter cognouerit prædictum Meſsiam atque Saluatorem.

Cõfutatio 1.

2. Deinde, huic fit atrox iniuria, ſi totam fere vitam in talibus ignorantiæ tenebris conſumpſiſſe dicatur, vt lumen mundi non viderit, (D) Saluatorem & ſalutem neſcierit: ſicque indoctior fuerit plebe Paſtorum, cæcior Magis ethnicis, rudior ſene Simeone, vel Anna decrepitæ ſenectutis vidua: Nam hi omnes vera & viua fide cognouerunt eum, adorauerunt eum, & hymnis eum prædicauerunt atque palam celebrauerunt.

Io. 1. & 8.
Luc. 2. Matth. 2.

3. Præterea, dicendum foret, eum minus illuſtratum fuiſſe, à Spiritu S. quam miſerabile vulgus cæcorum leproſorum, claudorum paralyticorum, & hydropicorum, qui ſanitatem ab ipſo recipientes eundem tanquam ſaluus authorem, & Deum, ac Domi-

Io. 4.

num omnipotentem inuocauerunt. Tot item Samaritani, Chananæi, Iudæi, Rom.
Io.7.19. Græc. Ethn. sermonibus ac miraculis persuasi, in eum crediderunt: ipsi denique milites & carnifices mortem eius admirati, agnouerunt eum, & confessi sunt, quod *homo iustus* imo & *vere Filius Dei erat.* Hos omnes inquam, dicendum esset clariori luce collustratos fuisse à Spiritu S. quam Ioannem, si eum tam longo temporis interuallo Dominum nesciuisset, atque adeo fere ad vltimam vitæ metam sine vera fide, certaq; notitia salutis & Saluatoris.

4. Luc.1. DOCT. Optime sane hos dicis aduersari Euangelio, Cum enim B. Lucas recitat eum ab vtero matris fuisse repletum Spiritu S. donum fidei maxime complectitur, per quam ab vltima pueritia Seruatorem pro vt erat, perspecte cognouit, imo & confessus est, & adorauit antequam nasceretur, gestu, motuque exultationis ac lætitiæ, quam per-
Ser.in Natiuit.Io. sensit Elizabeth mater. *Vt enim facta est vox salutationis tuæ* (ait ad Mariam) *in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Cuius rei miraculo motus Bernardus, hæc de Ioanne scribit: Iam Christi sensit aduentum, qui necdum sentire poterat seipsum,] Qui vero potuit, nisi beneficio fidei, qua iam donatus erat? Idem multis antea sæculis obseruauerat & docuerat Amb. & ante hunc Origenes, non dubitantes asserere, Vocem Deiparæ salutantis matrem, auditu & intellectu perceptam fuisse à filio. Nec non & canticum Patris, octauo postquam natus erat die: quod fieri non potuit sine dono fidei, qua Messiam mundo natum, & in carne sese manifestantem cognouerit ipse & adorauerit. (L.4.de fide c.4.& L.1. in Luc. Hom.7. in Luc.) Quænam porro subsequens infidelitas, eum hoc tanto munere priuare potuit? Quis Apostolus, quis Euangelista, quis non improbandus author eum tanquam fide destitutum asseuerauit? Fuitne homo fluxæ fidei, vacillantis animi, temporariæ leuitatis vt arundo ventis agitata, sine constantia, sine perseuerantia in præcipuo summoque totius Religionis fundamento? An vero pietate secundus fuit vlli veterum Prophetarum? Breuiter concludendum est cum Chrys. scribente: Nouerat Christum Ioan. semper esse venturum: & non solum nouerat ab infantia, sed in vtero matris nouerat, & eum salutauerat.

5. MIN. Mihi quidem huius rei nullum dubium superest: tantū ambiguus animi sum, quo sensu capienda sint hæc eiusdem Ioannis verba, postquam Christum baptisasset: Io.1. *Ego nesciebam eum.* Videtur enim testari se ad illud vsque tempus nihil de Domino satis comperti habuisse. DOCT. Chrysost. Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, aliique patres Græci nodum hoc modo soluunt, vt adfirment Christum fuisse Ioanni incognitum de facie ac vultu. Quia statim vt natus circoncisus, & in templo oblatus fuit Iesus, confestim asportatus est in Ægyptum: post septennium reductus in Galilæam: cum interea Ioannes in desertis Iudææ viueret, nec inde migraret vsque in diem ostensionis suæ ad Israel. (Marc.1. Matth.4. Luc.1.&3.) Itaque nesciebat eum oculis corporeis, quo colore, qua facie foret, quo vestitu vel habitu vteretur, & quæ alia signa formam vel figuram externi hominis respiciunt: cui interpretationi etiam Bucerus cogitur assentiri. Cæterum, mente, spiritu, ac fide Ioannes semper Dominum probe cognouit, populoque designauit eum esse Filium Dei, verum Messiam, agnum Dei tollentem pecca- Io.12. ta mundi cuius non sit dignus vt soluat corrigiam calceamentorum, vt antea probauimus.

IOANNEM NON FVISSE STVLtum, imprudentem, immorigerum Deo, nec iniurium Christo, nunquam se ei prætulisse, nec stultitiæ aut imprudentiæ nomine Dominum reprehendisse: aduersus errorem, 21. 22. 23. 24. 25. & 26.

CAPVT VIII.

MINISTER.

QVid iam? Est-ne aliquis pudor aut modus calumniandi hunc sanctissimum Prophetam & seruum Dei? DOCT. Nihilo sane magis conuitiando defatigantur, quam antesignanus ipsorum Satanas desinit oppugnare totam nationem Sanctorum, qui vel in terris militant, vel in celis triumphant. Paucis enim verbis cumulant immensam vim maledictorum aduersus eum. *Ioannes imprudenter & stulte agit,* ait Brentius, *quod detrectet Iesum baptizare, & malit carnali prudentia sua, quam spirituali mandato Christi baptismum postulantis obsequi. Videtur sua detrectatione Christum honore afficere, sed magna eum contumelia afficit. Quid his factis aliud significat, quam si diceret: Ego consultius de hac re constitui quam tu: Ego sapiens, tu stultus, ego prudens, tu ineptus, &c.* (Hom.31.in Luc.) Caluinus, Beza, Marloratus,

ioratus, & eorum asseclæ nihilo sanius de eo sentiunt, cum scribunt: *In eo hallucinatus est Ioannes, quod non expendit aliorum causa baptismum ab eo peti. Non obstitit particularis eius error, &c.*

Confut. 1. MIN. Vah, quæ sunt istæ blasphemiæ aduersus Spiritum sanctum, cuius auspicio ductuque directæ fuerunt vniuersæ huius sanctissimi virorum actiones? Quæso te, ne plura dicas: nam eius modi portentis calumniarum auras & cælum ipsum infici puto: sufficitque nuda recitatio ad hoc, vt ab omnibus damnentur. Nam vt ait Hieronymus, Hæreses denudasse, confutasse est. Patet enim prima fronte blasphemia.] Quæ sententia si quadrat in anilia deliria Iouiniani, Pelagii, & Vigilantii, multo magis conuenit hisce diabolicis criminationibus, & damnabilibus imposturis, quæ à nupero Prædicantiũ fœtu iaciuntur aduersus eum, quo maior non surrexit inter natos mulierum. Hæc mea mens: vide quid porro communiter expediat.

Dialog. cõtra Pelagianos.

Matth. 11.

2. DOCT. Cum antea firmissimis Scripturarum munimentis firmauerimus Ioannem repletum fuisse Spiritu sancto ab vtero matris suæ, deinceps cumulatum gratia, natum sine peccato, nonne satis omnes superiores calumnias refutauimus? MIN. Factum est à te sedulo. Non enim Spiritus sanctus cum spiritu peccatorum suasore commiscetur, nec ad gratiam Dei labes vlla iniquitatis admittitur: sed hæc dissotiabili diuortio inter se dissident, sicut lux & tenebræ, iustitia & iniustitia, Christus & Belial.

Luc. 1.

2. Cor. 6.

3. Addendum, quod nemo ex Ministrorum grege vlla vnquam Diuini verbi authoritate demonstrabit, Ioanni ademptum fuisse eum Spiritum, quem initio semel suscepit, etiam ante tempora natiuitatis, dum adhuc in aluo materna contineretur. Proinde, semper idem Spiritus ei præsto fuit, nec eum passus est contaminari sordibus flagitiorum, quæ ab his dicuntur & imponuntur.

Luc. 1.

4. DOCT. His iunge laudes eximias, quibus eum concione publica Christus exornauit coram toto populo Iudæorum: *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis & plusquam Prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui*

Matth. 11.

A *præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.* MIN. Hic primum inspicio personam tam magnifice de Ioanne loquenté. Est autem ipsemet Filius Dei, in quem nec adulatio, nec mendacium cadit: quapropter omnes hæ laudes summa veritate nituntur. Deinde, celebratur Ioannis constans & perpetua magnanimitas in verbis Diuinis, à qua dimoueri non potuit vel spe præmiorum sibi à Iudæis propositorum, vel metu suppliciorum: quin & carceres, & vincula, & gladios ab Herode intentatos despexit, ac intrepidus pertulit. Ad hæc, no- B tatur austeritas, & vitæ rigor, quam & vestis indicabat, vnde contemptor animus elucebat voluptatum ac delitiarum mundanarum, quique sola cælestium rerum contemplatione raperetur. Huc accedit sapientia cælitus infusa, & continua cum Spiritu sancto communicatio, cuius donis præ Daniele, Ieremia, Isaia, Dauide, Mose, & aliis omnibus retro Prophetis condecoratus est. Nec siletur sanctitas vitæ, officium vere cælicum & angelicum, vt merito à Prophetis vaticinantibus aduentum eius, appelletur Angelus, & comparetur cum beatis spiritibus, qui semper vident faciem Patris qui in C cælis est.

Marc. 6. Matth. 14.

Malach. 3. Marc. 1. Matth. 18.

DOCT. Postremo, tantam gratiarum ac perfectionum spiritualium præstantiam Ioanni concessam in hoc elogio Filii Dei licet aduertere quod eum nemo simpliciter homo exæquare, nedum exsuperare potuerit. Ex quibus colligo, singula conuicia & crimina, quæ Prædicantes isti aduersus Diuum Ioannem congerunt, in ipsos potius redire & redundare. 5.

Sed paulisper exquiramus à capite, fontem & originem, vnde hi tot accusationum sentinam in Præcursorem deriuent: & reperiemus eos malitia vere Diabolica sincerum vas incrustare; virtutesque mutare pec- D catis, bene facta criminibus, laudabiliter que gesta, vituperiis. Causa hinc exsistit, quod cum maxima mortalium, frequentia ad conciones & baptisma Ioannis vndiq; conueniret, Dominus noster Iesus iam fere triginta natus annos eodem accessit, seque cum aliis baptizandum præbuit. Ioannes autem sciens hunc esse æternum & consubstantialem Dei Filium, incarnatum, Messiam, redemptorem & iudicem totius huius mundi, Emmanuelem, id est, Deum simul & hominem; & semet expendens morta- 6.

Luc. 3. Matth. 3.

Isa. 7.

mortalem, fragilem, seruum, (& vt vno verbo omnia complectar) hominem, religiose modestus, & reuerenter humilis, non se honore dignatur eo vt Christo contingat, ideoque dicit: *Ego à te debeo baptizari: & tu venis ad me?* Iam fidem tuam obtestor, vbi hic vllum stultitiæ, temeritatis, aut rebellionis vestigium apparet? Vbi minima labes contumeliarum, quas mendacissimus Ministrorum populus confingit à Ioanne tunc temporis illatas fuisse Domino Iesu? MIN. Non vidi minus: imo contra passim agnosco signa fidei prorsus admirandæ, qua fretus Ioannes adorat Dominum, seque in omnibus inferiorem Diuina Christi maiestate palam asserit: ac præ admiratione attonitus, quod Deum videret tam depressum ac humiliatum, vt non pertimesceret peccatoris suspitionem rogando Baptismum in cœtu peccatricis turbæ: deprecatur inuidiam, tantique muneris differt effectum, vsque dum liquido perspexisset, quidnam hac de re mens & voluntas Diuina decreuisset. Itaque statim vt eius certior factus est, illico Baptismum suum Christo ministrauit: vt optimo iure eius prudentia, fides, modestia, promptus, & paratus ad obsequium animus laudari debeat, nedum vt vituperari vllo modo possit.

7. Ac mihi quidem in eo videtur pietatem matris suæ Elizabeth longe supergressus, quæ cum se iudicaret indignam quæ visitaretur, & in officio humilitatis præueniretur à sanctissima Deipara virgine, voce magna exclamauit: *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Rectius item fecit atque postea Petrus, qui procidit ad genua Iesu dicens: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Postremo, iustiorem admirationem meretur quam laudatæ fidei Centurio, qui cum se tanto honori imparem putaret, vt Christus eum præsentia sua cohonestaret, ait: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.* Quidquid enim hic dixit aut fecit Ioannes, ab humilitate promanauit, non ab imprudentia: multo minus ab arrogantia: non à dedignatione parendi, sed ab excellenti fide & reuerentia: non à sinisteritate iudicii; qua Domino se præferret, vt impurissimi mentiuntur Ministri, sed ab intima suæ fragilitatis æstimatione, qua se multis parasangis inferiorem Filio Dei reputat: dum palam protestatur se indignum qui vincula calceamentorum eius resolueret, nedum vt ei Baptismum suum administraret.

Luc. 1. *Luc. 5.* *Luc. 7.* *Matth. 8.*

8. DOCT. Hæc omnia liquidæ veritatis sunt, & fere ad verbum ex Patrum interpretationibus desumpta. Nam Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, & Chrysologus, ita Ioannem cum Domino loquentem inducunt: Ego sum peccator, & tu venis ad me peccatorem, quasi depositurus peccata tua, cum in veritate nullum habeas peccatum? Sum creatura, tu creator: sum seruus, tu es Dominus: sum homo, tu es Deus: sum peccator, ex peccatoribus, tu sine peccato quia Deus. Cur itaque à me baptizari desideras? Non detrecto officium, sed ignoro mysterium. Baptizo peccatores, vt peccatorum pœnitentiam agant: cur ergo baptizari vis, tu qui nullam peccatorum causam habes? sed venisti vt aliorum peccata condonares? &c. Eleganter quoque martyr Cyprianus in hanc sententiam ait: Non idcirco factum est, quod obedientiam detrahat imperanti: sed quod iudicio suo, seruo subdi non competat Maiestati.]

Ser. de baptismo Christi.

9. Sed ante alios exultat Bernardi oratio in expositione huius mysterii. Pauet cælum (inquit) stupet terra, Iordanis arridet, mirantur angeli videre Dominum virtutum inter manus Baptizantis. Quid hoc rei est, Sancte Ioannes? Hunc ne tu putas nudum, quem vix Cherubim & Seraphin audent intueri? Is est quem Angeli contemplari desiderant, & tu non contremiscis? Imo vero contremiscis ô Ioannes, fide nimirum & reuerentia. Et cui mirum videatur si tremit homo, nec audet attingere sanctum caput Hominis Dei, caput angelis adoratum & reuerendum cælicis potestatibus. Tandem acquieuit Ioannes, obtemperauit, & baptizauit Agnum Dei, lauitque vnda fluminis, &c.

Ser. de Io. Baptista.

MIN. finiamus hunc tractatum. Iam enim plene planeque perspicio, falsas Prædicantium criminationes aduersus hunc præcursorem non aliunde scaturire quam à peruersitate diabolica, quæ refutata est abunde tum disertis sacrarum paginarum testimoniis, tum venerandæ doctæque vetustatis vnanimi consensu.

* *
*

IOANNES CARCERE DETENTVS *non gestabat peccatum: sciebat se non puniri ob peccatum: sed ob iustitiam & veritatem: nec vnquam existimauit perpetuum inferorum carcerem sibi debitum esse: nunc etiam in cælis gloriosius triumphat, quam mulier peccatrix: aduersus errorem,* 27.28. 29.30.31.

CAPVT IX.

DOCTOR.

VEteres dixerunt inuidiam, odium, cæterosque humanæ malignitatis affectus, morte inimicorum finiri: sed nouorum Ministrorum peruicax importunitas aduersus beatissimū Præcursorem tam atrociter desæuire pergit, vt eius captiuitati petulanter insultent, constantis martyrii gloriam eleuent, defuncti manibus illudant, & quantum in se est sempiternam in cælo beatitudinem eius imminuere contendant. MIN. Horrenda certe canis, si probes. DOCT. Minister Brentius de captiuitate & vinculis Ioannis differens scribit: *Gestat adhuc peccatum, in quo conceptus & natus est in carne sua.* Ecce primum calumniæ telum, continuo sic intorquet aliud: *Quare necesse habet* (inquit) *crucem sustollere & affligi, vt admoneatur de reliquis peccati sui.* Deinde, tertium imbelle sine ictu conuicit, affingens hanc ei falsissimam orationem, quam nec per somnium quidem cogitauerit, nedum vt verbis vnquam nuncupauerit: *Domine Deus meus, si tu velles de me secundum iustitiam legis tuæ iudicare, non sufficeret hic carcer & squalor eius, sed necesse haberem coniici in perpetuum carcerem inferni.* MINIST. Quis quartum iaculum emittit? DOCT. Minister Georgius Maior, cuius auditæ sunt voces in concionibus, & in libris euulgatæ. *Quod ad principale, summum seu vltimum bonum & præmium attinet, nihilo plus accepit Baptista, quam Zacchæus, mulier peccatrix, &c.* Erasmus Sarcerius, & Centuriatores, hærent in eodem luto. Tu vero quid dicis?

In cap. 4. Matth.

Hom. in Dominica Septuagesima.

Cōfutatio 1. MIN. Non possum inficiando quatuor ista crimina subterfugere: restat vt decretorio stilo refutentur. DOCT. Ordire vt soles ab ipsorum testimoniis. MIN. Brentius sibi contrarius, vt nulla cōstare potest mendacibus stabilitas, eodem loco fatetur, *Ioannem repletum fuisse Spiritu S. ab vtero matris, & exinde remissionem peccatorum à Iesu Christo consecutum, vitamque peregisse plenam innocentiæ ac obedientiæ.* Vnde necessario sequitur, eum extra peccatum fuisse, licet carcere detineretur, habebatque in se Spiritum S. ac patiebatur ob veritatem & iustitiam, non autem ob meritā noxiam. Quocirca mens nullius culpæ sibi conscia, puræ tranquillitatis fructum percipiebat, nedum vt inquietaretur vlla formidine pœnarum temporalium.

In 4. cap. Matth.

2. Addatur huic Melancthon euersor secundi erroris dum docet, Ioannem & alios sanctos Prophetas, vt Isaiam serra diuisum, Ieremiam lapidatum, Zachariam saxis obrutum, nō ob flagitia pertulisse has pœnas, sed singulari consilio Dei volentis hac ratione horum patientiam probare, virtutes coronare, gloriam augere, & laudes in illustri loco sitas in exemplum proponere consecuturæ posteritati. Sic enim quondā fecit Iob, sic Tobiæ, sic Moysi, Eliæ, & reliquis. Horum etenim afflictiones plurimæ non fuerunt pœnæ pro peccatis, sed singularia opera: & Idem alibi tradit, D. Ioannem non esse passum ob peccata sua, sed ad instar Apostolorum ob prædicationem & cōfessionem veritatis, dum pretio vitæ ac sanguinis obsignant id, quod oraculo vocis annunciauerant. Vnde luce meridiana clarius apparet, Ioanni iniurios & contumeliosos esse, qui eum pro peccatis suis vinctum & cæsum affirmant.

In cap. 8. Rom.

In cap. 14. Matth.

3. Porro autem quonam peccato suo perdidisset Spiritus sancti gratiam, quam etiam ab vtero susceperat? Ieiunando ne? Annunciando ne pœnitentiam? An vero pœnitentes baptizando? Culpas hominum reprehendendo? Docendo turbas? Commonendo vt pararent vias Domino? Vt fugerent à ventura ira prædicando? Si nihil horum est, certe nō deseruit eum Spiritus sanctus in vinculis & carceribus, in gladiis & manibus carnificum, in Martyrio & morte, vt hæc pro delictis suis pateretur. Superiora virtutum officia, & patientiæ exercitamenta, nonne potius prolectant salutare Spiritus sancti, in extremis & acerbis illis temporibus suis præsidium, quam auertant aut remorentur? Denique, non dicam dolo, duo priores isti errores tam abhorrent ab omni veritatis similitudine, tamque infirmis fulcris fulciuntur, vt sponte sua facile collabantur.

Luc. 1.

4. DOCT. Non est dubitandum, quin graue aliquod scelus præcessisset in Ioanne, si tum gratia præsentiaque Spiritus sancti priuatus fuisset, cum eius maxime indigeret.

Sic etenim vsu venisse legimus patri Adamo, Dauidi, Ionæ, & aliis nonnullis, à quibus idem Spiritus sanctus aliquantisper secessit, ob graues offensas, quas Scriptura recitando non dissimulat. At vero nusquam in Sacris culpatur Ioannes, sed vbique laudatur: nunquam vllius flagitii suspitione perstringitur, sed maximarum virtutum prædicatione celebratur. Quod igitur eum diffamat infamis Ministrorum cohors, in eo mala mens, malus animus, & plane diabolica peruersitas deprehenditur.

4. *Marci 6.* MIN. Saltem improbitate vincunt Herodem, qui quanquam esset tyrannus immanis, & incesto pollutus adulterio, tamen præclare de Ioannis vita moribusque sentiebat, vti testatur Euangelista. *Herodes* (inquit) *metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum, & obseruabat eum, & audito eo, multa faciebat: & libenter eum audiebat.* Prædicantes ex aduerso recinunt. Hominē fuisse stultum, imprudentem, carnali sapientia tumentem, rebellem Deo, contumeliosum in filium Dei: qui ob flagitia sua coniectus sit in carcerem, atque ibi diu detentus tandem ceruicem gladio subiecerit. Nec iis contenti, dignum fuisse dictitant, qui in perpetuum inferni carcerem coniiceretur.

5. Imo etiam diritate mentis crudelem malitiam Herodiadis exsuperant, quæ non aliam ob causam inimicitias indixerat, & exitium molita est huic homini sanctissimo, quam quod ingrata Dominantibus libertate reprehendebat incestos concubitus inter eam & Herodem: hoc vnicum crimen, omni crimine vacans, & carceris & mortis

Marc. 6. causam præbuit. *Herodes misit ac tenuit Ioan-*
Matth.14. *nem* (ait Euangelista) *& vinxit eum in carcerem propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Ioannes: Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Non igitur carceri mancipatus, aut morte damnatus est propter peccata sua, sed propter reprehensa stupra mulieris impudicissimæ. Erat in vinculis, non quia supplicium commeritus erat: sed quia Palatina Medæa non ferebat flagitia sua publice reprehendi. Denique coronam & aureolam martyrii adeptus est, non quod vlla præuaricatione consciuisset aduersus se iram Dei: sed è contrario, quia sancto conseruandæ legis diuinæ æstuabat zelo, & procurandæ proximorum salutis amore.

6. DOCT. Nunc igitur illud fac cogites, an ita propter veritatem & iustitiam patiendo, A non æquius fuerit, vt se præclaræ conscientiæ solatio sustentarit, quam ob peccata pœnam reformidaret: vt hanc ferendo crucem potius gloriaretur, quam ex culpæ recordatione contristaretur: vt Deum laudaret tanquam confessor, potius quam velut reus irritaret? Postremo, vt gloriæ cœlestis coronam, non autem perpetuos inferorum carceres exspectaret? Satis enim ipsi Spiritus *Matth.8.*
sanctus reuelabat, eos esse beatos, qui patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et qui Christo com- *2.Tim.2.*
patiuntur atque commoriuntur, iidem & consuscitabuntur & conregnabunt.

B Quemadmodum igitur postea Paulus vas 7.
à Deo electum exsultabat in vinculis, in car- *2. Cor. 12.*
ceribus, in contumeliis, in persecutionibus *2.Cor.6.*
quæ propter Euangelium patiebatur: imo *Philip. 1.*
certus erat quod neque mors, neque vita, neque gladius, neque vlla creatura poterat eum separare à charitate Dei: postremo cum *Rom. 8.*
fiducia testabatur sibi repositam esse, & redditum iri à Domino coronam iustitiæ, quia bonū certamen certasset, cursum consum- *2.Tim.4.*
masset, fidemque seruasset: idem iudicium statuendum est de Ioanne Baptista, Propheta, plusquam Propheta, Apostolo, Doctore, Confessore, Eremita, martyre & virgine, C qui nulla in re Paulo inferior fuit. Idē Ioannes siue caperetur, ligaretur, & in carcerem detruderetur, siue cum ceruicem spiculatoris subderet gladio, non minore fiducia recumbebat in Deo, quam Apostoli lætanter *Actor. 5.*
euntes à conspectu concilii Iudaici, magnæ sibi laudi ducentes, quod pro nomine Iesu contumelias paterentur. Nō segniori mentis robore munitus Ignatius, cum audiret sibi paratos ad deuorandū rugientes leones, *Epist. ad Rom.*
generoso ardore concitatus in has voces erupit: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarū molar, vt mundus panis inueniar. Et quidam Germanicus martyr, ait Euse- *Euseb. l. 3. hist. c. 36.*
D bius, præparatam sibi bestiam, prouocauit, tardantes increpans pœnas & iniquæ huius *Lib. 4. c. 15.*
vitæ velocem expetens discessum. Nec minus virtute ex alto indutus fuit beatus præ- *Euseb. l. 8. hist. 5. 6. 7. 8. 9.*
cursor, quam innumeri omnium ordinum & sexuum martyres, qui lætiori animo profecti sunt ad supplicium, quam auari conuolant ad aurum, vel ambitiosi ad honores & dignitates sæculi.

Si priscorum aduocanda sunt testimonia, 8.
præsto est sanctus Beda, scribens, B. Ioan- *Hom. de decol. Io. Bapt.*
nem singulari gratia Dei ab omni concretione peccati purum: non ob vllum crimen suum,

suum, sed ob libidinem impudicarũ mere- A tricum reprehensam affectũ supplicio, nec ipsi graue ac molestũ accidisse: sed perquam desiderabile, gloriosum, ac vtile; quod ob veritatem tormenta temporalia perferret. Gregorius compendio perstringens vitam L. 5. Mor. & mores huius præcursoris, non modo defendit eum ab omni vitio: sed & laudat vt multis virtutum ornamentis insignem: tandemq; concludit illum ita placuisse Deo, vt mortem coram hominibus ignominiosam oppeteret, quo magnificentius eum incomprehẽsibili honore & gloria coronaret. Augustinus eum vocat hominem sanctum, iustum, & perfectum, qui per omnia voluntati B Dei morem gesserit, quibus eximiis dotibus hoc assecutus sit, ne morte communi ex humanis migraret: sed singulari quadam morte ad sacrandum dicandumque Deo corpus pariter & animam, quæ mirabilibus modis ab eo acceperat.

(Marginalia: L. 5. Mor. c. 4. — Serm. 4. de natiuit. Io.)

9. MIN. Contra tres priores errores iam satis: quartum expendamus, & videamus. An Ioañes in cœlis eodem censu censeatur, quo deparcus aliquis publicanus, aut immunda quondam meretrix; quæ est prædicantis sententia. DOCT. Sane si Deus (vt scriptura passim prædicat) pro æquitate iustitiæ suæ reddit vnicuiq; secundum opera C sua: & vnusquisq; ab eo accepturus est mercedem secundum proprium laborem: adeo vt qui parce seminat, parce & metat: hinc manifeste colligitur, cum Ioannes infinitis partibus diligentiorem operam nauarit in excolendo prædio domini, quam auarum genus publicanorum, aut impudica gens prostitutorum: congruum esse, vt vberiorem gratiam & gloriam sine vlla comparatione sit consecutus.

(Marginalia: 1. Cor. 5. 9. — Rom. 2.)

10. Quod si Deus in punitione facinorum, & districto in reprobos iudicio hanc distributiuam iustitiã obseruat, vt pœnas intẽdat vel remittat pro mensura modoque delictorũ: D an non eadem ratio, idẽ ius præscribit in distributione præmiorũ? Vt scilicet diuina liberalitas ac magnificentia auctiorẽ largitatis mercedem operibus eorum, qui gnauius laborauerunt? Quis porro nescit, quod D. Ioannes ab vtero matris suæ repletus Spiritu sancto, nullã horam, nullũ temporis punctum, elabi passus sit, quin id omne charitati numinis impenderit, maiestatẽ eius religiose timuerit, nomen veneratus sit, Deitatem adorarit, potentiam suspexerit, gratiam inuocarit tum sibi, tum cunctis mortalibus?

(Marginalia: Apoc. 18. — Matth. 11. — Luc. 11. — Luc. 1.)

11. Deinde, cum adhuc puerulus secessit in desertum, quis enumerare queat eius deuota suspiria, iuges contemplationes, perennes lachrymas, cotidiana ieiunia, feruentissimas preces? Vt primum concionari cœpit, quo zelo, qua diligentia, quibus contentionibus in id munus incubuit? Qua patientia concoxit minas tyrannorum vincula lictorum, pædorem carceris, deinde acerbitatem crudæ cruentæq; mortis? Qui labores, quæ ærumnæ cum his comparari possunt? Cum itaque vixerit in perpetua virginitate, debitam virginibus aureolam nunc percipit: cũ innumeram vim hominum ad iustitiam docendo duxerit, honoratur Doctorum insignibus: denique, cum ob veritatis ac iustitiæ defensionem morte multatus sit, credere & confiteri oportet, eum à iusto præmiatore neutiquam esse fraudatum corona seruata virginibus, constantibus, & gloriosis Martyribus. Proinde, gloria & honore in cœlis coronatus est supra sortem infinitorum Sanctorum: quidquid aduersus eum oblatrent hæretici.

(Marginalia: Luc. 3.)

SANCTVS IOSEPH NVNQVAM sibi persuasit, quod virgo Maria adulterio sese polluisset: contra errorem 32.

CAPVT X.

MINISTER.

CVm adeo intemperanter Caluiniana calumnia debacchata sit aduersus veteris testamenti Sanctos; parcit, opinor, iis qui sub Euangelio floruerunt. DOCT. Imo neminem prorsus eximium habet, quin dente maledico lacessat. Orditur autem à S. Ioseph, quem Deus ex vniuersis hominibus selegit, vt esset sponsus Virginis, & nutritius Filii sui domini nostri Iesu Christi. Hæc autem sunt Calumniatoris verba: *Quia suspectam habebat adulterii vxorem, imo adulteram esse iudicabat: tale scelus nolebat indulgentia sua fouere.* Huic consentiens VVolffgangus Musculus ita scribit: *Eam ex coniecturis vteri grauidi, adulteram putabat.* Quæ omnia Marloratus conjecit in Rhapsodias suas, vt appareat totum gregem Hugnosticum infectum esse hac pestilenti contagione.

(Marginalia: Cal. in 1. c. Mat. v. 19. — In 1. cap. Matth.)

MIN. Sed cum eam grauidam compertus esset, sciretque non ex ipso concepisse, ac proinde vellet eam dimittere, sicut ait Euangelista: nonne adulterii nomine suspectam habuit? DOCT. Ignorans mysterium variis Cõfutatio 1.

(Marginalia: Matth. 1.)

cogitationibus vere distractus fuit: sed longe differunt suspicari, dubitare, & iudicare, ac pro certo constituere. Fluctuauit quidem suspitione, & in dubio hæsit, animus eius, quando nesciuit eam à Spiritu sancto concepisse, ac per virtutem Altissimi: sed nunquam iudicium tulit, nunquam pro indubitato credidit, nunquam firmiter sibi persuasit, quod pudicitiam suã scortatoribus polluendam permisisset: nunquã liquido probri condemnauit sanctissimam, innocentissimam, castissimamq; virginem, vt ex Scripturis, & antiquorum Patrum monumentis probatu mihi est perfacile. MIN. Sine, vt prius illos criminatores suis telis conficiam. Musculus enim initio non audet aliud quidquam tribuere Iosepho, præter ancipitem animi perplexitatem, cui Deus statim remedium attulit, misso per quietem Angelo, qui certiorem eum faceret, Sponsam suam è Spiritu sancto grauidam esse: non à Veneris aliquo nepotulo. *Penes se dubius* (inquit) *& perplexus, non potuit committere diuina bonitas ne vel Angelo misso famulum suum instrueret, & peccatum redderet. Suspicabatur ex adulterio grauidam esse. Quasi inter saxum & sacrum hoc pacto stabat, &c.* DOCT. Hic Germanus longe profecto modestius se gerit, quam Gallicorum prædicantum turba luxuriosa, quæ nihil cogitat, scribit, vociferatur, nisi stupra, lupanaria, fornicationes, & lenocinia: sicut Caluinus & Marloratus illico scribentes: *Et certe vxoris suæ leno est, quisquis ad impudentiam eius conniuet, &c.*

2. MIN. Bene etiam habet, quod Beza Caluinum, discipulus magistrum arguens, ait: Tantam in Maria sanctitatem extitisse, vt Ioseph nihil sequius super ea decernere sustinuerit. Tandem ita concludit: *Itaque Iosephus vt arbitror, si adulterii ream fuisset suspicatus, hoc crimen non fuit dissimulaturus, quod lex accusari, & morte puniri præcipiebat.* DOCT. Si quos adhuc habes, qui Caluinianæ impietati obsistant, prode. *Annot. in c. 1. Matth. Deut. 22.*

3. MIN. Melanthon ita scribit: *Hoc exemplum (Iosephi) docet, nos debere parcere alienæ famæ, cum non habemus certas causas nostræ reprehensionis, &c.* quibus verbis innuit, quod vir ille sanctus nunquam certo definierit, virginem prostitutæ pudicitiæ fuisse: sed hæsit in ancipiti, donec Deus mysterium ipsi reuelasset. *Comm. in Matth.*

4. DOCT. Euangelista vindicans Iosephum à Caluinianis calumniis ita disertim loquitur. *Ioseph cum esset iustus, & nollet eam traducere, &c.* Qui vero posset dici aut esse iustus, si virginem ab orbe condito purissimam, adulterii condemnasset? Qui iustus, si tam temere, tam improbe tristem de proximo sententiam tulisset? Qui iustus, si diabolo, spiritui immunditiarũ, opus Dei in hac virgine non dubitasset adscribere? Qui deniq; iustus, si turpi cuipiam lupanarium colono tribuisset admirandam conceptionem Saluatoris totius mundi, cum charitas nec sit suspitiosa, nec quidem cogitet malum? *Matth. 1.* *1. Cor. 13.*

5. Cum additur, quod *nolebat eam traducere:* non-ne significatur, eum quadam conscientiæ verecundia prohibitum esse quominus B id faceret propter opinionem penitus impressam eius animo de castitate, pudicitia, & admirabili sanctimonia, quæ clarius effulgebant in hac virgine, quam radii Solares in luce meridiana? Postremo, Angelus alloquio firmans animũ Iosephi, dicendo: *Noli timere,* monstrat euidenter, quod prædictus varie, dubitanterq; fuerit affectus, neutram in partem assensum flectens, sed velut medius inter tutam contationem & decernendi fiduciam: non autem de re ipsa pro certo iudicarit, vt impie censet Caluinus. *Matth. 1.*

MIN. Si rationem & expositionem tuam authoritate priscorum patrum munieris, C concidet Caluinus, manifeste conuictus iudicio calumniæ aduersus S. Iosephum, indignissimæque contumeliæ àduersus sanctissimam Deiparam. DOCT. Omnes quibus pectus sapit, huic rationi acquiescent, quod illa maxime scripturæ congruit. Sed vt funditus eximatur omnis dubitatio non desunt nobis testimonia antiquitatis, vnde palam fiat, quod Ioseph nunquam in animũ induxerit tam indignam, malignam, impiamque de Virgine sibi desponsata opinionem. Remigius etenim non modo Iosephum absoluit ab hac persuasione, sed contra contendit, quod cum sciret virginem D esse ex semine Dauidis, atque Isaiam prædixisse, virginem concepturam & parituram Emmanuelem: non dubitauerit quin illud vaticinium in ipsa fuerit adimpletum. Anselmus quoq; ait: quod cũ eam castam & pudicam penitus nosset, nec fas esse putaret de puritate eius dubitare. Grauidã comperiens admirabatur mysterium nondum sibi plane certum & exploratum. Bernardus, & aliquot ante sæculis Hieronymus censuerunt quod Ioseph prole cognita, perspectaque castitate Virginis admirabatur id quod euenerat tacitusque suspiciebat mysterium quod 6. *In Cathena Thom.* *Isa. 7.* *In Matth.* *In Matth.*

Hom.14.in natali do. quod adhuc ignorabat. Augustinus nihil ei tribuit prçter leuiusculam suspitionem, eàque ortam à primis motibus humanis, qui non sunt in potestate nostra: tantum abest vt sinistrum de ipsa iudicium fecerit.

7. *Hom.in vigil.natiuit.* Et vt cum Latinis scriptoribus iungantur & Græci, Emissenus paraphrasi dilatans & explanans Angeli verba, nihil aliud Angelo propositum fuisse censet, quam vt cura & sollicitudine sanctum Ioseph liberaret. q.d. Noli dubitare, tolle hanc zelotypiam, dele omnem ex animo suspitionem, &c. quibus verbis interlocutoria, vt sic dicam, sententia designatur, non iudicium definitiuum: nuda suspitio, non decretoria condemnatio. Sed *Hom.1.in Diuers.* præ cæteris magnus Adamantius Origenes ante tredecim sæcula, palmarium obtinuit in Ioseph & Maria sperata eius, ab omni probro asserendis, & diluendis aduersariorum imposturis. Quoniam virtutem mysterii, inquit, & sacramentum quoddam magnificũ in eadem cognoscebat, nec se dignum putabat, qui cum ea consuesceret, diuortium facere voluit. Idem ei accidit quod Petro di- *Luc.5.* centi, *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* *Mat.8.* Idem quod Centurioni qui se reputabat in- *Luc.1.* dignum, cuius tectum Christus ingrederetur. Idem denique quod Elizabethæ exclamanti voce magna, præ fide scilicet & reuerentia. *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini ad me? &c.* MIN. Omni profecto sensu & ratione carerem, si tam expresso Dei verbo, tot solidis rationibus, tamque firmis sanctorum patrum testificationibus non acquiescerem, & Caluinianis in S. nutritium Christi probris non valedicerem.

MAGOS QVI AB ORIENTE VEnerunt in Bethleem, fuisse Reges: numero tres: & Christum tanquam Dei filium, ac verum Messiam adorasse: aduersus 33.34.35. errorem.

CAPVT XIII.

DOCTOR.

TAnta doctrinæ Catholicæ contradicendi libido Caluinum & Ministros eius excæcauit, vt in tribus articulis consentientem totius Ecclesiæ sententiam oppugnent, circa Magos, qui ab Oriente in Bethleem Christũ adoraturi venerunt. Primum negant eos fuisse Reges, nec sine Catholicorum contu- *Cal. Mar-* melia, dum scribunt: *Plusquam ridiculi sunt*

A *Papistæ, qui Reges sibi fabricarunt.* Musculus *Harm. in 2. c.Matt.* opinione concinit, sed abstinet conuitiis. Deinde, negant fuisse numero tres: diuinando quatuordecim exsculpunt, sed protinus sese reuocant, vt imperitiam suam confiteantur. Postremo, spoliant eos omni fide ac religione, nec ideo venisse aiunt, quod dominum probe nossent, vt eum velut Messiam adorarent: sed tantum vt venerarentur ipsum ritu Persico, tanquam Regem aliquẽ aut terrenum principem. *Non venerunt* (aiunt illi) *ad exhibendum Christo pietatis cultum, qualis debetur filio Dei: sed Persico more volebant salutare quasi præstantissimum Regem. More Persico* B *Regem adorantes, quem terrenum esse adhuc putabant, &c.*

MIN. Hæc omnia non tantum apud eos *Confutatio. 1.* legi: sed etiam concionibus docui cum adhuc essem in eorum sterquilinio. Nunc postquam Deus mihi oculos aperuit, vt cernam quanto in errore versatus fuerim, & salutarem dextram porrexit, vt pedem à luto referam: paratus sum hos errores refellere contrariumq; propriis ipsorum scriptis tueri. Quod ad Regiam dignitatem attinet, ita *In cap.1. Mat.* scribunt: *Hi Magi Persis in honore, pretio, venerationeque fuerunt, vt nec publica sine eorum consilio administrarentur.* Non-ne hinc elicitur, C eos vrbibus, prouinciisque regendis præfuisse? Tantus honor, tanta dignitas, venerationeque nonne præ se fert certam & euidentem Regiæ conditionis probationem? Gesta Nabuchodonozoris, Holofernis, & *Dan.1.2.3 6. Iudith 5* Darii quæ in sacris referuntur, nonne fidem faciunt Reges istos ita summi imperii retinentes fuisse, vt neminem in societatem muneris ac honoris admitterent. Adde, quod hæc est Regni natura, vt non aliter ratio cõstet, quam si vni reddatur. Ait tragicus Poeta: Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt. Vnde recte colligo Magos istos fuisse administratores rei publicæ, proinde proceres D erant, gubernatores prouinciarum, rectores ciuitatum, ac sic Reges.

DOCT. Iam anni sunt fere mille quadrin- *2.* genti, ex quo Tertullianus iisdem rationibus nitens, ita asseruit eos fuisse Reges: Nam & Magos Reges fere habuit Oriens, &c. Qua *L.adu. Iudæos.c.9.* in re bonus iste populus obtemperat consilio sapientum ac pene diuinorum Philosophorum Socratis & Platonis, qui tum demũ Respublicas fore beatas dixerunt, cum aut Reges philosopharentur (id est) studio diuinarum & humanarum legum se dederent) aut Philosophi regnarent. Deinde, liquet ex

 monu-

monumētis Herod. Curtij, Plinij, Philonis, A & Arriani, Magos & Philosophos sæpe rerū potitos imperasse apud Persas, vnde Caluinus & eius congreges volunt nostros Reges in Bethleem venisse. Quare cum inficiantur esse Reges, cum ratione, cum historia, cum institutis ac moribus vniuersi pugnant Orientis.

3. MIN. Hoc tueri posses verbo domini? DOCT. Possum. Et hoc sanctorū Patrū sententijs explicato. Hæc enim verba Dauidis, *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.* Et quæ paulo post sequuntur, *Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, &c.* etiam ex opinione veterum Hebræorū, B in eorum *Beresith rabba*, id est, maioribus ad Genesim cōmentarijs, applicantur Messiæ, quem adoraturi erāt Reges istarum prouinciarum: & hanc prophetiam in infātia Christi adimpletam cernimus. MIN. Mira profecto res, quod veteres isti Circuncisi melius intellexerint & sanius explicauerint istas de Messia & Christo nostro (in quem non credunt) prophetias, quam nouitia gēs ista Hæresiarcharum nomen Christi toties ingeminantium. Sed quos habes veterum, qui his consentiant?

Galatin. L.8.c.3.

4. DOCT. Iustinus ille vetus Philosophus & martyr Christi, inde ab Apostolorum tēporibus asseruit hanc Dauidicam prophetiam, C in qua etiam tertio inculcatur nomen Regū, fuisse tum adimpletam, quando Magi cum muneribus ex Arabia in Bethleem venerunt Saluatorem nostrum adoraturi. Tertullianus eodem fere viuens sæculo, nō aliter hūc locum exponit, & interpretationem suam in publica disputatione defendit aduersus Iudæos & Marcionitas. Cyprianus martyr gregem suum erudiens, ait, Stellam apparuisse Regibus, vt Angelus apparuit Pastorib. His vides conditionem Regiam nō in dubio poni, sed pro confesso sumi. Hieronymus scribens eos exemplū prodidisse Gentilibus, & D formam præscripsisse Regibus ad honorandum filiū Dei, satis agnoscit Regiam dignitatem illorum à Dauide agnitam & prædictam fuisse. Chrysostomus testificans in ijs perfectam fuisse prædictionem, nullam litē mouet de statu vel qualitate Regali. Remigius scribens, Si fuerint successores Reges isti, &c. eandem doctrinam defendit. Theophylactus palam & incunctanter illos Reges Persicos appellat.

Dialog. L. adu. Iudæos, & li. 3. ad. Marcion. Ser. d. baptis. Christ. In Ps. 71. In cap. 2. Mat.

5 MIN. Siste gradum. Sufficiunt enim hi septem tā Græci quā Latini interpretes. Profer in mediū si quis alius scripturæ locus extat, vbi Reges nominentur. DOCT. Audi textum elegantē Isaiæ: *Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Quando melius adimpleta est hæc prophetia, quā cum hi Reges ethnici stellam præuiam secuti venerunt adoratū Saluatorem, decimo tertio post natiuitatem suam die? MIN. Quos habes huius sensus authores? DOCT. Habeo primum vniuersam Ecclesiam Christianam, quæ à tempore cuius non extat memoria, sic tenet, sic publice canit, sic protestatur in diuinis officijs. Deinde, quod ibidē subijcitur, *Omnes de Saba venient aurum & thus deferentes, &c.* non potest nisi obtorta interpretatione aliorsum trahi, quam ad munera, quibus sapientes isti reges infantiā Domini nostri prosecuti sunt, vt à sancto refertur Euangelista, mentem suam ad hoc dirigente vaticinium.

Isa. 60. Mat. 2. Matt. 2.

6. Habeo item Chrysostomum, multis in locis asseuerantem hoc Isaia oraculū tum ipso euentu cōpletum fuisse, cū Magi apertis thesauris suis munera obtulerunt Christo aurum, thus, & myrrham. Habeo deniq; inter Latinos Eucherium Lugdunensem, & Prosperum Aquitanicum libro de Prædictionibus, parte tertia, promissione sexta, qui superiorem interpretationem amplexantur, ac proinde vincunt fuisse reges, qui ducem stellam secuti sunt. Quid ad hæc omnia respondes?

Hom. 2. in c. 2. Matt. & hom. 26 in diuers.

7. MIN. Magis magisq; compellor, vt admirer Ecclesiam Catholicam, cuius cum vniuersæ traditiones firmissimis innitantur fundamentis, tum hæc certa de Regibus opinio authoritate scripturæ, suffragio antiquitatis, consensu patrum, & firmamento rationis vndiq; muniatur. Hic autem & aliud in mentem venit. Cum Magi seu Sapientes isti thesauros secum adferri curauerint, erant Principes copijs abundantes, & opibus diuites; nō autem literatores aut philosophastri, quorū pleriq; nihil præter barbam, peram, & baculum possident. Cum item eorum aduentus terrorem intulerit, tā potenti tyranno, quātus erat Herodes, tam florenti famosæq; ciuitati quanta erat Ierusalē: probabiliter inferri potest, eos non mediocri fortuna Reges, & frequenti satellitio comitatuq; instructos. Neq; enim commouisset se quisquā ob tres pauperculos & minutos non dico Satrapas, sed Scholasticos tenebriones.

8. Atque de Regia illorum dignitate iam satis, effice sodes, eos numero tres, non plures aut

Serm.1.2.3.4.5.de Epiphan. aut pauciores fuisse DOCT. Vetustissimus simulq; doctissimus Ecclesiæ Catholicæ pastor Leo magnus tam constanter id asserit, vt non contentus id docuisse in concionibus suis: ac deinde, bis, ter-ve mãdasse literis: decies idem repetat. Sequuntur (inquit) tres viri superni luminis ductũ. Post. Adorẽt in tribus Magis vniuersi populi vniuersitatis Authorem. Item post. Tres itaq; viri fulgore insoliti syderis diuinitus incitati. Et rursus. Ad cognoscendum adorandumq; Dei filiũ tres Magos præuia stella perduxit. Paulo post: Radiat stella per gratiam, & tres Magi coruscatione Euangelici fulgoris acciti, &c. Paucis versibus interiectis: Illi tres viri vniuersarũ Gentium personam gerunt. Et vt finiam, in sermone sexto bis, in septimo & octauo iterũ bis asserit illos fuisse tres: nusquam autẽ plures vel pauciores. An non omnes in quibus aliqua scintilla rationis atq; iudicij superest, huius Apostolici viri sententiam, vniuersis procacibus conuitijs & præfractis negationibus Caluinistarum præferendam esse iudicabunt?

9. Com in c.2 Mat. Anselmus non satis habet appellare eos tres Reges: sed & Gregoriũ Papam authorem laudat, cum quo tractans mysteriũ numeri ternarij, docet per illum significari futurũ, vt totidem orbis partes, Asia, Europa, & Africa, quas sobole posterorum repleuerunt tres filij Noe, beneficio huius adorandi pueri ad fidem & cultum sacrosanctæ Trinitatis perducerentur. Id quod etiam perantiqua glossa confirmat, quæ in catena per D. Thomam Aquinatem collecta citatur.

10. MIN. Vlteriores probationes non desidero. Video enim hanc esse omnium Christianorum consensu receptam sententiam. Superest tibi probandum, quod Magi infantem istum velut Deum, & Saluatorem mundi cognouerint & adorauerint: tum denique ex spolijs Caluinistarum iustum triumphum reportabis. DOCT. Hoc quidem facio, & sententiam Catholicam probo ex eodem Euangelio, vbi illi palam testantur & edicunt: Matt.2. *Venimus adorare eum*: Et D. Euangelista: *Et procidentes adorauerunt eum*. Nec id solum aut simpliciter fecerunt: sed cultum & venerationem muneribus cumularunt, offerendoque aurum, thus, ac myrrham, ei sacrificarunt. Atqui si eum hominem tantũ existimassent esse, non simul Deum: terrenum Regem, non cœlestem: pudendam idololatriam commisissent: quod nemo Christianus ausit cogitare, nedum eloqui. Sequitur ergo, vt eum

A cognouerint verum Deum & Regem cœlestem, ac velut talem adorauerint, fidem erga ipsum oblationibus & sacrificijs suis testificantes. Porro autem illud effugium quærere (quod arridet Caluino) vt dicantur id fecisse *adulatorio & idololatrico Persarum ritu*, nimis prophanum sit, & à religiosa pietate tam sanctorum virorum penitus abhorrẽs. Enim vero nec Ioseph, aut Virgo, nec ipse Deus-puer hanc nefariam idololatriam sibi tribui passus esset. Manet ergo ratum hanc Magorum adorationem à religiosis animis profectam, velut æterno Dei filio exhibitam esse.

B Adhæc, nemo negat quin Sapientes istitum in reliquis philosophiæ partibus, tum in Astronomia potissimũ, fuerint eximie versati. Hinc igitur facile colligebant, & certo perspicere poterant, hoc nouum sydus quo duce in viam se dederant, esse prorsus inusitatum atque extraordinarium, conditumque per, & propter nouum Regem cœlo terrisque late dominantem. Nouerant itaque ipsum esse regem cœlestem, omnipotentem ac diuinum, cui vni & vnico suprema debetur adoratio: non autem terrenum aliquem Dynastam, cui talem adorationem deferre sine sacrilegio & idololatria non o- 11.

C porteret. MINIST. Sententiæ tuæ fidem sanctorum patrum testimonijs astrue. DOCT. Tertullianus vir apostolicorum temporum scribit: Cum illum cognouissent, & muneribus honorassent, & genu posito adorassent Deum & Regem, &c. Irenæus martyr author est, eos offerendo myrrham, professos esse se credere, quod erat is qui pro genere humano moriturus & sepeliendus foret: offerendo aurum, quod erat Rex, cuius regnum nec fine temporum, nec metis rerum circunscriberetur: & offerendo thus, significabant eum esse Deum co- 12. Lib.3.adu. Marc. L.adu. Iudæos. L.3.c.10.

D gnitum in Iudæa, seque manifestantem iis à quibus antea non quærebatur. Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Iuuencus, Prudentius, Sedulius, Hieronymus, Leo, Augustinus, Fulgentius, denique sancti omnes patres ita crediderunt, ita voce, scriptisque per orbem docuerunt. MIN. Si Caluinus ista nesciuit, aut legere neglexit, demiror crassam hominis ignorantiam, & supinam negligentiam. Si legit ac sciuit, abominor impietatem hominis qui credere detrectauit; & effrontem eius impudentiam detestor, sub inscriptione Papistarum vniuersam & antiquam Ecclesiam Christi condemnantis.

DOCT.

13. DOCT. Basilius magnus scribit, Magos honorando Christum vt Deum, damnasse Iudæos crucifigentes ipsum vt hominem. Nazianzenus docet, quod adorando filium Dei, præsagierint fore propediem, vt cultus idolorum per vniuersum orbem aboleretur. Chrysostomus ait: Non tanquam homini tantum, sed etiam tanquam Deo authori omnium supplicarunt bonorũ. Epiphanius testatur, Christum ab iis agnitum, & adoratũ fuisse, velut immortalem Deum, & mortalem hominem. Ephrem excellẽtem eorum fidem satis admirari nequit, quod diuinam domini maiestatem incunctanter & sine vllo scrupulo venerati sint, licet in humili statu, & abiecta conditione eum deprehendissent.

Homil. 25. Apol. 1. Hom. 8. in Mat. Homil. de laud. mart. Adu. eos qui scrutant Nat. filii Dei.

14. MINIST. Ad Latinos patres transeas velim. DOCT. Ambrosius prædicat eos muneribus suis protestatos esse Deum, Regem, & mortalem: nec ignorasse quin præuia stella demonstraret ipsis, infantem, Deum simul & hominem esse puerulum, quem adorauerunt. Chrysologus contendit quod hi sapientes adorarint verum Deum carne humana & mortali indutum: quod viderint Diuinitatem & humanitatem ineffabili modo in eo copulari: & quod per aurum testati sunt eum esse regem; per thus, Deum: per myrrham, hominem mortalem. Leo magnus censet eos huius mysterii declarationem ab eodem accepisse, qui stellam itineris ducem ipsis præmittebat. Tandem concludit: Adorant in carne Verbum, in infantia Sapientiam, in infirmitate Virtutem, & in hominis veritate dominum maiestatis: vtq; sacramentum fidei suæ, intelligentiæq; manifestent, quod cordibus credunt muneribus protestantur. Augustinus adfirmat eos tres fuisse, ad denotandam sanctiss. Trinitatem: quorum singuli munus obtulerint, ad confitendam deitatis vnitatem: præterea, natiuitatis humilitatem nihil apud eos imminuisse diuinitatis reuerentiam: nam dum oculis intuebantur hominem, officiis Deum confitebantur, &c.

In c. 2. Luc. Serm. 160. Serm. 1 de Epiph. Serm. 1. de Epiphania.

MINIST. Pertracta est abunde ista materies, liquidoque patet tum ex sacris literis, tum ex primis patribus, hos Magos conditione reges fuisse: deinde, numero tres: postremo, quod infantem vera fide & pietate vt verum Deum & hominem cognouerint & coluerint. Quem alium præterea sugillant Hugnostici?

SIMEONEM IVSTVM PROPHEtam fuisse: & Sacerdotem nobilissimum honoratissimumq; in Israele: aduersus errorem 36. 37.

CAPVT XII.

DOCTOR.

PRobum illum & sanctum senem Simeonem in Euangelio tantopere dilaudatum, Caluiniani negant præditum fuisse dono prophetiæ, vel vllo officio sacerdotali in tẽplo Ierosolymitano: sed vocant eum Hominem ignobilem: pauperem abiectæ sortis, & dubiæ sanitatis. Inseram verba, quæ Marloratus consarcinauit, & ex hæresiarcharum suorum scriptis in centones suos coniecit. *Vir erat plebeius* (inquiunt) *& obscura fama. Nullo nec diuitiarum, nec dignitatis, nec officij nomine clarus. In oculis hominum delirare, & mentis suæ inops visus est, Nullo honore publico excelluit, &c.* MINIST. Sane si nullam dignitatis aut officij procurationem habuit, vt hi blatiunt, non fuit propheta, nec doctor, nec Sacerdos.

In c. 2. Luc.

Sed in his non pariter omnes consentiunt. Nam quatuor Centuriatores Magdeb. afferunt eum prophetico Spiritu afflatum prædixisse futurum, vt Ecclesia Dei colligeretur, & in vnum corpus coagmentaretur ex vniuersis mundi nationibus. Deinde scribunt: *Prophetando pergit Simeon, at vice sacerdotis fungitur.* Quibus verbis duos coarguũt errores Caluinistarum. Ac ne forte quærant hunc colorem, vt dicant hos esse Lutheranos, se vero Zuinglianos & Caluinianos: audi quid Rodolphus Gualtherus Sacramentariorum columen super hoc viro pronuntiet. *Dono spiritus peculiari, prophetia nimirũ praeditus erat.* Atq; ita duo superiores errores ipso Ministrorum iudicio manifestæ falsitatis redarguentur. Tu quid adfers ad eos refellendos?

Confutatio. 1. Cent. 1. l. 1. col. 371. Hom. 13. in Luc.

DOCTOR. Disertam Euangelij pronuntiationem, vbi Simeon de Domino nostro vaticinatur, *Positum esse in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* Primum prophetiæ caput, iã olim, hodieque, ad finem vsque sæculi completur in reprobis & infidelibus, qui doctrinam Euangelij contumaciter repudiant. Item in electis ac fidelibus qui credunt in Christum, & ad extremum perseuerant. Nam vt illi ruinam incurrunt, & in æternam damnationem iusto Dei iudicio præci-

2. Luc. 2.

præcipites feruntur: ita in vitam cœlestem A
ac sempiternam pij resurgunt. MIN. Profecto si prophetia recte definitur diuina reuelatio prædictioq́ rerum futurarum: nemo sanæ mentis vnquam negauerit, quin hę sint veræ prophetiæ: ac proinde, quin Simeon verus propheta fuerit. DOCT. Alterum prophetiæ caput, fuit, est, eritq; completum in omnibus ijs, qui voluntate, verbo, vel opere nituntur aduersus doctrinam & præcepta eiusdem Domini nostri Iesu Christi.

3. Tertium vaticinium dirigitur ad sanctiss.
Luc. 2. Deiparam: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Quæ tristis denunciatio perducta est ad B
exitum, quo tempore mater extremo mœrore confecta compatiebatur filio suo Do-
Ioan. 19. mino nostro pro nobis morienti. MIN. Non possunt, meo iudicio, certiora dici vel cogitari.

4. DOCT. Canticum etiam quod edidit & cecinit & veritate & breuitate merum est oraculum, vel in eo quod ait: Dominum Christum esse paratum ante faciē omnium
Luc. 2. populorum. *Lumen ad reuelationem Gentiū, & gloriam plebis Israeliticæ.* MIN. Si vllum in sacris exstat vaticinium, certe hoc canticum Simeonis in eo genere cēseri debet. DOCT. An non ergo Caluinus & gregales eius ma- C
nifeste conuicti tenentur mendaciorum, calumniarum, & contumeliarum aduersus hunc sanctum & venerandum senē, quem tam contemptim abdicant omni dignitate, munere, ac officio in veteri Ecclesia: cum adeo peremptorie probemus disertissimis argumentis & testimonijs, eum prophetæ munere ac officio fuisse perfunctum?

5. MIN. Digni sane sunt detractores eius quorum fronti inuratur stigma calumniæ. Sed si prædictis probationibus decreta patrum accesserint, magna lux huic disputa-
Gal. l. 1. c. 2. tioni affulgebit. DOCT. Stant à partibus nostris etiam Hebraici scriptores, tradentes D
hunc Simeonem cognomento Iustum, fuisse aut filium, aut amore paterno dilectū discipulū magni illius Hillelis, vnius ex successoribus Ezræ præfecti academiæ Israeliticæ
L. Bala Batra. Ierosolymis. Hic autē Hillel octoginta discipulos habebat tanta sanctitatis ac sapientiæ gloria conspicuos, vt triginta de hoc numero (quemadmodum ipsi loquuntur) digni fuerint cum quibus, vt olim cum Mose, Deus sese communicaret. Triginta itē idonei adsistēdum cursum Solis, vt fecit Iosue: viginti reliqui intra mediocritatem constiterint. Rabbi Moses Aegyptius successionē huius scholæ referens adfirmat, quod Gamaliel, ad cuius pedes Paulus se nutritum & Act. 5. 22.
eruditum fuisse perhibet, auditor & discipu- Luc. 2.
lus Simeonis Iusti, qui dominum suscepit in vlnas suas. Ex quibus cunctis peruium est, hunc Simeonem non fuisse tam dispretæ & abiectæ conditionis in Israel, q̃ Caluiniani nugantur: quin è contrario nobilis atq; notabilis extitit, ordine sacerdotali conspiciēdus, vt atauus eius Ezras: & dono prophetię, mirabiliq; sapientia claruit ante omnes magni Hillelis discipulos. MIN. Hinc facile quis animaduertat, quam in pudendos errores lapsi sint Caluinistæ, oblatam eruditæ antiquitatis ignorationem.

DOCT. Secundo loco etiam Græcanicæ 6.
Ecclesiæ nobis iudicium suffragatur, scribit namque Origenes. Simeon de ipso prophetauit infante dicens: *Ecce hic positus est in rui-* Hom. 16.
nam, &c. Et iterum: Post Simonis Prophetiā, 17. in Luc.
venit mulier prophetissa, &c. MINIST. Hic vnus erit instar omnium; neque enim dubito quin Chrysostomus, Theophilactus, Euthymius, & alij doctrinam eius sint secuti.

DOCT. Latini etiam patres omnes nobis 7.
militant. Ambrosius namque exclamat: Ec- In c. 2. Lu.
ce & Simeon prophetat in ruinam & resurrectionem plurimorum venisse Dominum. Et statim post: Prophetauit itaque Simeon, prophetauit Virgo, prophetauit & vidua. Sic in aduentu Redemptoris diuina gratia effusa est in omnes ordines atque sexus. Au- Quæst. vet.
gustinus pedibus & manibus it in eandem & N. Te-
sententiam, dicitque Simeonem vaticina- stam. q. 73.
tum esse, quæ mortalibus euentura forent, ab isto infante. MINIST. Nihil ambigo, quin Gregorius, Beda, & cætera Latinorum natio istis consentiat.

Sed quibus argumentis vinces illum fuisse 8.
Sacerdotem? DOCT. Primum, quia in templo coram toto cœtu Israelitarum sanctissi- Luc. 2.
mam & præstabilissimam accepit oblationem, nempe, Deum-hominem in infantia: quæ prærogatiua nisi Sacerdotibus, & Aaronis posteris nulli competebat. Deinde, pu- Num. 6.
blica solemniq; benedictione Virginem & Heb. 7.
Ioseph prosecutus est, quod officium erat Sacerdotum, vel eorū qui dignitate insigni præfulgebant, vt ex Lege patet & Apostolo. Tertio, in templo sacro cecinit hymnos, Leu. 30. 2.
quod Sacerdotum & Leuitarum munus e- Paral. 7.
rat. Denique, genus ducebat ab Ezra sacerdote, sicut ex Hebræis docuimus: hic autem

recta serie descendebat ab Aarone & Leui: quam progeniem Deus peculiari iure sibi selegerat vt sacerdotio fungeretur.

9. MIN. Non vereor igitur credere, & libere confiteri, iusta Dei vindicta factum esse vt Caluinus & calones eius in potestatem principis tenebrarum ceciderint, cum sic ad vocem veritatis obsurduerunt, vt repudiatis tam claris & firmis probationibus, vnde Simeon Propheta simul & Sacerdos esse deprehenditur: non solum omni dignitate & nobilitate dispoliant, sed & quantum in se est, homines ad agnatos & gentiles mittant, vt delirum senem, & cui ob mentis imbecillitatem bonis interdicendum esse videatur.

10. DOCT. Epiphanius rerum Hebraicarũ peritus, aperte testatur eum fuisse prophetam, ex numero Sacerdotum, de Aaronis prosapia, his verbis, Simeon sacerdos de tribu Aaron emicuit. Emissen[a] author est, pertinuisse ad eius officium curam recipiendi paruulos, qui offerebantur in templo. Cum ab Augustino vocatur, Famosus, probatus, coronatus &c. significatur his epithetis eum honoratiori loco reponi oportere, quam Caluinianorum vulgus arbitretur. MIN. Non est dubium quin Scripturæ testatio, patrum consensio, & rationis authoritas euincat hunc venerandum, S. Simeonem fuisse sacerdotem & Prophetam, non è multis, famaque & virtute spectabilem, in Ierosolymis. Nec alio suscitabulo mouẽtur Hugnostici vt de eius honore detrahãt, quam odio penitus inueterato aduersus omnem ordinem sacerdotum, & liuore maligno aduersus vniuersos Sanctos qui beata Paradisi cęlestis vita perfruuntur. Miror si intactam reliquerint illam sanctissimam & prophetissam Annam, de cuius continentia & pietate tam honorifice sentit Euangelista.

L. de vita & obitu proph. c. 24. Hom. Serm. 9. de natiu. Do.

ANNA PROPHETISSA IEIVNANS attendebat ad gloriam & cultum Dei: contra errorem 38.

CAPVT XIII.

DOCTOR.

IMo virulentis morsibus famã eius eruentant, & præter plures alias calumnias, negant eam in ieiunijs suis cultum Dei spectauisse. Verba Caluini quibus Marloratus cẽtones suos farciuit, hæc sunt: *Neque enim cultum Dei proprie reponit in ieiunio*: Et Paulo ante dixerat: *Neque vero dubium est, quin ieiunia sua retulerit sancta mulier ad lugendum quæ tunc erat Ecclesiæ calamitatem, &c.* Ieiunabat igitur eorum sensu non vt Deo seruiret: sed vt in statione sua paratas haberet lachrymas ad complorandam publicam Synagogæ calamitatem.

In c. 2. Lu. v. 37.

MINIST. Prior propositionis pars ab Euangelista his verbis falsi conuincitur νηστείαις καὶ δεήσεσι λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν. *Ieiuniis ac deprecationibus seruiens Deo noctem ac diem*, vt etiam Beza interpretatur. Hic exprimuntur ieiunia: exprimitur & summus cultus Deo debitus vocabulo λατρεύουσα: cur igitur adhuc obstrepunt Deo, qui per Spiritum sanctum suum protestatur se rite coli & honorari istius fœminæ ieiunijs atque precationibus? Cur in os responsant veritati, vt suarum opinionum commenta aduersus piorum ieiunationes quo iure quaue iniuria defendant? Cur Deo non placere aiunt, quæ Deus ipse postulat, quæ præcipit, quæ grata sibi esse, quæ mercede & præmio se coronaturum esse proprio ore testatur? Quis furor, quæ est hæc amentia, supremo numini tam impudenter illudere? Captare & calumniari verba sacrarum Scripturarum? Oculum habere nequam, quia Deus bonus sit? Denique, hæc tam aperta Euangelij testatio sola sufficit & ad confutationem imposturæ Caluinicæ, & ad Catholicæ sententiæ comprobationem.

Confut. 1. Luc. 2. Isa. 53. Matt. 6. Ioel. 2.

2. DOCT. Paucioribus itaque verbis contentus ero: nec aliud in præsentiarum opponam Caluino, nisi ieiunia quibus Dauid, Achab, & Niniuitæ iram Altissimi placauerunt, gratiam inuenerũt, & calamitates quarum terror intentabatur à capitibus suis auerterunt. Deinde, ieiunia Mosis, Danielis, & Annæ, quibus à Deo acceperunt, quæcunque ab illo suppliciter petierunt. Ad hæc, ieiunia Eliæ, Præcursoris, & Apostolorum, quibus coram Deo cœlestem & angelicam vitam potius expresserunt, quam terrenam & humanam. Hinc ieiunia, vnde Dominus Iesus opus reconciliationis nostræ cum Deo auspicatus est, & pro peccatis totius mundi eidem satisfecit, & redemptionem vniuersi generis nostri promeruit. Inde, ieiunia de quibus idem Seruator loquitur: *Cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuum laua, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi in manifesto.* Item: *Cum auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi in oratione & ieiunio.* Denique, ieiunia quibus Paulus castigabat corpus suum, & in seruitutem

Mat. 4. Mat. 6. Matt. 17. Marc. 9.

tutem

1. Cor. 9. tutem redigebat, Deo conscientiæq; litabat, A
Act. 14. 27 cœlesti conuersatione seipsum excolebat,
2. Cor. 6. suadebat viris & vxoribus continere ad tẽ-
1. Cor. 7. pus, vt vacarent ieiunio & orationi. Nonne finis tot ieiuniorum fuit cultus, precatio, adoratio, inuocatio, seruitium Dei? Cumq; alijs præciperet, vt omnia cogitata, dicta, facta,
1 Cor. 10. referrent ad gloriam Dei: nunquid & ipse ad eundem finem ieiunia sua direxisset?

3 MIN. Quisquis diuersa loquetur aut sentiet, contumeliosus erit aduersus Spiritum Dei, qui in eo habitabat, loquebatur, scribebat, & omnes actiones eius moderabatur. Profer nunc aliquot Antiquorum sententias, & hæc lis perorata erit. DOCT. Tertul- B
L. de ieiunio contra Psychicos. lianus qui sub Apostolicis temporibus floruit, author est, Annam prophetissam ieiu-
L. de orat. Dom. nijs ac precibus suis promeritam fuisse vt agnosceret, ac publice inter tot incredulos
Ser. 16. de natiu. Do. confiteretur Dominum. Cyprianus martyr ait: Sine intermissione rogans semper & vigilans perseuerabat in promerendo Deo. Augustinus: Magni meriti fuit illa vidua S. Anna, quæ continentibus ieiunijs ac votis, viduali castitate, & assiduo cultu Dei, quo se in templo exercebat, meruit in senectute sua videre filium Dei in infantia: eumque contemplari & adorare ingredientem in hunc mundum, cum iam in alium migratura fo- C
In c. 2. Lu. ret. Ambrosius dicit, eam ieiunijs ac precib.
L. de viduis. suis consecutam hoc meritum, vt Saluatorem mundi annunciarit. Alibi prædicat, quod cum sedem constituisset in templo, colloquia in precibus, vitam in ieiunijs, omne tempus in deuotione: Deus pietatem eius magnis laudibus & præmijs remuneratus sit, &c.

4. MIN. Hi quatuor magni agminis instar mihi erunt: cum ex his cõiecturam faciam, cæteros eandem fidem & doctrinam amplexos. Adhæc, non sum nescius cuncta, quę Caluinus & similes nepotes, aduersus ieiunia, abstinentias, & castitatem declamitant, D huc spectare, vt fræna laxentur cupiditatibus carnis & sanguinis, quo ganeones, ventri voluptatique dediti, quæ maxima turba est, in eorum sectam pelliciantur, &c. Sed habent ne aliquid, quod pio Centurioni tantopere laudato à Filio Dei, pro sua maledicentia posśint obiectare?

CENTVRIO CHRISTVM AGNOVIT *& vt Deum verum adorauit: contra errorem 39.*

CAPVT XIV.

DOCTOR.

Spoliant eum quantum fieri potest, omni vera fide & reuerentia erga Dominum: dicentes eum nec cognouisse nec coluisse tanquam vnicum ac verum Deum, Decreta dictatoris Caluini per actuarium eius Marloratum, his verbis concipiuntur: *Vix credibile est de Christi diuinitate, quæ adhuc omnibus fere ignota erat, rite fuisse edoctum. Nondum distincte intelligit Christum esse Deum manifestatum in carne, &c.* In cap. 8. Math.

MIN. Eodem loco spiritus iste contradictionis secum discrepans ait; *hunc Centurionem ante sanatum & repurgatum fuisse ab erroribus suis, quam Dominus seruum eius à paralysi curasset. Eum sua sponte sese submisisse Deo Israelis, eiusque cultum amplexum fuisse. Mentem Centurionis conformatam fuisse à Filio Dei, &c.* Confut. 1. Vers. 5. 6.

Vnde sequitur euidenter, quod non erat amplius paganicis erroribus excæcatus: sed vera fide nouerat Deum Abraham, Isaac, & Iacob olim promisisse, & tunc exhibuisse salutem mundi per filium suum, qui erat Iesus. Quod ni ita foret, Spiritus S. non rite mentem eius informasset.

Addit: *Tantum illi potentiæ defer, vt credat solo eius nutu ac verbo restitui in vitam posse seruum suum.* Atqui sciebat hoc non esse opis humanæ, sed diuinæ potentiæ. Credebat itaque hunc esse Deum omnipotentem: non tantum simpliciter hominem, seruum, aut vulgarem Prophetam. 2. Vers. 8.

Annectit binas rationes, quibus prædictũ errorem suum labefacit ac euertit, ostendẽs Centurionem imbutum fuisse vera fide in Christum: *Nisi enim (inquit) Christum agnouisset Dei Filium, superstitio fuisset Dei gloriam ad hominem transferre.* At in summisśione & deprecatione sua Centurio non laborauit superstitione aut idololatria. Certum ergo & perspicuum est, quod eum agnouerit, adorauerit, & inuocauerit tanquam verum Deum, non vt hominem duntaxat. 3. Vers. 8.

Subijcit. *Porro Christus non errori imputat eius verba, sed ex fide profecta esse testatur: quæ ratio multos interpretes in eam opinionem adduxit, vt putarent Dominum à Centurione celebratum fuisse tanquam verum & vnicum Deum.* 4. Vers. 8.

Atque hoc modo Caluinus diruit quod ædificarat, & turpiter secum disconuenit. Mendacia enim quæ non enascuntur è solido, nullam perpetuitatem aut soliditatem habere possunt. Solius veritatis hæc prærogatiua est, vt semper sibi constet, seq; ipsam suis viribus defendat, aduersus callidas machinationes aduersariorum, à quibus inuitis extorquet iudicium sui.

5. DOCT. Certe vel sola narratio huius historiæ non oscitanter examinata duas res aperte demonstrat. Primum, quibus medijs fidem in Dominum nostrum Centurio cōcepit: deinde, quomodo conceptam manifestauerit. Lucas ait: *Cum audisset de Iesu.* Fama, quæ de magnis & mirandis rebus nihil latere patitur, celebrata sermonib⁹ eorum, qui interfuerant, Centurionem certiorē fecerat Dominum simplici iussu & authoritate verbi sui cæcos illuminare, sanare leprosos, expellere dęmonia, condonare peccata, &c. Quæ cum vir magni & acris ingenij, lōge esse maiora, quam vt ab humana fragilitate perfici possent, speciale lumine Spiritus sancti illustratus, continuo sibi persuadet, eum qui talia præstaret esse Deum, infinita virtute præditum, quique si vellet, posset, & absens corpore & solo verbo seruum suum vitæ periculo liberare.

Luc. 7.

Hoc respiciens Chrysostomus, plus (inquit) credidit, quam audiuit. Nō dixit, *Veni:* credebat enim eum vbique præsentem. Nō dixit: *Sana seruum meum*: sciebat enim quod erat & ad perficiendum potens, & ad intelligendum sapiens; & ad exaudiendum misericors. Itaque contentus morbum indicasse, remedij modum arbitrio & misericordiæ Domini committit. Hæc ille, quæ omnia arguunt Centurionem claram certamq; fidem habuisse, quod Christus Deus esset omnipotens.

6. Deinde, cum ait: *Deinde, non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus:* Primum vtitur voce, qua Prophetæ & Hebræi omnes Deum verum designabant. Moderati Imperatores, vt Augustus, hoc nomen tanquam soli Deo debitum, sibi arrogare noluerunt. Cum Dominum vocat, ait Chrysologus, innuit se fidelem eius seruum, quasi diceret: Domine, cui seruiunt Angeli, curationes obediunt, sanitates obtemperant. Hoc est dicere: Tu Deus, tu ipsa potestatum potestas, &c. Tertullianus etiam scribit: Centurio crediderat. Idem alibi, Centurionem fidelissimum appellat, nihil ambigens vetustissimus Theologus, quin hic Centurio vera in Christum fide præditus fuerit, ac ideo eum & fidelem & fidelissimum nuncupat.

Sueton. Serm. 15. L. de idololatria. L. de coron. milit.

7. Deinde, profunda ista & extrema humilitas, qua tantopere infra maiestatem & fastigium Domini nostri sese deprimit, se indignum sua præsentia iudicat, nec istius honoris capacem esse domum suam ex animo pronunciat, vt eam tantus hospes inire non dedignetur: hæc inquam humilitas, suique deprecatio, profecto veræ adorationis instar est erga eum, quem Deum verum esse censebat.

8. Chrysologus hunc comparat cum hoc dicto & facto Petri: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Vnde colligitur parem in vtroque fuisse fidem ac reuerētiam erga Dominum. Hieronymus scribit: Intra corporis tegmen, diuinitatem latentem vidit, & credidit puerum suum sanari posse ministerio Angelorum, tametsi Dominus ipse non veniret. Augustinus præclare scribit: Neque hæc diceret cum tanta fide & humilitate, nisi iam illum quem timebat intrare domum suam, corde gestaret. Cui sententiæ concordat Optatus Mileuitanus, non dubitans asseuerare, fidem huiusce Centurionis paulo ante Gentilis, omni ex parte perfectam extitisse.

Serm. 15. Luc. 5. In cap. 8. Matth. Serm 6. de verb. Do. L. 5. adu. Parm.

9. MINIST. Tot tantisque testimonijs volens assentior, quod Centurio crediderit Dominum verum esse Deum. Nec vero adduci potuisset, vt eum rogaret de re mortalibus impossibili, nempe de sanāda paralysi, & reuocando in vitā homine iam destituto

Vestibulum ante ipsum in limine mortis:

nisi eum supra hominem esse credidisset, cui facilia forent, quæ viribus & consilijs explicari non possent. Enimuero non audierat Angeli vocem, & tamen Angeli pronunciatum mente ac fide complectebatur, *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Luc. 1.

10. DOCT. Perpende denique, quo pacto hęresiarcha priuando Centurionem istū vera fide, belligeratur cum Filio Dei, qui cum admiratione magnitudinem eius fidei celebrat, testaturque coram omnibus: *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel.* Vnde hæc admiratio? Num quia crediderit dominum esse magnum Prophetam? Sed hæc opinio peruulgata in populo dicente: *Propheta magnus surrexit in nobis.* An quia putauerit communicatam ipsi à Deo quandam vim diuinæ potētiæ, sicut olim Mosi ac Eliæ? Sed

Matt. 8. Luc. 7.

Nico-

Ioan.3.9. Nicodemus, Cæcus à natiuitate, & aduersa- A
rij idipsum confitebantur. An quia sibi per-
Luc.4. suaserit, cum quadantenus esse Filium Dei?
L.1. de Genes. contra Manich. c.7. Et hoc ipsum etiam dæmones publice pronunciabant. Ergo admiratione affectus est dominus, ait Augustinus, non turbatus, nec quod tum demum scire cœpisset quod ante ignorabat, cum in eo illam fidem fecisset: sed vt demonstraret eam nobis admirabilem videri debere.

10. Andreas credidit (ait Chrysostomus) sed
Hom.21. in Matth. ideo, quia Ioannes ei dixerat, *Ecce agnus Dei.* Petrus credidit, sed admonitus & edoctus
Ioan.1. ab Andrea. Nathanael credidit, sed legerat B
Ioan.3. scripturas. Nicodemus credidit, sed erat doctor in Israel, &c. Centurio sine istis omnibus adminiculis maiori & generosiori fide
Ioan.4. munitus deprehenditur, quam Iayrus do-
Ioan.11. ctor Synagogæ: quam Martha quæ tot conciones Christi audierat, & tot eius miracula fuerat contemplata, &c. DOCT. Hæ probationes plusquam idoneæ sunt ad compescendum hæreticum, & corroborandam fidem atque virtutem sanctissimi Centurionis. Pergamus.

MVLIER LIBERATA PROFLVVIO C *sanguinis sufficienti fide prædita fuit: pioq; & circumspecto zelo vsa est cum tetigit fimbriam vestimenti Christi: aduersus 40. & 41. errorem Caluinisticum.*

CAPVT XV.

DOCTOR.

MOmus vester Geneuanus, cuius mordacitatem nemo bonus effugere potuit, duo culpat & carpit in bona illa Matro-
Mat.9. Luc.8. Marc.5. na, quæ tacto domini nostri vestimento, sanata est à fluxu sanguinis, quæ per annos D duodecim sine spe leuamenti cruciata fuerat. Primo criminatur eam his verbis: *Mulie-*
In cap 9. Mat. *ris fidei aliquid vitij & erroris fuit admissum. Quod sibi male conscia formidat & tremit, talis dubitatio cum sit fidei contraria, excusatione caret.* Secundo, sic etiam arguit: *Quod in veste hæsit potius quam vt se illi sanandam precibus offerret, forte zelo inconsiderato paululum à via deflexit.* Exspecto nunc tuum de his accusationibus iudicium.

Confut. 1. MIN. Primum sentio, Caluino nullam fidem habendam esse, quandoquidem in has calumniarum salebras incidit, partim innata malignitate ingenij & de sanctis paradisi detrahendi libidine; partim præpostero metu, ne huius historiæ munimento firmaretur reuerentia reliquiis illorum debita: & veritas miraculorum factorum super iis, qui eos inuocauerunt. Non enim, vt video, quærit gloriam Dei, sed propriam, dum maligne sugillat longe meliores se; nec animum appellit ad exponendam Euangelij veritatem, sed eam obscurare nititur, vt velum obducat falsis opinionibus suis.

Secundo, sibi ipse contrarius est, eodem in 2.
loco scribens: *Quod hæc mulier cogitat si modo* In cap. 9.
tetigerit Christi vestem se protinus fore sanam, sin- Matt.v.21.
gularis quidem fuit Spiritus sancti impulsus. Atqui impulsus iste Spiritus sancti nihil vitij admistum habuit, nullum errorem, nullam hæsitantiam aut dubitationem complexus est. Nam hæ labes omnes in Spiritum sanctum velut in authorem redundarent: fuit itaque constans, & nullius culpæ sibi conscia fides illius fœminæ. Zelus etiam eius & à recta ratione, & à certa cognitione regebatur: quippe directore ac moderatore Spiritu sancto, dicente Scriptura, *Dei perfecta esse opera.* Deut.32.

Tertio, pessime cauillatur mentem opti- 3.
mæ fœminæ, cum negat eam se Domino precibus obtulisse, sed hæsisse in vestimento. Desiderium enim eius feruentissimis precibus nitebatur. Nec vero nesciebat vestem rem esse mortuam: nec vllam salutis aut medelæ fiduciam in eam reponendam putauit, nisi reuerentia & respectu eius qui vestem illam indutus erat. Pari ratione, ij quos vm- Act.5.19.
bra Petri, & sudaria ac semicinctia à Pauli corpore contacta sanabant à morbis, non ignorabant eas virtutes ab ipsis Apostolis, & non ab vmbra vel linteaminibus emanare. Cum autem ad ea confugiebant perinde erat ac si ad illud selectissimum par Apostolorum vere & ex animo confugissent. Habes explicatam mentis fœminæ sententiam: tuæ nunc sunt dicendi vices.

DOCT. Equidem Euangelij fidem secu- 4.
tus, nego quidquam vitij aut erroris admistum fuisse fidei istius mulieris. Primum enim persuasum habebat maiorem vim & efficaciam sitam esse in solo domini contactu, quam in omni arte Medicorum, chirurgorum, & pharmacorum, cum hanc frustra experta fuisset. Dicebat enim intra se magna fiducia, & sine hæsitatione: *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salua ero.* MIN. Vbi ergo frontem perfricuit Caluinus, qui tam eximiam fidem vitiorum deformitatibus inuoluit, & dubitationem ambagibus, quæ

excusatione carent? Cum non modo nullum talis culpæ argumentum, sed ne suspitionis quidem vestigium vsquam appareat, quale videtur in verbis Iayri, Reguli, & nonnullorum aliorum?

5. DOCT. Hanc interpretationem his verbis Chrysostomus comprobat: Non dixit, Liberabor-ne ab hac ægritudine, si vestem eius tetigero, annon? Sed non dubitans sanitatem se ab huiusmodi tactu consecuturam, accessit. Cyrillus: Fideli tactu virtutem elicuit ex carne. Euthymius: Magnam habebat fidem.

Hom. 32. in Mat.

L. 4. in Leuit.

6. Et vt Latini cum Græcis coniungantur, Optatus: Inuenit consilium tacita fides. Ambrosius: Verecunda fimbriam tetigit, fidelis accessit, religiosa credidit, sapiens se esse sanatam cognouit. Chrysologus; cum huiusce mulieris fidem duabus concionibus extulisset, in tertia sic loquitur: Magna hæc mulier, & nimium permiranda, quæ scientia doctores legis vicit, sacramento omnes Iudæos superauit, fide præcessit Apostolum Thomam, &c.

Lib. 5. in Luc.

Serm. 35.

Ioan. 20.

7. MINIS. Hi sex sunt instar sexcentorum: quoniam ex iis iudicium fieri potest, fidem ac zelum istius fœminæ ab omnibus sanctis patribus commendari, nec esse quempiam, præter maledicentissimum Caluinum, qui eam vitij, erroris, hæsitantiæ, aut imprudentiæ vsquam insimulet. DOCT. Consideres item qua fronte se opponat filio Dei, cum arguit vitij, diffidentiæ, & circunspectæ rationis eam quam Christus collaudat, approbat, sanctificat, & magnifici miraculi fructu remuneratur. *Iesus* (ait Euangelista) *respiciens & videns eam, dixit ei: Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Hilarius, hoc dictum sic interpretatur, quasi fide meruerit vt saluaretur. Tertullianus ait: Hinc fidem probans Christus eius fœminæ, eius fidei se Deum respondit quam probauit.

Com. in Mat.

L. 4. aduer. Marc.

8. MIN. Caluinus eam criminatur *quod furtim ad Dominum accesserit, eiusdemq́ veste tacta timide sese subduxerit, & immiscuerit turbæ circunstantium: qua in re culpam admiserit, nulla* (suo iudicio) *excusatione defendendam.*

DOCT. Caluinus in eo vere Caluinus est, id est, calumniator & vitilitigator improbissimus, cum laudatissimum opus probri insimulat, ac eximiam virtutem vitio vertit. Quod enim coram turba Dominum adire verecundabatur, id (vt Hieronymus & Chrysostomus contestantur) à religiosa Legis obseruatione procedebat, quæ fœminas huiusmodi morbo laborantes, & quidquid ab iis contingebatur, immundum esse pronunciabat. Deinde, & honestas ipsius sexus, & morbi fœditas eam honesto pudore suffundebat in conspectu hominum, qui magistrum stipabant. Denique, laudabilis modestia, nec reprehendenda humilitas efficiebant, vt cum se iudicaret indignam, quæ pedes eius oscularetur, aut ambabus manibus eum complecteretur, contenta fuerit solam vestis fimbriam contingere.

In cap. 9. Matth.

Iam vero ab hæresiarcha quæro, Nunquid error, aut vitium sit, nedum facinus inexpiandum, Legem Dei religioso cultu seruare? Matronam in cœtu virorum naturali verecundia modestiaq; contineri? Componere se ad extremam humilitatem coram Domino? MIN. Profecto qui has laudes in vitio collocat, nescio quem delectum habeat rerum turpium & honestarum. Itaque ad Epicuræum gregem, aut ad Cynicorum haram hominem ablegandum censeo, vt illic inter congeneros suos, vt gallus in sterquilinio, vel in luto sus, ad fastidium volutetur. Progrediamur alio. 9.

MARTHAM HOSPITAM DOMINI & Apostolorum eius, non esse quinque peccatorum nomine diffamandam, quod in iis bene excipiendis multam diligentiam adhibuerit: contra 43. 44. 45. 46. errorem Caluinistarum.

CAPVT XVI.

DOCTOR.

IVratus Sanctorum & Sanctarum hostis, quinque criminibus Martham sanctissimam hospitam Domini & Apostolorum incusat, quod studiose diligenterque functa sit officio in bene curandis tractandisque suis illis hospitibus. *In ea,* inquit, *Christus duo vitia notat. Primum est, quod satagendo modum excederet. Secundum, quod seipsam distrahens, & superfluis laboribus se occupans, inutilem sibi redderet Christi aduentum.* Addit: *Accessit hoc quoque mali, quod Martha sibi in turbulentis operibus placens, pium discendi studium in sorore contempsit.* Quartum crimen notat: *Vitiosa erat hospitalitas Marthæ, quia omittebat quod erat præcipuum.* Quintum, *quod conata sit impedire quominus Dominus Iesus Lazarum a mortuis suscitaret.* In Luc. c. 10. In Io. c. 11.

MIN. Nunquid aut teste Scriptura, aut Patrum Confut.

1. Patrum authoritate firmat tot criminum suscriptionem? Neque enim, vt iurisperiti loquuntur, Vagandum est in periculis alienæ existimationis: sed probationes requiruntur luce meridiana clariores. DOCT. Nec potest, nec conatur alio teste probare intentionem suam, quam seipso. Pythagoram se scilicet alterum putat, vt pro omni ratione

Dan. 13. sufficere debeat, αὐτὸς ἔφα, ille dixit. Vel potius consimilis est duobus istis Susannæ Iudicibus, qui crudeli libidine postulabant sibi sine refragatione credi, simulque iungere disparatissimas, accusatoris nimirum, testis, & iudicis partes. Mihi autem contra nullius laboris erit ostendere, laudatam, non vituperatam esse Martham à filio Dei, nec improbatam eius officiosam sedulitatem. Accedet domini suffragio consentiens authoritas antiquorum, qui affectionem & actionem eius minime culpandam, sed maxime potius commendandam censuerunt: quæ præiudicata sufficit ad obturandum os impudentis calumniatoris.

2. MIN. Quin & ipsemet vel tædio erroris sui, vel vi conscientiæ victus, cogitur sæpiuscule laudes fœminæ istius celebrare. Scribit

In cap 10. Luc. enim: *Laude digna fuit Marthæ hospitalitas, sicut laudatur.* Paulo post: *Digna quidem laude est Martha, quod Christum excipit.* Marloratus succenturiatorem ei addit Brentium dicentem: *Erant quidem duæ sorores piæ, & Christo consecratæ.* DOCT. Quæ est igitur ista versatilis & desultoria leuitas, vt leuissimo verbo vtar, quod alibi quater, imo quinquies in eam inuehitur? Nonne cum Dei verbo belligeratur, hoc est, ipsam Veritatem aperte oppugnat, cuius voce laus honestissimæ fœminæ concelebratur? Potestne idem & virtutis commendationem, & vitiositatis reprehensionem promereri?

3. MIN. Hoc habet. Iacet hostis suo ipsius gladio confossus. Differe nunc quæ animo digessisti. DOCT. Alibi scriptura testatur, eam filio Dei charam fuisse, vnde verisimilis ratio ducitur, eum minime passurum fuisse, vt coram se tot pudendis vitiis cir-

Ioan. 11. cumueniretur. *Diligebat Iesus Martham, &c.* Cui amori testificando grauem & luculentum de resurrectione sermonem cum ipsa dissertauit: collachrymatus est: ac fratrem eius luce ac vita redonauit. Vbinam gentium reperient Hugnostici, tantum beneficium vnquam collatum fuisse in mulierem praue sedulam, turbulentam, superuacaneis occupationibus implicitam, ambitiosam, inuidam, & vitij plenam: quæ sunt Caluinianæ malignitatis conuitia?

4. Ioan. 12. Ad hæc, alio in loco recitatur, quod cum Iesus esset in Bethania, conuiuioque exciperetur, Martham ministrasse: quod ei gloriæ, non vituperio deputatur. Quomodo ergo vitiosa esset eius hospitalitas? Cur reprehendi vllo pacto debeat cura diligens ministrandi Deo & Apostolis eius? Nihil etenim nimium dici potest in eo quod maximum esse debet. Nullum itaque crimen aliud hic deprehendi reprehendique potest, quam zelus feruidissimæ charitatis: quæ si peccatum mortale censeri debet (neque enim venialia peccata agnoscunt Caluiniani) quod tandem erit discrimen inter præstantissimas virtutes, & turpissima flagitia? Si hospitalitas, & officiositas erga pauperes sunt enormia vitia, quis tecto vel mensa dignari volet aduenientes? Tam damnabilis censura, tam nefarij sermones, tam seditiosæ Ministrorũ conciones aduersus opera charitatis erga caput pauperum Iesum Christum, nonne Caluini sequaces & credulos ab iis erga mẽbra eius exercendis omnes auertent.

5. Sed agedum, placido sedatoque spiritu discutiamus causas, quibus hic phreneticus & furiosus turbo nititur in contumeliam diuæ Marthæ: & reperiemus totidem esse laudes, quot labes honori eius adspergit. Cum excepisset hospitio Dominum, duodecim Apostolos, pluresque alios Discipulos, qui continenter eum comitabantur, *satagebat,* inquit Euangelista, *circa frequens ministerium.* Hæc prauo detortoque Caluini iudicio, *sunt errata quæ excusationem non admittunt:* Luc. 10. sed diuinæ vocis oraculo laudabilia munia, & exercitia gnauæ ac industriæ matris familias reputantur. Ait quidem Prædicans: *Modum excedebat, superfluis laboribus se oc-* Cal. *cupabat:* sed hæc interpretatio à maligna Caluini mente, non ab Euangelij sensu, nec à charitatis spiritu proficiscitur. MIN. Ipsa certe communis ratio cuiusque cogitationi subiicit, opus fuisse frequenti ministerio, & opera diligenti ad excipiendos & fouendos tot hospites, inedia laboribusque fatigatos. Quin & Spiritus stilo sapientissimi omnium mortalium, optimam matremfamilias depingens, assimilat eam *naui institoris de longe panem suum portanti. Hæc de nocte surgit, cibum* Prou. 31. *ministrat domesticis suis, & demensum ancillis suis. Aperit dextram suam inopi, & palmas extendit ad pauperes, &c.* Nonne hæc & sedulam operam, & laborem plurimum desiderant? Atqui

excusatione carent? Cum non modo nullum talis culpæ argumentum, sed ne suspitionis quidem vestigium vsquam appareat, quale videtur in verbis Iayri, Reguli, & nonnullorum aliorum?

5. DOCT. Hanc interpretationem his verbis Chrysostomus comprobat: Non dixit, Liberabor-ne ab hac ægritudine, si vestem eius tetigero, annon? Sed non dubitans sanitatem se ab huiusmodi tactu consecuturam, accessit. Cyrillus: Fideli tactu virtutem elicuit ex carne. Euthymius: Magnam habebat fidem.

Hom. 32. in Mat.

L. 4. in Leuit.

6. Et vt Latini cum Græcis coniungantur, Optatus: Inuenit consilium tacita fides. Ambrosius: Verecunda fimbriam tetigit, fidelis accessit, religiosa credidit, sapiens se esse sanatam cognouit. Chrysologus; cum huiusce mulieris fidem duabus concionibus extulisset, in tertia sic loquitur: Magna hæc mulier, & nimium permiranda, quæ scientia doctores legis vicit, sacramento omnes Iudæos superauit, fide præcessit Apostolum Thomam, &c.

Lib. 5. in Luc.

Serm. 35.

Ioan. 20.

7. MINIS. Hi sex sunt instar sexcentorum: quoniam ex iis iudicium fieri potest, fidem ac zelum istius fœminæ ab omnibus sanctis patribus commendari, nec esse quempiam, præter maledicentissimum Caluinum, qui eam vitij, erroris, hæsitantiæ, aut imprudentiæ vsquam insimulet. DOCT. Consideres item qua fronte se opponat filio Dei, cum arguit vitij, diffidentiæ, & circunspectæ rationis eam quam Christus collaudat, approbat, sanctificat, & magnifici miraculi fructu remuneratur. *Iesus (ait Euangelista) respiciens & videns eam, dixit ei: Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Hilarius, hoc dictum sic interpretatur, quasi fide meruerit vt saluaretur. Tertullianus ait: Hinc fidem probans Christus eius fœminæ, eius fidei se Deum respondit quam probauit.

Com in Mat.

L. 4. aduer. Marc.

8. MIN. Caluinus eam criminatur *quod furtim ad Dominum accesserit, eiusdemq́; veste tacta timide sese subduxerit, & immiscuerit turbæ circunstantium: qua in re culpam admiserit, nulla* (suo iudicio) *excusatione defendendam.*

DOCT. Caluinus in eo vere Caluinus est, id est, calumniator & vitilitigator improbissimus, cum laudatissimum opus probri insimulat, ac eximiam virtutem vitio vertit. Quod enim coram turba Dominum adire verecundabatur, id (vt Hieronymus & Chrysostomus contestantur) à religiosa Legis obseruatione procedebat, quæ fœminas huiusmodi morbo laborantes, & quidquid ab iis contingebatur, immundum esse pronunciabat. Deinde, & honestas ipsius sexus, & morbi fœditas eam honesto pudore suffundebat in conspectu hominum, qui magistrum stipabant. Denique, laudabilis modestia, nec reprehendenda humilitas efficiebant, vt cum se iudicaret indignam, quæ pedes eius oscularetur, aut ambabus manibus eum complecteretur, contenta fuerit solam vestis fimbriam contingere.

In cap. 9. Matth.

Iam vero ab hæresiarcha quæro, Nunquid error, aut vitium sit, nedum facinus inexpiandum, Legem Dei religioso cultu seruare? Matronam in cœtu virorum naturali verecundia modestiaq; contineri? Componere se ad extremam humilitatem coram Domino? MIN. Profecto qui has laudes in vitio collocat, nescio quem delectum habeat rerum turpium & honestarum. Itaque ad Epicuræum gregem, aut ad Cynicorum haram hominem ablegandum censeo, vt illic inter congeneros suos, vt gallus in sterquilinio, vel in luto sus, ad fastidium volutetur. Progrediamur alio. 9.

MARTHAM HOSPITAM DOMINI & Apostolorum eius, non esse quinque peccatorum nomine diffamandam, quod in iis bene excipiendis multam diligentiam adhibuerit: contra 43. 44. 45. 46. errorem Caluinistarum.

CAPVT XVI.

DOCTOR.

IVratus Sanctorum & Sanctarum hostis, quinque criminibus Martham sanctissimam hospitam Domini & Apostolorum incusat, quod studiose diligenterque functa sit officio in bene curandis tractandisque suis illis hospitibus. *In ea,* inquit, *Christus duo vitia notat. Prius est, quod satagendo modum excederet. Secundum, quod seipsam distrahens, & superfluis laboribus se occupans, inutilem sibi redderet Christi aduentum.* Addit: *Accessit hoc quoque mali, quod Martha sibi in turbulentis operibus placens, pium discendi studium in sorore contempsit.* Quartum crimen notat: *Vitiosa erat hospitalitas Marthæ, quia omittebat quod erat præcipuum.* Quintum, *quod conata sit impedire quominus Dominus Iesus Lazarum à mortuis suscitaret.*

In Luc. c. 10.

In Io. c. 11.

MIN. Nunquid aut teste Scriptura, aut Confut.

Patrum

1. Patrum authoritate firmat tot criminum su- A scriptionem? Neque enim, vt iurisperiti loquuntur, Vagandum est in periculo alienæ existimationis: sed probationes requiruntur luce meridiana clariores. DOCT. Nec potest, nec conatur alio teste probare intentionem suam, quam seipso. Pythagoram se scilicet alterum putat, vt pro omni ratione
Dan. 13. sufficere debeat, αὐτὸς ἔφα, ille dixit. Vel potius consimilis est duobus istis Susannæ Iudicibus, qui crudeli libidine postulabant sibi sine refragatione credi, simulque iungere disparatissimas, accusatoris nimirum, testis, & iudicis partes. Mihi autem contra nullius laboris erit ostendere, laudatam, non vitupe- B ratam esse Martham à filio Dei, nec improbatam eius officiosam sedulitatem. Accedet domini suffragio consentiens authoritas antiquorum, qui affectionem & actionem eius minime culpandam, sed maxime potius commendandam censuerunt: quæ præiudicata sufficit ad obturandum os impudentis calumniatoris.

2. MIN. Quin & ipsemet vel tædio erroris sui, vel vi conscientiæ victus, cogitur sæpiuscule laudes fœminæ istius celebrare. Scribit
In cap 10. Luc. enim: *Laude digna fuit Marthæ hospitalitas, sicut laudatur.* Paulo post: *Digna quidem laude est Martha, quod Christum excipit.* Marloratus C succenturiatorem ei addit Brentium dicentem: *Erant quidem duæ sorores piæ, & Christo consecratæ.* DOCT. Quæ est igitur ista versatilis & desultoria leuitas, vt leuissimo verbo vtar, quod alibi quater, imo quinquies in eam inuehitur? Nonne cum Dei verbo belligeratur, hoc est, ipsam Veritatem aperte oppugnat, cuius voce laus honestissimæ fœminæ concelebratur? Potestne idem & virtutis commendationem, & vitiositatis reprehensionem promereri?

3. MIN. Hoc habet. Iacet hostis suo ipsius gladio confossus. Differe nunc quæ animo digessisti. DOCT. Alibi scriptura testatur, D eam filio Dei charam fuisse, vnde verisimilis ratio ducitur, eum minime passurum fuisse, vt coram se tot pudendis vitiis circumueniretur. *Diligebat Iesus Martham, &c.*
Ioan. 11. Cui amori testificando grauem & luculentum de resurrectione sermonem cum ipsa dissertauit: collachrymatus est: ac fratrem eius luce ac vita redonauit. Vbinam gentium reperient Hugnostici, tantum beneficium vnquam collatum fuisse in mulierem praue sedulam, turbulentam, superuacaneis occupationibus implicitam, ambitiosam, inuidam, & vitij plenam: quæ sunt Caluinianæ malignitatis conuitia?

Ad hæc, alio in loco recitatur, quod cum 4. Iesus esset in Bethania, conuiuioque excipe- Ioan. 12. retur, Martham ministrasse: quod ei gloriæ, non vituperio deputatur. Quomodo ergo vitiosa esset eius hospitalitas? Cur reprehendi vllo pacto debeat cura diligens ministrandi Deo & Apostolis eius? Nihil etenim nimium dici potest in eo quod maximum esse debet. Nullum itaque crimen aliud hic deprehendi reprehendique potest, quam zelus feruidissimæ charitatis: quæ si peccatum mortale censeri debet (neque enim venialia peccata agnoscunt Caluiniani) quod tandem erit discrimen inter præstantissimas virtutes, & turpissima flagitia? Si hospitalitas, & officiositas erga pauperes sunt enormia vitia, quis tecto vel mensa dignari volet aduenientes? Tam damnabilis censura, tam nefarij sermones, tam seditiosæ Ministrorũ conciones aduersus opera charitatis erga caput pauperum Iesum Christum, nonne Caluini sequaces & credulos ab iis erga mẽbra eius exercendis omnes auertent.

Sed agedum, placido sedatoque spiritu 5. discutiamus causas, quibus hic phreneticus & furiosus turbo nititur in contumeliam diuæ Marthæ: & reperiemus totidem esse laudes, quot labes honori eius adspergit. Cum excepisset hospitio Dominum, duodecim Apostolos, pluresque alios Discipulos, qui continenter cum comitabantur, *satagebat*, inquit Euangelista, *circa frequens ministerium.* Hæc prauo detortoque Caluini iudicio, *sunt errata quæ excusationem non admit-* Luc. 10. *tunt*: sed diuinæ vocis oraculo laudabilia munia, & exercitia gnauæ ac industriæ matris familias reputantur. Ait quidem Prædicans: *Modum excedebat, superfluis laboribus se oc-* Cal. *cupabat*: sed hæc interpretatio à maligna Caluini mente, non ab Euangelij sensu, nec à charitatis spiritu proficiscitur. MIN. Ipsa certe communis ratio cuiusque cogitationi subiicit, opus fuisse frequenti ministerio, & opera diligenti ad excipiendos & fouendos tot hospites, inedia laboribusque fatigatos. Quin & Spiritus stilo sapientissimi omnium mortalium, optimam matremfamilias depingens, assimilat eam *naui institoris de longe panem suum portanti. Hæc de nocte surgit, cibum* Prou. 31. *ministrat domesticis suis, & demensum ancillis suis. Aperit dextram suam inopi, & palmas extendit ad pauperes, &c.* Nonne hæc & sedulam operam, & laborem plurimum desiderant? Atqui

qui cum hæ virtutes à voce Veritatis effe- A rantur, estne cuiusquam hominis, nisi prorsus impudentis, eas vituperare? DOCT. Vides quantum sibi permittat fastus Caluinianus.

6. Tute iam coniicere potes, quo stigmate
Gen. 18. fœdasset laboriosam Abrahæ hospitalitatẽ, præstolantis præ foribus tabernaculi sui, in ipso æstu diei, pauperes & prætereuntes, currentis, humi sese prosternentis coram ipsis, eos rogantis, & ad se obuia quadam comitate inuitantis, lauantis eorum pedes, panem apponentis, vxorique præcipientis apparari placentas, mactari vitulum, butyrum & lac proponi conuiuiis. Hæc certe omnia tactu B suo immundo fœdasset harpya ista, si locum (vt eum qui est de Martha) interpretandum
Gen. 19. sumpsisset. Quibus item probris incessisset Loti eius nepotis in hospitibus ac curandis & seruandis humanitatem, cum tam inhumaniter officium Marthæ traducat? Atqui
Heb. 13. Paulus celebrat eos, & ad imitandum cunctis proponit.

7. Præterea, cum idem Apostolus honestæ Matronæ officia & munia recenset, nonne
Tit. 2. inter alias laudes ponit hanc, vt *domi curam*
1. Tim. 5. *habeat*? Atqui Deum in persona pauperum hospitio recipere, ipsis præbere quod edant & bibant, inseruire accumbentibus, pedes C lauare si sit opus: nonne hæc ad domesticam curam & administrationem pertinent? Nonne idem à proba fœmina hanc conditionem
3. Reg. 4. exigit, *Si sanctorum pedes lauit*? Nonne vidua
4. Reg. 17. Sarepthana multam operam collocabat in colligendis lignis, exstruendo igni, præparandoque cibum Eliæ? Nonne & Sunamitis consimiliter laudatur, quod Elisæo cubiculum, culcitram, mensam, lectum, & candelabrum adornarit? Quanto igitur æquius est prædicari beatæ Marthæ sedulitatem, quæ his & cumulatioribus officiis prosecuta sit verum Deum-hominem, Saluatoram mundi, ac iudicem viuorum ac mortuorum, dũ D cœtibus humanis interesset?

8. Si is qui calicem aquæ frigidæ tantum por-
Mat. 10. rexerit, mercedem est accepturus, quæ digna laus rependi potest huic Marthæ, præbenti hospitium, bona & facultates largienti, nauantique operam, per seipsam, ad excipiendum comiter filium Dei, & pauperes eius discipulos? MIN. Summam certe laudem meretur, tantum abest, vt reprehensionem incurrere debeat: idque satis dictat communis sensus, vt scripturarum authoritatem tacitus prætereąm, de qua sufficienter à te disputatum est. Iam ad testimonia patrum, quibus profanas Caluini nouitates refutaturum te pollicitus es, accedas.

DOCT. Initium ab Augustino, qui ante 9.
mille & centum annos, partim authore scriptura, partim suffragante ratione defendit, Martham non fuisse culpatam à Domino, vt Caluinus comminiscitur: sed potius nomi- Ser. 25. de
ne sedulitatis in exequendo ministerio lau- verb. Dom.
datam & commendatam. Primum, inquit, *Martha, Martha.* Repetitio nominis indicium est dilectionis. Deinde, ait: In bono ministerio benedicta, &c. Sunt ne hæc verba reprehendentis, an encomia verarum laudum? Adhuc sic apertius discutit nebulas Caluinisticarum calumniarum: Putamus (inquit) non reprehensum esse ministerium Marthæ quam cura hospitalitatis occupauerat, quæ ipsum Dominum hospitio receperat? Quomodo recte reprehendebatur, quæ tanto hospite lætabatur? Si merito reprehenditur, desinant homines posthac subuenire pauperibus, nolint hospitio excipere peregrinos, ne panem porrigant esurientibus, vestimenta nudis, ne adsint ægrotis aut incarceratis, ne sepeliant mortuos, denique omnia non solum opera misericordiæ, sed humanitatis officia derelinquantur, &c. MIN. Hæc plane & his absurdiora consequerentur, si Caluino & gregalibus concesserimus, vt in Martha curam rei domesticæ iuste condemnasse dominus asseratur. E contrario, si cum Augustino officiosam eius hospitalitatem laudauerimus, hoc exemplo commonebuntur diuites siue viri siue fœminæ, vt serio intendant animum pietatis & charitatis exercitamentis.

DOCT. Idem author paraphrasi verba 10.
Christi Martham alloquentis, vnde ansam Ser. 27.
calumniandi Caluinus arripuit, ita scribit: Maria meliorem partem elegit. Non tu malam, sed ista meliorem. Postea concludit: Non ergo dominus opus Marthæ reprehendit sed munus distinxit, &c. Ambæ gratæ fuerunt, ambæ diligentes dilectæque discipulæ. Laboriosa hæc, illa otiosa: neutra culpabilis. In Martha rerum præsentium effigies adumbratur, in Maria bonorum futurorum, &c. MIN. Singulis certe verbis Hugnosticas criminationes Augustinus damnat & reprobat.

DOCT. Ante Augustinum etiam Am- 11.
brosius sanctam Martham ab hæreticorum L. 11. in
imposturis hisce verbis asseruerat; Nec Luc.
Martha in bono ministerio reprehenditur, sed

ſed Maria quod meliorem partem ſibi ele- A gerit antefertur. Alio loco comprobans ſe- *L.1.in Luc.* dulitatem Marthæ, veluti profectam ab auditu & aſſenſu verborum Chriſti, negat eam vllo modo vituperandam intuitu Mariæ, quæ Dominum audire perſeuerabat.

12. *L.6.Mor. c 18. Hom.14. in Ezech.* Beatus Gregorius Papa eiuſdem doctrinæ veſtigiis inſiſtens dicit: Marthæ cura non reprehenditur, Maria vero etiam laudatur: quia magna ſunt actiuæ vitæ merita, ſed contemplatiuæ potiora. Et iterum: Ecce pars Marthæ non reprehenditur, ſed Mariæ laudatur &c.

13. Et vt in eandem ſententiam conſpirare B ſcias patres Græcos, magnus Baſilius ita ſcribit: Conſtit. Monaſt. cap. 2. Laudandum in vtraque ſorore ſtudium. Martha deſtinebatur præparandis iis, quæ curando corpori domini noſtri, & aliorum hoſpitum ſuorum neceſſaria erant: Maria doctrinæ audiendæ vacabat. Vna paſcebat corpus, viſibilem magiſtri partem: altera partem inuiſibilem ſuam conſolabatur. Præſto aderat Deus vere & homo, idemque vtriuſque affectum comprobabat: Martha Domino ſupplicat, vt *Luc. 10.* ſoror in partem curarum veniat. Dominus reſpondet potiorem à ſorore partem eſſe C præreptam. Ita Dominus neque illam à ſuſcepto miniſterio eſt dehortatus cum laudat alteram in audiendo ſermone eius occupatam.

14. MIN. Cum auſculto vocem domini dilaudantis diligentiam Marthæ, cum item intueor conſenſum patrum Græcorum & Latinorum, qui Matronam hanc non contumelioſe, ſed honorifice appellant: non dubito quin accuſationes Caluinicæ nihil aliud propoſiti habeant, præter contumeliam à maledicendi libidine profectam, & iniuriandi animo conceptam aduerſus ſanctam domini hoſpitam & diſcipulam Saluatoris. D Reſtat tibi ad confutandum quintus error: quod ſcilicet ea nec verbo nec opere, nec voto præpedierit fratris ſui Lazari reſurrectionem.

15. DOCT. Caluinianis potius incumbit accuſationis probatio. Quod cum facere ſuperſedeant, ab omni litis ingreſſu repellendi ſunt: & ream conuenit abſolui. Sed vt de iure noſtro decedamus: & coniecturis vtamur in re non dubia, quid minus probabile aut credibile eſt quam remorari aut impedire conata ſit fratris ſui reſurrectionem, quem tanta beneuolentia complectebatur? Cuius ob recuperandam ſanitatem miſerat qui Domino ſupplicarent? Cuius ob deceſ- *Ioan.11.* ſum intimis ſenſibus augebatur? Nonne malo & maligno liuore in fratrem ſuffuſa fuiſſet, & ſacrilega impietate aduerſus Dei gloriam, quæ omnium maxime hinc eluxit, inſurrexiſſet?

MIN. Quærent impudentiæ latebram, & 16. ad leniendam facti inuidiam dicent, eam non deliberata malitia conſultoque conſilio peccaſſe: ſed imprudentia, infidelitate, in hanc culpam incidiſſe. DOCT. Habeo quod reſpondeam aduerſus hoc euanidum effugium. In primis enim, nimis malitioſe temereq; proximi ſui mentem interpretantur, deque ea ſententiam ferunt: contra quam & *Mat.7.* lex charitatis præcipit, & Euangelij perſcripta ſancit authoritas.

Deinde, ſi fides Marthæ illo temporis ar- 17. ticulo non omnibus numeris perfecta fuit, quidquid huius eſt deliquij condonandum eſt iuſtis lamentis eius, & humanæ fragilitati, qua nec in totum caruerunt Apoſtoli, *Luc.24.* priuſquam induti fuiſſent virtute ex alto.

Ad hæc, lata eſt differentia inter fidei im- 18. becillitatem, & infidelitatem: hæc enim damnabilis offenſa eſt, illa venialis & ignoſcenda culpa.

Denique cum Martha præclaram hanc 19. confeſſionem fidei Chriſtianæ pronunciat: *Ioan.11.* *Tu es Chriſtus, Filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti*, præcipuum fundamentum & robur fidei Chriſtianæ complectebatur: quo nomine laudari & prædicari debet beata cum Apoſtolorum coryphæo Petro, tan- *Matth.16.* tundem confitente: & non in crimen vocari, niſi ab improbiſsima gente Prædicantum Caluinianorum.

MVLIER QVAE EXCLAMAVIT Beatus venter, qui te portauit, *non incidit in contemptum aut reprehenſionem Chriſti: regnum & iuſtitiam eius non pro carnali terrenaque reputauit: non innixa eſt humanæ rationi, magis quam verbo Dei: non denique ſtultam & carnalem deuotionem habuit: aduerſus 47.48.49. & 50. errorem Hugnoſticorum.*

CAPVT XVII.

MINISTER.

PArcunt ne honori Mulieris in turba pro- *Luc.11.* clamantis, *Beatus venter, qui te portauit, &*

vbera quæ suxisti? DOCT. Quatuor tantum A scelera excudunt, adeo periti sunt artis calumniandi artifices, ex paucis illis verbis quæ protulit. Vester Rabbi sine populi suffragio censuram exercens ita dictat. *Christi responsum adeo mulierculæ non subscribit, vt potius contineat obliquam reprehensionem. Videmus vt fere pro nihilo ducat Christus quod vnum extulerat mulier.* Sarcerius ac Aemylius aiunt, *Habuit carnalem affectum. Illa prorsus carnaliter sensit de regno Dei, & de beatitudine seu iustitia.* Spangembergius tertium telum sic intentat. *Rationi humanæ, non verbo Dei inhæsit.* Lutherus hoc quartum: *Stulta & carnalis est mulieris deuotio, &c.* B Atque hæc est veneratio & reuerentia, quam nouitij isti Reformatæ religionis instauratores sanctis iis deferunt, quos pater iam in cœlis honorificat. Sic celebrant & commendant primitias Christianorum, & flagrantiores Christi confessores atque Discipulos. Cedo nunc quid sentias?

Cal. in c. 11. Luc. v. 23.

In cap. 11. Luc.

In Domin. 3. quadrag.

Confut. 1. MINIST. Primum à solemni varietate & inconstantia Caluinus non discedit, seque & sequestres suos sua sententia condemnat, cum ita scribit in initio istius historiæ: *Elogio quo extollere voluit mulier Christi excellentiã, non parum amplificat eius gloriam: quod vterum in quo* C *gestatus est nobilitet, ac beatum reddat. Nec absurde, sed ex Scripturæ more, celebratur hæc Dei benedictio. Nec vero negari potest, quin Deus eligens ac destinans Mariam Filio suo matrem, magno eam honore prosecutus sit.* Ex quibus Caluini verbis aduersus superiores errores sic argumentor. Hæc mulier extollere excellentiam Christi: & gloriam eius amplificare studuit: non igitur à Domino, gloriæ suæ eximio iustoque zelatore reprehendi, sed laudari & probari meruit. Iterum: Beatum prædicans vterum, & fœlicia vbera Virginis, extollit excellentiam, & amplificat gloriam Christi: ergo Caluinus eam coarguens & reprehendens, D vtramque deprimit & blasphemat. Iterumque: Dominus vterum Virginis matris nobilitauit, ac beatum reddidit: ergo nec stulta, nec carnalis est huius mulierculæ deuotio, sed sapiens, prudens, & sententiæ Domini conformis, exclamans, *Beatus venter, qui te portauit, &c.* Denique, si ex scripturæ more celebrauit Dei benedictionem: nec carnaliter sensit de regno Dei, nec Dei verbo rationem humanam antepofuit. Atque hoc modo sua sponte corruunt quatuor errores, ab ipsis authoribus abunde confutati.

In cap. 11. Luc. v. 27.

2. Præterea, centonum sartor Marloratus hæc à Bucero refert in suos commentarios: *Μενοῦγε. ista coniunctio neque negat quod dictum est, neque reiicit: sed infert quod certius est.* Quæ interpretatio labefactat fundamenta superiorum calumniarum, nixa hoc futili commento, quod fuerit à Domino despecta, pro nihilo habita, & obliqua reprehensione perstricta mulieris exclamatio. Cum enim ex Buceri sensu, Dominus non reiecerit quod à muliere dictum est, hoc ipso admisit & approbauit: & cum hoc idem falsitatis non arguerit, verum esse consensit. Vnde facile quilibet colligat, quam atroci iniuria violent sanctam & laudabilem matronam, cui tot criminum dicam impingunt: abripiuntur item malitia plane diabolica, cum benefacta eius nomine peccatorum diffamant, laudes eius in opprobrium vertunt, & rectissimam fidei professionem magno & tetro adscribunt errori.

In cap. 11. Luc.

DOCT. Exponam quod hic illis bilem & stomachum mouet. Beatissimæ Virginis Mariæ commendationem hoc loco audiunt: quam non modo æquis auribus non ferunt, sed omni contumeliarum genere lacerãt insolentissime, vt postea demõstrabo, Verum, si Caluino suo consentire velint, aliter sentiant necesse est. Ait enim: *Deus Mariam Filio suo matrem eligens ac destinans, summo eam honore dignatus est.* Ne quid dicam ex Euangelio vbi beatam eam dicunt omnes generationes: & ipse chorus Angelorum eam veneratur atque honorat. Hæc enim si diligenter expendissent, cohibuissent iracundiam nec tantis maledictis inuecti fuissent aduersus istam Domini discipulam, quæ correpta feruenti zelo per admirationem erumpit in has voces, vt beatum prædicet vterum, & beata vbera sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ. 3.

In cap. 11. Luc. v. 27.

Luc. 1. 2.

MINIS. Vera narras, nisi ad hanc maledicendi rabiem ab eo Serpente adigerentur, qui communem humanæ gentis matrem Euam in fraudem impulit: quo tempore Deus pronuntiauit fore, vt perennes inimicitiæ inter eum & semen mulieris intercederent. Mulier autem ista virgo Deipara ẽst; cui idem ille tunc Draco, quondam Serpens, qui in Apocalypsi describitur cũ multis capitibus, oribus, cornibus, dentibus, armisque reliquis ab omni æuo bellum indixit, & in omne æuum sine missione indicere perseuerabit. Nam cum afflatu Spiritus sancti benedicatur hæc Virgo, non aliunde labes aspergi potest honori eius, quam ab impulsu 4.

Gen. 3.

Apoc. 12.

pulsu cacodæmonis. Sed nunquid sancti Patres quidpiam reprehendunt in huius mulieris exclamatione? A

5\. *Li. de carn. Christi. ca. 7. & l. 4. aduerf. Mar. c. 26.* DOCT. Minime gentium: quinimo omnes vno ore constantiam, deuotionem, ac fidei præclaram confessionem eius collaudarunt tanquam à Spiritu sancto profectam. Tertullianus ait: *Illi exclamationi respondens, non matris vterum & vbera negauit: sed benedictiones suas ad omnes bonos auditores suos ac discipulos suos porrexit.* *Tract. 10. in Io.* Augustinus Domini responso comprobari mulieris exclamationem asserit, *L. 4. in Lucam.* fœlicemque hoc nomine Matrem prædicari, quod & ipsa verbum Dei audiuerit atque obseruarit. Sanctus Beda non dubitat, B quin Spiritus sanctus hanc piam & publicam fidei confessionem mulieri suggesserit, ad retundendas præsentes Pharisæorum calumnias, & occurrendum futuris hæreticorum blasphemiis, &c.

6\. MINIST. Græci ne cum Latinis pari opinionis assensu concinunt? *In Cathena D. Tho. ad cap. 11. Luc.* DOCT. Vel solus Chrysostomus fidem eiusce rei fecerit, dicens: *Non fuit hoc responsum repudiantis matrem: sed ostendentis quod nihil ei partus profuisset, nisi valde bona & fidelis fuisset.* Theophilactus scribit: *Mulierculam quæ sic exclamat, fuisse simplicem, doli omnis expertem, quaque mirandas operationes Filij Dei quas Pharisæi suggillabant, admiratione prosequeretur.* C *In cap. 11.* Ad summam, omnes eam certatim laudant, soli ex nupero fœtu hæretici diffamant, & accersunt ipsam superiorum errorum criminibus. MINIST. Nunquid Magdalena virus eorum acerbitatis euitare potuit?

MAGDALENA CVM ALIIS FOEMINIS, non inutili planctu se cruciauit: non stulto & carnali affectu desedit ad sepulchrum Domini: non incredulitas ei obstitit quominus Christum inueniret: non peccauit emendo aromata: non incusata fuit ab Angelis: neque fuit mulier cæca, stulta, ridicula, superstitiosa, carnalis, & infidelis: contra 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. & 60. errorem Hugnosticorum.

CAPVT XVIII.

DOCTOR.

PVlchre conuenit cum improbis cinœdis, ait poeta Catullus. Similiter Caluinus egregie consentit cum quibusdam Lutheranis in affingendis pluribus enormibus vitiis huic sanctæ Discipulæ Domini nostri. Vt *quod inutiles fletus, & superfluos gemitus profuderit, quod stulto carnalique affectu abrepta fuerit, quod incredulitatis vitio factum sit ne Christum vel mortuum vel viuentem reperire potuerit, ab Angelis reprehensa sit, in comparando vnguento peccarit, mulier superstitiosa & infidelis fuerit:* & id genus criminationum, quibus ei inuidiam conflare nituntur. MINIST. Deus bone, quam sunt diserti copiosique in maledicendo! in quo certamine mutum & elinguem esse præstaret, vincique honestius est quam vincere. Sed vnde contumeliarum istarum sentinam hausisti? DOCT. Audi verba Gallici hæresiarchæ de ipsa, & sociabus eius loquentis: *Fœminæ istæ fletibus sese discrutiant, & gemitu inutili ac superfluo. Nihil aliud eas circa sepulchrum detinuit nisi superstitio implicata stulto carnalique affectu.* *In c. 20. Io.* MINIS. Quid antistrophus Lutheranorum chorus exaduerso responsat? DOCT. Georgius Aemylius scribit: *Infirmitas, ignorantia, adeoque incredulitas in illis tanta fuit, vt Christum nec mortuum nec viuentem potuerint inuenire.* *In festis Pasch.* Antonius Coruinus *curiositatis & incredulitatis* easdem rursus accusat, *quod sine mandato Dei vnguenta coemerint, &c.* *In cap. 28. Matth.* Melancthon ait: *Angelus obiurgat mulieres.* Denique Erasmus Sarcerius sanctas & religiosas matronas istas sæpius appellat *Mulieres cæcas, stultas, incredulas, carnales, & infideles.* *In c. 16. Marc.* An aliud præterea desideras?

MINIST. Imo vero hæc nauseam mihi mouent, vel iustam potius indignationem. *Confut. 1.* Huiusmodi namque contumeliæ scriptis & concionibus publicatæ aduersus Sanctas, iam cœlesti Paradiso susceptas, idque ab iis qui non solum se supra vulgus sapere arbitrantur: sed etiam cunctis antecessoribus nostris antecellere se iactitant in eruendo vero Scripturarum sensu, qui morum ac D doctrinæ magisterium, & omnium reformationem tanquam recentes Apostoli ac Euangelistæ de cœlo delapsi vendicant: tam atroces, inquam, contumeliæ à talibus Aristarchis in Sanctos cœli ciues vibratæ, nihil aliud gignunt apud mundanas, & immoderatæ libertatis animas, nisi ludibrium Paradisi toties inculcati & tantopere desiderati: nisi derisum diuinarum promissionum: nisi despicientiam Scripturarum: nisi denique damnabilem contemptum veri Dei & Christi filij eius, quem in vltimo iudicio venturum exspectamus, vt cumulate Sanctos

ctos glorificet, ac reprobos plectat in æternum. Cui vero huius mali labes accepta ferenda est, nisi sacrilegæ Sanctorum & Sanctarum despicientiæ & detractioni, quam Caluinus & similes inuexerunt? Quis enim ita se parabit, vt credat, faciat, viuat quemadmodum mulieres excæcatæ, stultæ, ridiculæ, carnales, & incredulæ? Sequatur anilem metum superstitiosarum? Complecti velit Euangelium, in quo fatuæ & carnales affectiones Deo probentur? Credet eum à mortuis resurrexisse, quem primo omnium tam imprudentes & ridiculæ fœminæ nuntiauerunt? Denique, quid aliud est quam demere authoritatem Euangelio, cum primi eius prædicatores tot atrocissimorũ criminum insimulantur? Nihil addam vlterius, tu me tacente, facile tibi subiicis, quæ grauius in hanc sententiam adferri possunt.

2. DOCT. Excutiamus sigillatim vnumquodque crimen, vt hac ratione falsitas & calumnia manifestius patefiat. Primum caput accusationis est, *quod fletus & gemitus Magdalenæ Caluini iudicio, prorsus inutiles ac superflui fuerint*. Contra vero, sanctum Euangelium ostendit, & Chrysostomus interpretatur, eam à Deo lachrymis suis impetrasse quidquid postulauerit, hoc est, remissionem peccatorum, pacem conscientiæ, reconciliationem cum Deo, liberationem à septem dæmoniis, resurrectionem fratris sui, colloquium cum Angelis, & vt non solum videret, sed etiam contrectaret, oscularetúrque pedes resuscitati Domini, hocque prima nunciaret Apostolis, & sempiterna tandem gloria perfrueretur. Sunt ne hæc inutilia & friuola? MINISTER. Sane, si Caluino credatur: sin veritatis vocem obaudias, inæstimabilem habent fructum ac vtilitatem.

Luc. 7. 8. Io. 11. 20. Matth. 28. Luc. 24. Marc. 16.

3. DOCT. Deinde feruens illa charitas & dilectio, qua bonæ mulieres istæ Filium Dei prosequebantur, triste desiderium quo cõmouebantur ob ademptum sibi dulcem ac fœlicem eius conspectum, constans fiducia quod eum breui cernerent rediuiuum iuxta promissiones tam claras vt hostes non laterent, quarum expectatio ipsas detinebat iuxta sepulchrum: hæc inquam, omnia merentur ne vocari *Superstitio carnali & stulto affectu implicata*, quem titulum Hæreticus iis inscribit? Nonne tam detorta interpretatio à praua mente manat, contrariaque sanctis affectibus erga Saluatorem mundi? Ioseph & Nicodemus adstrinxerunt ne se anili

Matth. 27. Io. 19.

superstitioni cum inunxerunt, inuoluerunt, & composuerunt in sepulchro Redemptoris corpus? Aut Isaias hallucinatus est cum gloriosum & magnificum illud fore prædixit? Vel Angeli stulti & carnales fuerunt, cum toties, tamque reuerenter ibidem astiterunt? An omnes prisci Christiani vituperandi sunt, quod ad idem sepulchrum tã religiose se contulerint, idque cultu prosecuti sint, inde terram reportarint, visis ibidem plurimis miraculis, quæ à priscis & sanctis Patribus commemorantur? Petrus & Ioannes eximij Apostolorum, graue piaculum (Caluini censura) commiserunt, cum eo tanta diligentia & deuotione festinarunt? Certe cum Magdalenam superstitione carnali, stultaq; affectione condamnant, quod aliquantisper ad sepulchrum Domini morata sit, consequens est vt eodem crimine supradicti omnes inuoluantur.

Isa. 11. Matth. 28. Io. 20. Hier. ep. ad Marc. ad Eustoch. Aug. 20. de ciuit. c. 8. Io. 20.

MIN. Quid sentis porro de Aemilio scribente, *quod infirmitas, ignorantia, adeoq; incredulitas in illis mulieribus tanta fuit, quanta meruerunt vt Christum nec mortuum, nec viuentem potuerint inuenire*? DOCT. Aio tantam arrogantiam, malitiã, & hæresin in eo protestante fuisse, vt ex Diametro pugnet cum Euangelistis testificantibus, quod Magdalena Dominum in horto obuium habuerit, cum eo locuta sit: ipsa & sociæ eius offenderint eum in via, à quo consalutatæ fuerint, cuius pedes amplexæ sint, quem supplices adorauerint: eaqu[illegible]ma beneficio constantiæ perseuerant[illegible]e consequi promeruerunt. Aemilius igitur ille mera mendacia fundit, & expresso Dei verbo manifeste aduersatur. 4.

Io. 20. Matth. 28.

MIN. Coruinus crocitat *eas curiositatis & incredulitatis vitio peccasse, quod sine mandato Domini aromata comparauerint*. DOCT. Respondeo eum falsa fallacique ratione fundari. Nam Abel, Noe, Melchisedec, Isaac, Iacob, Iob, & alij complures Sancti, Dona & sacrificia Deo grata obtulerunt, citra expressum eius mandatum: nec ideo curiositatis aut infidelitatis reprehensionem incurrerunt. Quot sanctas cærimonias erga fœderis arcam Dauid vsurpauit, quot ornamentis templum Salomon condecorauit, non exspectato Dei præcepto? Quod nam quæso mandatum habuerunt Hebræorũ paruuli, vt palmarum ramos manu prætenderent, clamarentque, *Osanna filio Dauid*? Quod item patres eorum, vt strata viarum pallius suis insternerent, per quas Christus vrbem Ierosolymorum 5.

Matth. 21. Io. 12.

Luc. 7. lymorum ingrediebatur? Similiter quis in A
Matt 26. mandatis ipsi Magdalenæ dederat, vt semel
Mar. 14. atque iterum inungeret Saluatorem, crinibusq; suis pedes eius abstergeret? Atqui hoc mulieris officium Deo gratū accidit, Christiq; suffragio comprobatum fuit contra omnes maledicos obtrectatores. Quare Coruinus iste licet ad coruos eat, & cum proditore Iuda crocitet, imponemus ipsi fibulam voce Domini: *Quid molesti estis huic mulieri? Sinite illam, &c.*

6. MIN. Est ne Melanchton extra culpam maledicentiæ, cum ait: *Angelus obiurgat mulieres?* DOCT. Verba quibus eas alloquitur, *Quid quæritis? Viuentem inter mortuos?* sunt potius salutaria monita, & suauissimarum cōsolationum plena, quam reprehendentis iurgia. Id quod Angelus ipse satis indicat B
Matt. 28. cum ait: *Nolite timere vos: sed ite, dicite Discipulis*
Luc. 24. *eius, & Petro, quia resurrexit.* MINISTER. His sane verbis reuocantur à terrore quem conceperant, iubenturque bono animo esse, & exoptabilem nuntium discipulis nuntiare. Cum autem simili sermone totidemque verbis Angelus Virginem Mariam attonitam, & Pastores stupefactos confirma-
Luc. 1. 2. rit dicens: *Nolite timere, &c.* Manifeste patet, in hoc ad vtranq; Mariam alloquio nullam obiurgationem versari, sed dulcissimam C consolationem, qua tunc mulieres istæ plurimum indigebant.

7. Verum, quid de Sarcerio iudicas, qui hasce fœminas appellat *Mulieres cæcas, fatuas, ridiculas, carnales, & infideles?* DOCT. Dignam esse vocem impudenti Prædicante: sed indignissimam homine Christiano, prorsus inauditam priscis patribus: sed prope quotidianam nostris temporibus in oribus & scriptis hæreticorum. Sufficit porro pijs omnibus ipsa calumniarum sola recitatio, vt ab ijs tanquam à capitali peste refugiant, nedum vt accuratam refutationem desiderēt.
Hieron. Nam hæreses denudasse, refutasse est. Patet D enim prima fronte blasphemia.

8. MIN. Non possum etiam adduci, vt credam antiquos Patres ac Doctores Ecclesiæ tam acerbos fuisse iudices aduersus cœtum illum piarum fœminarum, atque fuerunt supradicti Prædicantes. DOCTOR. Nunquam eas nisi honoris causa nominarunt, vt
L. Diuin. earum charitas & deuotio promerebatur.
officiorum. Rupertus enim eas vocat, Mulieres IESV
In cap. 23. Christo deuotissimas. Sanctus Beda: San-
Luc. ctas fœminas, quæ constantissime omnium
Hom. 21. Christo adhæserunt, & eum arctissimo amore dilexerunt. Gregorius: Sanctas Dominas, quæ comites indiuiduæ secutæ sunt Dominum Christum proficiscentem è Galilæa in Ierusalem, deditas omnibus humanitatis officiis, ac legi diuinę. Emissenus, pleno ore earum laudes decantans ait: Considera quo dilectionis igne interius ardebant, Hom. in festo Pasch. quæ fœminæi timoris & fragilitatis oblitæ, non solum in nocte veniunt: verumetiam confidenter in monumentum ingrediuntur: vnde & consolationis verba audire meruerunt.] Hieronymus asserit eas Angelico Com. in alloquio & consolatione recreatas fuisse, Matth. diligentiaque promeruisse, vt Dominus ipsis obuiam veniret: sententiamque suam confirmat his Euangelistæ verbis: *Egressæ à* Matth. 28 *monumento cum timore & gaudio currebant: vt nuntiarent Apostolis. Et ecce Iesus occurrit eis dicens, Auete, Illæ autem accesserunt, & prehenderunt pedes eius, & adorauerunt eum.* MINIST. Non magis de huius interpretationis veritate ambigo, quam de ipsius Euangelij certitudine: satisque cognoui ex iis quæ hactenus disseruimus, Caluinum & cæteros de genere hoc ex professo deprehendi capitales inimicos Sanctorum & Sanctarum Paradisi, quibus auspicantur bellum illud atrox & postremum indicere, quod de Filio Dan. 7. perditionis Scripturæ vaticinantur: At relictis Sanctis filijs hominum, velim nunc de Beatis Angelis disquisitionem institui.

SANCTI ET FOELICES ANGELI non sunt despiciendi, non habendi pro vanis, debilibus, stultis, aut mendacibus creaturis, non sunt rei coram Deo, sed iustitiæ eius satisfaciunt, eidem morem gerunt, nec peccant mortaliter, nec continenter, contra 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. errorem Caluinianorum.

CAPVT XIX.

MINISTER.

Mirabor si spiritus Angelici, qui semper vident faciem Patris qui in cœlis est, aculeos Caluinianæ Bezanæque mordacitatis non persentiscerent, cum nec sanctissimi Matt. 18. Patriarchæ, Prophetæ, Præcursor, Apostoli, ac Euangelistæ, nec vllus ex cœtu Sanctorum, virulentam eorum maledicentiam declinare potuerit.

DOCT. Caluinus fœcundum pectus cōcutiens ad eos fortiter strenueq; calumniādum

In c. 8. Ro. v. 38. dum ita separat. *Licet nobis* (inquit) *abuti etiam ipsis Angelis ad propugnandam veritatem*, id est, tetros errores suos, & fanaticas opiniones suas, pro quibus asserendis & promulgandis, sibi & gregalibus hanc licentiam indulget, vt impune abutantur ipsis Angelis, perinde ac si essent aliquando hostes meræ germanæque veritatis.

Hoc iacto fundamento superbissimæ Angelorū contēptionis, audi quid superstruat, vt ex eius Gallico sermone, Latinum reddemus ad verbum: *Angeli*, inquit, *ipsi non possunt satisfacere iustitiæ Dei.* Quo concesso, necesse erit eos affines esse peccatorum mortalium, neque enim venialia delicta quædam esse vel dici, Caluinistæ sustinent. (Instit. l. 3. c. 14. §. 16.)

Alibi mirifice fræna laxat ingenio, copioseque detrahit tam de Dei ipsius, quam beatorum Angelorum eius puritate, his verbis: *Si Deus summo iure cum Angelis agat, inueniet quod in iis desideret, non exstabit in ipsis constans & perpetua firmitas, sed vanæ, debilesque creaturæ deprehendentur. Angeli ipsi Deo satisfacere nequeunt. Deus non reperit solidam veritatem in Angelis suis sed stultitiam & vanitatem. Est in ipsis vanitas & inconstantia.* (Serm. 16. Iob.)

Deinde, veritus scilicet ne quis hæc dici putaret de apostatis, & preuaricatoribus Angelis, quos Scriptura diabolos appellat, protestatur se loqui de ijs qui perstiterūt in prima integritate & obedientia Dei: & sic filum maledicæ orationis pertexit: *Angeli nihil in se habent vnde possint gloriari. Deus in iis offendit stultitiam & vanitatem. Deus pronunciat stultitiam & vanitatem exstare in Angelis, hoc est contagionem & labem peccati: nec subsistere possent in iudicio Dei, si rigide cum ipsis experiretur. Deus in Angelis deprehendit quod requirat. Angeli qui faciem eius intuentur, non ad eum perfectionis gradum peruenerunt, vt nihil in iis desideretur, si Deus stricto iure cum illis ageret.* (Ibidem.)

Alibi rursum tradit, *Angelos cœlestes turpitudine libidinum humanarum posse corrumpi ac deprauari.* Denique, *obedientiam quam præstant Deo non esse tam perfectam, quin venia indigeat.* At vero vbicunque venia opus est, peccatum & culpam preexistere necesse est. Igitur beati in cœlesti Paradiso Angeli secundum Geneuanum Apostolum, cum assidue obtemperant Deo, peccant semper, actualiter, mortaliter, & damnabiliter. (In c. 23. Mat. v. 15. In c. 1. ad Coloss.)

Postquam Caluinus hunc latum limitem patefecit ad obtrectandum & illudendum sanctis Angelis Dei, vniuersa Prædicantum agmina tanta rabie debacchari cæperunt in ipsos, vt nemo tam postremæ sortis homuncio repertus sit, qui non aliquod nutrimentum huic flammæ subiecerit. Petrus Vermilius enim scribit: *Non sunt prorsus omni affectionum* (prauarum, intelligit) *genere spoliandi Angeli. Credamus scripturis* (ab istis hominibus deprauatis scilicet) *quæ testantur sanctos Angelos huiusmodi affectibus laborare. Sed quomodo intelligemus eos subiectos esse vanitati? facile, &c.* (In c. 8. ad Rom. & in loc. com. pag. 83.) Lambertus Danæus eosdem impuritatis arguit dicens: *Angeli sancti ne coram Deo quidem puri sunt, ideo aliena commendatione egent.* (In c. 61. Enchir. B. Aug.) Oecolampadius nihilo lenior aut mitior est scribens: *Deus contra Angelos suos distortum quid excogitauit: In Angelis est quod taxari potest à Deo, &c.* (Com. in c. 4. Iob.)

MINISTER. Reliquos huius furfuris aut prætermitte, aut in aliud tempus reijce, quæso. Recensuisti enim iam ad minimum decem peccatorum genera, quæ ingeniosi isti vitilitigatores affingunt Angelis cœlestibus: in qua tamen accusatione manifestius & turpius inter se dissident, quam in cæteris præcedentibus errorib. Caluinus n. in hanc sententiam scribit: *Cultus ille quem Angeli exhibent Deo, perfectus est ab omni parte, quatenus perfectio in creaturam cadere potest: idcoque cum in precibus rogamus Deum, Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra, protestamur nullam esse in Angelorum obedientia contradictionem: sed Deum in iis tam pacifice dominari, vt per omnia voluntatem eius exequantur.* Ex quibus hæc axiomata contra eius superiores errores elicio. Cum cultus quem Angeli Deo deferunt, omni ex parte perfectus sit, Deus in eo nihil desiderat, sed acquiescit eorum perfectæ obedientiæ. Cum item nulla contradictio in eorum officio deprehendatur; nulla stultitia, nulla vanitas, nulla peccati labes in ijs reperiri potest, quæ veniam desideret. Præterea, si Deus in ijs pacifice regnat, eorumque voluntas per omnia diuinæ voluntati cōgruit; quacunque tandem vel lenitate vel iuris acerbitate Deus in ijs examinandis vtatur, obedientia eorum tam omnibus numeris absoluta reperietur, vt nihil requiratur amplius: nec vlla vnquam turpitudine aut impuritate libidinum humanarum inquinabuntur. Denique, cum superiora omnia tam probe per orationem Dominicam, confirmentur: perspicuum est Caluinianos errores tum ipsius suffragio, tum expresso Dei verbo abunde refutari. (Confut. 1. Serm. 16. in Iob. Mat. 6.)

2. Alibi item suo sibi iumento malum accersit cum ita scribit: *Inter Deum & Angelos nulla est* (In ca. 2. ep. ad Col.)

est defectio, nullum peccatum: ideoque nullum diuortium.

DOCTOR. Sane si nullum est peccatum obedientia eorum omnes perfectionis numeros habet, nec veniam desiderat: cum venia præsupponat antecedens peccatum. Item, si Deus ad rigidum examen illos reuocet, in ijs nullam vanitatis, stultitiæ, peccati ve labem offendet, nedum vt ipse tale quidquam immittat.

3. MINISTER. Pergit adhuc sibi repugnantia scribere, cum ait: *Angeli confirmati fuerunt gratia Christi. Non est autem de nihilo ad perpetuam cum Deo pacem obtinendam, habere firmum & tranquillum iustitiæ statum, nec amplius lapsum aliquem, aut defectionem formidare.* DOCTOR. At vero quisquis in gratia confirmatus est, non vltra peccare potest mortaliter: non igitur Angeli possunt vlla libidinis humanæ contagione deprauari aut corrumpi. Quisquis item pacem perpetuam cum Deo obtinet, non amplius tanquam reus in tristiorem sententiam incidere potest. Denique, quisquis firmum & stabilem iustitiæ statum & habitum adeptus est, nulli deinceps iniustitiæ, vanitati, mendacioq; subijcitur.

4. MIN. Non discedit à contradictorio spiritu suo, sed vsque perseuerat dissentanea loqui cum scribit: *Angeli nunquam à Deo alienati fuerunt, vt reconciliatore opus habeant.* DOCTOR. Quin igitur in vltimas terras deportentur monstra stultitiarum, vanitatum, debilitates, inconstantiæ, imperfectiones, médacia, turpia errata, deprauationes, corruptiones, & prauæ affectiones, quæ prauo opinionis errore isti alibi comminiscuntur? Hac nouissima sententia, nonne præcedentes cunctas criminationes tanquam diabolicas imposturas & calumnias suas diluit?

In c.17. Mat. v. 5.

5 MIN. Adest è collegio Caluini mel & delitium Bezæ, Lambertus Danæus, qui per omnia iustos, & culpa vacantes Angelos pronuntiat, ac proinde dictatoris Caluini, & Magistri equitum eius Bezæ sententias impietatis coarguit. *Sunt* (inquit) *soli homines, non Angeli, peccatores.* Et rursus: *Boni Angeli, in eo statu permanserunt, in quo creati sunt: qui cum sit beatus & fœlix, beati & fœlices sunt illi. Nunc autem incommutabiliter in eo statu beati sunt.*

In c. 25. & 57. Ench. B. Aug.

DOCT. Si soli homines peccatores, & non Angeli: Caluinus profecto falsus & fallax est, qui accusat eos vanitatum & stultitiarum. Et si boni Angeli permanserunt in pristino statu creationis suæ, plenam certe A & perfectam obedientiam Deo præstant. Non enim creauit eos Deus in statu præuaricationis aut cótumaciæ. Item, Angeli sunt incommutabiliter beati: nullis igitur conflictantur vanitatum, debilitatum, aut stultitiarum incommodis. Non possunt amplius excidere à statu conditionis quo conditi sunt. Caluinus ergo manifestarius calumniator deprehenditur, cum ait eos humanis turpitudinibus posse collutulari. Denique, nimis perfricta frõte insurgit aduersus beatos & familiares Dei seruos, cum tam impudenter eos criminatur. MIN. Habes argumenta mea, quibus sanctitatem bonorum B Angelorum contra virulentas Caluini & similium obtrectationes propugnandam putaui: & eadem illa ex ipsis Caluini lacunis potissimum desumpta. Quid tibi de ijs videtur?

DOCT. Totidem esse de hoste Angelorum Caluino debellato magnifica spolia & opima trophæa. His autem istud dilemma connectam. Si Angeli perfecte cumulateq; non obediunt Deo, culpa residet in alterutro, vel quod nolint, vel quod non possint. Si non possunt, extra omnem culpam sunt, Deus enim non præcipit aut efflagitat à pijs filijs ac seruis suis res factu impossibiles, nec C sinit quẽquam tentari supra id quod potest: & blasphemia reputatur à D. Hieronymo, & cæteris Patribus, si quis aliter sentiat. Nam mandatum eius non est supra nos. Iugum eius suaue est: & mandata eius grauia non sunt. Sin possunt, nec tamen velint, nihilo meliores erunt angelis præuaricatoribus & apostatis: quod impium & nefarium est vel solum cogitasse. 6.

1. Cor. 10. Ep. ad Damas. Deut. 30. Mat. 11. 1. Ioan. 5.

Præterea, cum Caluinus & asseclæ eius peccata venialia non admittant, sed omnia nullo discrimine habeant pro mortalibus & damnabilibus; si boni Angeli sunt adeo infirmi, vani, debiles, stulti, mendaces, inobe- D dientes, deprauati, & corrupti, vt venia indigeant: toties mortaliter peccant, quoties morem gerunt Deo: totiesque gratia & amore eius excidunt, indignos Paradiso, inferisque dignissimos seipsos reddunt, quoties vel quid volutant animis vel exterius operantur. Nonne vero Deus esset acceptor personarum, si cum alios æternæ damnationi mancipauerit, quod semel volũtate peccarint parceret his qui finem & modum peccandi nullum facerent? Nonne Deo sunt odio iniquus & iniquitas eius? Odio habet omnes qui operantur iniquitatem, siue 7.

Inst. l. 2. ca. 8. §. 58. 59.

Sap. 14. Eccl. 12.

Psal. 5. siue homines sint, siue Angeli? Non possunt A
Ioan. 8. iniusti consistere ante oculos eius? Qui fa-
Rom. 2. ciunt peccatum, serui sunt peccati? Tribula-
tio & angustia in omnem operantem malũ?
Apoc. 21. Malefici & contaminati partem habent in
stagno ardenti igne & sulphure? Talibus ve-
ro miserijs & calamitatibus beatos Angelos
subijcere, nonne est cœlum terræ commi-
scere, & inferos Paradiso commutare? MI-
NIST. Sane hæc absurda necessario seque-
rentur, si iuxta Caluini verba: boni Angeli
reipsa essent vani, stulti, leues, inconstantes,
praui, immorigeri, contumaces, menda-
ces, &c.

8. DOCT. An non ipse Filius Dei satis a- B
perte docet, obedientiam beatorum Ange-
lorum esse perfectam, & gratam coram Deo
Matt. 6. Patre suo, cum iubet nos precari, vt volun-
tas eius à nobis in terra fiat, sicut in cœlo ab
Angelis adimpletur? MINISTER. Id qui-
dem non Caluinus solum concedit, sed eius
assecla Danæus, qui plurimis Scripturę locis
Expli. ora. confirmat, *quod perfectissime & fidelissime obe-*
Dom. c. 15. *ditur in cœlis Deo. Nam beati Angeli & sancti di-*
cuntur Deum perfectissime prædicare, illique pare-
re. Et certe iidem Angeli dicuntur semper videre fa-
ciem Patris cœlestis, quoniam semper & in omni-
bus sunt Deo morigeri, imo obsequentissimi. Quo-
circa si perfectissime & fidelissime obe- C
diunt Deo, nihil requiri potest in huiusmo-
di obeditione. Si iugiter beatificam Dei fa-
ciem contemplantur, nullius certe stultitiæ,
nullius vanitatis, aut inconstantiæ labe con-
taminati sunt. Eiusmodi namque imperfe-
ctiones nullo modo cum vera perfectaque
beatitudine commisceri possunt. Denique,
si semper, & in omnibus sunt obsequentissi-
mi Deo, sicut hic ait, non sunt igitur impuri,
aut vitijs cõtaminati, sicut alibi criminatur.

9. DOCT. Dauid Rex & Propheta perfe-
ctam Angelorum obedientiam laudibus ex-
tollens, longe reuerentius ac religiosius lo-
quitur, quam iste grex Prædicantium, in- D
quiens: *Benedicite Deo Angeli eius, potentes*
Psal. 102. *virtute, facientes verbum eius, ad audiendum*
vocem sermonum eius. Benedicite Deo omnes vir-
tutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem e-
ius. MIN. Hic plane nullum verbum audio
de vanitatibus, de stultitijs, de leuitatibus, a-
liisque culpis & dehonestamentis, quæ Cal-
uiniani ipsis aspergunt, vt nihil inter diabo-
los infernales & Angelos cœlestes eorum
sensu interesse videatur. Contra vero, a Da-
uide nihil celebratur nisi perfectũ ab omni
laude, cui nihil in cumulum adijci possit.

Quin & Danæum puduit pristinæ impurita-
tis, ideoque palinodiam cecinisse videtur
his verbis: *Lubentissime Deo parent Angeli san-* In orat.
cti, non obmurmurantes, non tergiuersantes, &c. Dom. c. 15.
Item, citissime seu celerrime, non perfunctorie, De-
nique, & fidelissime, &c.

DOCTOR. Quid igitur Caluino, & cal- 10.
uis eius dici potest maledicentius, & contu-
meliosius qui beatis Angelis tot criminum
infamiam inurere conatur? MINISTER.
Nihil quidem me iudice. Sed hæret scrupu-
lus in libro Iob, nempe: *Et in Angelis suis repe-* Iob. 4.
rit prauitatem: quem si ademeris, causa hæc
perorata fuerit. DOCTOR. Nihil est quod
facilius expedire possim, nec id à me adfe-
ro, sed à Diuo Hieronymo, & laudato eius Com. in ca.
discipulo Philippo Presbytero, Beda deni- 4. Iob.
que venerabili: qui superiora Eliphæ The-
manitis verba de superbis & præuaricatori-
bus Angelis (i. Diabolis) interpretantur: de
quibus & Seruator dixit eos *à principio men-* Ioan. 8.
daces & homicidas extitisse, nec in veritate per- 2. Petr. 2.
mansisse. De iisdem Petrus quoque ait: *Deus*
Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus in-
ferni detractos in tartarum tradidit cruciandos re-
seruari. Et beatus Iudas. *Angelos qui non serua-* Iud. v.
uerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum
domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æter-
nis sub caligine reseruauit. His quoque subscri-
bunt Athanasius, Chrysostomus, Olympio-
dorus Patres Græci, pro vt in Cathena Grę-
corum in librum Iob diffuse recitatur.

FOELICES ANGELOS IN COELO
distributos esse in ordines nouem: & tres
Hierarchias, contra 71. & 72. er-
rem Hugnosticum.

CAPVT XX.

DOCTOR.

AVthores vestri non contenti famam,
dignitatem beatorum Angelorum
probris incessere, pro viribus turbant &
confundunt eorum distinctionem, negan-
tes Deum eos sic in regno cœlesti disposuis-
se, vt distributi essent in nouem ordines, &
tres Hierarchias.

MINISTER. Memini certe Caluinum
petulanter illudere huic doctrinæ, *quam* Inst. li. 1. c.
ait esse merum commentum, & insanientem sa- 14. § 4.
pientiam confictam à nescio quo Dionysio, & cæt.
Danæus Caluini discipulus illum eundem
Dionysium adhuc iniuriosius & contem-
ptius

In Enchirid. Aug. cap. 58. ptius eum appellans, negat fuisse Areopagitam, & discipulum Pauli Apostoli: quinimo, non erubescit eum vocare *hominem Platonicum, & parum, aut nullatenus Christianum*: pertinaciterq; oppugnat descriptas ab eo classes & hierarchias Angelorũ. Alibi etiam reiicit quidquid alij Theologi super hac re definiunt, *tanquam vanitates, remque temerariã à Scholasticis inuentam*. Isagog. 2. parte c. 15. Cent. 3. cap. 4. & Cent. 4. cap. 4. Beza, Sacerius, Centuriarũ sarcinatores, non sine contumeliis & irrisionibus eiusdem Dionysij, in eodẽ errore versantur, negantq; omnem ordinem hierarchicum esse inter hosce spiritus cælestes atq; beatos.

Confutatio. 1. DOCT. Cedo, quæ tua sit sententia? MIN. Primũ grauis & molesta mihi est omnis in Sanctos criminatio: quæ non potest aliunde, quam à spiritu blasphemiæ deriuari. Sed vbi docueris me, quid ordinis & hierarchiæ nominibus designetur, videro quid habeam ad interrogationem tuã respõdendũ: DOCT. Ordo est multitudo cælestium spirituũ cõuenientium inter se paritate donorum à cælesti gratia collatorum. Exempli gratia omnes Seraphini dicuntur esse in vno, primoq; ordine, quia pares sunt in ardore dilectionis erga Deũ. Cherubini sunt vnius ac secundi ordinis, quia conueniunt in eiusdem scientiæ Diuinæ communionem. Throni vnũ, & tertium ordinem constituunt, quia Deus per eos æqualiter iudicia sua decernit: & ita deinceps de reliquis sex felicium illorum spirituum ordinibus. MINIST. Quid autem est Hierarchia. DOCT Sacer principatus ita rite dispositus à Deo inter hos cælestes spiritus, vt ex iis quidam sint supremi, alij medij, alij infimi, veluti Cherubim, Seraphim, & Throni sint in prima hierarchia: Dominationes, Virtutes, & Potestates in secunda: Principatus, Archang[illegible] & Angeli in tertia.

2. MIN. Nihil certe in iis omnibus animaduerto, quod non spectet ad gloriam Dei, & ornamentum illius aulæ supercælestis. Nihil quod à sacris literis discrepare videatur. Itaque facere non possum quin & hæc approbem, & ijs contradicentes reprobem ex animo. DOCT. Primo autem loco, certum est ordinem Angelorum inculcari confirmariq; tam aperte monumentis veteris ac noui Testamenti, vt eum inficiari nemo posit, nisi qui transfuga veritatis manifeste in castra Sadducæorum & Atheorum transire non dubitauerit. 1. Thess. 4. Iud. v. 9. Dan. 9. Deinde, Apostolus diserte meminit Archangelorum. Beatus Iudas appellat Michaelem Archangelum. Daniel, vnum de principibus primis: & in quarto libro Esdræ mentio fit Archangeli Ieremiel. S. Paulus quoq; loquitur de Thronis, Coloss. 1. Ephes. 1. Dominationib. principatibus & Potestatibus: qui sunt sex classes siue ordines beatorũ ac cælestiũ spirituum. Alibi disserit de virtutibus, tanquam de speciali quodam genere Angelorũ, qui septimus erit numerãdo. Moses Cherubim in anteriore parte Paradisi Rom. 8. terreni collocatos fuisse scribit: horumq; imagines in Arcæ fabrica & collocatione frequenter meminit. Gen. 4. Exod. 25. Isaias se cantica Seraphinorũ audiuisse perhibet. Isa. 6. Si ergo recte calculum ponas, & summam computes, videbis Scripturarũ authoritate, nouem nec plures, nec pauciores cælestium spirituũ ac nũtiorum ordines, quibus exornatur cælestis Paradisus, omnino comprobari. Non est igitur hæc doctrina, inuẽtio humana, vt garrit hæreticus, sed diuina reuelatio: nec futile commentum, vt calumnietur: sed hausta ex Scripturis authoritas: sed neq; Scholasticorum fictio, sed Sanctorum Prophetarum & Apostolorum certissima atque clarissima traditio, quæ sine contumelia in Spiritum sanctũ reiici non potest.

3. MIN. Non possum idcirco eorum præfractam impudentiam & audaciam qui hanc doctrinam aspernantur, satis mirari ac horrescere, cum in alijs Scripturis quidam ex Angelis magni Principes vocitẽtur, qui ius imperandi habeãt, & quibus obtẽperent inferiores: vt proinde necesse sit ordines inter eos, & Hierarchias quasdã intercedere. Dan. 11. 12. Zach. 1. Ps. 102. Dan. 7. Ephes. 1. 6. Matth. 26. Luc. 2. Deinde, cũ in legiones disparentur, nominenturq; exercitus, militia, & virtutes cælestes, vt Euangelium loquitur, nonne statuendum est eos, velut in manipulos, & certas cohortes distribui, in quibus sub auspicio summi Imperatoris Dei, quidam præsint, & imperent, alii vero obsequãtur? Quid autem hoc aliud est, quam certis ordinibus, Hierarchiis, seu sanctis principatibus distingui? Enimuero sic mihi videntur hæc omnia congruere cum expresso Dei verbo, vt pluribus citãdis non sit immorandum. Veniamus ad sanctam doctamque antiquitatem.

4. DOCTOR. Anselmus & Isidorus ipsa Ministrorum concessione, non sunt numerandi cum Scholasticis: vterque tamẽ fretus Scripturis quas modo referebamus asserit Angelos prudentissimo sapientissimoque Dei consilio, in cælis partitos esse in tres Hierarchias & nouem ordines. Grego- In cap. 1. Coloss. L. de summo bono c. 12. Hom. 34.

(In Euang. l.4. Mor.c. 27. Epi.5.l.4.) rius his antiquior, tribus diuersis in locis, ordine recenset nouem istos Angelorum ordines, declarat quibus in rebus congruant aut discōueniāt, exponit significationes nominum & officiorum, & omnia confirmat Prophetarum & Apostolorum certissimis testificationibus. (Cap.11. L. de cognitione vera vita c.8.) Augustinus libro ad Orosium, palam pronunciat se hanc sententiā vera certaque fide complecti. Alio vero in loco scribit, quemadmodum Luna cæteras stellas lumine superat, ita supremus Angelorum ordo vincit inferiorem gloria, dignitate, & omni excellentia. (In cap.1. Ephes. L.2. adu. Ruff. In cap.1. ad Eph.) Hieronymus authore S. Paulo docet in beatis spiritibus esse Principatus, Potestates, Dominationes, & Virtutes super cælis, quorum figuras adumbrant in terris Reges, Duces, Tribuni, & Centuriones, quorum mentio fit in libris Regum & Numerorum. Sedulius aperte dicit: Nouem Angelorum scimus ordines, &c. & nomina singulorum pro viribus exponit.

MINIST. Hi quidem testes sunt, vt ait vetus verbum, ex Iouis tabulis: sed omnes ab Ecclesia Latina: nullos ne habes ex Græcia? DOCT. Permultos equidem, & plures quā Latinos. (Hom.3. contr. Anom. Ho.4. in Gen.) Chrysostomus in Litorgia sua sæpe dilaudat hos ordines Angelicos: alibi recitat eorum nomina cum subiectis rationibus, & officia cuiusque describit. (Hom. de laud. Deipara.) Epiphanius ait omnes immortalium spirituum classes in admirationem raptas fuisse, cum viderent æternum Dei Filium assumpta carne ex vtero Virginis mortalem factum fuisse. (Or.2. de Theol.) Nazianzenus grauiter & eleganter velut habito delectu illos recenset. Athanasius ille magnus quarto Sermone aduersus Arrianos recitat omnes Angelorum ordines, sentit cū Euangelio, eos semper intueri faciem Patris, qui in cælis est. (Matth.18.) Cum interpretatur locum, *Omnia mihi tradita sunt: à Patre meo*, ordine nouem ordines Angelorum enumerat. (Resp. ad 4. quæst.) In responsis ad quæstiones Antiochi hanc eandem doctrinam authoritate Diui Dionysij confirmat, quem ait magnum & excellētem Theologum extitisse. (L.2. contr. hæres. L.8. contr. Cels.) Methodius Martyr ab Epiphanio citatus, & Origenes Martyris filius, in multis tractatibus, hos ordines & Hierarchias Angelorum agnoscunt, de iisque copiose & Catholice disserunt. (Apolog.) Ante hos omnes Athenagoras non minus excellens Philosophus, quam sanctus Doctor Christianus, asseuerat, quod magnus ille Creator vniuersitatis Angelos in classes ordinauit centuriauitque. (Orat. de consum. sæ-) Hippolytus martyr ait fore, vt omnes Angelorum ordines & A Hierarchiæ præsto adsint Domino, cum venerit ad iudicandum viuentes & mortuos. (culi.) (L.2. ca.54.) Irenæus Martyr veteribus Gnosticis exprobrat, quod aut capere non poterant, aut meditari detrectabant eximios illorum ordines. (Ep. ad Trall.) Ignatius Martyr cum has nouem classes, & veluti curias cælestium spirituum recenset, palam facit omnibus scientiam & fidem quam de his imbiberat, à sanctissimo præceptore suo Apostolo ac Euangelista Ioanne haustam esse. (Li.8. const. c.16.) Clemens Pauli cooperator, Petri successor, & Martyr, inito similiter eorum numero, affirmat illos indesinēter in cælis laudes sanctissimæ Trinitatis de- B cantare. (Li. cal. hierarch. ca.5. 6.7.8.9.) Dionysius Areopagita primum Atheniensium, inde Parisiensium Episcopus (quidquid obganniat recens hæreticorum co[.]rs) doctrinam istam ex professo copiose & erudite enucleat, atque Angelos tributos esse in nouem ordines, & tres hierarchias protestatur, vti à præceptore Paulo de hac sapientia inter perfectos disserente, abunde didicerat & acceperat.

MIN. Non video quas probationes firmiores & certiores quisquam desiderare possit, si mentis compos sit: præsertim si opera quæ tribuuntur Dionysio, Areopagitæ, vere illius sunt. (Appendic. hi.) DOCTOR. Idipsum C alibi planum feci: deinceps etiam Deo iuuāte magis ac magis id suo loco facturus. MIN. Aliud ergo argumentum persequamur.

VNVSQVISQVE NOSTRVM peculiarem Angelum habet deputatum à Deo conseruatorem & defensorem, dum in hoc vita curriculo peregrinatur: aduersus 73. errorem Hugnosticum.

CAP[.]T XXI.

DOCTOR.

D DIfferendum itaque de officiis eorum, & diligentia qua nos seruant, vtilitati nostræ consulunt, & in certaminibus periculisque cunctis defenduut. MINIST. Caluinus & ministri eius fatentur quidem Angelos iussu Dei Imperatoris summi pro nobis velut in statione positos: sed pertinaciter negant assignatum esse vnicuique hominum particularem, & doctrinam huic opinioni contrariam vocant, *Falsam, profanam & inuentionem Diaboli, ad minuendam fidem, quæ vni & vnico L[.]o debetur.* (In ca.32. Gen. in 18. Matth. & 12. Act.)

DOCT.

Confutatio. DOCT. At mihi facile est testimoniis Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum,
1. & totius sanctissimæ antiquitatis probare hanc sententiam veritate niti, sanctam esse, consolatricem animarum, & confirmatricem fidei, spei, & amoris, qui Deo omnipotenti trino ac vno debetur à nobis. MINIS. Cedo primùm probationem ex Prophetis.
Gen. 16. 21. DOCT. Moses in primis refert bonum Angelum Agaris ancillæ Abrahæ, exulanti muliérculæ astitisse, præcepisseque vt modestius erga Saram dominam se gereret, prædixisseque eidem futuram à filio Ismaele prolem, & puteum aquæ ostendisse, vt sitim restin-
Gen. 22. 24. gueret. Tutelaris genius Abrahæ prohibet,
Gen. 31. 32. & 48. quominus filium interficiat, ipsique reuelat in semine eius benedictum iri omnes gentes. Angelus Eliezeris serui Abrahæ, comitatur & seruat eum in itinere Mesopotamiæ. Angelus Iacob eum admonet, vt in patriam reuertatur, cum eo luctatur, ipsi benedicit, eum recreat aduersus minas Esau fratris: itaq; eũ inuocat, cum benedictione sua filios Iosephi prosequitur. Pantaleo Constantinopolitanus Diaconus, Hebræorum traditione subnixus, affirmat hunc Angelum fuisse Michaelem, quem Deus designauerit ad custodiam veterum illorum Patrum: qui & eidem longa post serie Mosem, Dauidem, & beatam Mariam Virginem defensauerit. *Encomio D. Michael.*
Chrysostomus ex his quæ dicta sunt, aperte recteque colligit, vnicuique Adami filio destinatum esse tutelarem Angelum: & quod vnusquisque credentium Angelum habet. *Hom. 3. in ep. ad Coloss.*

2. Angelus Gedeonis eum salutat, iubetque vt bellum Madianitis inferat, Israelem acer-
Iudic. 6. bæ seruitutis eius iugo liberet, seque ei spondet præsto futurum, fœlicem denique euentum repromittit. Bonus Angelus vxoris
Iudic. 13. Manue, matris Samson, prædicit ei conceptionem, natiuitatem, modum vitæ agendæ filij Samsonis: item, liberationem à seruitute Philistinorum quam procuraturus esset. vt diligenter obseruatum est a Diuo Cyrillo libro quarto aduersus Iulianum apostatam, hanc doctrinam olim, vt nunc faciunt Hugnostici, deridentem.

3. Angelus custos Eliæ fert ei in desertum
3. Reg. 19. quod edat, certiorem eum facit de longinquo itinere suscipiendo, iubetq; vt nuntios impij regis Ochoziæ duriter increpet, sequatur Abdiam quinquagenarium, eat in aulã,
4. Reg. 1. & confidenter mortem Tyranno denũtiet.
Tob. 5. Raphael Angelus iunioris Tobiæ cum in procinctu esset, apparet ipsi, ducemque in toto itinere præbet, liberat eum à pisce, & maligno spiritu: nuptias ei prospicit, domum eum reducit, & oculos Patris eius illuminat. 6. 7. 8.
Iudith præstitem Angelum secuta per hostium cateruas secura incedit, castitatem illibatam seruat inter impudicorum bellatorũ manipulos, & armata plusquam virili robore caput amputat Duci barbaro, deportatq; in vrbem, & patriam ab internecione lamẽtabili fortiter liberat. Angelus Danielis cum ipso in lacum leonum descendit, horum rabiem compressit, quominus eum vorarent obstitit, tandemque per Habacuc prandium asportari curauit. Zacharias Propheta paucis capitibus decies & sæpius inculcat bonum Angelum secum esse collocutum, & quibus vsus est verbis fideliter recitat. *Iudith. 13. Dan. 6. & 14. Zach. 1. 2. 3. 4. 5. 6.*

MINIS. Quam igitur & Caluinus, & qui hæresin eius sequuntur, miserabiliter excæcati sunt, & alios fascinant, cum hanc doctrinam *Prophanam esse* perhibent, quæ tot authoritatibus ac exemplis prophetarum cõprobatur? Dicunt id esse *falsum*, quod Spiritus sanctus toties tamque reuelauit? & *inuentionem Diabolicam* non formidant appellare, quod Deus omnipotens tot grauibus ac memorabilibus gestis dogma cæleste ac Diuinum esse confirmauit? Perge vlterius. DOCTOR. Dauid scribens, *Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*, Item: *Deus Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis*, euidenter demonstrat singulos mortales Angelum proprium vindicem & propugnatorem assiduum omni loco ac tempore secum habere. Cum Sapientissimus Hebræorum vetat proferre verbum blasphemiæ, ob reuerentiam qua quisque bono Angelo suo obstrictus est, hanc sententiam & fidem Patris sui constanter æmulatur, &c. 4. *Ps. 33. Ps. 90. Eccl. 5.*

MINIST. Pergratum mihi feceris, si hoc doctrinæ caput noui Testamenti, vt & veteris, authoritatibus communieris. DOCTOR. Iam in ipso limine Euangelij tanquam faustum omen occurrit Angelus Iosephi, qui significat homini, Virginem sibi desponsam grauidam esse non à quoquam viro, sed a Spiritu sancto certiorem eũ reddit de crudelibus insidiis Herodis: iubet vt in Ægyptum profugiat: post, opportuno tempore monet, vt reuertatur. Ad hæc, ipse Dei Filius perhibet Angelos paruulorum *semper videre faciem Patris qui est in cælis.* 5. *Matt. 1. 2. Matth. 18.*

Quem locum veteres Theologi tam Græci quam Latini ſic interpretantur, vt ſententiã quam tuemur, ipſi quoque propugnent.

6. In Actis Apoſtolorum Philippus Diaconus
Act.8. boni Angeli ſui miniſterio ad Æthiopem deducitur: & ab eodem in priſtinum locum re-
Act.10. portatur. Cornelius Centurio à ſuo monetur, vt Petrum accerſat, quo per eum inſtruatur & baptizetur. Paulus item à proprio An-
Act.27. gelo iubetur bono animo eſſe, ſitque certior futurum, vt coram Cæſare ſiſteretur.

7. Vniuerſa denique Chriſtianorum Eccleſia illuſtribus donis Spiritus ſancti recenter
Act.12. ornata, cum pulſaret Petrus veſtibulum domus vbi congregata erat, dicens: *Angelus eius eſt*, euidenter monſtrat, hanc penitus inſitam & peruulgatam in omnes ſententiam inualuiſſe, vt crederent vnicuique à Deo tributũ eſſe proprium Angelum ad defenſionem &
Com. in Act. tutelam. Id non dubitanter Chryſoſtomus adfirmat dicens: Et hoc verum eſt, quod vnuſquiſque Angelum habet. Oecumenius item ſcribit: ex hoc manifeſtum eſt, quemq; noſtrum habere Angelum. Si plura deſideras, & priſcorum patrum in hac re noſſe cupis, eorum ſententias & decreta iam dudum collegi aduerſus hunc errorem in Appendice ad Alphonſi libros aduerſus hæreſes.

8. MIN. Nihil aliud in præſentia ſcire ſtudeo, niſi quæ ſint effecta, quæ opera bonorũ iſtorum Angelorum circa curam & cuſto-
Soliloq. ca. 27. diam noſtram. DOCT. Magnus antiſtes Auguſtinus ea iſtis ex ſcripturæ ſacræ verbis tibi
Pſ.103. tradet: facis, ô Deus, Angelos tuos ſpiritus
Pſ. propter me, quibus mandaſti vt cuſtodiant
Iſa. me in omnibus viis meis, ne forte offendam
Pſ.124. ad lapidem pedem meum. Hi enim ſunt cu-
Luc.2. ſtodes ſuper muros ciuitatis tuæ nouæ Ieru-
Pſ.7. ſalem, & montes in circuitu eius, vigilantes,
1.Petr.5. & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem tuum, ne quando rapiat vt leo animas noſtras dum non eſſet qui eriperet, ille antiquus Serpens aduerſarius noſter Diabolus, qui quaſi leo rugiens ſemper circuit quærens
Gal.4. quem deuoret. Hi ſunt ciues beatæ nouæ
Heb.1. Ieruſalem, quæ ſurſum eſt mater noſtra, in
Pſ.90. miniſterium miſſi propter eos, qui hæredi-
Act.10. tatem capiunt ſalutis, vt eos liberent ab inimicis ſuis, & cuſtodiant in omnibus viis ſuis, confirment quoque & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant in conſpectu gloriæ maieſtatis tuæ. Diligenter nempe cõciues ſuos ſeruant, per quos ruinæ ſuæ ſciſſuras reſtaurari expectant. Ideoque magna cura & vigilanti ſtudio adſunt nobis omni-

A bus horis ac locis, ſuccurrentes & prouidẽtes neceſsitatibus noſtris, & ſoliciti diſcurrentes inter nos & te Domine, gemitus noſtros atque ſuſpiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos deſideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant enim nobiſcum in omnibus viis noſtris, intrant & exeunt nobiſcum, attente conſiderantes quam pie, quam honeſte in medio nationis prauæ & peruerſæ conuerſemur, quantoque ſtudio & deſiderio quæramus regnum tuũ & iuſtitiam eius, quantoque timore ac tremore ſeruiamus & exultemus tibi in lætitia

B cordis noſtri. Adiuuant laborantes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, de te (inquam) gaudentibus, compatiũtur patientibus, pro te (inquam) patientibus. Grandis eſt eis cura de nobis. Magnus eſt affectus dilectionis eorum erga nos. Et hoc totum propter honorem tuæ inæſtimabilis charitatis, qua dilexiſti nos. Diligunt enim quos tu diligis, cuſtodiunt quos tu cuſtodis, & deſerunt quos tu deſeris, nec diligunt operantes iniquitatem, quoniam & tu odiſti omnes operantes iniquitatem. Quoties bene agimus, gaudent Angeli, & triſtantur dæmo-

C nes. Quoties à bono deuiamus, Diabolum lætificamus & Angelos tuos ſuo gaudio defraudamus, &c.] Hactenus ille de effectis cuſtodum Angelorum.

MINIST. Aureas plane voces, & ex Diuinis ſcriptis delibatas retuliſti, quibus & officia bonorum Angelorum circa nos, & emolumenta, quæ ex illorum cuſtodia proueniunt, ſic docte & ſpeciatim exprimuntur, vt nihil poſsit dici Diuinius. Ex his etiam apparet Caluinianum errorem prorſus deteſtandum & diabolicum eſſe: catholicã vero doctrinam vere cæleſtem, piarum animarum multis modis conſolatiuam, mirificeq; ſuauem iis, qui diligunt Deum, & eius verbis

D promiſsiſque acquieſcunt.

BONI ANGELI NON SOLVM preces, ſed & lachrymas, & eleemoſynas, & alia bona opera piorum coram Deo offerunt: contra 74. 75. 76. Hugnoſticorum errorem.

CAPVT XXII.

DOCTOR.

MAtthias Flaccius Illyricus, Vvigandus
Cen. 5. ca. 4. & & tota illa manus Centuriatorum, tam

Cent.6.ca.4. tam absurdam putant sententiam veterum Patrum, qua censent preces, eleemosynas, & vota piorum hominum coram Deo per Angelos deferri, vt eam referant *inter næuos ac errores*, quibus eorum famam dehonestare conantur. Lambertus Danæus ex Caluini & Bezæ disciplina, sic de iisdem temere pronuntiat. *Defendi ex Dei verbo non potest.* Addit postea: *Nostras ad Deum preces neque audiunt, nisi nobis adiuncti* (videlicet, ac Angelicis, illisque purissimis mentibus aurium organis opus esset, ac eorum auditio non foret intelligentia) *neque etiam offerunt Deo.* Quin & eo impudentiæ prolapsus est, vt sanctissimum, doctissimum & antiquissimum Patrem Augustinum manifestariæ falsitatis condamnaret scribens: *Quod ait Augustin. Sermon. 7. de tempore. Angelos custodes à Deo datos, offerre Deo vota nostra, falsum est.*

Isagoges parte 2. ca. 17.

Isagoges, parte 2. ca. 16.

Confut. 1. MIN. Demiror certe tam dissentaneam in eis opinionum varietatem. Nam idem VVigandus alibi contrarium docet, *bonos nimirum Angelos piorum precibus delectari, easque ab ipsis offerri Deo, quia Raphael Angelus dicat Tobia, Ego obtuli orationem tuam Domino.* Beza item scribit: *Hæc est causa cur Ioannes hac visione didicerit, Sanctorum orationes in hoc mundo, scilicet pura illa precum & beneficentiæ sacrificia, Deo quotidie offerentium, per Angelorum ministerium Deo offerri.* Cum Angelos nominat, Danæi & Marlorati sui, contrariam interpretationem repudiat, qui locum ipsum Apocalypseos ad Christum detorquent: quem alio genere sacrilegii deprimunt à dextera Dei Patris, vt eum ad conditionem Angelorum amandent. Cum itaque secum dissideant, constanter eorum leuitatem aspernor, ac errorem reiiciendum censeo.

Syntag. ex vet. test. pag. 388.

Annot. in c. 8. Apoc.

2. DOCT. Admodum scite ac pie id facis, quandoquidem Spiritus in historia sacra Tobiæ sic aperte per Angelum loquitur: *In illo tempore exauditæ sunt preces amborum* (nempe Tobiæ & Saræ) *in conspectu gloriæ summi Dei, & missus est sanctus Domini Angelus Raphel, vt curaret ambos, quorum vno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.* A quo, amabo te, & per quem recitatæ? Discamus voce ipsiusmet Angeli dicentis: *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Hæc plane oracula cælestia, hæc verba Angelica, nedum Prophetica contra furiosas Centuriatorum & Hugnosticorum opiniones. Potest ne liquidius & firmius probari, preces, vota, lachrymasque piorum coram Deo sisti bonorum Angelorum ministerio?

Tob. 5. 12.

A

3. MIN. Quid si obiiciant in textu Græco seu Chaldaico diuersam lectionem exstare? DOCT. Etiam si sequamur eorum interpretes & Typographos, adhuc apertius sententia nostra comprobatur. Munsterus inter eos Hebraicarum & Chaldaicarum literarum callentissimus sic locum interpretatur: *Ego obtuli orationem vestram ante solium Maiestatis.* Alii vero: *Ego induxi memoriam orationis vestræ coram Sancto. Ego sum Raphel vnus de septem Angelis sanctis, qui offerunt orationes sanctorum, &c.*

B

4. MIN. Quid si vetus illud effugium quærant, *Tobiæ librum esse apocryphum, non canonicæ authoritatis?* quomodo repelles hoc telum? DOCT. Primum opponam Conrardi Pellicani comministri eorum clypeũ, qui principio Commentariorum suorum in hunc librum, & alios, ita scribit: *Perperam apocryphi, rectius Ecclesiastici appellantur.* Et in præfatione ad Lectorem: *Hi libri sic semper Ecclesiastici ac Biblici habiti sunt, vt in Ecclesia Catholica ab Apostolicis temporibus fuerint cum multa reuerentia lecti, &c.* Deinde, alibi probauimus aduocatis in testimonium viginti quatuor Patribus tam Græcis quam Latinis, & tribus Conciliis, hanc Tobiæ historiam iure optimo admissam & receptam esse ab omnibus piis inter Libros canonicos: quibus argumentis nemo eorum hactenus respondit, vt proinde constans & munita manere debeat huiusce libri authoritas.

Tom. 5. apud Froschouerum 1538.

Appendicu lib. 1.

C

5. MIN. Perge porro probare quod instituisti, nempe orationes, lachrymas, eleemosynas, & bona opera fidelium Deo per bonos Angelos offerri. DOCT. Angelus aperte dicit Centurioni Cornelio: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Domini.* Quomodo vero ascenderunt? scripsit ante mille & trecentos annos Origenes. A sanctis Angelis oblatæ. Perferunt enim iustificationes & memorias Sanctorum coram Deo: nõ quod eas ignoret is qui omnia nouit etiam antequam fiant, sed tanquam speculatores ac testes pietatis iustorum.]

Act. 10.

Hom. 11. in Num. & l. 1. in Io.

D

6. Adhæc, Ioannes in Apocalypsi, cum se multos seniores refert vidisse cum aureis phialis plenis suffituum, *qui sunt orationes Sanctorum.* Deinde, quendam ex iis suffitus istos super altare aureum obtulisse: demonstrat clare hoc munus plane Angelorũ esse.

Apoc. 5. 8.

Quod qui ipsis adimere ac suffurari conantur, sacrilegio caput alligant aduersus Deum qui hoc illis imposuit; & aduersum expressum verbum eius, quo idipsum euidenter profertur & declaratur.

7. MIN. Habesne Patres huic interpretationi consentientes? DOCT. Habeo grauissimum antistitem Ambrosium colligentem inde, Odorem sanctarum precum nostrarum esse peracceptum Deo, cui per Angelorum ministerium offeruntur. Habeo facundissimum Græcorũ Chrysostomum adfirmantem, Nullum esse thus, aut suffimen tam grati odoris, quam est oratio. Simul ac enim egreditur ex ore precantis, excipitur manibus Angelorum, & offertur Deo. Habeo & mellifluum Bernardum aurea hæc verba proferentem: Nostros sudores, non suos: nostras, non suas, lachrymas offerunt Deo: nobis quoque eius munera referunt, non sua.] Satin habes?

Lib. de Abraham cap. 5.

Hom. 14. in Matth.

Serm. 1. de festo Michaelis.

8. MIN. Reuerentia mea in hosce bonos Angelos non parum amplificabitur, si ad superiora vetustiorum adhuc Patrũ authoritas accesserit. DOCT. Augustinus locos ex Tobia citatos allegans, inde concludit: Angelos non solum annunciare nobis beneficia Dei, verum etiam preces nostras ad eum deferre. Idem alibi tradit, Orationes piorum ab Angelis offerri Deo, vt sciant quid super desideriis supplicum decreturus sit, quo vel certiores nos faciant, vel executioni mandent si quid ipsis Deus iniunget, vti Tobiæ & Saræ videmus vsu venisse. Hieronymus seuere prohibet, ne quis alienæ famæ obtrectet, ne quidem in secreto: siquidem Angeli dicta & cogitata nostra coram conspectu Dei iudicis nostri cælestis patefaciunt. Hilarius pernegat se dubitare, quin Angeli quotidie offerant preces eorum, qui per Dominum nostrum Iesum Christum saluabuntur.

Epi. 102. c. 29.

Ep. 121. c. 9

In cap. 11. Eccles.

In cap. 18. Matth.

9. MIN. Produc & Græcos Patres, Latinis consentientes: & expleueris desiderium meum. DOCT. Arethas Cappadox locum supra allatum ex Apocalypsi tractans, asserit hoc beneficium Angelo esse adscribendum, quod orationes Sanctorum fragrantiores omni suffitu digne offerantur Deo. Efrem Syrus in hac meditatione fixus sic exclamat: Orationes perfectorum pro certo ascendunt in cælos magna cum exultatione: siquidem Angeli & Archangeli procedunt illis obuiam non sine magno

In cap. 8. Apoc.

L. de beatitud. spirit. c. 2.

A gaudio, exceptasq; deferunt ad solium Dei sanctiss. Idem alibi ait: Quo tempore precaberis, esto vt Angelus cælestis, & operam des vt sint puræ & immaculatæ preces tuæ, quo lætantes Angeli veniant illis obuiam, easque offerant Deo nostro immaculato. Origenes alicubi sentit Archangelum Michaelem inter omnes alios huic muneri præfectum esse à Deo, vt curam orationum nostrarum gerat; Alio loco tradit, reliquos cum magna pietate & caritate perferre coram Deo bona opera, & humiles populorum preces, quorum custodiæ deputantur. MIN. Catholicum dogma satis confirmatum est, & Caluinicum figmentum satis B ample & solide refutatum. Persequamur reliqua.

Serm. de Virg.

L. 1. periarch. ca. 8. & hom. 11. in Num.

VTILE ET IN REM NOSTRAM esse non solum honorare; sed etiam in auxilium nostrum aduocare sanctos Angelos, quandoquidem & in communi; & in particulari assidue Deum pro nobis orant; & multa beneficia impetrant; & conferunt: contra 75. 76. 77. 78. 79. & 80. errorem Hugnosticorum.

CAPVT XXIII.

DOCTOR.

C CAluinus & fraterculi eius, qui sibi tantum indulgent, & impune arbitrentur sibi licere sanctis Angelis abuti ad constabiliendos errores suos; negant fas esse eos honorare, nedum inuocare: nec ipsis vllo modo putant tribuendum, vt pro mortalibus Deum precentur, impetrent, vel vlla beneficia conferant. MIN. Legi istud in eius institutione libro primo, capite decimoquarto: & in commentis super Epistola ad Colossenses. Nec me præterit Oecolampadium, Bullingerum, Vermilium, Gualtherum, Marloratum, Bezam in eadem hallu- D cinatione versari. Legi etiam Lambertum Danæum hæc scribentem: *Angelici hæretici sunt, qui dicunt Angelos esse colendos.* Alibi: *Angelos Diligimus, non autem colimus.* Et rursum: *Quoniam boni Angeli Dii non sunt, coli, aut adorari non debent.* Et deinceps: *Ab Angelorum cultu abstineamus, quia totus is cultus est superstitio & idololatria.* Nec opus est pluribus testimoniis, vt talium opinionum conuicti constrictique teneantur: magis ad rem attinet eos refutari, contrariumque certo & expresso Dei verbo corroborari.

Isagoges 2. parte ca. 6. & 17.

DOCT.

Cōfutatio 1. Gen. 18. 19. DOCT. Quod locupletius testimonium exigere potes, quam illud vbi memoriæ proditum est, Abrahamum Patrem nostræ fidei, cum tres Angelos prospexisset, obuiam ipsis occurrisse ab ostio tabernaculi sui, & in terram coram eis procubuisse. Inde vocauit eos Dominos suos, seque seruum eorum professus est: orauit insuper, si gratiam in oculis ipsorum inuenisset, vt paulisper apud se diuersari & requiescere dignarentur? Aut vbi de nepote eius Lot, simile prorsus exemplum refertur? Nonne Paulus adfirmat illos Patriarchas hoc facto fuisse peracceptos Deo? (Heb. 13.) Nonne Angeli exaudiendo voces eorum, cultum sibi delatum fœlici omine comprobarunt? Nonne Beati Lot precibus adducti, vrbi Segor, quæ & Bale dicta est, pepercerunt? (Gen. 19.) Nonne pro sua ipsius salute, eos demisse precatus est? Nonne responsum accepit his ipsis verbis: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas?*

2. MINIST. Tria simul doctrinæ Christianæ capita luculenter à te probata sunt: & tres ex aduerso errores confutati. Hi enim duo sanctissimi Patriarchæ honorant, & colunt Angelos, inuocant Angelos, & in obtinendis quæ petebant, exauditi sunt ab Angelis. Sed satis ne exploratum habebant eos esse Angelos? DOCT. Augustinus tribus in locis adfirmat eos id certo sciuisse. (L. 16. ciuit. c. 19. l. 2. de Trin. c. 18. l. contr. Adim. ca. 28.) Veteres Hebræi docent fuisse Michaelem, Gabrielem, & Raphaelem. Deinde, & Propheta & Apostolus identidem diserte vocant eos Angelos. Præterea, munus eis assignatum à Deo, vt quinque ciuitates perderent, Segoris vero ciuibus parcerent, manifesto est argumento illos hominum sorte maiores fuisse. Postremo, cum Angeli non reprehendant, sed approbent, & bono euentu Patriarcharum deuotionem secundent: hoc facto sensatis viris illis, dein, & piæ posteritati iudicandum reliquerunt, Deum velle vt Angeli sui colantur, inuocentur, multaque mortalibus beneficia precibus ipsorum contingere.

3. Gen. 32. Historia Beati Iacob adhuc apertius idipsum euincit. Postquam enim cum Angelo luctatus esset, orauit & exorauit benedictionem eius, quæ vere veraque fuit & sancta precatio. Quod alius Propheta considerans ait: (Osee 12.) *Directus est cum Angelo, inualuit ad Angelum; fleuit, & rogauit eum.* (Com. in Gen.) MIN. A Caluinus certe Angelum fuisse fatetur: Musculus non audet negare: Hebræi iudicant fuisse Michaelem Archangelum? id quod Pantaleon Græcus haud difficulter concedit. (Encom. D. Mich. Com. in 12. Osee.) DOCTOR. Quid amplius expectas? Hieronymus linguarum peritissimus in hunc locum ita scribit: Iacob fleuit & rogauit Angelum dicens: *Non te dimittam, priusquam benedixeris mihi.*] Ordinaria glossa notat: Precibus impetrauit benedictionem.] MINIST. Iacob profecto colit Angelum, rogans eius benedictionem: quod nihil aliud erat; quam se precibus eius commendare, ipsumque inuocare. B Cæterum, vt Paulus ait, id quod minus est, ab eo quod maius est benedicitur. (Hebr. 7.) Angelus itaque benedicens ei, venerationem & inuocationem sibi ab ipso delatam comprobat.

4. DOCT. Notissima eiusdem Iacob verba, & vt dicam, Cygnea vox, magis adhuc superiorem sententiam astruunt, vbi sic bonum Angelum suum inuocat. (Gen. 48.) *Angelus qui me eruit de cunctis malis, benedicat pueris istis.* MIN. Non est dubium, quin istis verbis preces contineantur, præsertim cum paulo ante bis Deum ipsum nominarit & inuocarit: postea Angelum eius. Vnde colligere C est antiquos Patriarchas & Prophetas cultum & inuocationem Angelis tribuisse magna cum vtilitate non solum sua, sed suorum quoque posterorum.

5. DOCTOR. Iosue cum Angelum gladio armatum, ex aduerso stantem animaduertisset: (Iosue 5.) procidens super faciem suam in terram, incuruat se illi; nec eo nomine culpatur, sed laudatur. MINIST. Caluinus ad eum locum, sexies fatetur non fuisse spectrum, sed verum Angelum. DOCT. Sed Hebræi scriptores, quorum authoritas sexcentis Caluinis præponderat, aiunt, fuisse Michaelem principem Synagogæ. D Pantaleon author Græcus assentitur: Theodoretus eam sententiam firmat hoc alio Scripturæ textu: *Ecce* (inquit Dominus) *Ego mitto Angelum meum ante te, vt seruet te in via, &c.* (Exod. 23. & 32.) Par est igitur vt Angeli colantur & inuocentur ab hominibus.

6. Iud. 6. Alius Angelus Gedeonem salutans, bene ei precatur dicens: *Dominus tecum, virorum fortissime.* Gedeon autem orat eum, vt edat aliquot signum, quo fides eius fulciretur, & confirmaretur spes euenturum quod iussu

iussu Dei pollicebatur: id quod & impetrauit. Ergo Angeli precantur pro mortalibus, & ab iis vtiliter in auxilium aduocantur.

7. *Tob. 5.* Tobias id reipsa compertus est post orationem illam patris sui: *Sit Deus in itinere vestro. Et Angelus eius comitetur vobiscum.* Angeli etenim ope atque auxilio ex incredibilibus periculis liber euasit.

8. *Tob. 10.* Raguel simile votum concepit: *Sanctus Dei Angelus sit in itinere vestro, perducatque vos incolumes, & inueniatis omnia recte circa parentes vestros.* Quibus verbis declaratur, non sine præsenti fructu, & bono euentu cultos ab hominibus & inuocatos fuisse bonos Angelos: Deumque miraculosis operibus & cælestibus beneficiis quæ per hos facta sunt in terris, ratam habuisse administrationem Angelicam in cælis.

9. *Iohan. 5.* In historia Iob Eliphaz Themanites consulit viro sancto, vt opem imploret, & ad aliquem conuertatur è Sanctis: iubetque vt inuocet Angelos, quemadmodum reddiderunt Septuaginta, quod nec Caluinus, nec Oecolampadius dissimulant: & qui longo interuallo potiores sunt Augustinus & Philippus Presbyter, ita locum explanauerunt. Beatus Iob consilio amici morem gerens, hunc in modum votum Angelis nuncupat: *Miseremini mei, Miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me:* sicut scite & recte Augustinus obseruat. *Com.* *Annot. in Iob.*

10. *Dan. 10.* Daniel humi prostratus coram Angelo (quem Dominum suum vocat, & sic se famulum & seruum eius profitetur) declarat & cõsternationem & imbecillitatem suam: orat & obsecrat vt ab eo confirmetur ac erudiatur: quod & obtinet. Deinde, asseuerat, Michaelem stare pro filiis Israel: quod est intercedere apud Deum pro salute & incolumitate totius Israelis. Vnde colligitur, Hieronymi ac Theodoreti iudicio, idque textus ipse declarat, Angelos pro nobis apud Deum intercedere, cum præsertim eos humiliter & pie obtestamur. *Dan. 12.* *Comment.*

11. *Zach. 1.* Et vt paucis absoluam, oratio quam concipit Angelus ob instaurationem Ierusalem, & ciuitatum Iuda, tam est euidens, vt Melancthon vltro fateatur bonos Angelos apud Deum interuenire pro nobis. Caluinus, Oecolampadius, & Gualtherus magno cum leuitatis suæ exprobramento, sed doctrinæ Catholicæ probatione atque triumpho, assentiri compellantur. *Apologia pro conf. Aug.* *Comment.*

12. MIN. Adde veteri Testamento nonnihil de nouo, & à Patribus: tum rem factam habebimus. DOCT. Christus satis ostendit quantopere amemur ab Angelis, & quam impense saluti nostræ studeant, cum his salutaribus & consolatoriis verbis vtitur: *Amen dico vobis, magnum est gaudium in cælis, super vno peccatore pœnitentiam agente.* *Luc. 15.* Vnde quæso, gaudium istud, nisi ex certa notitia? Cur tantopere lætantur, nisi quod pœnitentiam illam nostram & conuersionem serio affectu expetant & exoptant? Huiusmodi porro vota & desideria feruentissimæ & assiduæ sunt preces corã Deo. Hinc eos nobis patronos asciscendos esse, sic ante Duodecim sæcula scripsit in hæc verba Beatus Ambrosius: Hoc ad incentiua probitatis proficit, si vnusquisque conuersionem suam gratam fore credat cœtibus Angelorum: quorum aut affectare patrocinium, aut vereri debet offensam. *Com. in c. 15. Luca.* Idem author alibi in hanc rursum sententiam scribit, Orandos esse in vniuersum omnes Angelos, sed in primis eos, qui curæ custodiæque nostri deputantur.] Et rursus. Angelos esse tutores pastorum Ecclesiæ cum ab ouibus inuocantur.] An non ista tibi sufficiunt? *Lib. de vidu.* *Epist. 32.*

13. MIN. Plane: sed aueo quid audire ex aliis Patribus, vt in eorum consensu conquiescam. DOCT. Eximius Antistes Augustinus piissimas has preces ad omnes cælites, & consequenter ad beatos Angelos dirigit: Orate Dominum, orate piissimi, orate omnia agmina Sanctorum, & vniuersi cœtus beatorum, vt vestris precibus meritisque adiuti, salua naue & integris mercibus, peruenire mereamur ad portum perpetuæ salutis ac quietis, ac continuæ pacis, & nunquam finiendæ securitatis.] Idem in eadem pietate perstans nominatim inuocat Michaelem, Raphaelem, & Gabrielem: deinde, vniuersos ordines Angelorum & Archangelorum, vt pro peccatis eius intercedant apud Deum. *L. Medit. c. 24.* *Meditat. cap. 40.*

14. Coniunctissimus illi Beatus Hieronymus constanter adfirmat, Sacrificia & holocausta pro nobis indesinenter offerri à virtutibus Angelicis, hoc est preces ad Deum. Gregorius summus Christianorum Pontifex iudicat, nullum fidelium dubitare debere, quin Angelorum chori in ipsa immolationis Eucharistiæ hora, in templis intersint. Ad quid, nisi vt communem Regem nostrum adorent, & pro nobis exorent: vt nunc ex Chrysostomo dicemus? *In cap. 46. Ezech.* *Li. 4. Dial. c. 58.* *L. 17. Moral. c. 7.* *Hom 32. super Euangel.*

Et vt

15. *Niceph. li. 14. c. 20. Hom. 3. adu. Anom.* Et vt clarum sit hanc in toto Oriente doctrinam fidemque obtinuisse. Chrysostomus antequam iret in exilium, commendauit Ecclesiam suam Angelo, qui eius tutelæ præsidebat, vti grauis & Ecclesiastica historia contestatur. Idem quoque alias prædicat: Angelos cum sacra Liturgia celebratur, præsto adesse, precarique votis feruentibus pro salute generis humani. Quinimo, ipsa eorum verba recitat, vel similia quibus orationes eorum constare videantur.

16. *Orat. ad Cler.* Nazianzenus vale dicens Angelis vrbis Constantinopoleos tutelaribus, eius populum, quem ex Arriano Catholicum reddiderat, & eius negotia cuncta, eorundem precibus fiduciæque committit.

17. *Hom. 1. in Ezech.* Vetus ille cunctarum Ecclesiarum magister, vt Hieronymus censet, Origenes, his verbis bonum Angelum suum inuocat: Veni, Angele, suscipe conuersum ab errore pristino, & suscipiens eum quasi medicus bonus confoue atque institue.]

18. *Li. 6. & 7. strom.* Clemens Alexandrinus pius illius præceptor & Discipulorum Apostolicorum auditor, non dubitat quin Angeli orationes suas cum nostris coniungant, cum eundem cum illis Deum & Patrem cælestem inuocamus.]

19. *L. 8. Const. c. 41. 45. & 47.* Et vt hanc disputationem finiamus, Clemens Romanus Pauli cooperator, & Petri successor docet, aduentante nocte, præsidium Angelorum nobis implorandum esse: votis expetendum Angelum pacis: imo etiam defunctorum animas curæ precibusque pacificorum Spirituum oportere commendari, &c. MIN. Abunde probatum est Caluin. turpiter errare, cum ita cælestes Angelos Paradisi incolas calumniantur, confundunt omne ordinis & Hierarchiæ discrimen quod Deus inter ipsos constituit. Copiose item demonstratum, singulis hominibus tributum esse peculiarem & singularem Angelum ad tutelam: preces nostras iis administris & internuntiis offerri Deo. Postremo, cum assidue pro nobis intercedant, iure colendos & venerandos videri: ac vtiliter inuocandos esse. Ardeo cupiditate incredibili, vt de Maria Virgine disseramus. Non enim, vt mea fert opinio, & vt est Hugnosticorum istorum peruersitas, magis ei parcunt, quam reliquis Sanctis Paradisi. DOCT. In bene longum sermonem me vocas, & iam appetit vesper: satius est vt hunc diem precibus concludamus, & crastinum operiamur.

ORATIO.

Maxime & optime Deus Abrahæ, Isaac, & Iacob, & seminis eorum, qui eos ad numinis tui notitiam vocasti, fide & obedientia iustificasti, à cunctis periculis & inimicis liberasti, denique selegisti vt seruarent & testificarentur fœdus cum hominibus initum de mittendo in mundũ Seruatore filio tuo: & hunc missum digito monstrandum curasti per hominem sanctissimum proclamantem. *Ecce Agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Ecce de quo dicebam vobis. Qui post me venit, ante me factus est: cuius non sum dignus vt soluam corrigiam calceamenti.* Suppliciter te rogamus & obsecramus, Pater luminum, vt secundum spiritum taliũ Patriarcharum & Prophetarum filii effecti, fidem eorum imitemur, caritatem sectemur, spei inhæreamus, constantiam & obedientiam æmulemur: & sic toto vitæ mortalis nostræ curriculo in Euangelica Filii tui doctrina & pietate progrediamur, vt illorum consortes, ac eiusdem Filii tui cohæredes euadamus. Per eundem Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

LIBER DECIMVS, IN QVO CENTVM ET TRES CALVINIANORVM ADVERSVS SANCTOS IAM PARADISO COELESTI gaudentes examinantur & refelluntur errores.

BEATAM VIRGINEM MARIAM TOTIVS MVNdi genere nobilißimo prognatam: & Ioachim ac Annæ filiam fuisse, contra primum ac secundum errorem.

CAPVT PRIMVM.

MINISTER.

FIDES ac religio qua Dominum Christum complector, effecit vt matrem quæ eum nobis concepit & peperit, singulari semper obseruantia prosequendam putarim, nec vnquam in concionibus meis de honore illius detraxerim: sed è contrario, in omnibus colloquiis, quæstionibus, consistoriis, ac dissertationibus, quæ mihi cum aliis Caluini Ministris intercesserunt, pro virili conatu sim eam à calumniis (quarum insimulabatur) vindicare. Velim itaq; nisi molestum est, vt otiose placideque totam hanc materiã pertractemus. DOCT. Deus, qui sancto patri eius & nostro Abrahamo dixit: *Benedicens benedicam tibi & semini tuo post te*, religiosam pietatem & affectionem tuã benedictione sancta sua prosequetur, diraque detestatione fulminabit qui aliter facient. Est enim hæc sancta Virgo sacer mons ille, vnde magis proprie & proxime cum genere humano locutus est Dominus, quam è monte Sina cum populo Hebræorum. Quocirca turba Prædicantum maledica, quæ sic temerario impetu contra eam impingit, iram Dei tonantis & fulminantis haud dubie persensisset. Auspicantur autem isti praui rhetores calumnias suas à progenitoribus & maioribus eius, quos aiunt tam obscuro & ignobili loco natos fuisse, vt pene nesciatur quinã pater & mater eius fuerint. Verba Caluini & Marlorati sunt hæc:

Gen. 12.

Exod. 19.
Heb. 12.

Lege Petrũ Canisium.

In c. 1. Luc.

A *Non tam fuit in gloria, quam omnium ludibrio exposita. Pannosam & pauperculã respexit dominus.* Tam inauspicatam cantilenam à præcentore Luthero didicerunt, qui sic antea scripserat: *Maria paupercula nullius existimationis puellula erat. Nam credi potest obscuram fuisse. Parentes eius obscurorum natalium, & vilis conditionis erant, priuati scilicet & plebeii: nec verũ est quod affirmant quidam, Ioachimum & Annam parentes eius opibus abundasse.* Brentius etiam symbolũ confert ad hoc conuitiorum symposium. Vocat enim eam, *Mulierem longe omnium abiectißimam, & cunctorum ludibrio expositam, quæ ante Christum natum, vitam nullo pene loco securam agere potuerit, & durißimam sustinuerit e-* B *gestatem.* Denique quadriga Centuriatorum secuta communem & vsitatam sectariorum orbitam, sic in parentes Virginis irruit: *Qui fuerint Mariæ parentes certum non est: quia diserte in sacris literis expressum non legimus.*

Postilla in Eu. de Annuntiat.

In Euang. de Visit.

Cent. 1. c. 10.

MIN. Satis de vtroq; crimine quæsitum videtur: superest vt in cõuictos lege agatur. DOCT. Ordire, vt soles, ab eorum mutuis inter se contradictionibus. MIN. Liber ille Marlorati, quem recens in testimonium adduxisti, confirmat Virginem & Iosephum è progenie Dauidis oriundos fuisse, vt euentu C ipso vaticiniũ comprobaretur, promittens Messiam ipsum è regio sanguine Dauidis nasciturum. Deinde, de vtriusq; nobilitate & consanguinitate scribunt: *Quod Ioseph & Virgo non solum pertinerent ad tribum Iuda, verum etiam*

Confut. 1.

In cap. 1. Lucæ v. 27
Isa. 9.
Ierem. 33.

In c. 2. Luc. v. 4. & 1. Matt. v. 1.

Gen.12.22 *etiam genus ducerent è progenie ac stirpe Dauid,* A
Ps.88.31. *dictum est.* DOCT. Sexcentis Scripturarum
2.Reg.7. locis velut laqueis irretiti tenebantur, nec
Luc.1. euadere poterant quin faterentur Seruato-
Matth.1. rem esse filium Abrahæ, Iudæ, & Dauidis:
Rom.1. quod in eum quadrare nequit, nisi contem-
Heb.7. platione Mariæ veræ matris eius, quæ genus
2.Tim.2. inde trahebat, vt commemorant Apostoli
ac Euangelistæ. MIN. Atqui extra contro-
uersiam est nunquam extitisse genus vllum
nobilius stirpe Abrahami, prælustrius tribu
Iudæ, regalius semine Dauidis. Vnde sequi-
tur virginem matrem Iesu procreatam esse
ex nobilissima progenie, quæ vnquam exti-
terit ex orbe condito, vel post hac extabit. B

2. DOCT. Deus sane Abrahamum tot in-
Gen.12.13. signibus beneficiis, donis, opibus, ac mira-
14. culis nobilitauit, vt eum effecerit formida-
bilem Regibus Ægyptiis & Palæstinis: vene-
rabilem eximio Sacerdoti ac Regi Salem
Melchisedec: victorem aduersus quinque
claros victoriis Principes Orientis. Quin &
inito fœdere pepigerit se fore Deum eius, &
posterorum illius, amicum amicorum eius,
Gen.49. & hostem inimicorum. Progenies autem
Matth.1. Iudæ magno priuilegio benedici meruit, &
Luc.3. laudari præ cæteris tribubus Israelis: insu-
per, ornata fuit illustribus victoriis, floruit
gloria celebrium Ducum, Regum & Impe- C
ratorum vsque ad aduentũ Saluatoris Chri-
sti: Vel solus Dauid magnus vates, magnus
Rex sine controuersia nõ solum omnes ma-
iores suos virtute, sapientia, nobilitate, vi-
ctoriis, corporis animique dotibus, sed et-
iam quotquot summi Principes ac Monar-
chæ fuerunt omni laude superauit. Vnde
certa & manifesta est collectio, Virginem
Mariam ab Abrahamo, Iuda, & Dauide pro-
genitam, non fuisse conditione vilem, nata-
libus obscuram, gente plebeiam, aut existi-
matione tam despectam, quam isti Calui-
niani calumniantur: sed è contrario, ortum
habuisse ab illustrissima & nobilissima stir- D
pe totius orbis terrarum.

3. MIN. Profer in medium si quæ habes
L.13.cont. venerandæ antiquitatis in hanc rem testi-
Faust.c.9. monia. DOCT. Augustinus author est
Manichæos veteres hæreticos, antiquam
nobilitatem Domini Iesu & Mariæ matris
eius obfuscarent, eam solitos referre ad sa-
cerdotalem tribum Leui, non ad Regiam
Ps.88.131. tribum Iudæ. Quibus ita respondet, potius
1.Paral.17 adhibendam esse fidem infinitis scripturis
Ierem.33. testificantibus eam & Filium eius originem
Isa.9. duxisse à Dauide, Salomone, Roboamo, &
Isa.11. aliis Regibus de tribu Iuda, quam propha-
nis & hæreticis eorum contradictionibus.
Enimuero dicitur, *Virga egressa de radice Iesse,* Tertull.
qui Dauidis pater fuit, vt post Hebræos, et- Hieron.
iam veteris Ecclesiæ proceres magno con- Ambros.
sensu testificantur. MIN. Manifesto igi-
tur errore tenentur Caluiniani, grauissima
veteris & noui Testamenti authoritate tan-
quam reduces ex orco Manichæi, qui filium
Dei & matrem eius ignobilitatis & vilitatis
accusare non erubescunt.

DOCT. Sentiunt etiam in hac parte cum 4.
Celso profligatissimo apostata & Epicureo,
qui sannis & conuitiis incessens nobilissi-
mam Virginem, vocat eam contumeliæ Orig.l.1.
causa, *Vxorem fabri ferrarii, pauperculam, pan-* cont.Cels.
nosam, ignobilem, rusticam, vix cognitam vicinis
suis, contemptui & odio eorum expositam, &c. vt
diceres hominem ex Caluini aut Lutheri di-
sciplina loquentem. MIN. Certe non ap-
pellat eam honorificentius turba Prædican-
tum, vt & ipse sæpius audiui, & à te supra re-
latum est: proinde parem condemnatio-
nem subire debent, atque prædictus atheos
iste Celsus. Sed quid ad hæc Patres?

DOCT. Ostendunt non esse nouum 5.
aut inusitatum, vt multi ex humili loco ad
magnas dignitates emergant, quemadmo-
dum Saulis atque Dauidis exemplo fit ma- 1.Reg.9.
nifestum: similiter vt qui opibus & honori- 1.Reg.16.
bus claruerunt, ad inopiam & abiectã con- 2.Reg.
ditionem deprimantur. Nec mirũ cuiquam
videri debet, si posteritas edita genere &
sanguine regali, tandem ad paucos, & iudi-
cio mundi despectos redigatur. Denique,
non esse vitio vertendum Iosepho, & beatæ
Virgini, sed potius summæ laudi adscriben-
dum, quod æquanimiter violentiam Hero-
dis, aliorumque Tyrannorum pertulerint,
qui per summam iniuriam in Israele re-
rum potiebantur, cum ad se Regia digni-
tas tanquam ad legitimos hæredes perti-
neret.

Iidem Patres asserunt eos esse in Filium 6.
Dei contumeliosos, qui matrem eius ordi- Iren.
ne nobilitatis mouere contendunt, nec pos- Tertull.
se fieri quin illata matri iniuria redundet in Origen.
filium. MIN. Hoc sane respectu, quod Euseb.
ex Virgine conceptus & natus sit Dominus Ioan.1.
noster, ornatur his excellentibus titulis, vt Apoc.5.
dicatur Filius Dauid, Rex Israel, Leo ex tri- Num.24.
bu Iuda, stella Iacob, Dux & rector populi Mich.5.
Dei, Dominator in domo Iacob, sedens su- Luc.1.
per solio Dauidis, primogenitus mortuo- Apoc.1.
rum, caput vniuersæ Ecclesiæ, Pastor dans Coloss.1.
ani- Ephes.1.

Ioan. 10. animam pro ouibus suis, princeps pasto-
1. Pet. 2. 5. rum, &c. Proinde, cum isti negant matris illius illustria stemmata, quantum inest se eripiunt filio illa quæ diximus claritudinis ornamenta.

7. Sed quid dicendum ad id quod scriptum
Luc. 1. est, Elizabetham fuisse Mariæ cognatam, quæ tamen erat ex sacerdotali prosapia Leuitarum, non ex Regali tribu Iuda. DOCT.
Niceph. l. 2. c. 3. Facilis & expedita est responsio. Mater enim eius Anna prognata est ex tribu Leui, pater eius Ioachim ex sanguine Iudæ, vt author est antiquissimus & sanctissimus martyr Hippolytus: qui & ex traditionibus Apostolorum & Prophetarum hausit, Annam virginis Mariæ genitricem filiam fuisse Mathan
In carm. l. 2. consf. euang. Can. 1. in Matt. Luc. 3. Matth. 1. sacerdotis ex tribu Leui. Item Nazianzenus, Hilarius, Augustinus, Eucherius ex eo quod dominus noster Iesus dignitate Regis clarere, & Sacerdotis officio fungi debebat, colligunt matrem eius ortum duxisse & à sacra stirpe Leui, & à regia progenie Iudæ. Quo respiciens Lucas Euangelista genealogiam filii & matris à Leuitica tribu deriuat, Matthæus autem à Iudaica. Sæpe etenim
Exod. 6. 2. Paral. 22. contingebat vt hæ illustres familiæ Leui & Iudæ matrimonium & affinitates inuicem copularent, vt exempla Aaronis, & Ioiadæ, Leuitarum demonstrant, vxorem assumentes ex regia tribu Iuda.

8. MIN. Accedamus ad alterum caput, quo fabricatores nouæ nunc istius reformationis negant Ioachimum & Annam fuisse parentes Mariæ virginis, *quia* (inquiunt) *nihil hac de re scriptura definit*. DOCT. Quanti momenti videtur tibi hæc ratio? MIN. Nullius omnino: quoniam etiam inde efficeretur, eam nullos prorsus parentes habuisse: sed velut è nubibus delapsam: proinde nec communem cum genere humano stirpem habuisse, nec seruatorem ex ea conceptum & natum verum fuisse hominem, ac hominum idoneum Redemptorem: quibus positis, fundamenta salutis nostræ conuelluntur. Quid igitur in re tam obscura & inexplicata faciendum est?

9. DOCT. Ad traditiones maiorum, &
L. 11. contr. Faustum, c. 2. Ep. 118. 119. testimonia patrum, adeoque totius Ecclesiæ Catholicæ, sicut iamdudũ Augustinus prudenter docuit. His enim Spiritus sanctus reuelauit quid credendum & docendum esse ea de re videatur. MIN. Quænam est igitur eorum definitio? DOCT. Pro certo statuunt parentes Virginis traxisse à vetustissima & clarissima progenie Abrahæ, Iu-

A dæ, Dauidis, Salomonis, vti ante probauimus. Præterea, patri eius nomen fuisse Ioachimum, matri Annam, sicut exinde ad hoc vsque tempus vniuersa Christi Ecclesia sensit & docuit. Etenim sententia tam vetus, tam constans, tam peruulgata in omnes Christianos, non aliter exaudiri debet, quam traditio Apostolica, & reuelatio Spiritus sancti omnem veritatem suggerentis.

MIN. Hæc sane solutio cunctis moderatis ingeniis sufficere debet: velim tamen scire quibus testibus hæc traditio muniatur. DOCT. Duobus in omni scientia Hebraicarum antiquitatum versatissimis Lucido
B & Galatino, qui hanc opinionem consensu Hebræorum firmari scribunt, nimirum, patrem Mariæ matris Iesu Nazareni binominem fuisse, vocatumque Heli & Ioachim: matrem eius Hanna nominatam. Deinde, etiam inter Græcos hanc persuasionem inualuisse, vt Hippolytus martyr, Epiphanius contra hæres. 79. & Damascenus lib. 4. de fide, scriptum reliquerunt Latini ne quidem dubitandum semper existimarunt.

MIN. Sanctissimam & Christianissi- 11.
mam consensionem narras. DOCT. I- *In Luc.*
mo & talem vt Brentius Minister Germanus, in hoc articulo non dubitet veritatem
C nobiscum amplecti, & præceptorem suum Lutherum erroris condamnare, scribens: Mihi ex maiorum traditione certum est, quod pater Mariæ Ioachim vocatus sit. A-
lius minister Lutheranus cui nomen Ioa- *L. de vita*
chim' Camerarius, protestatur se id hac de *Christi.*
re credere, quod omnes hactenus Catholi-
ci: quodque scriptum est à Nicephoro Ca- *L. 1. hist.*
lixto in historia Ecclesiastica. De matre qui- *c. 7.*
dem Iesu virgine Maria credamus sane id quod & Nicephorus tradit, habuisse illam
parentes Ioachimum & Annam. Tertius *In cap. 1.*
Minister nomine Lebbæus, quartus & qui- *Matth.*
dam Bullingerus, & vt expleatur senio, *Harm.*
D Lossius & Osiander, velint nolint in concionibus & scriptis suis Ioachimum & Annam parentes Virginis Mariæ fuisse confitentur, vt credit ac docet vniuersa Ecclesia Catholica? Quid vlterius à me postulas?

* *
*

VIRGI-

VIRGINEM MARIAM SPECIALI gratia Dei præuentam, sine peccato originali conceptam; natamque fuisse, ac proinde, sanctam ac fœlicem eius Conceptionem; & Natiuitatem celebrari oportere: contra tertium, quartum, quintum, & sextum Hugnosticorum errorem.

CAPVT II.

MINISTER.

VT sanctam & immaculatam eius Conceptionem ac Natiuitatem, siquidem tales fuerint, ab eorum accusationibus vindices. Etenim ea feruntur in vtramque rabiem, vt inter articulos fidei suæ reponant eam cōceptam fuisse in peccato originali, & in eadem culpa eandem natam esse, ac idcirco vtrūque festum, videlicet, Conceptionis & Natiuitatis eius haudquaquam colendum ac celebrandum esse. Caluinus primum articulum propugnandum suscepit in suis Antidotis aduersus Concilium Tridentinū, falsamque Augustino mentem affingit, quasi errori suo patrocinetur. Idem deniq; Epistola ad Montbelgartenses 1543. magno conatu & boatu improbat celebritates Conceptionis & Assumptionis eiusdem beatissimæ virginis Mariæ. Beza & Lambertus Danæus occinunt atroces iniurias ijs, qui contrarium asseuerant, scribentes: *Scholastica schola posterior fuit longe impudentior, cum sine peccato originali Mariam conceptam fuisse contēdit.* Et paulo post: *Fuit ergo Maria virgo & ipsa in peccato originali: concepta, & natura peccatrix, &c.* Sarcerius in post illis suis, Hieronymus Vellerus in libro eiusdem cognominis, & Guilielmus Rodingus in Orat. sua contra scholas Iesuitarum, iisdem erroribus implicantur. Centuriatores Magdeburgenses ira aduersus D. Anselmum, Idiotam, aliosq; nonnullos efferūtur, qui perpetuam innocentiam, & sanctitatem eius tutari contenderunt: ipsi eam ex aduerso conantur & labem originis, & ad multa peccata sanctissimæ Virgini aspergere, sicut paulo post fusius dicemus. Ex his autem errorum fontibus riuulos deducunt, nempe, Conceptionis aut Natiuitatis eius festiuam memoriam celebrandam non videri, cum fuerint (eorum peruersis iudicijs) impuræ, sordibus peccatorum coinquinatæ, sicut & aliorum generis mortalium.

In Enchir. Aug. c. 36.

Centur. 9. ca. 10. Cet. 10. c. 4 Cet. 11. c. 4.

A MINIST. Extra omnem controuersiam est, Geneuenses nec sanctæ Conceptionis nec venerandæ Natiuitatis festa seruare: ac propterea non est opus longiori sermone ad cōuincendum eos de his erroribus: sed magis in rem esse videtur, vt horum refutationem suscipiamus. DOCT. Hoc age in nomine domini. MIN. Non est integrum Bezæ, si cōstare sibimet velit, vt reijciat testem Lutherum, *quem ore toto diuinitus afflatam animi magnitudinem præ se tulisse refert.* Eius porro hæc ipsa verba sunt: *Potuit Maria ab omni originali peccato præseruari.* Postea: *Maria cōceptio pie creditur sine originali peccato facta esse.* Deinde, sententiæ suæ pōdus authoritatis adijcit ex Scriptura: *Maria iuxta corpus quidem sine gratia, iuxta animam autem plena gratia concepta est: hoc sibi volunt verba illa, Benedicta tu inter mulieres. Non enim ad eam dici posset,* Benedicta tu, *si aliquando maledictioni obnoxia fuisset.* DOCT. Ex ijs sic ratiocinari libet. Si pie creditur immaculata Virginis Conceptio, Caluiniani secus credentes & docentes, iure impietatis redarguuntur. Cumq; id expressis Scripturæ verbis fundetur, Deo & Angelis eius iniurij sunt ministrorum congreges, qui huic doctrinæ resistunt.

Confutatio. 1.

L. Iconum.

Serm. de Concept.

B *Luc. 1.*

C Sed forsitan Lutherus, qua fuit vacillātis animi varietate & inconstantia, pristinam reuocauit opinionem. MIN. Imo constanter in ea perseuerauit. Senex enim cum esset scripsit in Euangelium Annunciationis, *quod Angelus vocando Virginem plenam gratia, significabat eam esse puram ab omni peccato, quodque Deus cumulando eam fœlicitate, diuinas operationes in ea perficiebat, eamque ab omni incommoditate præseruabat.* DOCT. Patet igitur ex diuinis literis, etiam iuxta interpretationem Lutheri omnium quæ nunc grassantur, hæreseon parentis, Virginem Mariam in Conceptione & Natiuitate puram ab omni peccato fuisse: proinde ipsius magistri censura, totus grex discipulorum & secutuleiorum eius manifeste condemnatur.

2.

Luc. 1.

D MIN. Vis-ne vt adhuc aduersus eos educam in aciem Erasmum Roterodamum? DOCT. Siquidem eum agnoscunt hominē eloquentia ac eruditione singulari, ac à partibus stetisse suis, vt indicat in Iconibus Beza, non conuenit vt eius testimonium repudiēt. Ille protestatur se in omnibus scriptis suis, eorum accessisse opinioni, qui Virginem sine peccato originali conceptam fuisse defendunt. In cuius rei fidem allegat *suum Pæana, preces ad virginem Mariam: Liturgiam, & Conti-*

3.

 nem

nem suam scriptã aduersus obtrectatores beatæ virginis. In Responsione quoque ad Apologiã doctoris Natalis Bedæ, fatetur, se in eadẽ sententia permanere, quidquid alibi contra disputet. Postremo, sic eã alloquitur in pæane suo. *Tu felix illa plantula, de Iessæ radice subnata, nihil tamen inde genitalium sordium trahens, &c.*

Apologia ad Albertum pium.

4. Gulielmus Budæus vir quoque magni in Gallia nominis, & quẽ Beza inter suos, iure vel iniuria indigetat, eandẽ doctrinã defẽdit, adfirmatq; singulari prouidentia Dei factum esse, *vt mater eius, qui Deus & homo pariter est, à nano natalitio immunis fuerit,* His addo & insulã Anglicanã, in qua ex libro precũ publicarũ, & ministerio publicæ administrationis (quã vocant) Ecclesiasticæ, excuso Lõdini ex priuilegio Reginæ suæ, distincte præceptũ est, vt in vigilijs Conceptionis & Natiuitatis Mariæ virginis ieiunetur: hæcq; festa celebrentur:

L. Icon. L. 3. de translat. Hellenismi

5. DOCT. Beza sane cũ gregalib. suis nõ poterit nisi suo magno cũ dedecore taliũ asperna ri testimonia. MIN. Profer si quid habes è sacris literis vnde hæc immaculata Cõceptio & Natiuitas Mariæ cõfirmetur. DOCT. Salomon excellẽtissimo Cantico laudes matris Messiæ decantans in has voces prorũpit. *Sicut liliũ inter spinas, sic amica mea inter filias:* MIN. Quid nomine spinarũ denotatur? DOCT. Eua, Sara, Rebecca, Rachel, Lia, Ruth, Bethsabea, & aliæ peccatrices fœminæ, à quibus hæc sanctissima Virgo sine peccato deduxit originẽ, nec inde vllos delictorũ aculeos accepit: sed in omni sanctitate, omniq; virtutum genere alba, pura, nitida, pulchra, & odorifera mansit. Nec solũ spinis, sed & cæteris floribus lõge antecelluit. MIN. Potesne interpretationẽ istã antiquorũ authoritate fulcire? DOCT Nõ solũ Rupertus, Fulbertus, Adam Victorinus, Anselmus Cantuariensis, ante quadringentos annos, sed & Hesychius Presbyter Ierosolymitanus, & Epiphanius Cypri Episcopus in Orationibus, quibus huius Virginis laudes decantant, ante mille & ducentos annos in hac fuerunt sententia.

Cant. 2.

7. Idem Salomon sic eandem Messiæ matrem dilaudare cum admiratione pergit: *Quã pulchra es amica mea, quam pulchra es. Oculi tui colũbarum, absq; eo quod intrinsecus latet.* Et paulo post, perpetuam atq; perfectam illius sanctitatem his verbis prædicat: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* MIN. Quinam interpretes ista de Virgine Maria, dicta putãt? DOCT. Non hi solum quos ante memorauimus: sed & vetustissimus quidam Rabbinorum nomine Sehimeon, apud Galatinum.

Cantic. 4.

L. 7. de ar-

A Author item quidam peruetus, cuius nomẽ est idiota sic superiorem textum exponit: Tota pulchra es in corpore, tota pulchra es in animo: & macula originalis, aut venialis, aut mortalis peccati non est in te, nec vnquam fuit. MIN. Certe non arbitror ambigendum, quin crebra illa repetitio verborũ, *quam pulchra es, Tota pulchra es*, minime sit otiosa, sed in se emphasim magnam omnis sanctitatis & puritatis in hac vere ancilla, vere sponsa, vere amica, & vere matre Dei contineat.

canit. L. contēpl.

8. B DOCT. Sanctissimus & constantissimus ille sacrosanctæ Trinitatis & vnitatis in Deo propugnator Athanasius huc quoq; applicat testimonium Dauidis: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, &c.* vocabulo vestitus interpretatus firmam, puram ac perpetuam innocentiam & sanctitatem, qua hæc mater Regis Regum eximie cumulata fuit. Atque huic interpretationi suffragatus est ante nouem sæcula Hildephonsus Toletanus, ita vt nemo pius dubitare debeat, quin Græci pariter & Latini in hanc sententiam concesserint.

Euang. de sanctiss. Deipara. Psal. 44.

Serm. 1. de Assumpt.

9. His omnibus antiquior Methodius sanctitate, doctrina, & martyrio clarissimus, alium C Dauidis textũ: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*, refert ad perpetuã sanctitudinẽ huius virginis, eamq; vocat sacratissimũ & sanctissimum Dei tabernaculũ, in quo filius Dei, qui & ipse Deus est, sedem sibi perfectiorem ac integriorẽ elegit, quam vnquam in Mosis, aut templi ligneo deauratoq; tabernaculo. Hinc videre potes immaculatã virginis Cõceptionem grauissimis Prophetarũ authoritatibus, & priscorũ patrum interpretationib. contra Caluinisticas imposturas solide comprobari.

Ho. in hypapante Dom. Psal. 45.

10. MIN. Ecquid adferre potes ex nouo Testamento? DOCT. Tota series salutationis D Angelicæ hanc Virginis perpetuam sanctitatem designat, veluti cũ appellatur *Gratia plena*. Vester enim author Lutherus (vt superius dictũ est) hinc comprobat immaculatã eius Cõceptionem. MIN. Huius certe suffragiũ valere debet aduersus Caluinianos, qui cũ Beza diuinis fere titulis illum exornant: nõ item aduersus Catholicos. DOCT. Substituatur ergo in locum eius vir omni exceptione maior Gregorius Neocæsariensis cognomento mirabiliũ operator, qui ante mille & trecentos annos sic hunc textũ exposuit: Legi naturæ se subijci nõ patitur gratia. Quod & apertius his deinceps verbis declarat: Hæc sola virgo sancto

Ser in Euangel. Missus est.

ſancto corpore & ſpiritu fuit: ſola fert eũ, qui verbo portat omnia: & nõ ſolũ miratur Angelus pulchritudinẽ ſanctæ: ſed virtutes animæ. MIN. Sane cum eam corpore pariter & animo ſanctam, & ſolam ſic ſanctã appellat, haud dubie ſingularem quandam & eximiam ſanctitatem intelligit immunẽ ab omni labe originali, qua cõtaminatũ naſcitur vniuerſum genus humanum.

11\. DOCT. Idem vir ſanctus exponens id quod illico ſequitur, *Dominus tecũ*, inde quoq; elicit immaculatæ Conceptionis argumentũ hoc modo: Dominus tecum, nõ terrenus ſpõſus, ſed ipſe dominus ſanctificationis, pater caſtitatis, author immortalitatis, dator libertatis, ſalutis procurator, & diſtributor. Qui ex terra virgine fecit hominẽ, & ex eius coſta Euã, hic dominus tecum. Tecũ cum pulchra pulcher: cum impolluta qui ſanctificat omnia. MIN. Profecto quando Virginem cõparat cũ primæua Adæ & Euæ conditione, quæ fuit ſine vllo vitio, ſignificat huius virginis Cõceptionem & Natiuitatem vacuam & integram ab omni peccato fuiſſe. Cum vero impollutam eandem vocat, extollit gratiam qua virgo præuenta, perpetuoq; condecorata fuit. *Gen.1.2.*

12\. *Hom. de virg.* DOCT. Ad hunc ipſum locum etiam Proclus Patriarcha Conſtantinopolit. ita ſcribit: ἡ τῆς παρθένου ἀμόλυντος σάρξ Impolluta virginis caro. Quod quidem neutiquam vere dici poſſet, ſi à communi cæterorum mortalium contagione libera non fuiſſet.

13\. Theodorus Ancyranus quoq; ait: Vterus virginalis fuit mundus à paſſionibus peccati, quæ nimirum proueniunt ab infecta peccati originalis radice. Atq; hæc de veterum & ſanctorum Patrum Græcorum religione & pietate in hoc articulo.

14\. *Luc.1.* Angelus porro mandata legationis ſuæ perſequens ait: *Benedicta tu in mulieribus.* Quæ non eſt vt accipiantur niſi de ſingulari quadã inuſitata, atq; magnifica benedictione, cui parem aut ſimilem nullus ſit vnquã aſſecutus: & quæ fauore prorſus diuino ac cœleſti, quæcunque dona & beneficia in cæteros mortales collata ſunt, longo interuallo ſuperarit. Fuit igitur ſine vlla cõparatione prudẽtior quam Abigail, caſtior quam Suſanna, gratior quam Eſther, ſtudioſior quam Regina Sabæ, fortior quam Iudith, ſapientior quam Sybillæ, probior quam Sara: & vt compendio abſoluam, ſanctior & purior in conceptione & natiuitate quam Eua in primo creationis ſuę momẽto: proinde prorſus immaculata & ſemper munda à cunctis delictis. MINIST. Mihi

A quidem hęc omnia videntur extra contradictionis aleam, niſi quis Angelum Dei velit falſitatis arguere. Nunc, niſi graue eſt, aliquid adfer ex patribus Latinis, qui Græcis conſentiant.

15\. DOCT. Rupertus in hoc articulo meditabundus, vocat hanc Virginem, Operatricem miraculorum, magiſtram ſanctitatis ac religionis, cui nec oculus vnquam parem vidit, nec Eua ſimilis exſtitit in principio ſuæ creationis. Petrus Damianus adhuc ætate vetuſtior, admiratione correptus ita fatur: Quid rogo, vitij in eius mente vel corpore vendicare ſibi potuit locũ, quæ ad inſtar cœli, plenitudi- B ni totius diuinitatis meruit eſſe ſacrariũ: Auguſtin. affirmat optime declarari verbis ipſius Angeli, ſententiam diuinæ cõmunicationis infirmatam eſſe, & plenitudinem gratiæ ac benedictionis denuo reſtitutam. Ambroſius ſic in hanc rem loquitur: Sola gratiam cõſecuta eſt, quam nulla alia meruerat, vt gratiæ repleretur authore, &c. *L.6. in Cãt* *Serm.3. de nat. Mariæ.* *Serm.2. de Natiu.* *In c.1. Luc.*

16\. MIN. Locus hic ſatis explanatus eſt, alium quẽpiam proferri geſtio. DOCT. Ipſamet virgo laudans & magnificans Deum in Cantico, grate agnoſcit immenſa beneficia quæ ab ipſo acceperat, his verbis: *Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctũ nomẽ eius.* Quænam amabo, illa magna dici poſſent, ſi in cõmuni fare, ac humanæ cõditionis ſordib. relicta fuiſſet? Si tam fœdam & cõtaminatam cõceptionem & natalẽ ſortita foret, atque peccatrix aliqua mulier ex turpi cõtagione mortalitatis? Cur item, infinitam Dei potentiam inculcaret, ſi nihil in eius ortu atq; conceptu, ſingulare, & cum miraculo cõiunctum interueniſſet? Aut cur ſanctum Dei nomẽ laudib⁹ efferret, ſi parẽ cum reprobis maledictionem à primæua Cõceptione ſubijſſet? MIN. Firma conſtantique fide teneo, Deum non modo tunc cum illa & in illa feciſſe magna, cum ex ea conceptus & natus eſt filius Dei: ſed & antea, cum formata & animata eſt in vtero matris Annæ, quorum beneficiorum ratione celebrat ſanctitatem & potentiam Dei in ipſa tot miracula operantis & perficientis. *Luc.1.*

17\. DOCT. Quatuor habes locos ex veteri Teſtamento, totidẽ ex nouo, cum interpretationibus veterum & Latinorum patrum, quibus impolluta Cõceptio & veneranda natiuitas B. Deiparæ cõtra impudentes Caluinianorum impoſturas aſtruitur, quid requiris amplius? MIN. Hæc quidem ad inſtruendam fidem meam ſufficiunt: ſed vt in poſterum maiore cultu & affectu ſanctiſsimam illam matrem

tremDei prosequar, rogo ne graueris paulo longius in hoc diuinorum beneficiorum & miraculorũ campo exspatiari. DOCT. Factum puta. Multis, iisdemq́ue grauissimis rationib. innituntur Theologi nostri, vt hanc Deiparæ puram Conceptionem & Natiuitatem adstruãt. Hæc prima esto. Gratiæ & prærogatiuæ omnes spirituales, quas Deus huic Virgini cõtulit, longe auctiores & vberiores fuerunt, quã vlli vnquam alteri sit elargitus. MIN. Colloquiũ Angelicum, canticũ eius, & exclamationes Elizabeth, ac mulieris de turba idipsum adeo probant, vt Bullingerus Zuinglianus minister in hanc tandẽ cõfessionem erumpat: *Mater est Filij Dei, ac proinde sponsa æterni, virgo perpetua, intacta, sancta, Deo dilecta Benedicta, felix, laudata à Deo, & omnibus aliis hisce donis & gratiis prælata Diuis.* DOCT. Parum moramur eius confessionẽ, cum Hieronym. Sophronius, Ambrosius, Hildephonsus, Bernardus, Anselmus multo locupletiores testes sint, qui hanc sententiã & ex sacris Scripturis, & ex admirandis circa eam Dei operib. euidenter & constanter elicuerunt. Nunc autem quidam sine vlla labe peccati in primordiis suis fuerũt, vt Angeli, vt Adamus, vt Eua: quidam sanctificati & repleti Spiritu sancto antequã nati, vt Ieremias, & præcursor Ioan. Oportet ergo sanctissimã Dei matrẽ in conceptu ac Ortu nullo crimine maculatã fuisse. MIN. Hoc certe argumentũ si quod aliud à minori ad maius desumptũ & firmiter concludit, & errorẽ euertit, & fidem Cath. cõprobat, insuper in expresso verbo Dei fũdatur: quidquid tandem aduersus illud oblatrare possint Pomeranus & Caluinus vocationem cũ sanctificatione impie vt ignoranter confundentes. Sed & cum nunquam possint vel Angelorum creationem, vel primorum parentum originẽ vlla labis suspitione deformare: semper restat, vt virgo prorsus immaculata fuerit in sua Conceptione atq; Natiuitate: atq; sic vtraq; cum pietate & gratiarum actione colenda superfit.

L.1. in Luc.

Ierem. 1. Luc. 1.

18\. DOCT. Consideres itẽ attente, quam hæc virgo plerisq; legibus, næuis, & miseriis soluta fuerit, quibus reliquũ omne genus humanum conflictatur: quantis è contrario, donis singularib. ac personalibus ante alios mortales excelluerit: nõ vltra dubitabis, quin Deus filius eius matrem dilectissimam à vulgari peccati originalis macula exceptã ac immunem conseruarit. MIN. Sane præter cõmunes naturæ leges, sine viro cõcepit, mater simul & virgo, & vera mater fili Dei: sine vllis doloribus, & sine virginitatis detrimẽto peperit; vixit sine vllo vitio, &c. vnde non tantũ probabili ratione, sed & firmiter & constanter concluditur, Conceptionem & Natiuitatem eius eximiam, puram, & incontaminatã extitisse. Nec vero credibile est, filium Dei qui tam seueriter edicit filiis vt honorent parentes, debuisse, voluisse, vel ordinasse, matrem suam hoc dono priuari, & hac damnabili infamia commaculari. Exod. 20. Matth. 15.

19\. DOCT. Iam vero nota mihi, sodes, quæ mala, quas calamitates, clades, & miserias secum peccatum originale trahat: & horror animum subibit si tantummodo cogites matrem Dei talibus vllatenus obnoxiam fuisse. MIN. Ab hoc peccato præcipitamur in abyssum iræ ac maledictionis diuinæ: hæreditate regni cœlestis in æternum priuamur: æternæ damnationi deuouemur: Satanæq; seruituti mancipamur. Hæc præterea tabes mille perturbationib. & damnatis cupiditatibus inficit; voluntatem incredibili malitia deprauat: liberum arbitrium debilitat: intellectum ignoratione pudenda, fœdisq; erroribus obnubilat: memoriam beneficiorũ & iudiciorũ Dei obliterat ex animis: vastum deniq; pelagus malorum, ad funditus perdendum miserabile genus humanum inducit. Quæ cũ ita sint, neutiquam ambigendũ existimo, quem Deus idem ille qui diluuio Noe liberauit, Loth è Sodomis, Abrahamum ex igne Chaldæo, Iosephum è carcere, Israelẽ è mari rubro, primogenitos ab exterminatore, Danielem è leonibus, tres socios eius ab incendio, Ionam è ventre ceti, & Susannam ab infamia & morte, &c. longe magnificentius charissimam & honoratissimam genitricem suã seruarit ab hæreditaria Adami labe, cæterisque damnabilib. vitiis quæ exinde cõsequuntur.

20\. DOCT. Progrediamur vlterius & seria æstimatione perpendamus, vtrũ decuerit, aut expedierit, vt benedict9 ille vẽter, beata vbera, felix corp9 substantia & sanguis, vnde Agnus Dei veniẽs ad tollẽda peccata mũdi, humanitatẽ sumpturus erat, qua Deo satisfaceret pro peccatis nostris, quaq; gratiã, iustitiã, sanctificationẽ, & glorificationem nobis acquireret: vt illud (inquam) sacrariũ Dei hominẽ assumentis, fuerit iræ & maledictionis diuinæ receptaculũ, contaminatum damnabilib. ac infernalib. flagitiis, ac velut quædam cloaca fœdissimarũ impuritatum? MIN. Id quidem nimis atrocem ignominiam ac dedecus inureret honori mediatoris, quem Paulus ait, oportuisse sanctum innocentem Heb. 7.

tem, sine macula, segregatum à peccatoribus, sublimiorem cœlis, & cui non sit necesse victimas offerre pro peccatis suis. Cum igitur noster Iesus filius Mariæ talis fuerit Pôtifex, non est dubitandum quin origo & scaturigo eius pura quoq; & impolluta coram Deo fuerit. Etenim si riuulus salubris ac limpidus est, non potest fons esse turbidus aut pestilens: si fructus & rami læti sunt, idem iudicium de radice & arbore ferri debet.

Mat. 7. Rom. 11.

21. DOCT. Huiusmodi rationibus impulsi tum Apostoli, tum Discipuli & successores eorum, constantissime docuerunt iam inde à primordio propagatæ religionis Christianæ, hanc Virginem sanctiorem fuisse Seraphinis, puriorem Cherubinis, beatiorem Thronis, & acceptiorem Deo reliquis ordinibus Angelicorum spirituum, qui nullam vnquam labem è peccatis traxerunt.

Matt. Iac. Marc. Cle. Bas. Chrys. Liturg.

22. Beati martyres exclamant: Non decuit vas istud communibus lassari contumelijs, quia natura communicauit nobiscum, non culpa.

Cypr. ser. de nati. Dom.

23. Confessores palam contestantur, se quoties in genere de peccatis atq; peccatoribus disputant aut concionantur, nullatenus hâc sanctissimam Virginem vniuersali designatione complecti. Sunt & qui dicunt, Abunde testatum esse consensu totius Ecclesiæ quod nullis quãdo nata est peccatis subiacuit, nec peccatum originale in vtero contraxit. Alij benedicentes lumbis Ioachim patris eius, adfirmant, quod hæc filia eius fuit ante conceptionem pura.

Aug. l. de nat. & grat. c. 36. Hildephõs. l. adu. eos qui disp. Damasc. ora. de laudib. B. Ma.

24. Festum huiusce Conceptionis immaculatæ firmatur vniuersalium Conciliorum suffragatione, cum speciale officium tum temporis canunt: insuper, Deum inuocare ac precari per immaculatam huius Virginis Conceptionem. Quin & hoc exceptionis temperamento decreta, quibus de peccato originali latissime disseminato pronunciatur, coarctant, vt huic culpę sanctiss. Dei mater nequaquam illis non sit inuoluenda.

Conc. Bas. Conc. Tri.

25. Successores D. Petri, Christi in terris Vicarij, easdem indulgentias largiuntur ijs qui hanc immaculatam Conceptionem celebrãt, ac qui festum sanctissimæ Eucharistiæ. Insuper, libris in lucem editis, asserunt eam ab omni labe puram & integram semper extitisse.

Sixt. IV.

26. Celebriores orbis Academiæ Theologorum non alia lege quenquam in ordinem Theologorum adsciscunt, nisi iureiurando fidem suam obstrinxerit, se aduersus, & apud quoslibet hanc doctrinam scriptis & concionibus propugnaturum.

Paris. & Colon.

Omnes totius Europæ Ecclesiæ Catholicæ, omnes per Asiam schismaticæ, necnon Græcæ, Syriacæ, Chaldaicæ, ac Aethiopicæ, Conceptionis & Natiuitatis beatiss. Deiparæ festa concelebrant, vt ex eorum Calendarijs & Martyrologijs luculenter apparet. 27.

Et quod haudquaquam perfunctorie notandum est, veteres Hebræi tanquam fidei suæ articulum tenuerunt, fore, vt mater Messiæ singulari gratia ab Adami peccato, & incommodis inde promanantibus præseruetur. 28.

Galat. l. 7.

Turcæ, Persæ, Arabes, Mauri, Saraceni, Tatari in suis Alchoranis contendunt nunquam diabolum ei hanc originalis peccati labem inflixisse, non magis q̃ Iesu eius filio. 29.

Lutherus & Erasmus, vt dictum est supra, nominatim eã ab ista contagione excipiunt. Caluiniani nihil ambigũt, quin omnes fideliũ liberi ab vteris matrũ sanctificati, & cœlo digni nascãtur, &c. Quapropter pugnant cum verbo Dei, cum vetere Ecclesia, cum patribus, cum ratione, cum totius orbis consensione: peioresque sunt infidelibus quos enumeraui; denique suis ipsorum sententijs condemnantur, cum puram Conceptionem & felicem Natiuitatem oppugnant & maculant. 30.

QVOD VERE AC SEMPER FVERIT gratia plena, nunquam peccatrix, aut damnabilis: tantum abest vt æterno supplicio digna fuerit, aut mulieri peccatrici, aut Chananææ coæquanda sit. contra 7. 8. 9. 10. 11. & 12. errorem Hugnosticum.

CAPVT III.

MINISTER.

ECquid aliud habent, quod ei obijciant. DOCT. Fingunt quod vere non fuerit gratia plena, sed fœmina peccatrix, ac persona damnabilis. MIN. Adeo ne impudentes, blasphemos, & contumeliosos vsquam homines reperiri? DOCT. Lambertus Danæus corculum Bezæ, mentem Augustini detorquens sic loquitur: *Non vult Augustinus Mariam ἁπλῶς dici gratiæ plenam quasi peccare non potuerit: sed κατά τι tantum.* Paulo post: *Non dicitur Maria plena gratia, sed tantum gratis accepta, & gratiam consecuta.* MINIST. Miram profecto malitiam, & impudentiam plane diabolicam audio qua sic aduersantur verbo

Com. in Enchir. Aug. c. 36.

bo Dei, ab Angelo pronunciato. Sed produc A in agmē reliquos eius accusatores. DOCT. Iacobus Schenteius ex disciplina Lutheri

Expl. Euangel. de Christi concept. ait: *Virgo illa perinde ac Adam, Noe, Loth, & cæteri, in hac vita peccatrix, adeoque damnabilis persona extitit.* MIN. Quid deest huius nebulonis impudentiæ, quam vt eam insimulet rebellionis & ambitionis diabolicæ velut Adam, ebrietatis velut Noe, ac incestæ libidinis velut Loth? Quis porro Christianus non commoueatur sensibus intimis, cum tam execrabiles blasphemias audiat? DOCT.

Postil. in Euang. Dom. 1. post Epiph. Spangembergius ait *eam commisisse crimen, quod æterno supplicio Deus vindicabit.* Brentius clamat *eam æterna damnatione dignam fuisse.* B Melanthon postremo plenam impietatis atque blasphemiæ prosopopœiam Deo non horret affingere, qua Virginem sic alloquatur:

Annot. in c. 2. Ioan. *Scias te non plus esse apud me, quam vel mulier peccatrix, vel Syrophœnissa, &c.*

Confut. 1. MINIST. Horret animus audire tot blasphemias aduersus Spiritum sanctum in ista beatissima Virgine residentē: nec quenquam repertum iri arbitror, cui sit reliqua veræ pietatis scintilla, quin ex animo detestetur has ex orco voces. DOCT. Sed aggrediamur primi erroris confutationē: eadem enim opera posteriorum radix exstirpabitur. Nam si exploratum fuerit Virginē C semper gratia plenā extitisse, subtracta basi concidet sua spōte quidquid calumniarum adijciunt. MIN. Idem Danæus quem citasti, tanquam suas ipsemet impuritates pertæsus, vel solemni inconstantia, retractat errorem suum, & hac palinodia gratiam Virginis au-

Vbi supra. cupari studet: *Insignibus Dei donis, & supra omnes quotquot vnquam fuerunt: & erunt mulieres à Deo gratiis ornata, quia Christi mater fuit, & organum Dei selectissimum.* DOCT. Iam vero audisti quibus ornamentis eam insigniant scenici ostentatores isti, nempe peccato originali, inobeditione, ambitione, ebriositate, incestis amoribus, alijsque damnabilibus D flagitijs.

2. Sed omnis ista calumniarum congeries prima congressione prosternitur ab Angelo cœlesti dicente: *Aue gratia plena.* Non enim hæc salutatio partim vera, partim falsa fuit: sed in solidum & omni tempore gratia abundauit: proinde nunquam peccato se adstrinxit contra quam Caluiniani criminantur.

3. MINISTER. Non tamen replicatione destituuntur. Aiunt enim Græcam dictionem qua vtitur Angelus κεχαριτωμένη non significare quod volunt *Gratia plena*, sed aliud quidpiam longe diuersum. DOCT. Et ego hac exceptione frigidum schema diluo, videlicet Angelum Græco idiomate non esse locutum, sed Hebraico vel Syriaco, nec aliud sensisse quam quod habet versio communis Latina, sicut ex Noui Testamenti Syriaci interpretibus perspicitur. Adde quod omnes antiqui Latini, qui Græci sermonis energiam probe calluerunt, Latine reddiderunt, *Gratia plena*. Sed & idem Angelus omnem tergiuersationem tollit statim subijciens: *Dominus tecum: Inuenisti gratiam apud* Luc. 1. *Deum: Spiritus S. superueniet in te, &c.* quibus verbis aperte declarauit eam vere plenam esse gratia.

Postremo, nuperi translatores isti tanta 4. sententiarum varietate discrepantes temeritatem & inscitiam suam manifeste produnt. MIN. Quo pacto tandem inter se differunt? DOCT. Erasmus & Bucerus vocem κεχαριτωμένη transferunt *Gratiosa.* Beza carpit eos, & sacramento affirmat dicendum fuisse *Gratis dilecta.* Caluinus hanc sententiā improbat, & substituit *Gratiam consecuta.* Bullingerus, *Gratificata & dilecta.* Sarcerius, *Grata Deo passiue.* Losius, *Cui Deus fauet.* Castalio, *Grata Deo.* Hemmingius, *In gratiam recepta, &c.* ad summam, totidem sunt sententiæ, quot capita. Tantum in eo conueniunt omnes, quod pariter bellum indicunt Virgini, maluntque turrim confusionis exædificare vt sanctissimam Virginem infament & oppugnent, quam dextras iungere cum Ecclesia Catholica, vt beneficia quæ Deus in eam contulit, nobiscum agnoscant & laudent.

MIN. Vere secum pugnant (Postilla in 5. Annunciationem) & ad veterem interpretationem *Gratia plena*, tandem veritatis vi redire compelluntur. Nam Lutherus primipilaris dux omnium scribit: *Maria plena est gratia, per quod omnis peccati pura cognoscitur.* Et idem alibi: *Maria plena gratia iuxta animā concepta est.* Et Losius occurrens quorundam aduersariorum obiectioni ait: In Euang. de Natiu. Domini: *Maria est plena gratia, scilicet communicata: Christus autem est plenus gratia, nō communicata sed propria, quam aliis impertit seu communicat.* Brentius etiam interpretationi adstipulatur, In Euang. Missus est Gabriel Angelus, cum dicit: *Nec hac quidem vocabula, Gratia plena, reiicimus, modo recte intelligantur.* Culmanus hac paraphrasi horum vim sic Conc. 2. 5. explanat: *Plurimum consecuta gratia, & à Deo multiiugis gratiis insigniter dotata: & locupletata.* Bu-

ta. Bucerus denique quem Caluinus & Beza tantis laudibus onerant potius quam honorant, ita in rem istam scribit: *Quid sit, Gratia plena, Angelus explicat, Inuenisti gratiam apud Dominum, &c.* DOCT. Hæc plane interpretationum diuersitas, cum Latina versione conspirat, quatenus omnes vnanimiter cōfitentur virginem gratia plenam extitisse: & per consequens fatiscit dolium istud Danaidum, Danæus Caluinianus, qui totus mendacijs diffluit. *Cō. in Luc.*

6. MIN. Potesne tot variantibus sententijs, & fœdis contradictionibus constantem assensum priscorum patrum & sanctorū Doctorum opponere? DOCT. Nihil est quod expedire facilius possim. Iam enim audiuisti concentum Apostolorum, & Apostolicorum hominum, qui eam beatiorem ac puriorem omni Angelorum choro concelebrant: quæ laus non est vt aliunde promanet, quam ab illa plenitudine gratiæ.

7. Quinetiam (adfirmante fortissimo sanctissimæ Trinitatis propugnatore Athan.) Euang. de sanctiss. Deip. Principatus, Archangeli, Angeli, tres ordines infimæ beatorū ac cœlestium spirituum hierarchię, eandem beatissimam Deiparam corpore & animo in cœlos conscendentem, eisdem laudibus prosequuntur, dicentes: *Aue gratia plena. Dominus tecum.* Nec hi soli, sed ab istis (inficit ille) nos hierarchiæ terrestres, siue quod didicimus, siue quod mutuo hæc verba sumpserimus exaltam* te voce magna & canora voce dicentes: Aue, gratia plena, Dominus tecum. Intercede hera, & Domina, & regina, & mater Dei, pro nobis, &c.

8. Sed ab Angelis ad sanctos homines (quod postulas) reuertor. Sophronius, Sermone ad Paulam, singulari charitate cum Diuo Hieronymo iunctus, de Virgine sic loquitur: Cæteris virginibus præstatur gratia per partes: Mariæ vero tota se infudit gratiæ plenitudo, & ideo super omnes ignara delicti.

9. Hieronymus idem non dissentit ab amico scribens: Sancta Maria quia conceperat eum in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur. *Epist. ad Principiā.*

10. Ambrosius in iisdem hærens sedibus, Bene plena gratia dicitur, quæ sola gratiam quam nulla alia meruerat, consecuta est.

11. Origenes, Hom. 6. in Lucam, ijs omnibus antiquior, & vim verbi perpendens, ait: Id enim quod Angelus, ait: Aue gratia plena, quod Græce dicitur κεχαριτωμένη, vbi in Scri-

A pturis alibi legerim non recordor: sed neque ad virum istiusmodi est, *Salue gratia plena:* sed soli Mariæ hæc salutatio seruatur.

MIN. Hi sunt mihi instar multorum millium: quandoquidem video hanc doctrinam & suffragio antiquitatis, & expresso Dei verbo niti. Tantum illud ex te scire studeo, An velis Virginem istam exæquare Filio, qui solus naturam impeccabilem nactus dicitur: DOCT. Nequaquam. Nam impeccabilitas Virginis non ex natura, sed ex redundātia gratiæ promanauit, quæ iam à principio in eam collata fuit, & in qua perpetuo stabilitatem & incrementum accepit ne pos-

B set in sempiternum peccare. Discimus enim ex Augustino: Cuicunque naturæ præstatur vt peccare non possit, hoc est gratiæ, nō naturæ. Et ex D. Hieronymo: Soli Filio Dei seruabatur, vt peccare non posset. Denique cum Tertulliano. Solum Deum esse, in quem nō cadat peccatum. Cum Anselmo: Non posse naturam hominis esse impeccabilem cum sit libera ac infinito interuallo distet à Creatore, qui solus est natura bonus, iustus, & sanctus. Proinde quando vna cum Angelo dicimus, Virginem fuisse plenam gratia, beneficio gratiæ seruatam ab omni delicto, soli Deo gloriam tribuimus, tantum abest vt

C quidquam de eius gratia & honore derogemus.

BEATISSIMAM DEIPARAM NON ANnumerari debere cum peccatoribus: quandoquidem nullum vnquam personale seu veniale, seu mortale commiserit: aduersus decimumquartum, decimumquintum, & decimumsextum Hugnosticorum errorem.

CAPVT III.

MINISTER.

Effuderunt ne matrices istæ virus omne suum, an etiam aliquid restat amplius?

D DOCT. Imo hanc eius dignitati labem inurunt, vt eam cæteris quibuscunque peccatoribus associent, dicantque affinem fuisse omnibus culpis personalibus & actualibus, tanquam si nullum priuilegium, aut specialem Dei gratiam à Deo consecuta fuisset.

MIN. Quinam sunt criminatores isti? DOCTOR. Caluinus scabiem suam affricans August. sic ait: *Quinetiam prope disertis verbis eā in peccatorum ordinem aggregat, cum ad Marcellinum scribit.* Alibi nō assumens aliam personam, ipsemet suam impudentiā sic in thea- *Antidot. cont. Concil. Trid.*

trum deducit: *Non magnopere laborandum est, vt Mariam purgemus ab omni vitio*: quasi videlicet, omnibus quæ à reprobis & præfractis committi possunt, reapse laboraret. Item, Centuriatores Magdeburgenses maligna censura sua iudicant sanctos patres & doctores non parum aberrasse, docentes hanc Virginem speciali gratia & priuilegio Dei seruatam fuisse ne peccaret vnquam. Anselmũ vehementer hallucinari cum ait, Omnes peccato mortuos esse, extra solam matrem Dei. Idiotam tota errare via, quoniam nihil vitij, peccati, aut turpitudinis in Mariæ anima substitisse testetur, &c.

Cent. 11. c. 4. *Cent. 9. c. 10*

A

Confut. 1. MIN. Incendor iusta indignatione, nec possum vltra concoquere tot contumelias aduersus sanctißimam matrem Domini & Dei mei Iesu Christi. Nec dubito quin propediem è cœlis descensurus sit ad plectendos horribili exemplo tam nefandorũ errorum repertores. Cum enim Maria soror Mosis pœnas dederit quod aduersus fratrẽ obmurmurasset: diris execrationibus deuotus fuerit Chanaam, quod auo petulanti[9] irrisisset: denique, cum à feris discerpti fuerint pueri per irrisionem clamantes ad Elisæum, *Ascende calue*, non dubitandum est, quin grauibus pœnis olim afficiantur improbißimi diffamatores & obtrectatores huius sanctißimæ castißimæque matris seruatoris totius mundi.

Num. 12. *Gen. 9.* *4. Reg. 1.*

2. DOCT. Nunquam sane cœlestis vltio dimittet impunitos tam profligatos sanniones. Cum autem supra probauerimus tum Scripturarum authoritate, tum interpretatione antiquorum patrum, tum consentiẽte omnium Ecclesiarum Catholicarũ sententia, imo & ipsorum etiam aduersariorum testimonijs hanc beatiß. Deiparam, sine peccato originali conceptam & natam fuisse, à qua velut stirpe, propagantur & existunt omnium iniquitatum ramuli: consequens est, vt eximatur e numero peccantium.

3. Deinde, cum firmißimis argumentis demonstrauerimus eam semper fuisse plenam gratia, Dei auxilium ei continuo præsto adfuisse, eam fuisse sanctiorem cunctis Angelis: nonne hinc efficitur ipsam longe alio cẽsu & ordine habendam, quam mulierem peccatricem Chananæam, ac reliquum miserabile agmen peccatorum: Nunquam vllius delicti consciam fuisse, nec effectu ipso, nec affectu deprauatæ voluntatis? Non esse mortuam peccato? Nunquam in ipsa labem aut infamiam peccati resedisse?

Tum autem serio fac reputes, vtrum flos ille seruorum Dei, tot fideles Spiritus sancti interpretes. Anselmus, Idiota, & alios quos produximus, non incomparabiliter fide digniores videantur cum Dei gratias in matrem Christi effusas laudibus efferunt: quam quatuor aut quinque fidei desertores, & veritatis oppugnatores apostatæ, cum eas calumnijs procaciter incessunt? MIN. Viderint alij quid tibi faciendum sit: equidẽ pluris vnicum Anselmum æstimo, quam trecentos Bezas vel Danæos: pluris S. Augustinum, quam quidquid vbique est Caluinorum: pluris nobile illud par Ambrosium & Hieronymũ, quam infinitas legiones Flacciorum, VVigandorum, & omnes centurias Centuriatorum. Satis enim mihi exploratũ est hos eximios Doctores, & quotquot eorum vestigijs insistent, post nouißimum Dei iudicium æternæ fœlicitatis fore compotes in cœlesti Paradiso, perditos autem apostatas cum tota sectatorum colluuie præcipites in ima tartara [illegible] ituros. An non igitur stabili & inconcu[illegible]ne nititur salutis meæ fides, cum doctrinam amplector defecatæ antiquitatis, quam si nomen profitear inter istos neotericos hæresiarchas, & maledicentißimos obtrectatores? 4.

B

C

DOCT. Prædictis probationibus addi potest hoc auctarium, quod Spiritus sanctus superueniens in hanc præstantißimam Virginem cumulauit eam omni sapientia, sic vt plena Numine protinus assurgeret in laudes Dei, cuius beneficia & miracula luculentißimo cantico celebrat, Spirituque prophetico afflata, vaticinatur, fore, vt omnes generationes (si Caluinianos excipias) beatam ipsam prædicarent. Hoc sane vaticinium plenum arrogantiæ & vanitatis esset, si (vt canes isti latrant) impia, peccatrix, & mulier damnabilis extitisset. Concipe animo quibus enthusiasmis diuina Virgo stimulabatur, quam tota cogitatione mens eius defixa erat in contemplatione numinis, cum in has voces exsurgit: *Magnificat anima mea Dominum: Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, &c.* Verborum numero sententiarum grauißimarum numerus exæquatur, nec vlla particula est huius orationis, quæ non magnam emphasin habeat, quæ non spiret animam non modo ab impuro peccantium cœtu segregatam: sed & à Spiritu sancto illustratam & in amore 5.

Luc. 1.

D

amore Dei penitus defixam, & omni iugis A beneficiis gratiarum cœlestium plenam atque refertam. Nunquid profana Chananæa, peccatrix mulier tam diuinos ab ore sermones distillaret? Aut Spiritus Dei per organum fœminæ contaminatæ peccatis actualibus & mortalibus, tam præclara cantica proferret? Arrogantes, ambitiosæ, lasciuæq; fœminæ sic cine magnificant Dominũ? Exultant sic in Deo salutari suo? Non potius sibi placent in honoribus sæculi, & carnalibus desideriis? Prædicant-ne omnes gentes beatas Herodiadem, Iezabelem, Dalilam, Maacham, & impuras id genus peccatrices? An vero miranda fecisset Dominus in hac B Virgine, si dereliquisset eam in vulgari peccatricum fæce, vt hæresiarcha prædicat?

6. MIN. Minime vero gentium: proinde tot sunt imposturæ, quot crimina aduersus hanc sanctissimam iaciunt Virginem. Sed quoniam Augustini clypeo delitescere se posse putant, adimas quæso, & mihi hunc scrupulum, & illis inane perfugium. An hoc vllo modo credibile est Deiparam à sanctissimo scriptore in Epistola ad Marcellinum, sub ordine peccatorum comprehendi?

Aug. ep. 5. DOC. Nihil ista pronuntiatione falsius? Nã prima ad Marcellinum epistola ne verbum

Ep. 7. quidem exstat de hac Virgine. Sub finem C secundæ (multas enim ille ad eum scripsit)

Ep. 158. confutat eos qui credere nolunt hanc virgi-

Ep. 159. nem post partum permansisse. In tertia, nullus de ipsa sermo habetur. Nullus item in quarta. Quinta continet disputationem contra Pelagianos, in qua probatur paruulos infantes licet à fidelibus & baptizatis parentibus natos, in originali peccato concipi & nasci, quo non alia ratione liberantur, ac per consequens in regnum cœlorum non perueniunt, nisi Baptismi sacramento atque beneficio: quæ omnia Caluinianis fictionibus aduersantur. Sed in toto illo tractatu neutram in partem de Maria virgine loquitur, D nulla vox reperitur vnde possit exsculpi eam in ordine peccantium annumerari. Non est igitur hæc ab Augustini sensu sententia, sed ab impudentissimi Caluini impostura.

7. MIN. Maiorem in modum afficior hac doctrina: sed an non eam sub generali determinatione complectitur? DOCT. Minime: siquidem aliis in locis eam nominatim excipit, negatq; cum de peccatis & peccatoribus sermo instituitur, se Virginem ibi-

Aug. l. de dem comprehendere: siquidem ei gratia data est supra omnes creaturas ad debellandum ex omni parte peccatum. Addit præterea, si (extra hanc vnam & vnicam Virginem) omnes Sancti Sanctæque in nomine Domini, adiurentur verum dicere, cunctos vno ore cum Ioanne responsuros: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* MIN. Causa hæc perorata est: ad alias criminationes aggrediamur. *nat. & gratia c. 36.* *1. Ioan. 1.*

QVOD MARIA VIRGINITATEM suam Deo voto sacrauerit: nec vnquam consenserit de copula carnali cum quoquam ineunda: nec corrupta fuerit in puerperio: neque sic tamen aut perfida fuit: neque Deo illusit: hæc quæ doctrina ad substantiam fidei Catholicæ pertineat: aduersus decimumtertium, decimumquartum, decimumquintum, decimumsextum, decimumseptimum, & decimumoctauum errorem.

CAPVT IV.

DOCTOR.

QVatuor adhibent machinas vt eius sanctam & semper incorruptam virginitatem expugnent. Primo etenim negant eam hoc nomine votum vllum vnquam Deo nuncupasse. Nam Caluinus atra bile percitus, vt solet, exscribente Marlorato dicit? *Quod ex hoc loco*, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? *occasionem quidam sumpserunt, vt dicerent, Virginem habuisse votum perpetuæ virginitatis, nimis infirmum est, imo absurdum ac ridiculum. Existimabimusne Virginem passam fuisse, marito se collocari, vt eum luderet? Fuisset profecto perfidia, graui reprehensione digna, si sanctum coniugij fœdus non sine Dei ludibrio spreuisset, &c.* Beza, Annotat. in cap. 1. Luc. nefas esse putasset vel latum vnguem recedere à norma parentis, quem multis in locis *Nobilissimum Theologum* (matæologum debuisset) non erubescit appellare. MIN. Hæc igitur Theologia in obtrectatione sanctorum, & in calumnianda matre Dei consistit. DOCT. Vermilius, Pellicanus, Brentius, Gualtherus, Aretius, & complures alij Sectarij sunt in eadem hæresi, & velut agmine facto hanc virtutem ac heroicam laudem deculpatissimæ Virgini certatim suppilare contendunt, vt Deo sacrauerit dicaritque perpetuam virginitatem. MINIS. Qui vero sunt illi qui dicunt eam in viri copulam con- *In c. 1. Luc.*

sensisse? DOCT. Quadrigarij isti Centuriarum consarcinatores, sic pronunciantes de eius cum Iosepho coniugio: *Liquido constat, ita vtrumque fuisse affectum,* (Centuria prima, libro primo, capite decimo, columna trecentesima sexagesima sexta) *vt statuto tempore, more aliorum coniugum, voluerint liberos procreare.* Bucerus, Vermilius, Brentius, Zuinglius, Gualtherus, Pellicanus, & consimiles alij castitatis desertores, votorum præuaricatores, flagrantes omni libidinum & flagitiorum infamia, nihilo sanius de hac columba Dei & matre Saluatoris nostri iudicant.

MIN. Quis porro eam arguit in puerperio corruptam fuisse? DOCT. Bucerus, Vermilius, Beza, Molinæus, quorum verba fideliter recitauimus, & solide confutauimus, libro secundo, Dialogo secundo, capite secundo. MIN. In memoria habeo: proinde licet ad aliud accusationis caput accedamus. DOCT. Vermilius, Comment. in c.4. ad Rom. perpetuam Mariæ virginitatem ad fidem pertinere negat his verbis: *Quod virgo perpetuo manserit Maria, cum id sacræ literæ disertim non affirment, non est recipiendum inter ea, quæ necessario credi debent.* Idem repetit libro aduersus Smittheum. Beza cum gregalibus suis in colloquio Pissiaceno contrariam huic errori sententiam in Confessione fidei complexus erat: sed id turpiter postea retractauit, scribens aduersus Brentium. Sic nimirum futilissimus fidei Christianæ sannio quasi pilam habet omnem religionem.

Confut. 1. MIN. Præcisa satis illis est libertas inficiandi tot iam enumeratos errores: restat vt in conuictos sententia pronuncietur. Et quod ad primū caput attinet, arbitror Caluinum, Bezam, & Centuriatores suo ipsorum gladio iugulari. Confitentur enim *Augustinum, & plerosque veteres, authore scriptura, sensisse, quod Maria se voto virginitatis obstrinxerit.* Sed quod vincit omnem impudentiam, non solum erroris eos insimulant: sed etiam maledictis & conuitiis obstrigilant. Verum eiusmodi calumniæ tantum abest vt veritati fraudem faciant, vt eam maxime confirment. Deprehenduntur enim hostes manifesti eius sanctæ antiquitatis, quam alibi laudibus efferunt, & approbare se iactant, velut eam quæ depositum doctrinæ Apostolicæ fideliter seruauerit. Dic nunc tu quæ de hac recenses.

2. DOCT. Si quis non oscitanter expendat mentem & scopum interrogationis, qua virgo Angelum Gabrielem compellat, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Luc.1. Fatebitur quod illa virginitatem suam Deo sacrarit. Primum enim his verbis ostendit se non esse consimilem moribus cæterarum virginum, quæ nuptias contrahunt procreandæ sobolis gratia, & vt matres fiant. Nam si commune illud & naturale propositum in animo habuisset, non tam curiose quæsiuisset Conceptionis modum. MINIS. Sane si quis adultæ virgini iam desponsæ viro diceret, Concipies in vtero & paries, minime quidem id mirandum diceret: neque enim ignoraret id facile euenturum ex mutua cum marito consuetudine. Proinde cum virgo Maria non sine admiratione & stupore rogat, *Quomodo fiet istud?* Et subdit, se virum non cognoscere, satis declarat ista protestatione, se nullam habere cogitationem aut voluntatem adipiscendi matris nomen vsitato more matrimoniorum: eo quod Sponso cœlesti virginitatem suam desponderat, & à se omnem affectum atque animum copulæ carnalis abdicauerat. Igitur sedulo custodiens votum virginitatis, eoque respiciens quærit ex Angelo. Quomodo futurum esset, vt pareret, quando quidem inuiolabilem virginitatis obseruationem vouisset. Hanc religiosæ mentis dubitationem placido familiarique responso tollit Angelus, cum ait, huic mysterio peragendo vim Spiritus sancti interuenturam, & admirabilem virtutem Altissimi Dei: cui nihil omnino sit impossibile. Atque hæc est Luc.1. vera mens, hic scopus interrogationis à Virgine propositæ: quod qui nō aduertit, mente captus est: qui non agnoscit, impudentissimus haberi debet.

DOCT. Ita quidem docuerunt, crediderunt, & scriptum reliquerunt venerandi patres tam Græcæ quā Latinæ Ecclesiæ. Quod 3. vt confirmem, exordium sumam à Diuo Bernardo, Sermone in illud, signum magnum, cuius eximia virtus & doctrina ne ab ipsis quidem hæreticis in dubium vocatur. Is ita scribit: Libertate Spiritus legis Mosaicæ decreta (Maria) transcendens, illibatam Deo corporis simul & spiritus sanctimoniā vouit. Eandem sententiam alibi tuetur, Sermone in Natiuitate beatæ Mariæ, cum ait: Firmum & immutabile propositum Virginis fuisse, vt Deo sacram conseruaret corporis & spiritus integritatem.

Anselmus, Homilia in festo Assumptionis beatæ Mariæ, eandem doctrinam propugnat, 4.

pugnat,

pugnat, additque, Virginem optimo iure A
demirantem Angeli verba, quæsiuiſſe, *quomodo fiet iſtud?* quia licet viro desponſa eſſet, fixum tamen & immotum animo ſedebat, ne cum quoquam homine ſeſe vinculo carnali ſociaret.

5. Venerabilis & ſanctus Presbyter Dei Beda, Homilia in Miſſus eſt Angelus Gabriel, &c. ætate multo his anterior, ſic interrogatum Virginis explicando dilatat: Quomodo fiet vt concipiam, & pariam filium, cum in perpetua virginitate vitam exigere decreuerim? Idem, Sermone quarto de Aſſumptione beatæ Mariæ, alibi dicit, eam ſingulari prærogatiua meruiſſe, vt fœlix eſſet ante B
alias mulieres, quia prima omnium ſeſe voto tam eximiæ virtutis indixiſſet. Deinde exclamat: Homilia de feſto Annunciationis beatæ Mariæ: Vere gratia erat plena, cui diuino munere collatum eſt, vt prima inter fœminas glorioſiſsimum Deo virginitatis munus offerret.

6. MINIST. Hæc quidem ſunt teſtimonia quantiuis pretij, quibus liquido planum fit hanc fuiſſe doctrinam Eccleſiæ Chriſtianæ iam inde à ſeptem, octo, nouem, imo ſæculis: cuperem tamen aliquid adferri ex vetu- C
ſtioris æui doctoribus. DOCT. Auguſtinus qui in Eccleſia floruit abhinc fere mille
Cap. 4. & ducentis annis, in vnico capite Libri ſui, De ſancta virginitate, quater ac quinquies adfirmat Mariam, virginem penitus Deo dedicatam fuiſſe, & ob id meruiſſe vt à Dei filio mater eligeretur. Nec eam vnquam interrogaturam fuiſſe, *Quomodo fiet iſtud, &c.* niſi virginem ſe ante vouiſſet. Datam vero fuiſſe nuptum homini iuſto, qui nunquam eam violaret, ſed tueretur ac defenderet id quod ante vouerat. Tandem his verbis vtitur: Virginitatem Deo dicauit, cum adhuc quod eſſet acceptura neſciret, vt in terre- D
no mortalique corpore cœleſtis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto, amore eligendi, non neceſsitate ſeruiendi. MINIST. Hæc oratio pulchre congruit cum verbo Dei, nec modo confirmat votum perpetuæ virginitatis à Maria factum: ſed hoc inſuper euincit eam huiuſce virtutis merito conſecutam eſſe, vt gratior foret Deo Patri, ſeligeretur à Filio, diligeretur à Spiritu ſancto: qua in re prodidit exemplum omnibus poſt genitis virginibus æmulandum. Sed pertexe quæſo, nunc quod exorſus es, & ex Græcis patribus teſtimonia denuntia.

DOCT. Auſpicabor ab eleganti, imo prorſus diuino paraphraſte Euangelij ſecundum Ioannem, Nonno, qui de illa ita honorifice pronunciat.

— ἐς εἰλαπίνην δὲ καὶ αὐτὴ
παρθενικὴ Χριστοῖο θεοτόκος ἵκετο μήτηρ Cap. 2.
ἀχράντῳ παλάμῃ γαμίης ψαύουσα τραπέζης,
παιδοτόκος, φυγόδεμνος, ἀεὶ μεθέπουσα κορείην.

Id eſt --- *ad conuiuium vero & ipſa*
Virgo Chriſti Dei genitrix venit mater
Immaculata manu nuptialem attingens menſam
Puerpera, lectifuga, ſemper ſectans virginitatem

Huic ſuccedat Gregorius Nyſſenus fratre 7.
ſuo Baſilio magno nihilo inferior qui fretus *Orat. de ortu Mariæ.*
hoc ipſo interrogato Virginis ad Angelum, ait: Quia carnem Deo conſecratam, tanquã ſanctum aliquod oblatum munus oportebat intactam integramque præſtare, quærit: Quomodo ſine viro mater ero?

Simeon Metaphraſtes, Antipater Boſtrenſis, 8.
Apponius ſuper Cantica, omnes antiqui *Orat. de S.*
Patres & Præſules Græcanicæ Eccleſiæ, ean- *Io. Bapt.*
dem doctrinam in Oriente defenderunt, *Com. in*
quam Auguſtinus in Africa, Ambroſius in *Luc.*
Italia, cæterique ſupra dicti per Europam & Occidentem diſſeminauerunt, de perpetua, & voto confirmata ſeruataq; Beatæ Mariæ virginitate.

MIN. His teſtimoniorum machinis non 9.
modo prior hæreticorum error, ſed & poſteriores penitus euertuntur. Cum enim perpetuam integritatem corporis & animi Deo nuncuparit, perſpicue colligitur, eam nunquam in carnalem cum viro copulam conſenſiſſe: ſiquidem hoc facto directe contra voti religionem, & pollicitationis fidem
peccaſſet: imo & aduerſus expreſſam Dei *Leuit. 17.*
ſanctionem, quæ præcipitur iis qui ſe votis *Num. 30.*
adſtrinxerint, vt quidquid huius eſt, inuiola- *Pſal. 5.*
te cuſtodiant, & fideliter exſequantur. Quocirca Centuriatorum quadriga cæco impetu ruit in beatam virginem, cũ eam quaſi contra quam vouerat aliquid voluerit atq; deſiderauerit, criminatur. DOCT. Nihil verius aut apertius dici poteſt. Cæterum, profer ſi quid habes, vnde diſsidentes aduerſariorum ſententiæ coarguantur.

MIN. Bullingerus Zuinglij ſuccidaneus 10.
in agro Tigurino, ſentit Virginem hoc animi decreto fuiſſe, ne cui ſe vinclo vellet ſociare coniugali, ſed vt æternum virginitatis amorem intemerata conſeruaret, quod his verbis oſtendit, *Virum non cognoſco.* Subiungit & de Ioſepho caſtiſsimo virginis ſponſo, parem in eo voluntatem extitiſſe, perficiente Spiritu

Spiritu sancto vt velut vna mens in duobus A diuisa foret. DOCT. Verba ipsa digna sunt relatu, conuincuntque Centuriatorum impudentiam, itaque recte & ordine feceris si

In c.1.Luc. eadem recitaueris. MIN. Fiet. *Maria sibi proposuit æternam intactamq́; seruare virginitatem suam, & hinc significanter dicit: Virum non cognosco, nimirum vt tenax propositum suum hoc modo rectius declararet. Idem propositum Iosepho sponso castissimo fuit, sanctificante corda vtriusque Spiritu sancto.* DOCT. Magnificum sane ex hostibus, & ipsorum armis, comparatum triumphum.

11. MINIS. Visne vt in hanc harenam Erasmus Roterodamus prodeat? DOCT. Siqui- B

L.Icon. dem authoritatem Bezæ sui non defugiunt, qui eum pro se stare affirmat, nullo modo testimonium eius furcillare possunt. MINIST. Is igitur in hunc modum scribit: *Quod Maria Ioseph sponso nupserat, dedit gentis*

Cõc. Litur. Virg. Lauretana. *Iudaicæ consuetudini, dedit authoritati parentum, & tamen virginitas erat in votis. Id aperit, cum ait: Virum non cognosco. Nam hic verbum præsentis temporis, animi propositum significat.* Atqui hoc animi decretum, hoc votum tam religiose seruatum non potest esse perfidia, non Dei illusio, vti blasphemant Sectarij: sed manifesta pietas, summusque Dei cultus. Insuper, ex Diametro pugnat cum lasciuo car- C nalique scopo, quem affingunt ei Centuriatores.

12. DOCT. Ita est vt dicis, Virginitas enim definitione sua perpetuam integritatem corporis & animi complectitur. Quanto autem anima potior est & præstabilior terrena mole corporis, hoc etiam castimonia, puritas, & integritas in desideriis & affectibus animæ ad perfectam virginitatis rationem magis est necessaria. In summa, omnes scripturę docent, omnes patres testantur, omnia Concilia decernunt, matrem saluatoris esse semper virginem, ἀειπαρθένον: D ac proinde manifesti erroris Centuriatores & Caluinianos conuincunt. MIN. Sane si hæc intemeratissima Virgo consuetudinem masculi vel optasset, vel vllo modo sperauisset, iam virgo esse desiisset corrupto & deprauato corde, quæ sedes & domicilium est veræ castitatis.

13. DOCT. Hinc fit vt Isaias elata voce cla-

Isa. 7. met: *Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Eze-

Ezech. 44. chiel autem eam designet appellatione por-

Dan. 2. tæ clausæ & bene obseratæ. Daniel per mon-

Exod. 3. tem vnde mirificus lapis sine ministerio ma-

Num. 17. nus humanæ deuoluitur Moses per rubum qui in medio flammæ ignis non comburitur. Aaron per virgam florentem, & gemmas producentem sine telluris adminiculo, &c. Multa alia sunt figurarum expressa signa quibus à Prophetis perpetua & inuiolabilis matris Messiæ virginitas constabilitur: eademque opera isti impietatis circulatores damnantur, qui eam veluti corde & animo deprauatam, perfidamque diffamant. His vaticiniis accedit Angelica salutatio, qua demonstratur abunde maligno spiritu afflatos esse, qui contra doctrinam sentiunt.

Certe cum Apostoli inter articulos fidei 14.

Christianæ referunt Christum non modo Symb.

conceptum, sed & natum ex Maria virgine, profitentur publicæ, nobisque credendum & confitendum tradunt, hanc beatissimam Deiparam semper & corpore & animo Virginem permansisse. Quo posito sequitur, vt nunquam cogitarit, desiderarit, nunquam proposuerit, nunquam voluerit, nunquam consenserit, ac ne cogitarit quidem vllam admittere in se carnalem corruptionem. Ea porro fides & confessio ad religionem fidemq́ Christianam pertinet, quidquid contra garriant gemelli nepotes & sequaces (qui Dan. 13. in historia referuntur) adulterorum.

Huc etiam spectat quidquid scripto man- 15. dauit vir Apostolicus Ignatius, Epistola ad Trallianum, Philadelph. & Magnes. contra primores hæreticos, qui Virginitatem Mariæ incusabant, & eius mirabilem partum calumniabantur.

Quidquid etiam Irenæus disseruit aduer- 16.

sus impuros Valentinianos & Gnosticos de L.3.4.5. perenni castitate & puritate eius. Quidquid item magnus Athanas. in Euangelio de sanctissima domina nostra Deipara: quidquid B. Hieronymus aduersus hæreticum Heluidum affirmat: quidquid aduersus Nestoriũ Cyrillus: quidquid in eam sententiam plurimis concionibus prędicat Augustinus: quidquid religiosus vir Hildephonsus memoriæ prodidit: quidquid mellifluus author Bernardus scriptum reliquit: quidquid venerabilis Anselmus: denique quidquid eruditus scriptor Rupertus in Cantica Canticorum commentatus est: necnon omnes prisci neotericique doctores Catholici. Hæc, inquam, omnia consentiunt in eo quod Maria virgo conceperit, virgo pepererit, virgo manserit corde, corpore, spiritu, voluntate, desiderio, affectu, facto, voto, & cogitatione, ante partum, in partu, & post partum immaculata.

Enimuero decoram, & rectæ rationi con- 17. senta-

Iren. l.3.c. 33. Tert.l. de carne Christ. Basil. l. de virgin. Orig. hom. 1. in diuersis.

sentaneum erat (quemadmodum obseruarunt veteres, vt secundus Adam Christus ex virginali puraque virginis substantia formaretur, haud aliter quam primus à Deo creatus fuit. Et vt Eua adhuc virgo ruinæ nostræ caput exstiterat, sic videbatur conuenire, vt intemerata virgo redemptionis humanæ mysterium auspicaretur: alias nihil certum veteres sub lege figuræ delineassent, nec Prophetarum vaticinia finem signatum accepissent in persona Christi redemptoris. A

Cyril. catech.12. Ambr. ep. 81. Aug. ser. 7. de natiu. Dom. Nonnus ca. 1. Euang.

18. Sic necesse fuerat vt hic mediator Dei & hominum Christus Iesus nullum in terris patrem haberet, cui originem suam imputaret, sicut in cœlis fuit ἀμήτωρ sine matre, quæ conceptum vtero gestauerit. Atque hoc modo fieret, vt pulchra quadam analogia, natiuitas eius temporalis ac terrestris omni carereret inquinamento, quemadmodum æterna illa ac cœlestis omni mutatione caret. B

19. Præterea, cum humanam carnem hoc proposito assumpsisset, vt obliteraret & tolleret peccata mundi, consequens erat vt conceptum & ortum extraordinarium à virgine semper intemerata duceret, quo purus & integer ab omni labe coram Deo foret, nec vllam contagionem à communi consortio mortalitatis hauriret. C

20. Postremo, decebat Iesum virginem, & magnum virginitatis amatorem & doctorem, qui ab Ecclesia semper virgine, mysticaque sponsa tot filios ad vitam cœlestem ac immortalem adoptaturus erat, eum non aliunde concipi, non nasci, non lactari, non educari, nisi à virgine. Virginem autem dico non solum corpore, sed etiam corde, desideriis, affectu, perpetuaque voluntate.

21. MIN. Quisquis profecto diligenter expendet tot scripturarum authoritates, suis ponderibus librabit tot antiquorum patrum testimonia, deuote meditabitur momenta rationum, quibus confirmata est perpetua Mariæ virginis integritas, non solum quod ad corpus sed quod ad animam, aduersus detestandas superiores hæreses: toto pectore abhorrebit ab iis, & cum vniuerso Christianismo continet: Post partum virgo inuiolata permansisti. Cum igitur memoria teneam, & quæ alibi super hac re dicta sunt, & quæ nunc in eandem sententiam disseruimus: nihil vltra desidero, nisi vt aliud argumenti genus pertractandum sumamus. D

MARIA CVM AB ANGELO QVAESIUIT: Quomodo, non fuit incredula: non se opposuit verbo & operibus Dei: non fuit infidelis: nec maligne restrinxit potentiam Dei: aduersus 23.24.25. & 26. errorem.

CAPVT V.

DOCTOR.

PRofligata turba quæ in virginem & perpetuam virginitatem eius ruit luxuriosa, ministri à generali criminatione descendunt ad particularia, obiicientes ei *incredulitatem, infidelitatem, quodque se opposuerit verbo & operibus Dei, denique quod maligne restrinxerit potentiam Dei.* MINIS. Nemini credibile videbitur, quenquam tam insigni audacia, tam deplorata impietate aduersus matrem Dei, nisi verba fideliter citaueris, & locos vbi ista dicuntur. DOCT. Lutherus hunc ludum impietatis aperiens, in hunc modum scribit: *Ipsa profecto in se incredulitatis sensum & insultum habuit: alioquin non interrogasset. Quomodo erit istud?* MIN. Sed ait duntaxat eam incredulitatis sensum & insultum habuisse, non autem simpliciter & absolute, ipsam incredulam fuisse. Idcirco prouide dixi, eum scholam istam impietatis aperuisse nunc intelliges magistrũ à discipulis longe superatum. Nam Sarcerius addidit: *Maria verbo & operibus Dei ab Angelo reuelatis, ex rationis & humanæ sapientiæ argumentis se opponit.* Et in scholis ad Euangelium Lucæ idem ait: *Maria iudicio rationis perculsa verbis Angeli non credit.* Culmannus sic impudentius loquitur: *Maria est infirma & infidelis: non enim credit verbis Angeli. Est exemplum eorum hominum, qui natura se opponunt verbo.* Denique Ioannes Caluinus sacrilega temeritate cæteros omnes antecellens, vltimam calumniam adiungit, dicens: *Videtur non minus maligne restringere potentiam Dei, quam prius Zacharias.* Ex quibus verbis apparet, quam petulanter & insolenter hi renouati, Marcionitæ, Manichæi, Nestoriani, & Iconomachi, huic beatissimæ virgini maculas impingant incredulitatis, infidelitatis, quodque se opposuerit verbo & operibus Dei, reuelatis à Deo non crediderit, Angelicis verbis fidem abrogarit: imo & (iuxta Caluinianos) male maligneque potentiam Dei coarctarit.

Postilla in Euãg. Annunciat.

In Euan. Annunc.

Feriu Annunciat.

In cap. 1. Luc. v. 34.

MIN. Res ipsa loquitur, nec possum sine graui dolore reminisci, quod olim eiusmodi hæresiarcharum castra secutus fuerim, Confut. 1.

quæ nunc felici transfugio perpetuus desertor eiuraui. Sed ad refutationem superiorū calumniarum accedo. Posteaquam vim omnem contumeliarum aduersus hanc deculpatissimam virginem effuderunt, quasi recantatis opprobriis, in gratiam cum ipsa se redire velle confingunt per Caluinum dicentes: *Tantum subita admiratione perculsa ad mouendam hanc quæstionem rapitur. Fides de gratia Dei in animo Virginis concepta effecit, vt sine cōtrouersia admitteret allatum sibi nuntium de erigendo solio Dauidis. Hæc quæstio fidei aduersa non fuit, quia ex admiratione potius, quam ex diffidentia oriebatur.* DOC. Vnde igitur exterebrauit istam incredulitatem, infidelitatem, oppositionem, & contradictionem verbis & operibus Dei, quas criminatores isti in ea fuisse plenis faucibus eructant? Vnde malignitatem hauserunt, quam ei obiiciunt? Vt scilicet, infinitam Dei potentiam angustis humanæ rationis & naturæ finibus circunscriberet. Hęc vltima sane sententia velut cuneus quidam, priores istos errores infringit: vt appareat eos & à semetipsis, & à veritate toto cœlo aberrare.

In cap. 1. Luc. v. 34.

2. MIN. Beza quoq; dissidet à suo Caluino, testaturq; inquisitionem Virginis ortā fuisse ex admiratione rei tam nouæ, quam Angelus ei nunciabat (nimirum, quod virgo manens conciperet virtute Spiritus sancti & pareret Filium Dei Altissimi) non autem ab incredulitate vel diffidentia. Nec vero Virginem dubitasse de veritate conceptionis, sed quæsiuisse de modo concipiendi, nihil ambigens quin Angelus vera diceret, & Deus efficere valeret quæ consuetum naturæ ordinem longo interuallo supergrederentur. DOC. Nonne igitur falsi fallaces, bilingues, & duplices animo deprehenduntur, cum alibi dicunt eam & verbo Dei fidem derogasse, & in dubium vocasse potentiam eius? Aut, dum aiunt, in Deo nullam esse potestatem absolutam, qua quid agat aduersus ordinem iam à se in natura constitutum?

Annot. in cap. 1. Luc. v. 43.

3. MIN. Addam & hoc caput ad maiorem Lutheri condemnationem, quod tres eius discipuli Agricola, Spangembergius, & Brentius, aperte damnant & reiiciunt eam incredulitatem: quam tribuit Virgini: magnisque ex aduerso laudibus efferunt eius admirabilem fidem verbis Angelicis habitam: aiuntq; eam necessario quæsiisse de modo, quo id futurum esset. Quæ res non tantum iusta reprehensione caret, sed & sapientiæ prudentiæq; laudem meretur. Brentij hæc verba sunt: *Hæc* (quomodo fiet istud) *non sunt verba incredulitatis, qualia fuerunt Zachariæ sed quæ proficiscuntur ex admiratione fidei: Non enim dubitat de certitudine verbi Dei quod ex Angelo audierat, sed dubitat de modo.*

In c. 1. Luc.

DOCT. Nunquam asina Balaami sessoris sui stultitiam, imprudentiam, & malitiam melius increpuit, quam hic discipulorum triumuiratus magistri sui Lutheri impietatem refutat.

MIN. Vt conferamus copias Heluetiorum vna cum Gallis, & Germanis aduersus Caluinistarum agmina. Zuinglius aperte docet, Mariam de facto minime dubitasse, se inquisiuisse, quod innocentiam eius arguit. Zachariam vero & factum ipsum, & modū in dubitationem vocasse, quocirca grauiter punitus est: & è contrario, Maria magnopere laudata. *Rem ipsam* (inquit) *credit Maria: deinde, tantummodo interrogat, quod arguit eius integritatem. Zacharias in re & modo dubitat, &c.* DOCT. Hoc verissimum: etenim si dubitatione peccasset, notam Angeli inussisset, vt Zacharias. Cum itaque Angelus eam nec reprehendat, nec puniat, quæ Zachariæ contigerunt: sed clementer confirmet, & benigne doceat, ostendit fidem & obedientiam eius Deo gratam & acceptam fuisse. Nonne & hoc argumento solide comprobatur eximia Virginis fides, & promptum paratumque obsequium, quod patienter auditis Angeli dictis, non se iis opponit, sed dicto audiens est: non contradicit, sed credit? *Ecce* (inquit) *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum?* MIN. Non arbitror vnquam exstitisse par, aut simile fidei exemplum, nec animum ad obtemperādum tam bene compositum. 4.

In c. 1. Luc. — Luc. 1.

DOCT. Sensit illud propinqua eius Elizabeth, cum in hanc exclamationem exsurgit: *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te ea quæ dicta sunt tibi à Domino.* Quæ verba sic exponit Ambrosius. Vides Mariam non dubitasse, sed credidisse, & ideo fructum fidei consecutam. Et vere beatam quæ Zacharia sacerdote præstantior, &c. quia cum sacerdos errasset, inquit sanctus Dei Presbyter Beda, Virgo correxit errorem. 5.

Luc. 1. — Com. in Luc.

MIN. Cum Angelus Dei pronuntiat, eam esse *plenam gratia*, nonne fidem vna cum spe & caritate comprehendit? Quam multis in locis testatur Scriptura, Fidem esse donum & gratiam Dei? Hæsitare autem circa fidem, & in hoc dubitationis æstu rogare: *Quomodo,* nonne dissidio insociabili pugnant cum ea plenitu- 6.

plenitudine fidei, quæ in illa sancta Virgine A præfulgebat?

7. Deinde, cum ei benedicitur supra omnes fœminas, vere ac reipsa constantior & fidelior pronuntiatur, quam fuerint vnquam Iudith, Anna Samuelis, Elizabeth, vel Anna filia Phanuelis: quæ nunquam incredulitatis aut infidelitatis nomine fuerunt reprehensæ, vt hi homines ad maledicendum nati, gloriosam Dei Matrem calumniantur. Nec vero Spiritus sanctus, qui in sacris literis culpauit risum Saræ, dubitationem Moysi, infirmam Apostolorum fidem, fragilitatem Petri, interrogatum Zachariæ, infideli- B tatem Thomæ, duritiem cordis discipulorum: silentio prætermisisset infidelitatem B. Mariæ, si quam culpam commerita fuisset. Vnde liquet eam non solum ab huiusmodi labe, verumetiam ab ipsa suspitione puram & immunem extitisse.

8. Quoties etiam animo & cogitatione perpendo diuina & incomprehensibilia Dei mira, quæ Gabriel Angelus colloquio suo recludebat, nempe, arcanum sanctissimæ Trinitatis, Patrem mittentem Filium vt virtute Spiritus S. hominem assumeret, Aeternus tempori se subiecit, impatibilis, & immortalis lege humanæ fragilitatis & morta- C litatis accepit, Sapientia Dei genita vagitus infantiles edidit, Creatore è creatura sua nasci sustinuit, Deus homo factus est, & homo Deus, virgo sine viro concepit, Filia patrem peperit, & virgo permansit: Quoties item cõsidero quam cõstanter & incunctanter præstantissima virgo crediderit, non solum res natura impossibiles Deo minime arduas & factu faciles videri, verumetiam eas iam tũc in se fieri comperta fuerit: vincor vt dicam eius fidem longe excellentiorem fuisse, quã Abrahæ, Isaaci, Iacobi maiorum eius, quam Centurionis, Chananææ, & Hemorroissæ fi- D des vnquam fuerit, quæ tamen voce Filij Dei meruit celebrari.

9. Eadem admirabili constantia persuasit sibi vera esse quæcunque Zacharias ac Elizabeth prophetarunt: quæ Pastorum grex ipsi communicauit, quæ sapientes Reges reuelarunt, quæ venerandus senex Simeon vaticinatus est: quæ Angelus dixit Iosepho: *Fuge in Aegyptum*: ac postea vt reuerteretur: nec hoc solum, sed incredibili promptitudine & alacritate singulis Dei mandatis obtemperauit: quæ omnia nobilissimam fidem declarant & verbis præceptisque diuinis promptissimam obedientiam.

DOC. Expende diligenter diuinum eius 10. Canticum, nam singulæ illius voces personant singularem fidem, plenissimam animi persuasionem quam diuinis differebat mysteriis. Ad hæc, sublimem meditationem infinitæ potentiæ Dei, quæ maxime lucet in exaltandis humilibus & deturbandis è solio summatibus: in replendo bonis esurientes, & exinaniendo diuites. Videbis illic tanquã in illustri speculo confessionem expressam veritatis diuinæ in exequendis & adimplendis promissionibus: nec vero misericordia filetur in conseruando populum suum Israelem. *Suscepit* (inquit) *Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est cum patribus nostris Abraham, & semini eius in sæculum.* Luc. 1. Heccine verba spirant fœminam infidelem, incredulam, ac rebellem Deo? Maligne detrahentem de eius omnipotentia? Verbo & operibus eius sese opponentem? Quæ de Deo, diuinisque attributis & perfectionibus ambigat? Quæ cœlestibus Angelis obloquatur? MIN. Minime vero gentium: sed potius fidem arguunt tam nobilem, tam generosam, vt nihil fingi posit absolutius.

Adde nonnulla testimonia Patrum, & 11. postea finis huic imponetur disputationi. DOC. Vetus & nobilis Martyr Irenæus scripsit: Quod alligauit virgo, Eua per incredulitatem, hoc virgo Maria soluit per fidem. L. 3. c. 33. Maria virgo obaudiens inuenitur dicens, Ecce ancilla, &c. Eua vero inobediens, &c.] Beatus Hieronymus ait: Postquam Virgo cõcepit in vtero, soluta maledictio est. Mors per Euam, vita per Mariam.] Epist. ad Eustoch.

MIN. Nota mihi tantum per iudicem reli- 12. quos authores, & perorata lis erit. DOCT. Consulas inter patres Græcos Cyrillum Alexand. in homiliis aduersus Nestorium: Chrysostomum in Liturgia sua: Nazianzenum in poematibus suis. Athanasium ad Epictetum: & in Euang. de sanctissima domina nostra Deipara. Ephrem orationibus de laudibus Mariæ, &c. Inter Latinos vide Augustinum Serm. 140. 141. & 143. de tempore: Sermon. 35. de sanctis. Ambrosium Lib. 2. de Virginibus: & lib. de institutione virginis. Ac vt breui comprehendam, vniuersa Bernardi, Anselmi, Idiotæ, Guerrici scripta perlege: Opus item Marianum à docto simul & pio Canisio non ita pridem editum, ne pigriteris peruoluere: non dubito quin horum lectio tibi magno vsui & emolumento futura sit.

VIRGINEM PVERVM IESVM IN templo relinquendo, nec peccasse negligentia: nec praoptasse eum se nunquam concepisse: nec perpetuam damnationem meruisse: nec fidem quod esset Messias amisisse: nec omnem erga Deum fiduciam perdidisse: nec peccasse vt peccauit Eua: nec regnum Messia temporarium ac terrenum credidisse: nec honorem Messia ambiuisse: aduersus 27.28.29. 30.31.32.33.34. Hugnosticorum errorem.

CAPVT VI.

DOCTOR.

MVlto plura, non dicam crimina, sed conuitia in eam cumulant, quod puerum Iesum per triduum in templo Patris sui reliquerit. Lutherus arguit eam, *quod tunc in fide nutauit.* Georgius Maior ait fuisse *infœlicissimam qua praoptarit eum nunquam concepisse, quam amisisse per negligentiam.* Spangembergius euomit hanc nefariam vocem vt scribat, *eam dignam fuisse suppliciis sempiternis.* Brētius ait: *Nihil aliud quam extremam internecionem & perpetuam damnationem meruit.* Insuper. *Mater deplorata spei non amplius credebat eum esse Messiam & redemptorem.* Coruinus: *Non solum puerum perdidit, sed omnem fiduciam erga Deum.* Centuriatores, *eam aque peccasse autumant, atque Euam cum peccato suo vniuersum genus humanum perdidit.* Melancthon, Losius, & Culmannus denique eadem sentiunt & loquuntur. Vnde patet hosce neotericos hæresiarchas non minus furiosa rabie ad exterminandam è concilio piorum, & mancipandam æternæ damnationi beatissimam Deiparam Virginem rapi: atque olim Iudæi peruicacibus odiis efferati fuerunt ad persequendum & crudeli supplicio afficiendum filium eius Dominum nostrum Iesum Christum.

(*Postilla in Dom. post Epiphan.* — *Ibid.* — *Ibid.* — *Ibid.* — *Ibid.* — *Cent. 1. Li.*)

MIN. Quis eam reprehendit, quod initio parum intellexerit responsum Filij. DOC. Losius & Brentius aiunt *eam penitus imbutam fuisse carnali persuasione de regno Messia, quod imaginabatur temporarium atque terrenum fore, iuxta communem Iudaorum hallucinationem, ideoque non intellexerit verba qua ipsis locutus erat.* Spangembergius scribit: *Rerum sacrarum ignari parentes Christi (Maria & Ioseph) vt putarent velut potentem & pompaticum Regem Israel inter expeditos exercitus arma tractaturum, non autem scriptura doctorem euasurum, esse.* Melancthon, Lutherus eandem occinunt cantilenam. MIN. Si vera loquuntur, Virgo turpiter exorasset hac in parte aduersus oracula Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, qui omnes consentienti animo & voce tradunt regnum Messiæ spiritale ac sempiternum futurum esse.

(*Vbi sup.*)

Sed quis officiosam eius caritatem increpat, quod miraculum vini procurarit conuiuis in Nuptiis apud Canam Galilææ? DOC. Oecolampadius scribit *eam cum ambitione, ac inani gloria captam voluisse videri Filium sibi esse praestantiorem omnibus.* Brentius fœdiorem maculam inurit, dicens: *Ambit honorem Messia, & cupit esse quasi socia administrandi eius officij:* quod sane esset damnabile sacrilegium.

(*In cap. 2. Ioan.*)

MINIS. Conuitiorum & calumniarum plusquam abunde est, satius videtur confutationem istarum, & propugnationem sanctissimæ matris istius iam meditari. DOCT. Ipsos imprimis inter se (vt soles) committe, vt mutuis vulneribus cadant. MIN. Priorem errorem omnino damnat Zuinglius, & Matrem Domini omni suspitione peccati liberat, cum scribit: *Prouidentia Dei accidit, vt Puer in templo remanserit, non pueri contumacia, nec parentum negligentia, qui eum aeque ac se diligebant. Sed ibi relictus est vt specimen ederet diuina sapientia, ac veluti praluderet maioribus actis postea secuturis: simul etiam pueris exemplum prodidit, vt honorem & cultum Deo debitum naturalibus erga parentes affectionibus anteponant.*

(*Confut. 1.* — *In cap. 2. Luc.*)

Secundo, (sicut Bullingerus alter Sacramentarius obseruat) exquisita diligentia cū anxia sollicitudine, quam Ioseph & Maria susceperunt in inuestigando puero nunc inter parentum turbas, nunc per vias & itinera, quibus illo venerant, ac denique in ipsa vrbe Ierusalem, adeo, vt non prius sibi requiescendum putauerint quam ipsum reperissent in templo: cuncta hæc non tantum eos à negligentiæ reprehensione purgant: sed etiam diligentiæ laude commendant. *Parentes pueri (inquit) curam satis diligentem habentes, nihil hic peccarunt per negligentiam.*

(*2.* — *In cap. 2. Luc.*)

Tertio, etiam ipse Caluinus liberat eos ab hac culpa, nec mirum fuisse dicit, si pueri absentia primo die parentes fefellit. Magno enim confluxu concursuq; amicorum, gentilium, propinquorum, itinera illa suscipiebantur. *Postea, se non pigritia vel neglectu securos fuisse ostendunt.* Ecce tibi sententiam trium inter nunieros primariorum, qui iustam emansionis pueri ratione assignāt, & ab omni

(*3. Harm.*)

omni pigritiæ neglectusque suspicione parentes vindicant. Vnde efficitur, superiores Criminatores esse erga Dei Patris prouidentiam, Filij sapientiam, eiusque pijssimos parentes (etiam Symmistarum suorum præiudicio) supra omnem modum contumeliosos. A

4. DOCT. Adde quod & contumelia ipsum afficiunt Spiritum sanctum, qui & Puerum & Parentes eius in omnibus & per omnia dirigebat, nec vnquam ab eorum singulari custodia recedebat. Igitur idem Spiritus quo authore conceptus & natus fuerat, quique præsto fuit illi in Baptismo, perduxit B

Luc.1.3. Matth.4. Luc.4. eum in desertum, vt ieiunaret quadraginta diebus ac noctibus, vnxit eum vt Euangelizaret pauperibus, & in cunctis edendis miraculis ei adfuit, idem (inquam) Spiritus sanctus effecit, vt in templo, nescijs parentibus, remaneret. Itaque negligentiæ labes, si quid hic parentes peccassent in eius diuinam maiestatem redundaret: quæ blasphemia est prorsus intolerabilis.

5. Euangelista quoque penitus eos excusat, Luc.2. primum his verbis: *Et non cognouerunt parentes eius.* Videlicet, consulto consilio Spiritus sancti accidisse, vt Puer per aliquot dies in domo Patris sui moraretur. C

Deinde addit: *Existimabant eum esse in comitatu*, propinquorum scilicet, & consanguineorum vt sæpius vsu venerat, certatim exoptantibus singulis videre, audire, coram alloqui, & penes se habere Puerum, in quo tam eximiæ gratiæ cœlestes effulgebant. Hæc item certissimo argumento sunt parentes nihil eorum criminum admisisse, quorum nomine ab istis obtrectatoribus insimulantur.

6. Postremo, ipsemet Dei Filius hanc omnẽ litem dirimit, cum sic benigne ad Matris interrogationem respondet. Luc.2. *Quid est quod me quærebatis? An nesciebatis quia in iis quæ Patris mei sunt oportet me esse?* D Non enim his verbis acerbe obiurgat eos, nec rigide condemnat socordiæ aut negligentiæ, vt volunt ac imaginantur Sectarij: sed cum omni modestia quæ dulcem Filium decet, ipsis causam emãsionis suæ suauiter exponit. Nec hoc mirum videri debet, cum nihil hic per dedignationem parendi in ipsorum contumeliã fecerit: sed ob honorem, amorem, reuerentiam, & obedientiam, quam Patri suo cœlesti debebat, à quo iussus erat, vt mundum vniuersum erudiret: cuius rei documentũ in pueritia dabat, vt iam, tũ innotesceret, quanta post modum virtutis indoles extitura foret. Nullum itaque delictum hærebat in parentibus; sed quidquid huius erat, occulto Dei iudicio ac prouidentia gerebatur, quod illis nondum liquido parebat, vt postea cognouerunt.

MINISTER. Hæc est vera & germana loci illius enucleatio, quam Calumniatores studio maledicentiæ excæcati, vel non potuerunt, vel non petiuerunt attendere. 7. Nam statim post ipse Dei Filius omnia dicta factaque sua ad Patris sui mandatum referens, ostendit se non for[illegible]temeritate, aut infantili leuitate, sed di[illegible]ouidentia moderatrice sollicitudinem parentum suspensam tenuisse. *Pater (inquit) in me manens facit opera. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Non potest Filius à semetipso operari, nisi viderit Patrem facientem, &c.* Ioan.14. Ioan.1[illegible]. Ioan.15 Vnde sequitur, manifestam impietatem esse, si quis Domini Iesu parentes criminetur aut arguat alicuius delicti, quod operibus Dei Patris in Filio, tametsi adhuc ex parte sibi obscuris, subseruierint.

MIN. Cedo sodes antiquitatis in hanc rem testimonia, vt alios errores aggrediamur. 8. L. de nat. & grat. c. 36. DOCT. Iam ante magnum Augustinum protestantem audiuisti, se quoties de peccatis & peccatoribus loquitur, non esse vna comprehendẽdam virginem Mariam: Disput. 1. contra Fortun. audi nunc & quomodo eam ob omni peccato immunem habeat. Qui non voluntate peccant (inquit) non peccant, L. contra Faust. Ego dico peccatũ non esse, si non propria voluntate peccetur. Peccatum adeo est voluntarium, vt si voluntarium non sit, peccatum non sit.] Atqui Parentes IESV non dereliquerunt eum volentes ac prudentes: sed existimantes eum esse in comitatu vt solebat, Igitur ex Augustini sententia, nihil in hac re peccauerunt.

Ambrosius fibulam imponit obtrectatoribus 9. cũ sic exclamat: Claudat ora sua perfidia, Epist. 79. obmutescat, ne Matrem Domini aliquando audeat temerare conuitio.] MIN. Hi duo satis mihi magni sunt Tribuni, vt facile prosternant futiles hæresiarcharum copias. Videamus nunc an peccarit perperam detorquendo verba Filij cum Iudæis & Millenarijs, vt Melanchthon, Brentius, & Lossius persuadere connituntur.

DOCT. Primum aio, putidam esse calumniam, 10. quam ipsi absque vlla probatione aut verisimilitudine affingunt, quasi persuasum habuerit Regnum Messiæ terre-

num & caducum fore ad instar aliorum re- A
gnorum sæculi. Iam enim ab Angelo cœlesti
Luc. 1. contrarium audierat, *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Quibus ex verbis abūde perspiciebat hoc regnum, cui nec metæ rerum, nec temporum spatia præfiniuntur, nullo modo fluxum, aut labili cōditione futurum, sicut insipiens & carnalis Iudæorum populus imaginabatur.

11. Nec vero nesciebat quo miseriarum redacta esset maiorum suorum oppressa pro-
Luc. 2. genies, partim armis Romanorum, partim
Hieron. Herodis acerbo d[illegible]tu ac tyrannide.
Cumq; reipsa compe[illegible]t vilitatem paupe- B
ris tugurioli, seu potius speluncæ in qua pepererat, humiles pannos quibus puerulum inuoluerat destitutum in fœnilibus ac præsepijs, ne quid dicam de laboribus atque ærumnis à Ioseph exantlatis, dum victū Matri ac Filio quoquomodo prospicit: hæc omnia fidem faciebant prudentissimæ Virgini, regnum filij non esse pompaticum, i. e. mundum ac instabile: sed prorsus cæleste ac spirituale. Quocirca non tenentur errore excusabili, sed amentia & impudentia prorsus intolerabili possidentur hæretici, qui Virginem tantæ cæcitatis accusant, quasi re-
sponsum in templo factum à filio, de regno C
caduco & temporaneo intellexerit.

12. MIN. His peropportune addetur, quod cum diu multumque versata fuerit in euoluendis Prophetarum vaticinijs, cumq; ipsamet prophetico Spiritu præcelluerit, vt ex ipsius sapientissimo apparet Cantico, nō po-
Ps. 21. 30. Isa. 53. tuit ignorare quæ Dauid & Isaias de passione, cruce, & ignominiosa morte Messiæ prædixerant: vnde in procliui erat colligere, ipsum non regnaturum in terris eodem more quo Dauid vel Salomon inter Hebræos, Nabuchodonosor inter Chaldæos, Cyrus
& Darius in populo Persarum, Alexander D
inter Græcos, aut Cæsar inter Romanos: sed subiectum iri regno eius omnes mundi fines Euangelij prædicatione, & administratione Sacramentorum.

13. MIN. Prorsus assentior tibi: sed interim Euangelista disertis verbis de Christi paren-
Luc. 2. tibus pronunciat: *Et ipsi nihil eorum intellexerunt*: qui sermo videtur eos manifestæ ignorationis redarguere. DOCT. Tametsi hoc illis largiremur, non tamen procedit, quod inde concludere conantur. Nam ad tempus, & in præsens ignorare, quod Deus nondum vult patefieri, non est peccati labes: sed humilitatis materia, exercitamentum pa-
A tientiæ, & stimulus ad implorandam opem numinis, vt nos edoceat quidquid scire nostra interest, quo cultum & honorem ei debitum exhibeamus. Solius enim Dei est nihil prorsus ignorare. Ne Angeli quidem cœlestes omnia norunt, sed ea duntaxat quæ
Creator ipsis reuelare dignatur. Nec vero Harm. in c. 2. Luc.
pudet Caluinianos (quis enim pudor in eiusmodi effrontes cadat?) ignorantiam vniuersis hominibus cōmunem Domino nostro Iesu Christo adscribere, quem tamen extra omnem peccati aleam positum esse confitentur. Hinc igitur apparet Virginem,
B quæ tunc temporis haud satis ad liquidum intellexerit responsum filij, non ideo peccasse aduersus Deum & verbum eius, & hæretica turba calumniatur.

MINISTER. Quid hac de re censet 14.
sanctorum Patrum chorus? DOCT. Ru- L. 1. Com. in Cant.
pertus vir eruditus in primis, & D. Bernar-
dus non abnegant quin Virgo quasdam hu- Ser. 4. de B. Virg.
iusresponsi circumstantias ignorare potuerit: sed non concedunt vt mentem ac scopū dicti minus comprehēderit. Cæterum, cum
è sacris literis edocta foret. *Tempus tacendi & tempus loquendi*: sapienter scientiam myste- Eccl. 3.
riorum sibi cognitorum prudenterque dis-
C simulauit, seque cum reliquis mortalibus eodem gradu censuit, vtique tantisper dum tempus opportunum, & à Deo determinatum aduenisset, vt hæc arcana nūtiaret, quibus, & quomodo foret conueniens. MIN. Certe multis illustribus documentis perspicuum est Virginem paucorum verborum fuisse, & silentium adamasse, veluti li-
quet ex Euangelio, cum ne Iosepho quidem Matt. 1.
significauerit Conceptionis filij mysterium, aut colloquium Angelicum, tota pendens ab vnica Dei prouidentia & solicitudine, quæ suis temporibus cuncta reuelaret.

D Sed quas tandem in hoc Responso cir- 15.
cumstantias ignorare potuerunt Parentes, citra vllam peccati labem? DOCTOR. Vtrum animus Christo esset necne diutius in vrbe Ierusalem commorandi, versandique in templo ac disserendi cum Doctoribus; an publicam vel priuatam vitæ viam ingredi constituisset, an vna cum parentibus in patriam reuerti cuperet, aut alibi sedem ac domicilium deligere: si iam tum in animo haberet auspicari prædicationem Euangelij, an hoc propositum in diem produceret, &c. Non poterant item ex eius responso plane ac certo constituere, quomodo, quo tempore, quibus in locis, Ecclesiam

Deo

Deo Patri suo colligere, mysteriumque redemptionis humanæ perficere decreuisset. Hom.20. in Luc. Non intellexerunt (inquit) Origenes vtrum de templo materiali loqueretur in quo docebat, an de aliquo spiritali ac mystico sermonem haberet. Sed hoc saltem perspexerunt (addit Theophylactus) In c.2.Io. in eius verbis aliquod secretum sacratumque mysterium latuisse.

MINISTER. In his omnibus non tantum nulla residet errati culpa, sed ne tenuissima quidem suspicio: quapropter furiali obstinatione maledicendi præcipites feruntur isti, qui nodum in scirpo quærere peruicaciter contendunt.

16. Veniamus iam ad ea, quibus filium admonuit, cum in Nuptijs vinum defecisse non sine ludibrio & ignominia coniugum videns, Ioan.2. hanc vocem protulit: *Fili, vinum non habent.* Videtur ne tibi in eo grauiter peccasse? DOCTOR. Nequaquam, imo vero opus fecisse laudatum, & his præceptis diuinis consentaneum. Exod.20. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Matt.20. *Charitas non est otiosa.* *Nec quærit quæ sua sunt,* Matt.7. *sed quæ proximi. Si patitur vnum membrum compatiuntur cætera membra.* 1.Cor.13. *Quæcunque vultis vt* Rom.12. *faciant vobis homines, & vos facite illis, &c.* MINISTER. Sane sunt hæc præcipua opera charitatis omnium virtutum excellentissimæ, proximi commodis & rationibus prospicere, inopiam eius subleuare, & opportuno auxilio verecundiam indigentium præuenire. Quibus officijs cum diuina Virgo ista perfuncta sit summam humanitatis laudem promeruit, nedum vt in reprehensionem incurrere debeat, nisi iniustissimo nequissimorum Prædicantum iudicio.

17. Accedit, quod nec Caluinus nec Pellica- Com. in Io. nus opinione cum reliquis comministris suis consentiunt. Nam Virginis factum excusando testantur eam non affectu muliebri, nec ambitionis æstu, aut fuco laudis humanæ correptam hæc verba protulisse. Quod cum aiunt, illud concedant necesse est, veram & viuam in Virgine charitatem extitisse, necnon eximiam erga filium fidem, qua nitens aperit ei perhumaniter quid vsus & necessitas conuiuatorum flagitaret: tantoque voto diuinitatem eius inuocarat, vt egenis eorum rebus succurrat, quo tempore, quoue modo consultum existimauerit.

18. Lucas Losius & Georgius Maior Luthe- In c.2.Io. rani, etiam à reliquo cœtu collegarum seorsim abeunt, celebrantque laudibus prædictam A Virginis petitionem veluti ab intimo veræ fidei & charitatis fonte profectam: nec dubitant quin eius preces exauditæ fuerint, vt euentu iudice comprobatum est. Vnus eorum scribit: *Proponitur hic affectus excellentis charitatis erga proximũ in Maria, quod pro miseris interpellat: & fidei, quod de exauditione non dubitat.* Alter autem addit: *Certa est de Filii bonitate & misericordia, & suas preces exauditas, &cæt.* Quocirca cum mutuis contradictionibus suas ipsorum sententias destruant, non sunt ad accusandam sanctiss. Virginem Deiparam admittendi, nec criminationibus eorum vlla fides haberi debet.

B DOCT. Illud certe quod post filij responsum ministris edicit, argumẽto est eam hoc in animum induxisse petitionem suam exauditione non indignam fuisse visam: alias si se superfluæ sollicitudinis nomine taxari suspicata esset, modestięque admonita verbum amplius nullum fecisset, seque intra silentium cõtinuisset. Sed cum ait: *Facite quodcunque dixerit vobis*, suggerebat ei Spiritus S. fore, vt eodem ipso temporis articulo, rogatu suo primum illud & excellens miraculum adimpleret, vnde glorificaretur Deus, & ipse tanquam verus Messias, & omnipotentis Dei filius palam agnosceretur. Itaque C statim subijcitur Iesum fecisse hoc signum coram Discipulis suis, & ipsos rei miraculo commotos in eum credidisse. 19. Ioan.2.

MINISTER. Adfer aliquod Symbolum ex Patribus ad hasce nuptiales epulas, & cõfectum negotium habebimus. DOCTOR. Quatuor vno agmine producam in aciem, qui omnes vnanimi assensu pugnant Virginem in hoc nouissimo cum famulis alloquio præsciam venturi præcepisse, vt facerent quæcunque dicturus esset, præditamque fuisse dono prophetiæ, & inspiratam à spiritu sancto, nec vllo modo dubitasse de filij sui pio affectu & beneuolentia. D *Venerabilis Maria vere vt mater Domini in Spiritu futura prænoscens, ac Dominum prævidens voluntatem, sollicite ministros admonuit, dicens: Quodcunque dixerit vobis facite.* Hæc sunt ipsa verba sancti & antiqui patris Maximi, consentanea cum ijs, quæ sentiunt & scribunt Gaudentius Brixiensis, Cyrillus Alex. ac Eusebius Emissenus, omnes quo, sanctitate, ac eruditione inter Græcos conspicui. 20. Hom.1. Epiph. Tract.9. in c.2. Ioan.

21. Postremo, Simeon Metaphrastres diligenter expendens verba Virginis, *Fili, vinum non habent*, satis admirari nõ potest prudentiam loquentis temperatam singulari verecundia: Orat. de vita B. Virgin.

cundia: non enim iubet pro imperio, nec iure maternæ potestatis apud Filium agit, Exhibe nunc aliquod miraculum, da te conspiciendum orbi terrarũ, effice vt honor tuus in hoc consessu celebretur, audendum aliquid, &c. sed virginali reuerentia, humilitate, ac modestia, paucis & significantibus verbis exponit cuius rei inopiam patiantur cõuiuatores, *Vinum non habent*. Nam licet exploratum haberet, eum esse Filium suum, tamen indubitata fide credebat eundem & Deum suum & Creatorem suum esse, cui non imperandum sed humiliter obsequendum, atque etiam supplicandum foret.

CHRISTVS NVNQVAM REPREHENDIT Matrem suam, vt ream alicuius criminis, non contumeliæ causa appellauit eam Mulierem, non redegit eam in ordinem fœminarum peccatricum, nedum impudicarum: aduersus 35. 36. 37. & 38. errorem.

CAPVT VII.

DOCTOR.

NEcdum finis calumniarum Ministralium aduersus sanctissimam matrem Domini nostri Iesu Christi. Oecolampadius namque asserit eam à Christo increpitam fuisse, quasi teneretur pari affectu, quo nonnulli consanguinei eorum qui dixerunt: *Si hec facis, manifesta teipsum mundo*, qua in re titillabatur eorum animus humanæ & inanis gloriæ appetentia. Addit Brentius: *Christus eam durissime alloquitur, vt contineat ipsam intra terminos suæ vocationis*: quasi vero illos longe præteriisset. Huic pari gladiatorum lanista Melanchthon impudentiæ corollarium his verbis adijcit. *Christus matrem reiicit, vt æquet eam aliis hominibus. Inquit: Scias te non plus esse apud me, quam vel mulier peccatrix est, vel Syrophœnissa.*

In c. 2. Io. Ioan. 7.

Hom. 21. in Ioan.

Annot. in c. 2. Ioan.

MINIST. Nisi suis ipsorum monumentis conuicti tenerentur, nunquam adduci possem, vt crederem tam impia dicta, tamq; execrabiles imposturas aduersus inculpatissimam Virginem ab ore Prædicantum prodire potuisse. Perge nunc ad alia.

DOCT. Lutherus peruicaciter in impudentia perseuerans, scribere non veretur, *quod Christus hic se difficilem atque immitem ostenderit, Matremque dure repulerit, quam adeo & responso inhumano coram tot conuiuis pudefecerit*. Cuius peruersæ mentis non aliud robur & firmamentum adfert, quam *quod mulie-* A *rem appellauerit, Quid tibi & mihi est, Mulier?* Alibi idem adijcit: *Paulus quasi per contumeliam, Virginem matrem Filii Dei mulierem appellat*. Denique audisti verba Melanchthonis æquiparantis ipsam fœminis & infidelibus & impudicis.

Postilla in Euang. de Nuptiis.

In c. 4. ad Gal.

MINISTER. Certe vt video, & reipsa comperio, non solum illi iniurij sunt aduersus Virginem matrem, sed & per eius latus Filium quoque eius Dominum Iesum, & Apostolum Paulum petunt. Nam si alter Matrem inhumano responso pudefecit, alter contumeliæ causa Mulierem appellauit, vterq; secus quam decuit erga sanctissimam B Virginem hic sese gessit: quæ sunt aduersus Deum & Sanctos eius intolerabiles blasphemiæ.

Confut. 1.

DOCT. Sed vt à solenni & instituto ordine non discedamus, libet audire si quid habes haustum ex ipsis Ministrorum lacunis, vnde possis eorum errores coarguere: & primo quidem priorem aggredere.

MIN. Georgius Maior professione Lutheranus ait, Responsum Domini ad matrem hunc spectasse, vt hoc documento fides eius exploraretur, id quod inde apparet. Non enim tanquam repulsa spem & animum despondit: sed constanter in incæpto C perseuerauit, vt quæ probe perspectam haberet natiuam eius bonitatem, perfectam eius misericordiam, & affectum singularem omnium commodis atque vtilitatibus consulendi. Nec vero nesciebat exauditas esse preces suas, Filiumque dicto citius effecturum quæ rogauerat, ab hac mente iubet famulis, vt exequerentur quæcunque mandaret. DOCT. Non potest disertiori elogio notari condemnarique supra dictus error. Hinc enim liquido patet, Matrem à Filio benigne exauditam, non obiurgatam fuisse: venia dignatam ex euentu miraculi, nõ pudore suffusam ex ignominia repulsæ. Sed D ne quis imposturæ crimen nobis obtrudat, recita sodes, ipsius authoris verba. MIN. Ad hunc modum scribit: *Quod Matri vinum petenti respondet: Quid tibi & mihi est mulier? id ideo facit vt ipsius fidem exerceat. Non enim propter hac verba fidem abiicit mater quasi repulsam passa à Filio: sed fidem retinet cum ipsius naturæ bonitatem, & omnes iuuandi studium & voluntatem nouerit.* Et paulo post: *Quia certa est de Filii bonitate & misericordia: & suas preces exauditas, & facturum Filium quod ab ipso petitum est, ideo dicit ad ministros, facite quodcunque dixerit vobis.*

2.

Expos. in Dom. 2. post Epiph.

DOCT.

3. DOCT. Si quid idem habes, quod aduersus secundum errorem opponatur, profer in medium. MIN. Cum differit de ea quæstione, Cur Iesus eam potius *Mulierem* appellarit, quam matrem aut virginem, adfirmat hoc appellationis genus honori eius tributũ fuisse: & Seruatorem nostrum respexisse ad antiquissimam Dei Patris promissionem: *Semen mulieris conteret caput tuum*: cuius cõplementum Virgini matri suæ solum & in solidum adiudicat. Ea siquidẽ vna & vnica mulier peperit Semen illud in quo benedicuntur omnes gentes, Ideoq; Sancti eam salute impertientes, D. *benedictus fructus ventris tui.* Subijcit: Itaq; appellatione *Mulieris* omnium maxime iuxta promissionem honorifica, & huic soli *Mulieri* competens est. Nam aliæ mulieres nisi beneficio seminis ex hac *Muliere* procreati non benedicuntur & iustificantur, quinimo sunt omnes à natura deuotæ maledictioni, seruæ, & mancipia Satanæ.

Gen. 3. 12. 22.

Luc. 1.

4. Non multo post addit superioribus idem author, ab hoc ipso honorandæ matris affectu profectum fuisse nouissimũ Christi verbum, quo iam morti proximus, eam carissimo Discipulorum commendauit dicẽs: *Mulier, ecce filius tuus.* Vbi tribuit ipsi nomen *Mulieris*, tanquam titulum honorificentiorem, quam matris aut virginis. Quasi diceret. Hãc *Mulierem* tibi commendo & tuæ mando fidei, *Mulierem* quæ ex omni genere humano selecta est, vt præ cunctis mulieribus benediceretur, essetque κατ' ἐξοχὴν Mulier contritura caput serpentis, id quod iam complementum accipiet simulatque dixero *Consummatum est.* Quocirca vocando matrem suam *Mulierem*, coronauit eam & exornauit honoribus supra omnes totius generis humani mulieres; Denique, quasi Lutheri præceptoris sui calumnias pertæsus, sic rationem concludit: *Absit vt quis cogitet in hoc agone nouissimo Filium Dei quasi per contemptum matrem suam Mulierem appellasse.* Quibus verbis amentiam eorum confutat, qui hæc verba Filij ad matrem maligna interpretatione detorquent in contumeliam. Concidunt igitur omnes hæreticorum criminationes aduersus matrẽ Christi, non vi solum veritatis, sed & mutuis aduersariorum digladiationibus. Audiamus nunc tuam sententiam.

Io. 19.

Gen. 3.

5. DOCT. Tantum abest vt is qui tam seueriter dixit honorari patrem & matrem, qui secus faxit grauibus pœnis deuouit, ingentibusq; donis & bonis cumulauit eos qui parentes omni officio & obseruantia complexi

Exod. 20. Matth. 15.

A fuerint; tantum abest (inquam) vt is obiurgarit, reprehenderit, aut pudefecerit Matrẽ suam virginem longe sanctissimam, vt contra, maiorẽ ei honorẽ habuerit, quam cuiquã vel hominũ vel Angelorũ. Siquidem ex ea Luc. 1. 2. conceptus, in ea fotus nouem mensib. vt fructus in arbore mansit, benedixit ei præ vniuersis mulieribus, magna & mirabilia opera per eã administrauit, ita vt nunquã paria vel similia sit vnquã executus. Elegit eam ab omni æuo, & adoptauit in matrẽ, prænuntiauit eius conditionẽ ore & oraculo veterũ Prophetarũ, adumbrauit quæ ventura illi erant, typis Patriarcharũ, voluit eam nasci ex nobi-B lissima Regũ prosapia, sanctificauit ab ipso conceptu, glorificauit in natiuitate, per vniuersum vitæ cursum seruauit, in beneficiorũ gratiæq; muneribus confirmauit, Angelorũ ministerio visitauit, de arcano volũtatis suæ certiorem fecit, in cunctis afflictionibus beneuolentissime consolatus est. Assumpsit ex ea carnem, quam Deo Patri pro totius mũdi salute oblaturus erat, tandem in eius cõsessum sedemq; illaturus. Natus, lactatus, eductus, & educatus ex ea, dulcia matris basia, flagrantesq; Diuino amore complexus excepit. Deniq; Deus Virgini, tanquam filius naturali genitrici promptum obsequium exhi-C buit. Quis est, erit-ve, vel vnquam fuit, cui Deus & Creator tantum honorem deferre Luc. 2. dignatus sit? Quid itaq; dici potest malignius quam si quis animum inducat credere duobus aut tribus apostatis, qui in contumeliam Sanctorum Paradisi quos veneratione prosequimur, hoc impudens mendacium commenti sunt, quasi Dominus noster Iesus sanctiss. ac cariss. matrem suam repudiarit, dedecorauerit, ac pudefecerit?

Is inquam, qui laudauit, & admiratus est 6. fidem Centurionis ac Hæmorrhoissæ? Qui Matth. 8. dixit Cananææ fœminæ, *Mulier, magna est fides* 14. & 15. *tua? Fiat tibi sicut petisti.* Is ne Matris fidem in D crimen vocasset? Charitatem & humanitatẽ eius sugillasset? Modestas & humiles preces eius explosisset? Tam pudicæ Matri, tam sanctæ, tam sapienti ac honorificæ pudorem & verecundiã incussisset? Is (vt absoluam) qui venia non rubore prosecutus est feminam peccatricem? Qui miserã Samaritanam per- Luc. 7. ire non est passus, sed ei salutis iter ostendit? Qui conuictam adulterii seruare, quam per- Io. 4. dere, absoluere, quam damnare maluit: Is ne Io. 8. Matrem inculpatissimam virginem, inclementer, rigide, contumelioseq; appellasset? MINIST. Profecto mens omnis ad ipsam

cundia: non enim iubet pro imperio, nec iure maternæ potestatis apud Filium agit, Exhibe nunc aliquod miraculum, da te conspiciendum orbi terrarũ, effice vt honor tuus in hoc consessu celebretur, audendum aliquid, &c. sed virginali reuerentia, humilitate, ac modestia, paucis & significantibus verbis exponit cuius rei inopiam patiantur cõuiuatores, *Vinum non habent*. Nam licet exploratum haberet, eum esse Filium suum, tamen indubitata fide credebat eundem & Deum suum & Creatorem suum esse, cui non imperandum sed humiliter obsequendum, atque etiam supplicandum foret.

CHRISTVS NVNQVAM REPREHENDIT Matrem suam, vt ream alicuius criminis, non contumeliæ causa appellauit eam Mulierem, non redegit eam in ordinem fœminarum peccatricum, nedum impudicarum: aduersus 35.36. 37.& 38. errorem.

CAPVT VII.

DOCTOR.

NEcdum finis calumniarum Ministralium aduersus sanctissimam matrem Domini nostri Iesu Christi. Oecolampadius namque asserit eam à Christo increpitam fuisse, quasi teneretur pari affectu, quo nonnulli consanguinei eorum qui dixerunt: *Si hæc facis, manifesta teipsum mundo*, qua in re titillabatur eorum animus humanæ & inanis gloriæ appetentia. Addit Brentius: *Christus eam durissime alloquitur, vt contineat ipsam intra terminos suæ vocationis*: quasi vero illos longe præterisset. Huic pari gladiatorum lanista Melanchthon impudentiæ corollarium his verbis adijcit. *Christus matrem reiicit, vt æquet eam aliis hominibus. Inquit: Scias te non plus esse apud me, quam vel mulier peccatrix est, vel Syrophœnissa.*

In c. 2. Io. Ioan. 7.

Hom. 21. in Ioan.

Annot. in c. 2. Ioan.

MINIST. Nisi suis ipsorum monumentis conuicti tenerentur, nunquam adduci possem, vt crederem tam impia dicta, tamq; execrabiles imposturas aduersus inculpatissimam Virginem ab ore Prędicantum prodire potuisse. Perge nunc ad alia.

DOCT. Lutherus peruicaciter in impudentia perseuerans, scribere non veretur, quod *Christus hic se difficilem atque immitem ostenderit, Matremque dure repulerit, quam adeo & responso inhumano coram tot conuiuis pudefecerit*. Cuius peruersæ mentis non aliud robur & firmamentum adfert, quam *quod mulie-*

Postilla in Euang. de Nuptiis.

A *rem appellauerit, Quid tibi & mihi est, Mulier?* Alibi idem adijcit: *Paulus quasi per contumeliam, Virginem matrem Filii Dei mulierem appellat.* Denique audisti verba Melanchthonis æquiparantis ipsam fœminis & infidelibus & impudicis.

In c. 4. ad Gal.

MINISTER. Certe vt video, & reipsa comperio, non solum illi iniurij sunt aduersus Virginem matrem, sed & per eius latus Filium quoque eius Dominum Iesum, & Apostolum Paulum petunt. Nam si alter Matrem inhumano responso pudefecit, alter contumeliæ causa Mulierem appellauit, vterq; secus quam decuit erga sanctissimam B Virginem hic sese gessit: quæ sunt aduersus Deum & Sanctos eius intolerabiles blasphemiæ.

Confut. 1.

DOCT. Sed vt à solenni & instituto ordine non discedamus, libet audire si quid habes haustum ex ipsis Ministrorum lacunis, vnde possis eorum errores coarguere: & primo quidem priorem aggredere.

MIN. Georgius Maior professione Lutheranus ait, Responsum Domini ad matrem huc spectasse, vt hoc documento fides eius exploraretur, id quod inde apparet. Non enim tanquam repulsa spem & animum despondit: sed constanter in incæpto C perseuerauit, vt quæ probe perspectam haberet natiuam eius bonitatem, perfectam eius misericordiam, & affectum singularem omnium commodis atque vtilitatibus consulendi. Nec vero nesciebat exauditas esse preces suas, Filiumque dicto citius effecturum quæ rogauerat, ab hac mente iubet famulis, vt exequerentur quæcunque mandaret. DOCT. Non potest disertiori elogio notari condemnarique supra dictus error. Hinc enim liquido patet, Matrem à Filio benigne exauditam, non obiurgatam fuisse: venia dignatam ex euentu miraculi, nõ pudore suffusam ex ignominia repulsæ. Sed D ne quis imposturæ crimen nobis obtrudat, recita sodes, ipsius authoris verba. MIN. Ad hunc modum scribit: *Quod Matri vinum petenti respondet: Quid tibi & mihi est mulier? id ideo facit vt ipsius fidem exerceat. Non enim propter hæc verba fidem abiicit mater quasi repulsam passa à Filio: sed fidem retinet cum ipsius naturæ bonitatem, & omnes iuuandi studium & voluntatem nouerit.* Et paulo post: *Quia certa est de Filii bonitate & misericordia: & suas preces exauditas, & facturum Filium quod ab ipso petitum est, ideo dicit ad ministros, facite quodcunque dixerit vobis.*

2.

Expos. in Dom. 2. post Epiph.

DOCT.

3. DOCT. Si quid idem habes, quod aduersus secundum errorem opponatur, profer in medium. MIN. Cum differit de ea quæstione, Cur Iesus eam potius *Mulierem* appellarit, quam matrem aut virginem, adfirmat hoc appellationis genus honori eius tributũ fuisse: & Seruatorem nostrum respexisse ad antiquissimam Dei Patris promissionem: *Semen mulieris conteret caput tuum*: cuius cõplementum Virgini matri suæ solum & in solidum adiudicat. Ea siquidẽ vna & vnica mulier peperit Semen illud in quo benedicuntur omnes gentes, Ideoq; Sancti eam salute impertientes, D. *benedictus fructus ventris tui*, Subijcit. Itaq; appellatione *Mulieris* omnium maxime iuxta promissionem honorifica, & huic soli *Mulieri* competens est. Nam aliæ mulieres nisi beneficio seminis ex hac *Muliere* procreati non benedicuntur & iustificantur, quinimo sunt omnes à natura deuotæ maledictioni, seruæ, & mancipia Satanæ. Gen. 3. 12. 22. Luc. 1.

4. Non multo post addit superioribus idem author, ab hoc ipso honorandæ matris affectu profectum fuisse nouissimũ Christi verbum, quo iam morti proximus, eam carissimo Discipulorum commendauit dicẽs: *Mulier, ecce filius tuus*. Vbi tribuit ipsi nomen *Mulieris*, tanquam titulum honorificentiorem, quam matris aut virginis. Quasi diceret. Hãc *Mulierem* tibi commendo & tuæ mando fidei, *Mulierem* quæ ex omni genere humano selecta est, vt præ cunctis mulieribus benediceretur, essetque κατ' ἐξοχὴν Mulier contritura caput serpentis, id quod iam complementum accipiet simulatque dixero *Consummatum est*. Quocirca vocando matrem suam *Mulierem*, coronauit eam & exornauit honoribus supra omnes totius generis humani mulieres, Denique, quasi Lutheri præceptoris sui calumnias pertæsus, sic rationem concludit: *Absit vt quis cogitet in hoc agone nouissimo Filium Dei quasi per contemptum matrem suam Mulierem appellasse.* Quibus verbis amentiam eorum confutat, qui hæc verba Filij ad matrem maligna interpretatione detorquent in contumeliam. Concidunt igitur omnes hæreticorum criminationes aduersus matrẽ Christi, non vi solum veritatis, sed & mutuis aduersariorum digladiationibus. Audiamus nunc tuam sententiam. Io. 19. Gen. 3.

5. DOCT. Tantum abest vt is qui tam seueriter dixit honorari patrem & matrem, qui secus faxit grauibus pœnis deuouit, ingentibusq; donis & bonis cumulauit eos qui parentes omni officio & obseruantia complexi Exod. 20. Matth. 15.

A fuerint; tantum abest (inquam) vt is obiurgarit, reprehenderit, aut pudefecerit Matrẽ suam virginem longe sanctissimam, vt contra, maiorẽ ei honorẽ habuerit, quam cuiquã vel hominũ vel Angelorũ. Siquidem ex ea conceptus, in ea fotus nouem mensib. vt fructus in arbore mansit, benedixit ei præ vniuersis mulieribus, magna & mirabilia opera per eã administrauit, ita vt nunquã paria vel similia sit vnquã executus. Elegit eam ab omni æuo, & adoptauit in matrẽ, prænuntiauit eius conditionẽ ore & oraculo veterũ Prophetarũ, adumbrauit quæ ventura illi erant, typis Patriarcharũ, voluit eam nasci ex nobi- B lissima Regũ prosapia, sanctificauit ab ipso conceptu, glorificauit in natiuitate, per vniuersum vitæ cursum seruauit, in beneficiorũ gratiæq; muneribus confirmauit, Angelorũ ministerio visitauit, de arcano volũtatis suæ certiorem fecit, in cunctis afflictionibus beneuolentissime consolatus est. Assumpsit ex ea carnem, quam Deo Patri pro totius mũdi salute oblaturus erat, tandem in eius cõsessum sedemq; illaturus. Natus, lactatus, eductus, & educatus ex ea, dulcia matris basia, flagrantesq; Diuino amore complexus excepit. Deniq; Deus Virgini, tanquam filius naturali genitrici promptum obsequium exhi- C buit. Quis est, erit, ve, vel vnquam fuit, cui Deus & Creator tantum honorem deferre dignatus sit? Quid itaq; dici potest malignius quam si quis animum inducat credere duobus aut tribus apostatis, qui in contumeliam Sanctorum Paradisi quos veneratione prosequimur, hoc impudens mendacium commenti sunt, quasi Dominus noster Iesus sanctiss. ac cariss. matrem suam repudiarit, dedecorauerit, ac pudefecerit? Luc. 1. 2. Luc. 2.

Is inquam, qui laudauit, & admiratus est fidem Centurionis ac Hæmorrhoissæ? Qui dixit Cananææ fœminæ, *Mulier, magna est fides tua? Fiat tibi sicut petisti*: Is ne Matris fidem in D crimen vocasset? Charitatem & humanitatẽ eius sugillasset? Modestas & humiles preces eius explosisset? Tam pudicæ Matri, tam sanctæ, tam sapienti ac honorificæ pudorem & verecundiã incussisset? Is (vt absoluam) qui venia non rubore prosecutus est feminam peccatricem? Qui miserã Samaritanam perire non est passus, sed ei salutisiter ostendit? Qui conuictam adulterii seruare, quam perdere, absoluere, quam damnare maluit: Is ne Matrem inculpatissimam virginem, inclementer, rigide, contumelioseq; appellasset? MINIST. Profecto mens omnis ad ipsam cogi- 6. Matth. 8. 14. & 15. Luc. 7. Io. 4. Io. 8.

cogitationem contremiscit, nedum vt lingua tãtum scelus eloqui, vel stylus describere vllo modo sustineat. Sed quid de hac re cẽsent Patres?

7. Quæst. 136. DOCT. Iustinus Martyr pariter & Philosophus ait, Responsum Domini nostri, *Quid mihi & tibi est mulier?* non id habuisse propositum, vt Matrem increparet, sed hoc saltem monitam esse voluit, vini curam non ad cõuiuas, sed ad præbitorem conuiuij proprie attinere: cuius necessitate palam cognita, futurum erat vt miraculũ illustrius foret, & ad gloriã directius vergeret. Postea, scribit idẽ author, nihil vnquam à Christo dictum aut factum in vituperium ac depretiationẽ Matris: siquidem scriptum est ipsum se subiecisse illi. Luc. 2.

8. Tract. 8. in Io. Augustinus quasi digito monstrans hos hæreticos, eorumq; prauam interpretationẽ condemnans ait: In his non negat Matrem, vt hæretici dicunt: nec inhonorat eam, sed hoc tantum docere vult, Naturam suam Diuinam, per quam illud miraculum effecturus erat, non esse sumptam à Virgine, quemadmodum erat humanitas eius: sed à Deo duntaxat, ad cuius honorem & gloriam miraculum referre volebat & debebat.] MIN. Hactenus de hoc articulo dictum sit: aliud argumenti genus aggrediamur.

MARIAM VIRGINEM NVNQVAM fuisse ambitiosam, arrogantem, inanis gloriæ cupidam, importunam, inciuilem, aut inhonestam: non esse conatam Diuinæ doctrinæ cursum abrumpere, non incußisse Filio suo pudorem, nedum vt sacrum Dei nomen vlla blasphemia violauerit: contra nouem errores hæreticorum, qui numerum explent quadragesimumseptimum.

CAPVT VIII.

DOCTOR.

RES est grauiir insectatione, quam admiratione aut miseratione dignior, tam prauo ac sinistro mentis acumine præditos esse primores Ministrorum vestrorum, vt ex vnico Euangelij dicto de beata virgine perperam ab iis detorto, nouem criminationes prorsus enormes aduersus eam comminiscantur: ambitionem videlicet, vanæ gloriæ appetitũ, importunitatem, inciuilitatem, interruptionem cælestis doctrinæ, pudorem obiectum Filio, deniq; in sacrosanctũ nomen Dei bla-

A sphemiam. MIN. Hoccine credibile est tantã offusam esse caliginem mentib. à spiritu erroris & blasphemiæ? tamq; furiali odio posse efferari homines terrigenas aduersus sanctos cælorum ciues, vt omnem humanitatis sensum penitus exuisse videantur? DOCT. Referam ipsa Caluini verba super isto Christi responso, *Quæ est mater mea? Et qui sunt fratres mei? Non dubium est*, inquit, *quin his verbis carpatur Mariæ importunitas: & certe præpostere doctrinæ eius cursum abrumpere tentabat.* MIN. Duobus eam criminibus insimulat: quod odiose molesta fuerit: & quod conata sit cursum Euangelij interpellare. DOCT. Brẽtius In cap. 12. Matth. & 8. Luc.

B quoq; ista duo crimina inculcat, & hæc deinceps annectit: *Est vehementer inhonestum, & inciuile concionantem interpellare. Non possumus de matre & cognatis Iesu aliud sentire, quam quod importuna sua euocatione leges publicæ honestatis violarunt. Multa argumenta indicant matrem & cognatos euocasse Iesum, arrogantia quadam & elatione animi. Ambitio ista est blasphemia in nomen Domini nostri. Mater igitur & cognati Iesu ambitione sua tam grauiter peccant, vt etiam palam per Christum pudefiant.* Ioannes Oecolampadius, Lucas Losius, Erasmus Sarcerius, & Ioannes Agricola, quasi conspiratione facta aduersus hanc sanctam matrem Dei, subtexunt supe- Homil. 78. in Luc. In cap. 12. Matth.

C rioribus: *Carnali affectu prædita non nisi vanam gloriam ex Christi excellentia venatur.*

MIN. Enimuero hæ nouem criminationes sunt peccata prorsus mortalia quib⁹ profligata natio maledicorum sanctissimã Virginem diffamare molitur, non secus ac capulares isti & Acherontici duo Senes pœnam ac infamiam detestandæ libidinis suæ in fœminam integerrimæ castitatis Susannam conati sunt deriuare. Quo tandem malignitatis fine aut pretio, nisi vt omnes pios auertant ac deterreant ab honorandis dotibus, quas plena manu Deus in sanctissimam Virginem effudit? Sed nihil aliud assequentur, quam vt Confutatio. 1. Dan. 13.

D apud omnes testata sit eorum improbitas, & insanabile maledicendi cacoethes, quos vniuersus piorum grex merito detestabitur tanquam architectos calumniarum, atque adeo æmulatores Iudæorum, qui Filium innocẽtissimæ Virginis postularunt velut hominem ebriosum, lurconem, seditiosum, & blasphemum: cum tamen esset non tantum ab hisce flagitiis alienissimus, verum etiam in contrarium omni virtute & laude cumulatissimus.

Nec vero dubitandum arbitror, quin Turcæ, qui sum honore & reuerentia mentionẽ 2.

Virgi-

Virginis in Alchorano faciunt, nunquã impune paterentur tam atroces contumelias: sed earum authores aut igni exurerent, aut palo inspicarent, aut viuos excoriarent. Est autem illud certissimum deploratissimæ cõditionis argumentum, quod Satan ille perpetuus atq; infestissimus Virginis inimicus neminem inter addictos & veteranos milites
Gen.3. suos Arrianos, Nestorianos, Manichæos, Mar
Apoc.13. cionitas, Valentinianos, aliosq; veteres Gnosticos, hactenus reperire potuit, qui tanto furore atq; amentia aduersus eam debaccharetur, atq; hodie factitant isti ministri & satellites Hugnosticorum.

Io.3. DOCT. Exponam tibi breuiter caput atq; originem vnde fluxit prima mali labes, &
Matt.12. leui manu conuellam omnium istarum ca-
Luc.8. lumniarum fundamenta. Recitant Euangelistæ dum apud populum concionaretur Dominus noster, quendam interuenisse qui diceret, *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes loqui tibi.* Cui respondit. *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in Discipulos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, is meus frater, & soror, & mater est.* Appellatione fratrum ij non solum continentur qui à parte Virginis Mariæ vera propinquitate carnis & sanguinis Dominum contingebant: sed etiam qui à Iosepho, qui tum
Luc.3. pater Domini putabatur. De his dicit Euange-
Io.7. lista: *Neque fratres eius credebant in eum,* sed adhuc volutabantur in cæno Iudaicarum opinionum. Hi porro prauo æstu ambitionis & auaritiæ correpti, popularem auram aucupabantur, & mundanos honores auide concupiscebant, lucrumq; venabantur ex sermonibus & miraculis Domini nostri tanquam propinqui sui. De his inquam, fratribus & cognatis, qui cognationis eius titulo gloriabantur, intelligenda sunt Euangelij verba. Erant enim adhuc infideles, ambitiosi, auari, quiq; spem temporalis compendij præferebant Euangelio & honori Diuino. Horum errores & culpas Ministri vestri per summam malitiam ac iniuriam sanctissimæ Virgini adscribere conantur. MINIST. O stultitiam singulari malitia implicatam? Quid enim vsitatius est in Scripturis, quam vt de toto cœtu prædicetur, quod ad quosdam tantum eius pertinet? Euangelium numero plurali
Matth.26. pronuntiat de Latronibus simul crucifixis,
& 27. *Similiter & latrones conuitiabantur ei.*

Discipulos item indigne tulisse factum Magdalenæ: cum tamen constet vtrobique

A tantum vnum id fecisse. Quemadmodum itaq; largiter peccaret, si quis integros criminibus impiorum inuolueret, ita Prædicantes isti grauem Virgini contumeliam infligunt, quod eam immisceant culpis propinquorum & necessariorum, idcirco solum quia in eorũ cœtu ac societate versabatur.

DOCT. Sane beatissima Virgo tam auer- 4.
sa fuit ab omni ambitu, fastu, & vanæ gloriæ appetentia (quorum vitiorum probro ab istis mendaciorum inuentoribus oneratur) vtè contrario, nihil ea dici possit modestius, nihil humilius, nihil simplicius, lenius, huma-
B nius, nihil deniq; despicientius earum rerũ, quas ignari veri mortales admirãtur. Quod enim maius demissæ mentis exemplum proponi potest, quam quod electa mater & nutrix Filij Dei, nihilominus ancillam sese agnoscit & profitetur? MIN. Hæc plane vox & semel & iterum ore prolata, & ab intimo recessu mentis eruta, *Ecce ancilla Domini,* fungi- Luc.1.
tur vice gladij ancipitis, & exterminantis omnes hæreticos, qui nomine superbiæ, & ambitionis eam incusare non verentur.

DOCT. Tantum item abest, vt importu- 5.
nitatis vitio laborarit, aut publicæ honestatis limites transilierit, Filiumque vel minima
C offensione perstrinxerit: vt contra per nouem menses eum libens ac volens vtero gestauerit, dein pepererit, recens natum omni cultu, reuerentia, comitate, ac honestate, nec- Luc.1.2.
non fide ac religione pannis inuolutum mũ- Matth.1.
diter habuerit, gremio fouerit, vlnis cõplexa sit, virgineo lacte nutriuerit, in tẽplo de more obtulerit, in Ægyptum deportarit, ac inde reduxerit in Iudæam & Galilæam, cum eo in Ierusalem profecta sit, ei comes adstiterit, inseruierit, & continenter adhæserit quandiu in terris peregrinatus est, euntem etiã ad supplicium prosequuta est nec ab eius optatissimo cõspectu dimouit oculos, donec morta- Io.19.
D les visus reliquit, & è medio cætu suorũ sub- Matth.28.
ductus ascendit ad cælos. Vbinam igitur est Act.1.
ista violatio publicæ honestatis? Vbi probrũ ac dedecus illatũ Filio, quẽ æque ac seipsam, imo amplius diligebat? A quo vicissim vt ab obsequentissimo filio pia mater honorabatur? Vbi deniq; conatus isti, & cõspirationes ad cursum Euangelij impediendum?

Præterea, cum immutabili decreto sanctis- 6.
simæ Trinitatis electa fuerit ad perficiendum in ipsa mysteriũ incarnationis Christi, cumq; fide, spe, caritate, cæterisq; virtutibus supra heroicum gradũ excelluerit: cumque prudẽtiam, sapientiam, & modestiam incredibilem

exercuerit in sermone cum Angelo, singularem obedientiam Diuinæ voluntati præstiterit, feruentissimis & continuis precib. Deũ venerata sit, animumq; piis meditationib. exercuerit: nonne hæc omnia plene ac plane peruincunt eam ab ipsa cogitatione blasphemandi Diuini nominis nedum ab opere & facto, semper abhorruisse: contra quam triplices & quadruplices isti blasphematores Ministri comminiscuntur? Luc.1.2.

7. Sed ante omnia Diuinum & sapientissimũ Canticum illud, quo gaudio euecta spirituali supra conditionem mortalitatis, in honorẽ supremi numinis decantauit, clara voce personat quantopere Diua virgo magnitudinem suspiciebat, Maiestatem adorabat, & omnes perfectiones eius venerabatur. *Magnificat* (inquit) *anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Nunquid spiritus blasphemiæ, nũquid anima scatens contumeliis in Deũ, qualẽ habuerunt Cain, Pharao, Rhapsaces, tam pie reuerenterq; de cælesti numine loquebantur? Iudæi cum ex impuro pectore cœnum opprobriorũm exhalabãt aduersus Filium Dei pendentem in ligno crucis, nunquid eiusmodi aureas voces proferebãt? Luc.1.

8. Pergit deinceps attollere magnitudinẽ & multitudinem beneficiorum, quæ Diuina liberalitas in ipsam contulerat, dicens: *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Id est, laus & fama Diuini numinis diffusa per omnes Terrasq; tractusq; maris, cælumque profundum. *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* MIN. Extra omnẽ controuersiam est, animas blasphemantium in contrariam partem prorsus niti, tantum abest vt cogitent, credant, aut loquantur tã splendide magnificeq; de beneficijs ac operibus Dei, vel potentiam & misericordiam eius tali veneratione prosequantur. Vnde necessario sequitur illos ab infernalibus furijs obsideri, qui blasphemiæ crimen huic beatissimæ Virgini obijciunt.

9. DOCT. Attende etiam quam discrepent ab istis importunis auibus Angelorum & piarum animarum gratulabũdæ voces. Gabriel ait: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Contra vero, nouissimarũ hæreseon Prædicantes: *Apage, importuna, cursus Euang. obstaculum, inhonesta, inciuilis, arrogans, ambitiosa, elata, blasphema, &c.* Quanto interuallo distant illa cælestia dicta, ab impudẽtibus cõuitijs Ministrorum, qui ipsam tot imposturis onerant, tot conuitijs deformant, & velut honestatis publicæ immemorẽ crimi- Luc. 1.

A nantur? Insuper, Elizabet repleta Spiritu sancto, eâq; cõplexa proclamat: *Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et beata quæ credidisti, &c.* MIN. Hæc elogia spirant profecto animum longe diuersum à calumniis Caluini, Brentij, Losij, Oecolampadij. Nam hæ fœlices animæ afflatu Spiritus sancti concitatæ, vocant eam Matrem Domini, prædicant beatam, generosam eius fidem collaudant, non dubitant quin Deus in ea perfecturus esset quæ pollicitus erat. Ministri contra, ex calumnijs & contumelijs conflati, carpũt B eam ambitionis, arrogantiæ, importunitatis, neglectæ honestatis publicæ, odij aduersus Euangelium, & horrendæ blasphemiæ cõtra sanctissimum nomen Dei. Bone Deus? quam admirabilis est longanimitas & patientia tua, qui tam infestos hostes Matris tuæ non protinus fulmine adigis ad pallentes vmbras Erebi, noctemq; profundã; Quanta est altitudo commiserationũ tuarũ, qui tanta tolerãtia & lenitate Sectarios istiusmodi ad resipiscentiam expectare & inuitare non dedignaris? 10. Luc.1.

DOCT. Audi insuper exclamationẽ sanctæ Mulieris de turba assurgentis in laudem C Virginis, & Filij quem vtero gestarat. Iudæi conuitijs Dominum incessebant, illa in contrarium nitens effatu: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Qua præclara confessione agnoscit hominem vere conceptũ, natum, & lactatum ex Virgine, simul etiam Dominum supra hominem extollit dum tã sublimi encomio Matris & nutricis eius fœlicitatẽ prædicat. MIN. In eius fœminæ persona verum esse comprobatur id quod postea scripsit Apostolus: *Deum eligere res infirmas & contemptibiles huius mundi, vt fortes confũderet.* Scribæ & Pharisæi namque Diuinæ legis interpretes, cum ausi sunt adscribere Beelzebub D miracula quæ Dominus faciebat, brutũ stuporem aut pertinacissimam animi obstinationem ostendebant, non aduertendo Diuinam potentiam, quæ per eum operabatur: hæc autem ex ima plebe fœmina, cum Scripturas ignoraret, tamen admiratione Diuinorum operum effertur vt agnoscat, confiteatur, & sublata voce pronuntiet Fœlicẽ nõ modo Dominum, sed & vterum, & vbera Deiparæ Virginis, aduersus quam hi noua incude refecti Iudæi, maiores blasphemias ebulliunt, quam antea fecerunt veteres recutiti Iudæi. 11. Luc.11. 1.Cor.1. Luc.11.

DOCT.

12. DOCT. Verissime hæc sentis & adfirmas, neque enim exstat vsquam locus in Scripturis, vbi dicantur Iudæi specialiter ac nominatim quidquam effutiuisse contume-
Luc. 2. 11. liosum aduersus Virginem: quin ex aduerso multi eam laudibus celebrauerunt, nimirum Simeon, Elizabeth, Anna, Mulier de
Galat. 1. 7. & 8. turba, &c. Præterea, qui penitius introspexerunt arcanas veterum Rabbinorum traditiones, monstrant ibi contineri, quod Mater Mesiæ nascitura esset absque peccato primorum parentum, vinceret Angelos sanctitate, Prophetas dignatione, nullis muliebribus morbis vexaretur, virgo perpetua maneret, ex Spiritu sancto conciperet, sine doloribus eniteretur, sine sordibus pareret: denique esset vera sedes, sacrarium, ac thronus Dei. Quæ voces multum dissonant à ruditu & latratu blasphemantium hæreticorum.

13. Iam supra quoque obseruauimus, impurum Mahometem vi veritatis coactum, velut alterum Balaam & asinam eius, confiteri Mariam matrem Iesu nullo vnquam insultu Satanæ inquietatam fuisse; hoc est, ab omni labe peccati puram & integram extitisse.

14. Quin & Sibillæ, quæ inter Ethnicos quondam vaticinatæ sunt, luculenta testimonia perhibuerunt de muneribus admirandis, quæ Deus collaturus esset in Matrem ac nutricem suam. Ac primum quidem Erythræa hoc vaticinio, quod extat lib. 3. totam familiam vnde progenita est nunquam satis laudato Virgo deipara commendabilem reddit.

ἔστι δέ τις φυλὴ βασιλήϊος, ἧς γένος ἔσται
ἄπταιστον, καὶ τοῦτο χρόνοις περιτελλομένοισιν
ἄρξει id est:
Est autem tribus aliqua regalis, cuius genus erit
Impeccabile, & illud temporibus labentibus
Imperabit.

Eadem eodem libro sub finem, de ipsa Virgine vaticinata est.

εὐφράνθητι κόρη, καὶ ἀγάλλου. σοὶ γὰρ ἔδωκεν
εὐφροσύνην αἰῶνος, ὃς οὐρανὸν ἔκτισε καὶ γῆν.
ἐν σοὶ δ' οἰκήσει, σοὶ δ' ἔσσεται ἀθάνατον φῶς.
Lætare Virgo & exulta, tibi enim dedit
Lætitiam sæculi, qui cælum creauit & terram.
In te vero habitabit, tibi autem erit immortale
lumen.

Et rursus lib. 8. licet aliqui versus sint imperfecti.

καὶ βραχὺς ἐλθὼν παρθένου ἐκ μαρίας λαγόνων τε
ἐξανέτειλε νέον φῶς

οὐρανόθεν δὲ μολὼν, βροτέην ἐνεδύσατο μορφήν.
πρῶτα μὲν οὖν Γαβριὴλ σθεναρὸν δέμας ἁγνὸν
ἐδείχθη
δεύτερα καὶ κούρῃ ἀντάγγελος ἔννεπε φωνῇ
δέξαι ἀχράντοισιν θεὸν σοῖς παρθένε κόλποις.
ὣς εἰπὼν ἐνέπνευσε θεὸς χάριν. ἡ δ' αἰεὶ κούρη.
Et breuis veniens virginis de Mariæ ventre
Exortus est lux noua.
Cælitus vero profectus mortalem induit formam,
Primum quidem Gabriel validum corpus castum ostendit.
Secundo Virginem nuncius affatus est voce,
Suscipe intemerato Deum tuo virgo sinu
Sic locutus, inspirauit Deus gratiam, illa vero semper virgo, &c.

Et illis hexasticis quæ singulis separatim 15.
tribuuntur & Latine tantum leguntur. Ita canit Persica.

Virgine matre satus pandò residebit asello.

Et paulo post

Ille Deus casta nascetur virgine magnus.

Delphica huic succedit in hanc sententiam:

Huius pertentant cor gaudia magna Prophetæ
Eximij, qui virginea conceptus ab aluo
Prodibit, sine tactu maris, omnia vincit
Hoc naturæ opera, at fecit qui cuncta gubernat.

Hæc vero vaticinatur Cimmeria.

Militia æterna regem sacra virgo cibabit
Lacte suo.

Deinde Samia.

Hunc poterunt clarum viuorum tangere regem,
Humano quem virgo sinu inuiolata fouebit
Annuit hoc cælū, rutilantia sidera monstrant.

Tum Cumana hæc oracula reddit.

----- castam pro matre puellam
Deliges, hæc alias forma præcesserit omnes.

Hellesponriaca porro in eo tota est vt beatam virginem prædicet & prædicat.

Dum meditor quondam vidi decorare puellam
Eximio (castam quod se seruaret) honore,
Munere digna suo, & diuino numine visa
Qua solem multo pareret splendore micantem;
Progenies summi, speciosa & vera tonantis,
Pacifica mundum qui sub ditione gubernet.

Nec eam Phrygia frigide commendat:

Virginis in corpus voluit demittere cælo
Ipse Deus prolem, quam nunciet Angelus almæ
Matri, quo miseros contracta sorde leuaret.

Sed nec eandem Dei matrem illaudatam reliquit Europæa.

Virginis æternum veniet de corpore verbum
Purum, qui valles & montes transiet altos.

Iam vero Tyburtina eo nomine plurimum gloriatur quod id sibi muneris Deus com-

commiserit vt fœlicem illam Virginem suo vaticinio præmonstret.

Verax ipse Deus dedit hac mihi munera fandi
Carmine quod sanctā potui monstrare puellam.
Concipiet qua Nazareis in finibus, illum
Quem sub carne Deum Bethlemica rura videbunt.

Et postea mirabunda & exclamabunda in hæc verba prorumpit.

O nimium fœlix, cœlo dignissima mater,
Qua tantam sacro lactabit ab vbere prolem.

16. MIN. Quid eamne silentio præterit Agrippina? DOCT. Imo vero ita profatur.

Summus erit sub carne satus, charissimus atque,
Virginis & vere complebit viscera sanctum
Verbum, consilio, sine noxa, spiritus almi.

Postremo, vt à qua incepimus in eam desinamus prædicta Erythræa non postremas in laudanda Virgine deipara tulit: sic enim rursus ait.

Cerno Dei natum, qui se demisit ab alto
Vltima fœlices referent cum tempora soles
Hebraa quem virgo feret de stirpe decora
In terris multum teneris passurus ab annis
Magnus erit tamen hic Diuino carmine vates
Virgine matre satus, prudenti pectore verax, &c.

His conspicis vt certatim omnes gentes eam laudent, benedicant, virtutes & laudes eius extollant. Soli Hugnostici suis contumeliis eam diuexent. MIN. Manifestum profecto ac certum est, Iudæos, Turcas, Ethnicos in iudicio postremo; aduersus generationem istam insurrecturos ac blasphemos huiusmodi iudicaturos esse.

MARIA VIRGO ADSTANS FILIO morienti nō fuit in eum instar Discipulorum scandalizata, non peccauit impietate, nec doloribus inferorum immersa: aduersus 48. 49. & 50. errorem.

CAPVT IX.

DOCTOR.

ODium suum aduersus hanc Matrem, vsque ad Filii obitum persequentes, simplicibus suadere volunt, eam fuisse in ipso offensam, impietate aberrasse, & tormenta inferorum in animo sensisse. Huiusmodi sunt verba Brentii: *Discipuli, & Mater eius videntes eum à Pontificibus condemnatum & turpi cruci affixum, offendebantur in eo, adeoque apparebat tunc ipsorum cogitationes vanas, & corda impia esse.* MIN. Dissimulari non potest quin eam scandali, vanitatis, & impietatis crimi- (Hom. 17. in Luc.)

A netur. DOCT. Audi & impiissimam orationem quam pio sanctoque seni Simeoni adfingit: *Cœlum ipsum in hac terra exspectas, sed inferni dolores potius te propter ipsum in hac vita obruent.* Quid de his tibi videtur? (Ser. de orta Deipara.)

MIN. Errores esse adeo horribiles & detestandos, vt etiam à plurimis aliis Ministris coarguãtur & damnentur. Ac inter hos quidam Franciscus Lambertus censet eos nequaquā esse audiendos, qui autumant Virginē gladio infidelitatis peruasam, eo quod nec id euincere possint ex vlla Scriptura: insuper, ea sententia temeraria, falsa, impia, imo & blasphema sit: quandoquidem con- (Cōfutatio 1.)

B stet Virginem etiam ab initio in omni pietate & fide sic probe institutam fuisse, vt deinceps in ea nunquam aberrarit. Ac subdit: *Quiescant obsecro, eiusmodi blasphemia, & impia carnis inuenta, &c. De fide eius testimonia habemus: verum quod infidelis fuerit, nec minimum quidem verbum vsquam reperies.* DOCT. Sed neque vsquam reperies eandem fuisse corde vano aut impio: aut pœnas inferorum animo sensisse aut tolerasse: impium igitur est hoc de illa vel cogitare vel scribere. (In cap. 2. Luc.)

MIN. Melancthon fatetur quidem hanc acutissimos dolores sensisse cum sub eius cruce staret, eumque conquerentem, plan- (2. In cap. 26. Matth. & 19. Io. Hebr. 5.)

C gentem, & vociferantem exaudiret: cum de ligno depositum & mortuū amplexaretur, pallida ora contingeret, pedes manusq; terebratas oscularetur: sed angustias eius semper cū magna fide iunctas fuisse, quod breui eum rediuiuum & gloriosum visura esset, alta semper mente retinens, quod non tantum vt homo, pro eluendis omnium hominum peccatis mortuus esset, sed & quod Filius Dei omnipotentis, per quem peccatum & mors destrui, & iustitia restitui debebat. *Ideo sciebat certe eum resurrecturum esse.* DOCT. Vbi ergo scandala & offendicula, per Ministros eidem afficta? Vbi cordis vanitas, &

D impietas, ab impiissimis & vanissimis Prædicantibus illi tributæ? Vbi dolores inferorum ab istis Cerberis ore trifauci aduersus eam euomiti.

MIN. Conradus Pellicanus eosdem errores damnans, scribit, hanc Virginem corde magnanimo, & animo per Spiritum sanctum, (qui eam nunquam deseruit) confortato, cruentam mortis Filii sui tragœdiam spectasse, sciens eam quidem fore breuissimam, vtilitatem autem illius, id est, totius mundi redemptionem, sempiternam. (3. In cap. 19. Io.)

Bullingerus quoque agnoscit fidem Virginis 4.

In c.19. Io. Cent. 1. c. 10. In c.19. Io. ginis in mediis illis certaminibus & angustiis viuam & vegetam fuisse, & animum satis integrum & firmum ad mortem filii patienter ferendam. Tantundem scribunt Centuriatores. Gasper Crucigerus commodiora rursum ad Virginis honorem, & comministrorum ignominiam perscribit. DOCT. In his primum obserua, vestrorum authorum pudendas contradictiones, & pugnantes de re eadem sententias: hinc, quomodo vi veritatis insuperabili ad Catholici dogmatis partes redire, & perpetuam Virginis innocentiam (quam prius oppugnarunt) celebrare compelluntur.

5. MIN. Hæc quidem vera certaque: sed me non parum mordet, quod Brentius addit, *magnos ac priscos authores aliquos non deesse, qui dicant Mariam dubietatis ac infidelitatis gladio fuisse percussam, vt ei Simeon senex prædixerat.* DOCT. Primum turpiter errat, imponitque sanctissimo Prophetæ; quoniam nunquam *de gladio dubitationis aut infidelitatis* ille locutus est, sed doloris, tristitiæ, & angustiæ, quo vere transfixa fuit, dum Filio compateretur, vt mox efficiemus. Deinde, solus Origenes, & ab hoc decepti quidam neoterici Græci, illud senserunt: & idipsum tam timide & dubitanter scribunt, vt vere contra mentem & conscientiam eos locutos fuisse possis adfirmare. MIN. Noui Hom. 17. in Luc. Origenem in plurimis doctrinæ Catholicæ capitibus aberrasse, & hac de re à sequentibus orthodoxis notatum: sed an in hac eadem causa, me latet.

6. DOCT. At, hoc ipsum comprobo ex eodem ipso Origene, secum ita pugnante, aut potius priorem sententiam emendante Hom. 11. in diuers. ac reuocante. Maria (inquit) inæstimabilem ac plenissimam sanctitatem habuit, imo & iustitiam perfectam atque consummatam.] Sed si dubietate & infidelitate pec- Orat. de ortu Deip. casset, omnis illa sanctitas & iustitia euanesceret. Ac ne dubius sis, quod alii orthodoxi sententiam illius priorem coarguerint, ecce tibi Simeon Metaphrastes, eorum propositum falsitatis & impietatis aperte damnans, qui quacunque ambiguitatis aut infidelitatis acie transuerberatam Virginem dixerint: cum senex Simeon (inquit) de gladio afflictionis & tristitiæ solummodo locutus sit. Concludit: Conuenientius est quod dolorem ipsum gladii nomine significauerit, qui quidem tempore passionis L. 4. orth. fid. c. 15. Mariam inuasit.] Succedit Damascenus, qui velut Origenem ipsum, tacito licet no-

A mine, emendans, asseuerat gladium pertranseuntem animam Virginis, fuisse prædictum de passione & compassione eius cernentis Filium instar latronis tractari, quem tamen probe nouerat esse Filium Dei, & totius mundi Seruatorem: natura tunc ab ea repetente dolores, quos pariens effugerat.

MIN. Satis ex Græcis, sententiam istam 7. Latinorum authoritate confirmes velim. Serm. de verb. stabant iuxta crucem. DOCT. Æqua pietate atque sapientia conspicui Bernardus & Anselmus gladium à Simeone commemoratum sic de animæ an- L. Medit. In ca. 2. Luc. gustiis interpretantur. Mater sentiebat Fi- B lii dolores. Virgo quæ peperit gladio patiebatur doloris. Dolores Nati matris animam penetrabant vt gladius acutus.] Et S. presbyter Beda, Gladius, inquit, præsagit dolorem passionis Domini, quando Mater videre non potuit filium crucifigi sine materno dolore, licet speraret eum breui resuscitandum.] Et ante hos omnes grauis senator Cassiodorus tantundem scripserat, phrasin confirmans ex isto Psalmi testimonio, *Ferrum pertransiuit animam eius*, quod de dolo- Psal. 104. ribus & angustiis aperte dictum est.

MIN. Hi quatuor amplissimum mihi 8. C sunt theatrũ: quod ex his perspiciam totius ecclesiæ sententiã si quod superest tibi scripturarum in hanc rem testimonium, illud producas. DOCT. Sacer Euangelista Christi de cruce pendentis historiam prout viderat, referens ait: *Stabant iuxta crucem Iesu Ma-* Io. 19. *ter eius, & soror matris eius, &c.* constantem, generosam, dignamq; Matre Dei in acutis illis doloribus, & grauissimis calamitatibus fiduciã satis voce *Stabat* exponit. Enimuero si fidem amisisset, aut inferorum pœnas (vt hæreticus blasphemat) in animo sensisset, per terram voluta, & desperatæ fœminæ gestus, clamores blasphemaque verba edidisset: D quod nusquã illi contigit. Vel saltem omni pudore confusioneque repleta, seipsam in antra quædam obscurissima (vt de Apostolis refertur) abdidisset, simili parique affecta scandalo. Constanti præsentiq; vero animo perstans in monte Caluariæ, & iuxta crucem perstans, propriisq; oculis singulos cruentæ tragœdiæ actus conspiciens, & ipsis auribus suis iunctas blasphemias, irrisiones, virulenta conuitia quæ in eũ iaciebantur exaudiens, constantiam plane potius Diuinam quam humanam, incomparabilemq; exibuit patientiam, cuius rei gratia à priscis *plusquam martyr* iure nuncupatur.

MIN.

9. MIN. Caluinus certe vel hac consideratione conuictus, herbam porrigit, de ea & his quæ cum illa stabant fœminis scribens: *Nisi fide instructæ, nunquam adesse potuissent tali spectaculo.* (*In cap. 19. Io.*)

10. DOCT. Et si nihil huiusmodi scripsisset ille, nobis sane facere plus satis deberent hæc præclara D. Anselmi cōmentaria: Stabat Maria in fide Iesu constantissima & patientissima. Nam discipulis fugientibus, cunctisque viris recedentibus, in gloriam totius fœminei sexus inter tot pressuras Filii sui constanter illa stabat in fide Iesu firma, & pulchre stabat vt decet pudicitiam virginalem. Non se laniabat in tanta amaritudine, non maledicebat, non murmurabat, nec vindictam hostium à Deo petebat. Sed stabat disciplinata, verecunda, virgo patientissima, lacrymis plena doloribus immersa, &c. (*Ser. Super Stabat.*)

11. Ac ne tibi leuior æquo videatur Anselmi authoritas, Ambrosium, cuius sensum reddidit, orationem tantum amplificauit. Epist. 82. & lib. de institutione virginis, c. 7. Et vt Græcorum patrū consensus accedat, subiicio Nazianzenum, tragœdia quæ inscribitur, *Christus patiens.* Et ne Syrorum desideretur suffragium, B. Ephrem tractatu de lamentatione Virginis eadem tradit. MIN. Iam satis tam ex ipsis hæreticis secum repugnantibus, quam ex apertis Scripturis, & sanctis Patribus, refutati sunt tres superius citati errores: ad reliquos pergamus.

QVOD BEATA VIRGO MARIA non solum sit à morte suscitata: sed & corpore & animo in cælos euecta: ideoque merito Assumptionis eius feria Christianis sacra celebresque debeant esse: aduersus 48. 49. 50. *Hugnosticorum errorem.*

CAPVT X.

DOCTOR.

Miserabile certe, quod authorum vestrorum in sanctiss. matrem Dei plusquam vatinianum odium, nec ipsius morte finitur. Festum namque gloriosæ Assumpt. eius, aduersus totius Ecclesiæ authoritatem & praxim è medio tollentes, simul negant illam è mortuis suscitatam, & corpore animoque in cælos euectam & assumptam esse. (*Cal. Epist. ad Mompelgarden. 1543.*) MIN. Reapse, hic ritus sublatus est ex omnibus locis in quibus Zvvinglii, Oecolampadii, & Caluini doctrina recepta est, velut Papisticus ac superstitiosus. Quoniam etiam se nihil admittere profitentur, quod non expressis Scripturis contineatur, de his vero altum in Scripturis silentium est, tres superiores articulos prorsus contemnunt & reiiciunt. Nec opus est vlterius probatione, sed solida refutatione. DOCT. Sed tu ipse primum eorum sententiis repugnantibus hos errores confice.

MIN. Bullingerus Zvvinglii successor, tantopere à Beza in Iconibus celebratus, suo suorumque Tigurinorum nomine protestatur se credere, purissimum corpus Virginis, templumque Spiritus S. euectum fuisse in cælum. Non mortuum, non putrefactum, non absque anima, ergo vere resuscitatum & animatum: taleque miraculum æterna memoria dignum esse. Hæc sunt eius verba: *Credimus. Deiparæ virginis Mariæ purissimū thalamum, hoc est, sacrosanctum corpus eius, deportatum esse in cælum.* DOCT. Huius vnius testimonium leue videbitur, ni & alterum addideris. (*Confut. 1.*) (*L. de orig. erroris c. 16.*)

MIN. Brent. non postremus Lutheri discipulus, non tantum id docet, verum & exemplis & Scripturis adfirmat, cum scribit: *Potuit fieri, quod sicut Enoch translatus est in cælum corpore, & sicut multa Sanctorum corpora resurrexerunt cum Christo, ita & Maria cum corpore translata sit in cælum. Certiss. autem est quod Maria perpetuam consecuta sit fælicitatem.* DOCT. Alium rursus adiice, vt in ore trium stet omne verbum. (*2. Hom. 1. in die assūpt. Gen. 5. Matth. 27.*)

MIN. Ioannes Riuius & ipse ex schola Lutherana, testatur se id nolle negare, cum plurimum sit verisimile. Postremo, Lutherus ipse constanter adfirmat hoc ipsum ad fidem pertinere. *Necessario (inquit) credendum est, Dei genitricem viuere: quomodo autem hoc fiat, curæ Diuinæ mandandum est.* DOCT. Cum ea pro certo viuat, certe à mortuis excitata viuit: nec in terris nobiscum mortalis viuit, ergo cum filio & Angelis in cælos assumpta. Præterea, id necessario credendum, & nullatenus in quæstionem reuocandum est: igitur ad fidem Catholicam & doctrinam Apostolicam attinet: atque ex iis sequitur Hugnosticos huic sententiæ contradicentes, etiam Lutheri iudicio, impie contra fidem Christianam exsurgere. (*3. L. de abus. eccles. Postilla mai. in die Assumpt.*)

MIN. Atque hæc sunt, quæ de hac re sentio & credo: tu Catholicam sententiam expone, & firmissimis probationibus communias. DOCT. Credimus & fatemur constanter 4.

stanter illam vere à morte excitatam, ac immortali cum corpore in cælos assumptam esse cum Filio, atq; hunc diem cunctis Christianis memoria æterna dignum, ob honorem ei, nobísque per eam, & cum ea, à Deo exhibitum, quo nostræ speciei & formæ fæminam prosequi dignatus est. Hoc autem in primis adstruitur vnanimi consensu, solennique omnium & Græcarum & Latinarum Ecclesiarum ritu, Istud eius assumptionis festum cum hymnis & canticis id significantibus & asserentibus celebrantium. At Christus sub graui interminatione iubet huic Ecclesiæ obaudire: Apostoli in fidei Christianæ Symbolo eidem Ecclesiæ credendum proponunt: vnde consequitur eum non esse vere Christianum ac Catholicum, qui huic doctrinæ & ritui contradicit. Hæc porro sunt huius Ecclesiæ cantica & dogmata; quibus fidem suam profitetur: *Assumpta est Maria in cælum. Maria virgo assumpta est ad æthereum Thalamum: Hodie Maria virgo cælos ascendit. Exaltata est sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cælestia regna, &c.*

Matth.18. Luc.10. Symb. Apoc.

5\. Ad hæc, ita senserunt & docuerunt prisci sanctique Patres, vt vel ex vno D. Bernardo manifestum est, scribente: Eam sua assumptione supernorum ciuium gaudia copiosissime cumulasse. Hæc est enim cuius salutationis vox & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt. Quod si paruuli necdum nati anima liquefacta est, vt Maria locuta est, quid putamus, quænam illa fuerit cælestium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beata eius frui præsentia meruerunt?]

Serm. 1. de Assumpt. Luc.1.

6\. Anselmus quoque asseuerat, Omnia quæ in cælo sunt decorata fuisse illius Assumptione, eamque constitutam fuisse Dominam, & super omnes creaturas honoratam. Alii his antiquiores Guerricus, Hildephonsus, Idiota, Beda, eadem & sibi ipsis persuaserunt, & aliis prædicauerunt, & libris in gratiam posterorum editis, multis argumentis comprobauerunt: ex quo nemo potest ambigere huiusmodi fuisse ante plurima sæcula totius Ecclesiæ Catholicæ fidem atque doctrinam.

L. de excellentia Virg. c.8.

7\. MIN. His non contradico: verum, antiquiorum, primæque classis doctorum virorum sententias percupio. DOCT. Conscendam igitur ad Diui Augustini sæcula, in quibus Caluinus vester fatetur doctrinam Apostolicam tum adhuc integram inuiolatamque floruisse per omnes Africæ, Asiæ, ac Europæ ecclesias. Ille autem non solum idipsum tanto ante nos tempore credidit, viuaque voce multis Sermonibus docuit: sed etiam Scriptis plurimum commendauit & asseruit. Postquam enim ex Melchisedec, Enoc, ac Elia, multa esse credenda, quæ in Scripturis omissa sunt, peruicit, tantumdem de Mariæ obitu & Assumptione sibi persuadendum esse suadet. Subdit, non conuenire tantæ sanctitati, nec tantæ aulæ Dei prærogatiuæ, resolutam esse in communem putredinem, vermes, ac cinerem, eo quod & caro Christi de Maria sumpta, hanc conditionem euasit: Mariæ corpori id etiam concedi potuit. Vt enim Christus homo euasit, quæ Adæ dicta sunt: sic Maria, quæ primæ matri Euæ. Nam conceptus illius Deus non multiplicauit, nec sub viri, id est, mariti potestate degit, nec virilis admixtionis detrimentum suscepit, sed sine dolore genuit, & sine integritatis violatione parturiuit. Non immerito ergo excipitur à quibusdam generalibus, quam tanta seruat gratia, & attollit dignitatis prærogatiua. Quantum enim Christi potestas posit, mundi ostendit vniuersitas: quantum gratia, Mariæ monstrat integritas. Quid ergo si dicimus eam humanæ sortis mortem subiisse, nec tamen eius vinculis contineri, per quam Deus, voluit nasci, & carnis substantiæ communicare? Iesus enim omnia potest, qui ait: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Si ergo voluit integrum Mariæ virginitatis seruare pudorem, cur non velit incorruptam à putredinis seruare fœtore? Nunquid non pertinet ad benignitatem Domini matris seruare honorem? Potuit eam à putredine alienam facere, qui ex ea nascens potuit virginem relinquere. Caro enim Iesu caro est Mariæ: igitur conueniens est. Vbi ergo digna est haberi, nisi in præsentia Filii? Denique, præclara ista peroratione concludit. Istud ergo sacratissimum corpus, de quo Verbum carnem assumpsit, & Diuinam naturam humanæ vniuit, escam vermibus traditum in communi sorde putredinis & futurum de vermibus puluerem, quia sentire valeo, dicere pertimesco.]

Inst. l. 4. c. 2. §. 3. Tom. 9. l. de Assumpt. c. 3. 4. 5. &c. Cap. 2. 3. 4. 5. Genes. 3. Psalm. 15. Dan. 9. 1. Cor. 15. Ioan. 1. Ioan. 13. Matth. 28. Cap. 6.

Nec tam sancta doctaq; conclusione contentus inde persequitur. Ipsamet Veritas ait: *Volo, Pater, vt vbi ego sum, ibi sit & minister meus.* Quod si hoc adimpletur in iis qui fide & operibus illi subseruiunt, proculdubio verũ est & erit in Matre, quæ tanta fide illi subministrauit in conceptione, natiuitate, fuga in 8.

Cap. 7. Io. 12. Luc. 2. Matth. 2.

Ægyptum, & reliquo vitæ humanæ curricu-
Io. 19. lo. Sequitur, Si Mariæ viuenti præ omnibus data est gratia, mortuæ erit minuenda?
Cap. 8. Absit. Consideratis igitur his vniuersis, vera ratione confitendum censeo; Mariam in Christo, & apud Christum esse. Apud Christum, gloriose ad æternitatis gaudia assumptam, honoratius susceptam cæteris. Si in
Luc. 21. Filii potestate est, Sanctorum de capite capillum non perire, est & Matrem anima & corpore integram posse seruare. Si elegit
Dan. 2. diuina voluntas inter crepitantes vehementium ignium flammas, non solum puerorum corpora, verum & vestimenta seruare inusta, cur abnuat in matre propria, quod
Ioan. 2. elegit in veste aliena? Ionam in ventre ceti voluit incorruptum sola misericordia, Mariam incorruptam præter naturam non seruauit gratia? Seruatus est Daniel ab intemperatissima fame leonum, non seruanda est
Dan. 6. & 14. Maria, tantis dotata meritis dignitatum? Hæc cuncta quæ diximus, quia naturam non seruasse cognoscimus: in Mariæ integritate plus potuisse gratiam quam naturam non dubitamus. Diuinitatis enim sunt opera quæ dicimus, & ideo sunt possibilia quia ab omnipotentia.] finem disquisitionis istius sic claudit. Sic per hoc digne videtur lætari Maria lætitia inenarrabili anima & corpore in proprio Filio, & per proprium Filium, nec vllã sequi debere corruptionem, quam nulla secuta est tantum Filium pariendo integritatis corruptio.] MIN. Sanctissimæ profecto sententiæ, ex tam firmis euidentibusque probationibus eductæ, vt nemo rationis ac pietatis compos inficias ire non possit. Accede ad Græcos authores.

DOCT. Vno simul agmine quatuor insignes in aciem educo, Nicephorum Calixtum lib. 2. hist. c. 22. & 23. Michaelem Glycam tertia parte Annalium, quorum vterq; etiam à sectariis hominibus latio donatus est: Andream Cretensem, & Cosmam Ierosolymitanum: qui omnes ab eo Spiritu concitati, beatissimam Virginem aliquando mortis legibus subiacuisse, sepulcro conditam, tertio die à Filio suscitatam, cum eo corpore & animo in cælos elatam & receptam fuisse magna fide & constantia testificantur. Nec id tantum, sed & totius orientis hanc esse doctrinam & fidem, perpetua patrum, & ab Apostolicis viris, adeoque Apostolis ipsis accepta traditione, confirmatam & roboratam constanter adfirmant.

10. MIN. Si quos habes ætate adhuc superiores, ne reticeas, vt huius Apostolicæ traditionis inuiolata perpetuitas multo magis firmetur. DOCT. Tres alios simul laudo testes omni exceptione maiores. Germanum dico Constantinopoleos Patriarcham, ex Syria Ioan. Damascenum, & Simeonem Metaphrastem ex media Græcia: qui omnes vna voce, eodemque spiritu adseuerant, corpus Virginis cœlesti priuilegio, à lege communi filiorum Adæ in multis exemptum, nec humi putrefactum, nec à vermibus corrosum esse: sed vt castissimum, integerrimum, impollutum, Deoque dignum, in cœlos raptum, ibidem cum sancta eius anima beato ac æterno æuo perfrui nihil dubitant. Germanus scribit: Sacratissimæ Virginis caro ex mortuis iam resuscitata, ad omnem immortalitatem & incorruptionem iam transformata est. Damascenus vero: Virgo immaculata non in terram reuersa est, sed in cœlestibus tabernaculis collocatur. Metaphrastis autem verba sunt: Mariæ sacratissimum corpus ab eiusdem filio & Deo ad diuina illa tabernacula est transmissum, vbi secum & corpore & anima perpetuo versetur.

Orat. de dormit. Deiparæ.

MIN. Nullis vnquam verbis tibi possem exponere, quantas consolationes anima, 11.
quantaq; incrementa fides mea ex tot tantorumque patrum testificationibus suscipiat, ex iisque liquido apparet, quam vere dixeris huiusmodi esse fidem doctrinamq; totius Ecclesiæ Christianæ. DOCT. Addo rursum septem superius adductis authoribus sanctum Iuuenalem sacrorum Ierosolymorum Patriarcham, qui coram Marciano Imperatore, sexcentisque & triginta patribus qui in magnam synodum Chalcedonensem conuenerant, publica testificatione professus est, se antiqua patrum & Apostolorum traditione accepisse, Virginem secundum corpus quidem aliquando in sepulchrum delatam, virtute filii sui inde resuscitatam, cum corpore glorificato secum in cœlos abductam: solis vestibus, & sepulchralibus lintheis in tumulo relictis.

Accedit & acerrimus veræ fidei aduersus 12.
omnes hæreses propugnator Athanasius, qui ante mille & trecentos annos & verbo & scripto tutatus est hanc Reginam assistere à dextris filii vbique regnantis, quasi in vestitu deaurato, incorruptionis & immortalitatis circumamicta varietate. Non quod secundum spiritum tantum, quasi sine corpore & carne assistat; sed quod induta sit quan-

Euang. de sanctiss. Deipara. Psal. 44.

quantum spectat ad sanctissimam eius carnem, incorruptibilitate & immortalitate, &c.

11. MIN. Atque hæc sane mirabilis Patrum sanctorum consensio: præter quam, etiam iusta lance pondero grauissimas rationes quibus innituntur, & sanctissima tam veteris quam noui testaméti scripta, quibus hanc sententiam, fidemq; comprobant. Contra vero, Hugnosticos solis frigidisq; suis negationibus, & putidis niti calumniis: & scripturis, & patrũ testimoniis, & consensione Ecclesiarũ omnino destitui. Ex quibus perspicuum & certũ est, eos hac in re nec audiendos nec admittendos esse. DOCT. Quia ergo tibi hac in parte video satisfactũ, prætermittam Scholasticorum Patrum, vnanimes testificationes, & validas euidentesque ratiocinationes, quibus superiorem sententiam confirmant, vt ad eiusdem beatissimæ Virginis intercessionem & inuocationem transeam.

BEATA VIRGO IN COELIS EST nostri memor, pro nobis intercedit, atque ideo vtile est eam inuocare, quod Dominus eius precibus & meritis multa beneficia conferat mortalibus: contra errorem 51. 52. 53. & 54.

CAPVT XI.

MINISTER.

QVid adhuc superest Authoribus nostris aduersus sanctissimam matrem Christi? DOCT. Illam cœlis iam receptam, despoliant omni erga nos charitate & beneuolentia: negant eam pro nobis precari & intercedere, ac inuocandam esse, simulque Deũ ad eius preces nobis benefacere. MIN. In omnes sectas eorum, id est, Lutheranorum, Zvvinglianorum, Caluinianorum, Anabaptistarum, Arrianorum, Trinitariorũ, D ac Libertinorum diligenter inquirens, comperi cunctos in eo conspirare, *vt clamitent, illud superstitiosum, idololatrum, & impium esse, adeoque ipsum Christum, suo sacerdotio ac officio spoliare:* nec aliarũ probationum ad id opus est, scriptis eorũ id propalam testificantibus, & ad nauseam vsque singulis prope pagellis inculcantibus, & importune ingerentibus.

Cõfutatio 1. DOCT. Tu ergo si quid noris ex ipsis quod his erroribus aduersetur, dogmata vero Catholica comprobet, in primã aciem pro more tuo educas rogo. MIN. Melanthon in primis, in Apologia pro Confessio- A ne Augustana (quam Lutherus tanti facit, vt dignam sacrorum librorum canone arbitretur atque pronuntiet) confitetur Sanctos hac vita functos, orare in cœlis pro Ecclesia in genere, tum quod Zacharias propheta Angelum orantem pro salute Israelis inducat, tum quod in libris Machabæorum scriptum sit, Ieremiam multum orare pro populo, & vniuersa sancta ciuitate. Itaq; compellentur fateri B. Virginem nostri memorem, pro nobis apud Deum intercedere, vel eam de cœlis, deturbare, vel de catalogo Sanctorum penitus expungere. *Zach. 1. 2 Mach. 15.*

2. Hinc Caluinus vltro admittens in scri- B pturis mentionem fieri orationis angelorũ pro nobis apud Deum: deinde, Sanctos fixa firmaque voluntate quærere regnum Dei, insuper charitatem ipsorũ comprehensam in Ecclesia quæ est corpus Christi, atque hoc respectu pro nobis orare, hac eadem ratione & agnoscit & confitetur B. Virginem nostrum recordari ac pro nobis interpellare. DOCT. Clara & solida est consecutio, quandoquidem exaltata super choros angelorum, eo longe ardentiori desiderio percupiat compleri regnum Dei, id est, omnes homines saluos fieri, quo omnes cœlites copiosori gratia & charitate exsuperet. *Inst. l. 3. c. 20. §. 23. 24.*

C 3. MIN. Inde etiam Beza vel inuitus concedens, charitatem nunquam excidere, sicque sanctos, quorũ spiritus habitant in gloria cœlesti, profectum salutis nostræ expetere, horum pro nobis orationes admittit: quandoquidem piorum feruentia desideria magnæ preces sint coram Deo. Quod si alii sancti bene nobis precentur, eo magis beata Deipara, quo maiore authoritate & gratia valet apud Christum prædilectum filium suum. Atque hæc ex eorum repugnantibus sententiis atque digladiationibus. *Confess. p. 4. art. 16.*

4. DOCT. His addendum, quod cum supra & scripturis, & rationibus, & patribus, adeoque ipsorum hæresiarcharum confessionibus euicerimus, ipsam vna cum Filio, vita beata corpore & animo in cœlis perfrui: manifeste consequitur quod apud eum pro nobis intercedat, cum præsertim Caluiniani nullum aliud obstaculum intercessionis sanctorum adferant, quam mortem eos à nobis separantem. Quocirca cum beata Virgo iam mortua non sit, sed felicissimam vitam ducat in cœlestibus: plena charitate & beneuolentia erga nos fratres & proximos suos, haud dubie salutem nostram pro viribus procurat.

5. Ad hæc, in dubium vocari non poteſt, quin vniuerſa deſideria, vota, cogitataque ſua, voluntati filii ſui conformet, cui tam intime adhæret, vt iuxta Paulum, vnus cum eo ſpiritus efficiatur: atque ſic percupiat, quæ cupit ille: velit ex animo, quæcunque vult & ille: ſicque eidem comprecetur pro totius humani generis ſalute. MIN. Nemo certe ire poteſt inficias, quin huiuſmodi deſideria & vota preces ſint apud Deum, cum ſuſpiria Moſis dicantur clamores ad Deum: lachrymæ Suſannæ, ac Annæ orationes ad Altiſsimum: planctuſq; viduarum, orphanorum, & oppreſſorum, ſuas voces habere, quæ cœlos penetrent, & ad Dominum vltionum pertingunt. Dicat inſuper Auguſtinus ad Deum: Cum te in ſilentio quærerem, magnæ voces erant ad miſericordiam tuam, tacitæ cogitationes animi mei. Sed age ex ſcripturis.

1. Cor. 6. Exod. 14. Dan. 13. 1. Reg. 1. 2. Chryſ. in Pſal. 4. L. 7. Confeſſ. c. 7.

6. DOCT. Superius oſtendimus, etiam conſentientibus hac in re Caluini & comminiſtrorum interpretationibus, Virginem Deiparam viua excellentique charitate, filio neceſsitatem eorum expoſuiſſe, qui in conuiuio nuptiali vino deſtituebantur, & pro eis oraſſe dicendo, *Vinum non habent.* Præterea, quod de filii beneuolentia nihil dubitans ſeruis dixerit: *Facite quæcunque dixerit vobis.* Denique, Dominum ad illius preces hoc primũ ſignum feciſſe in conſpectu Diſcipulorum ſuorũ. MIN. Hæc ſunt ipſiſſima verba diuina, per quinque ſanctos & antiquos Patres, deinde quatuor nouæ iſtius reformationis Miniſtros in eum modum explicata, vt ſuperius notatum eſt.

Ioan. 2.

7. DOCT. Si his addideris hæc Diui Bernardi verba: Si à nobis pulſata fuerit, & ipſa non deerit neceſsitati noſtræ, quoniam miſericors eſt, & mater miſericordiæ. Nam ſi compaſſa eſt verecundiæ illorum, à quibus fuerat inuitata, multo magis compatietur nobis, ſi pie fuerit inuocata. Si inquam, hæc ſuperioribus adiunxeris, habebis ex apertis ſcripturis, Virginem & noſtri memorem, & pro nobis intercedentem, ſimulque pie & ſalubriter à nobis inuocandam eſſe. MIN. At illi reſponſant, illam tum adhuc in viuis fuiſſe. DOCT. Reſpondeo, eandem nunc etiam perfectius in cœlis viuere. Inſuper, animas Sanctorum nõ tangi tormento mortis: ſed in perpetuum vigere ac viuere coram Deo viuentium, non mortuorum: atq; ideo nullam mortis ſpeciem obſtare poſſe, quin beatiſs. Deipara Deũ pro nobis exoret.

Serm. 2. de mutat. aquæ. Sap. 3. Matth. 10. 22.

A MIN. Suntne tibi & aliæ Scripturæ, quibus interceſsiones eiuſdem confirmes? 8. DOCT. Chriſtus mortem ſubiens, vt nobis vitam æternam mercaretur & conferret, dixit de matre Diſcipulo quem diligebat: *Ecce mater tua:* & matri, *Mulier, ecce filius tuus,* in perſona Ioannis conſtituit, vt omnes pios Chriſtianos Virgo ſibi in filios adoptaret, amore complecteretur vt filios, ac eorum ſalutis per ſacras preces vt propriorum filiorum procurationem ſuſciperet: & hi viciſsim eam honore & amore complecterentur, ac vt propriam propitiamque matrem vbique in auxilium inuocarent. B MIN. Enimuero cum Dominus noſter filius eius nos ſerio pro amicis, conſanguineis, & fratribus habeat, nemo mentis compos negabit Virginem, quæ illũ concepit & peperit, nobis quoq; velut filiis ſuis fauere, & vere materna affectione ſalutem noſtram precibus ac piis votis procurare & iuuare apud illum. At eximium foret, ſi hoc patrum fide & authoritate fulcires.

Ioan. 19. Pſal. 21. Ioan. 20.

9. DOCT. Non ſolum id facio: ſed & duorum præcipuorum huius æui hæreſiarcharũ conſenſione. Lutherus namque ſcribit, *Maiorem honorem, & vtilitatem non poſſe contingere viro Chriſtiano, quam vt conſtanter ſibi perſua*C*deat, Mariam verã eſſe matrem ſuam, Chriſtum fratrem, & ſummum Deum adoptione patrem.* Hinc Caluinus ait: *Libenter Mariam amplectimur magiſtrã, eiuſq; doctrinæ & preceptis obtemperamus.* MIN. Seipſos ergo ac ſectatores coarguunt, cũ alibi eandem tot criminibus onerant, tot contumeliis vexant, totq; modis extenuant atq; deprimunt, vt nihilo plus poſsit, velit, aut valeat apud Deum, quam mulier peccatrix & Chananæa. Sed patrum ſanctorum à te requirebam teſtimonia.

Poſtilla in Eu. de Nat. Chriſti. Harmo.

10. DOCT. Eruditus vir Rupertus hac de re ſcribit: Maria ſuis in cruce doloribus hoc etiam promeruit, vt non ſolum Ioan-D nis, ſed & noſtrum, omniumque credentium ſpiritualis mater diceretur & eſſet. Quod de hoc diſcipulo dictum eſt, *Ecce mater tua, &c.* recte & de alio quolibet diſcipulorũ, ſi præſens adeſſet, dici potuiſſet, quod omnium illa mater ſit. Diuorum Bernardi, Anſelmi, ac Bedæ eadem eſt vox, eademque mens & fides.

In c. 19. Io.

11. MIN. Iiſdem clariores & ſeniores poſtulabam. DOCT. Ante mille & trecentos annos Iuſtinus martyr, ac Irenæus quoq; martyr, & poſt hos Auguſtinus, ac Epiphanius, facta collatione Deiparæ Virginis cum Eua,

Dial. l. 3. c. 33. L. 5. c. 19. Serm. 7. de Nat.

L. contra Antidic. Eua, adfirmant iſtam matrem mortis, illam vitæ. Iſtam ſua perfidia perditionem cunctis attuliſſe, illam ſua fide & obeditione mundo ſalutem peperiſſe: iſtam occidiſſe, illam viuificaſſe: iſtam vulneraſſe & ligaſſe, illam ſanaſſe & ſoluiſſe. Ab Eua, inquit Epiphanius, omnis hominum generatio genita eſt in terra, à Maria vero vita mundo genita eſt, & facta eſt mater viuentium. Maria, ſcribit Irenæus, virginis Euæ facta eſt aduocata. Atq; hæc doctrina fideſq; virorum Apoſtolicorum, Martyrũ & Confeſſorum, ex qua prodierunt hæ piæ ac feruentes ad eã preces: *Ad te clamamus exules filij Euæ. Ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo aduocata noſtra. Monſtra te eſſe matrem. Sancta Maria, ſuccurre miſeris. Sub tuum præſidium confugimus. Maria mater gratiæ, &c.*

12\. MIN. Perſequere ſumptas ex ſcripturis probationes. DOCT. Quatuor refert B. Lucas Euangeliſta ab Angelo Gabriele illi dicta fuiſſe ex quibus facile probatur, eam noſtri memorem, pro nobis apud Dominum intercedere. Ac primum quidem, *quod eſſet gratia plena*. Ex hoc enim cuiuis peruium eſt colligere, eam fuiſſe ac etiam nunc eſſe, plenã charitate, qua nos ſicut ſeipſam diligit: plenam cõpaſsione, qua ſubuenit afflictis: plenam ſapientia, qua miſerias noſtras intueatur: & plenam miſericordia, vt veniam & gratiam impetret à Filio nobis cum ei pie & ſuppliciter preces offerimus. Nam ſi horum aliquid defuit, aut etiamnum deeſt, iam non eſſet plena gratia, ſed deſtituta. — Luc. 1.

13\. Luc. 1. Secundum eſt, *Dominus tecum* videlicet tam intimo ac ſingulari modo, vt nec ſimili, nec pari modo vnquam fuerit, aut futurus ſit cũ aliqua creatura. Etenim cum illa fuit vti fructus cum arbore, fœtus in matre, effectus in cauſa, caro in carne, ſanguis in ſanguine, os de oſsibus, ac humana ſubſtantia in ſua propria, atque materna ſubſtantia. Ex quibus conſequitur, nullam vnquam creaturam aut habuiſſe, aut vnquam habituram tãtum acceſſum tantamue authoritatem & facultatem intercedendi ac impetrandi pro miſeris mortalibus, quantam habet iſta piiſsima Virgo & mater. — Eph. 5. Gal. 4.

14\. Tertium eſt, *Benedicta tu in mulieribus*. Euidenter namq; ex hoc conſequitur, ipſam lõge facilius ac efficacius cuncta bona & commoda nobis à Deo impetrare poſſe, quã mulier Chananæa ſalutẽ filiæ, vidua ſuſcitationẽ filij, Centurio ſoſpitatem puero, Martha, & Magdalena vitam fratri, Anna Samuelem, A- — Mat. 15. Luc. 7.

A bigail conſeruationem viri & familiæ, Thecuitis reconciliationẽ Abſaloni, &c. Sequitur inſuper, eam eſſe ſtrenuiorem Iuditha, Holofernem proprio mucrone confodiente, & gentem ſuam ab internecione liberante: gratioſiorem Eſthere populum domini oratione ſua à perditione communi ſeruante: animoſiorem Iahele, quæ Siſaræ caput contriuit: Thebeane fortiorem, quæ Abimelecũ ſuſtulit è medio: deniq; Arbellana quæ ſeditioſo Sebæ necem attulit, omnibus modis prudentiorem. Alias enim non eſſet benedicta & felix inter omnes & ſuper omnes mulieres. Non enim dubitandum eſt iſtas omnes veteris Teſtamenti illuſtres, ſanctas, & pias fœminas, hanc illuſtriſsimam Virginem & viraginem noſtram adumbraſſe, ſicut Patriarchæ, Prophetæ alijq; clariſsimi viri Chriſtum filiũ eius dominum noſtrum & verbis annunciarũt, & factis præſagiuerunt: proinde iure optimo poſſumus ac debemus illi dicere, quod olim beatæ Iudithæ dictum eſt: *Ora tu pro nobis, quoniam mulier ſancta es.* Tu exaltatio noſtrorũ Ieroſolymorum, tu gloria Iſraelis ſecundum ſpiritũ, tu magnificentia gentis noſtræ, benedicta ſis ab omnipotẽte Domino in æternum. — Mat. 8. Ioan. 11. 1. Reg. 1. 1. Reg. 25. 2. Reg. 14. Iudith. 14. Eſther. 8. Iudic. 49. 2. Reg. 20. B. Iudith 8. 15.

15\. MIN. Non video qui fieri poſsit, vt quiſquam huic opinioni refragetur, niſi ſimul ipſe Scripturæ refragari velit. C Sed quodnam eſt quartum illud argumentum, quod ex Angeli verbis exprimitur ad aſtruendam virginis interceſsionem? DOCT. Quando eam ita compellat: *Inueniſti gratiam apud Dominum.* Nam gratiæ vocabulo iuxta priſcos interpretes, deſignatur ſalus Iudæorum & Gentium, quam à Deo precibus & votis ſic efflictim obteſtabatur, tantaq; charitate & conſtantia, vt tandem exaudiri meruerit. Talis gratia, ait Diuus Bernardus, fuit pax inter Deum & homines, ruina mortis, reparatio vitæ, quã toto corde ſuo requirens, tandem inuenit. Talis gratia generalis fuit, qua plene abundauit: item ſingularis, ſola enim extitit inter ſimplices creaturas, D quæ gratiam hanc expetiuit, ſola quæ obtinuit. Tandem hic eximius vir admirabili contẽplatione talis gratiæ raptus ſic exclamat: Sileat miſericordiã tuam beata virgo, ſi quis eſt qui inuocatam eam in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe. Laudamus virginitatem, humilitatẽ miramur, ſed miſericordia miſeris ſapit dulcius, miſericordiam amplectimur carius, recordamur ſæpius, crebrius inuocamus. Hæc eſt enim quæ totius mundi reparationẽ obtinuit, ſalutem omnium impetrauit. Conſtat — Luc. 1. Rich. à S. Vict. Hom. 3. ſuper Miſſus. Serm. 3. de Annun. Serm. 4. de Aſſumpt.

enim pro vniuerso genere humano fuisse sollicitam: cui dictum est, *Inuenisti gratiam*, vtique quam quærebat, &c.

16. MIN. Voces huius præclari patris non solum verbo Dei consentaneæ sunt, sed & piorum animis igniculos admonent deuotionis erga hanc virginē. Velim igitur vt ex eodem promptuario plura depromas, vnde veluti gratissimo pabulo mentē alere & oblectare possim. DOCT. Ille velut explicans allata ex Angelo verba, scribit: Per te habemus accessum ad filiū, ô benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, vt per te nos suscipiat qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpā nostræ corruptionis: & humilitas Deo grata, nostræ veniā impetret vanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinē peccatorū: & fœcunditas gloriosa, fœcunditatē nobis cōferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, aduocata nostra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos cōmenda; tuo nos filio repræsenta. Fac, ô benedicta, per gratiam quam inuenisti, per prærogatiuā quā meruisti, per misericordiā quā peperisti, vt qui te mediāte fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ: te quoq; intercedēte, participes faciat nos gloriæ & beatitudinis suæ. Si vlteriori desiderio teneris agnoscēdi quā impensa deuotione iste vir sanctus & grauis Virginē prosecutus sit, lege secūdā & quarta eius Homiliam super Missus est: Serm. 1. 2. de mutatione aquæ in vinū: Serm. 2. de Pentecoste: Ser. 1. 2. 4. de Assumptione: Serm. ad illa verba. Mulier amica Sole: & Ser. de Natiuit. eiusdē Virginis. Non dubito quin maiores fructus ex hac lectione reportaturus sis, quā ex omnib. Vermilij, Caluini, Bezæque commentis.

Serm. 2. Aduent.

17. MIN. Ita quidem in animum induxi meū, nocturna diurnaq; manu libros sanctorum patrum versare, vt à talibus magistris sinceram & puram scripturarum hauriam intelligentiam, simulq; pietatis & deuotionis spiritum concipiam quo sectarij omnino sunt destituti: Sed filum probationum tuarum de virginis intercessionib. nūc pertexe. DOCT. Sedeāt ipsi Ministri iudices in hac causa. Nemo tam ferreæ frontis erit, qui dicere ausit virginis huius conditionē in alio sæculo deteriorē esse, quā Diuitis epulonis in inferorū tenebris & suppliciis demersi. At is meminit quinq; fratrum suorum, quos in terris superstites reliquerat, sæpe pro iis precatus est, nec eo nomine à quoquam reprehensus est. Ergo recte & ordine concluditur, multo maiori ratione virginem in cœlis degentem, pro nobis pauperibus quidem & indignis, attamē consanguineis & dilectis fratribus, in hoc seculo adhuc peregrinantibus, pie & constāter intercedere.

Luc. 16.

MIN. Nihil verius & clarius. Sed vtentur solenni suo perfugio, vt dicant esse parabolam, ex qua negabunt vllam idoneam posse sumi probationem. DOCT. Non est illis integrum eo confugere, nisi transfugæ, partiumque desertores haberi velint. Primum, quia Caluinus, Bucerus, Brentius, Beza, Gualtherus, vi veritatis coacti fatentur hanc esse rei vere gestæ narrationem. Deinde, vetustissimi authores Irenæus, Tertullianus, aliique prisci scriptores, multis rationibus ex ipso textu desumptis idipsum confirmant. Denique, ipse filius Dei tam crebro parabolis & similitudinibus in sermonibus vtens, doctrinamque suam comprobans, Paulus item in confirmationem fidei nostræ allegorias adhibens, sub illustri exemplo docent, parabolis ad fulturam veræ doctrinæ nō leue momentum subesse. 18.

Com. in c. 16. Luc.
L. 2. c. 62. 63.
L. de anim. de resurr. & 4. cōtra Marc.
Mat. 13. 25. Luc. 15. Gal. 4. Heb. 7. 8. 9 10.

Et vt modum finemque his probationib. statuamus, quisquis serio meditabitur, quænā fuerint exercitia huius virginis post gloriosam filij ascensionem, minime ambigendum putabit, quin, cum sese penitus vitæ contemplatiuæ addixisset, multo impensius seruierit Deo continuis precibus atq; ieiuniis, quam aut vidua Iudith, aut vidua Prophetissa, quæ potissimam ætatis partem in his studiis & exercitationibus traduxerunt. MIN. Apposite sane, quandoquidem scriptura refert Discipulos perseuerasse vnanimiter in oratione cum Maria matre Iesu. DOCT. Quem ad finem, amabò, dirigebantur hæ orationes, nisi ad incolumitatem Ecclesiæ Christianæ, cōuersionem infidelium, emendationem peccatorum, conseruationem bonorum, & totius generis humani salutem? Nunquid vero credibile aut verisimile est eam nunc, postquam superioribus sedibus recepta est, minori charitate flagrare, nec tanta cura tangi rerum humanarum quāta cum in terris versaretur? Nisi forte minus faciles aditus ad filium habet, quæ iam longe perfectius cum eo coniuncta est. Quo quid absurdius excogitari possit nō video. MIN. Diabolum ipsum tam fœdæ opinionis tædere posset. Igitur luce meridiana clarius liquet hanc beatam Virginem indesinenter nostri memorem, pro nobis precari & intercedere: nec vniuersorum hominum saluti duntaxat, sed & singulorum com- 19.

Iudith. 8. Luc. 2.
Act. 1.

commodis atque vtilitatibus prospicere, quemadmodum superioribus tot argumentis abunde comprobatum est.

DE INVOCATIONE VIRGINIS *Mariæ, ac eiusdem vtilitate.*

CAPVT XII.

DOCTOR.

IDipsum adhuc dilucidius patebit ex deuotis precibus, quas illi concipere solet quidquid est vbique Christianæ gentis, iam inde ab Apostolorum temporibus, vsq; ad ætatẽ nostram, vt in præsentia contra errorem Hugnosticorum copiose demonstrabo. MIN. Hæc pars sane est in qua firmanda labor tuus obnixe versari debet. Nam Prædicantes in quibus aliquid humani cordis residet, non grauabuntur assentiri Virginem intercedere pro nobis: sed inuocationem eius tãquã Syrtim aut Charybdim velis remisq; fugiunt.

Innoc. B. Virg. probatur.

DOCT. Opponam autem illis in prima fronte, Liturgiam, quam Iacobus Apostolus, Episcopus primus Ierosolymorum scripsit, exercuit, prioribus Christianis tradidit: & patres Concilij Cõstantinopolitani ante nongentos annos, hincq; Proclus Patriarcha, Nicolaus Methonensis, Marcus Ephesinus, Bessario Patriarcha, qui omnes Græci fuerunt: itẽ Gelasius Papa, Algerus, Gratianus, Bernardus, patres Latini: deniq; Orientales in hunc vsque diem seruarunt & vt gnisiam probauerunt. In hac porro Liturgia virgo Maria sic ab Apostolo & successoribus inuocatur. Cõmemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ, benedictæ dominæ nostræ matris Dei & semper virginis Mariæ, ac omnium Sãctorum ac iustorum, vt precibus & intercessionibus eorum, omnes misericordiam consequamur. MIN. Cũ hæc liturgia publico Græcorum & Latinorum consensu firmata sit, insignis profecto impudentiæ foret eam repudiare. Porro, cum hic virgo tam solenni ritu inuocetur, nefas est dubitare quin eius inuocatio ab Apostolica traditione promanauerit.

Confutatio. 1.

2\. DOCT. Confirmatur eadem virginis inuocatio etiam consensione & authoritate Liturgiæ, quã Matthæus Euãgelista in Æthiopia vsurpauit, & illic degentibus reliquit: qua etiam hodie vtuntur omnes illæ fuscæ nationes, quæ Christianismum profitentur sub latissimo imperio magni *Negus*, quem Mauri *Sultam Anticlabaßi*, nostrates vulgo *Prete-Ian* appellant. Imo hic sacrorum ritus etiam ho-A die vsurpatur Alexandriæ, monte Sinai, Ierosolymis, & in vrbe Memphitica, quib. in locis habitãt Abissini Christiani. In ea porro Liturgia talis inuocandæ Virginis formula præscribitur. Lætare Domina, quia salutem sanctam deprecamur. O virgo mater Dei & Christi, in omni tempore adfer sursum orationem nostram apud electos filij tui, vt remittãtur peccata nostra. Lætare Domina, quia peperisti nobis lumen verũ Iesum Christũ Dominum nostrũ. Ora pro nobis apud eum, vt misereatur animæ nostræ. Ora pro nobis in cõspectu throni filij tui Iesu Christi. Lętare immaculata, B vere regina. Lætare gloria nostrorum parentũ, quia peperisti Emmanuelẽ. O vere mediatrix ante Dominum nostrũ Iesum Christũ, te supplices exoramus, vt memor sis nostri, vt deleantur iniquitates nostræ, &c. Atque hæc est Apostolica verborum conceptio quibus inuocatur virgo: quam primi Æthiopes Christiani traditam sibi à Matthæo per cõtinuam, & ad hæc tempora perductam seriem sancte & inuiolate conseruauerunt. MIN. Audio Scaligerum Liturgiam illam ex Æthiopico sermone in Latinum transtulisse: ideoq; non audebunt Prædicantes falsi crimen ei obiicere. siquidẽ stat ab eorum partibus, & peritia C linguarũ longe omnes antecellit. Nec poterunt inficiari, quin hæ preces ad Virginẽ dirigantur, siquidem ab omnibus istis populis ac nationibus manifesti mendacij arguerentur. Alterum igitur necesse est faciant, vt aut Apostolum ac Euangelistam Dei in culpam vocent, quod sacrilegium foret intolerabile: aut inuocationem beatæ Mariæ virginis Apostolica veritate doctrinaque niti nobiscum confiteantur. Pergamus.

DOCT. Christiani Syri, Maronitæ, Persæ, Chaldæi, Assyrij, imo & Malabares à Diuo Thoma edocti, his etiam temporibus habẽt Liturgiam antiqui Patriarchæ Seueri, cõscri-D ptam Syriaca lingua, quæ olim Christo & Discipulis eius in vsu fuit. In hac porro beata Virgo ab iis omnibus inuocatur hac verborum forma, ex Guidonis Boderij interpretatione: Ne accedat malus genius ad cubile meũ, intercessione illius quæ peperit. Paulo ante cum esset habita mentio Virginis, extãt hæc verba: Vt ipsa sit reconciliatrix pro eo, qui ad pcationũ eius auxiliũ cõfugerit. Rursus iidẽ recitantes salutationem Angelicam, huic attexunt: Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus. Amen. Singuli quoque priuatim in hunc modum eam salutant & inuocant: Salue sancta Maria, mater Dei. 3.

Dei, regina cœli, porta paradisi, domina mũdi, pura vnica es ô virgo. Tu concepisti Ieschna absq; peccato: tu peperisti redemptorẽ & creatorem mundi: tu preces auspicare pro peccato meo. Amen. Deniq; post susceptum cibum, gratias Deo agentes, intercessionem huius Virginis sic commemorant: Gloria Deo super bonitatibus suis. Gloria Deo super benedictionibus suis. Gloria Deo qui cibauit nos. Gloria Deo misericordi, qui misertus est omnium nostrum per intercessionem genitricis Dei Mariæ, & omnium Sanctorum in sæculum sæculorum. Amen. An non his perspicuum est prædictos Christianos ab omni æuo, publice priuatimq; diuæ Virgini vota nuncupare solitos, eiusque interuentu, magna sibi à Deo bona & beneficia polliceri?

4. MINIST. Responsabunt Prædicantes, hæc omnia imposturas esse. DOCT. Illis occurram, Danielem Bombergam Venetum hunc librum à Syris ipsis, eorum idiomate conscriptũ accepisse, & hunc ex Colonia misisse Antuerpiam, vbi à Plantino regijs characteribus Syriacis ac Hebraicis excusus est cũ Latina versione 1572. His addam, quod supra dictæ nationes etiamnũ hos ritus sacrorũ in Ecclesiis suis obseruant per vniuersũ Oriẽtẽ in quo dispersi sunt sub Turcarũ, Persarum, Maurorũ, ac infideliũ principum dominatu, vt non solũ ex horũ qui inter eos peregrinati sunt patet relatu, sed etiam ex Dauidis Chytræi viri hæretici testificatione. MIN. Gannient fortasse, Pontifices Romanos isthæc illis præscripsisse. DOCT. Contra excipiã, eosdem Prædicantes alibi ad raucam rauim vsque clamitare, Nullum vnquam ius, nullam authoritatem Romano Pontifici in illas orientales Ecclesias obtigisse: sicque mentitur iniquitas sibi, & veritas inermis de falsitate quantumuis armata triumphat.

L. de statu Eccl.

5. MIN. Doce nunc à minoris Asiæ, & Græciæ Christianis ab antiquo Virginẽ inuocari. DOCT. Iubes me actũ agere. Nam hoc initio probaui ex Liturgijs Basilij & Chrysostomi, quibus adhuc hodie vtuntur, qui degunt in Ponto, Cappadocia, Galatia, Pamphylia, Bythinia, Cypro, Candia, Cycladibus, Thracia, Macedonia, Peloponneso, Achaia, Bulgaria, Seruia, Rascia, Moschouia alijsq; regionibus, quæ Patriarchis Antiocheno & Constantinopolitano subijciuntur. Nam in Liturgia magni Basilij postquam quater facta est honorifica mentio Virginis, quinto sic oratio finitur: Sãctæ & intemeratæ, benedictæ dominatricis nostræ, Dei genitricis & semper virginis Mariæ, & omnium Sanctorum memoriam agamus: quorum postulationibus visita nos Deus. MIN. Quis idonee fideiubere potest, hanc Liturgiam esse ab authore Basilio? DOCT. Præter prædictas gentes, authoritatem interponent trecenti quinquaginta Patres Græci, qui secundo generali Cõcilio Niceno interfuerunt. Itemq; Amphilochius Iconij Episcopus, qui ijsdem temporibus floruit quibus ipse Basilius.

6. MIN. Nihil igitur est quod vltra opponi queat: veniamus ad Liturgiam Chrysostomi. DOCT. Inibi Virgo octies inuocatur: principium, & epilogũ recitare contentus ero. Diaconus canit: Sanctissimæ, incontaminatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ, cum omnibus Sanctis, memoriam agentes, nosipsos inuicẽ, & omnem vitam nostram Christo Deo nostro cõmendemus. Sacerdos ad extremum ita fatur: Domine, dirige nostram viam, & confirma nos in timore tuo omnes. Custodi vitam nostram, stabili nostros gressus, precib. & supplicationib. sanctæ Deiparæ & semper Virginis Mariæ, & omniũ Sanctorũ. MIN. Vt omnis tergiuersatio & scrupulus tollatur, cuperẽ inspicere Græcum exemplar, vt inde iudicarem vtrum Latinus interpres fideliter officio functus sit. DOCT. Fiet illius tibi copia cum voles. Exstat enim typis excusum Parisiis à Gulielmo Morello 1560. Videbis etiam si libet, epistolã Ieremiæ Patriarchæ Constantinop. in qua gratias agit Regi Christianissimo, q eum librum regijs & speciosis characteribus imprimendum, & inde per orbem vulgandum voluerit. Interpres eius Liturgiæ est Erasmus Roterodamus, de cuius fide piaculum est Caluinianis dubitare, cum in Iconibus suis Beza eum inter sectarios suos connumerauerit.

7. MIN. Potes-ne aliquos prisci æui martyres proferre, qui ipsã inuocauerint. DOCT. Irenæus auditor Polycarpi, Ioannis Euangelistæ discipuli, martyrio coronatus sub imperatore Seuero, iam anni sunt feremille & quadringẽti, posteaquã multis præclaris antithesibus ostẽdit nos infinitis modis plura beneficia accepisse à Maria virgine, quam è peccato malis & calamitatibus affecti fuerimus, tãdẽ hac conclusione sermonem concludit: Virginis Euæ virgo Maria facta est aduocata. Quomodo huius peccatricis, & posterorum aduocata, nisi intercedendo pro ipsis & postulando apud filium suum? MINIST. *L. 5. c. 19.*

Præ-

Prȩclárum sanè testimonium, nec magis ab antiquitate venerandum, quam ab authoritate scriptoris suscipiendum: quo quidē testimonio planum fit virginem Mariam pro nobis intercedere, & ob id tanquam patronam & aduocatam inuocari debere. Nec video quid aduersus talem testem Prædicātes possint agere, quem in Gallia temporibus Apostolicis vita, doctrina, martyriique constantia norunt omnes floruisse. DOCTOR. Nihil certe contra illum proferunt præter calumnias & conuitia, quo signo produnt omnibus spiritum vertiginis, & obstinatæ mentis peruicaciam. Centuriatores namq; aiunt, nec probāt, *eum hic incommode locutum*. Gallasius, *cum atroci iniuria Christum affecisse*. Bartholomæus Gaussæus author libri, cuius inscriptio est, *Clypeus fidei*, Caluinianæ nimirum, colophonem impudentiæ imponens, *Dialog. 8.* nō erubescit dicere, *eum fuisse hominem ignarum, pestiferum, & improbum*. Hæc ministralis censura, hæc moderatio, hæc erga sanguinē pro Christo perfusum reuerentia, hęc super doctissimo, antiquissimo, & sanctissimo Apostolorum successore sententia.

8. MIN. Perditis suis moribus blasphematores relinquamus: redeamus vero ad doctrinam pietatemque beatorum Martyrum. *Orat. in hypapante.* DOCTOR. Methodius Episcopus martyrium passus sub Decio & Valeriano, circiter annum ducentesimum quinquagesimum quartum, vota precesque Virgini nuncupat his verbis: O sanctissima Deipara, quæ propter maternum honorem omnibus rebus præstas, ac reliquis ad Deum liberiorem accessum habes, obnixe precamur vt nostri, qui te hymnis decentibus indefesse celebramus, iugem ac perpetuam habere memoriam velis.

9. MINISTER. Sat sit de Martyrum in Virginem pietate & deuotione: dic nunc de priscis Confessoribus. DOCTOR. Magnus ille vnius in Trinitate diuinitatis propugnator Athanasius, magnifica oratione tuetur, Mariam à nobis agnosci vt matrem, coli vt virginem, ac honorari vt Dominam, Reginam, atque Magistram. Tandem illam his *In Euang. de sanctiss. Deipara.* precibus inuocat: Audi filia Dauidis & Abrahæ, & inclina aurem tuam ad preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui, neque nostri qui sumus de familia & domo patris tui. Parentes enim tui sumus secundum generationis rationem, &c. Tandem subijcit: Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo, quæ etiam à partu virgo permansisti, & retribue nobis pro exiguis istis eloquijs, magna dona ex diuitijs tuarum gratiarum, tu quæ gratia plena es, &c. Postremo, recitatis laudibus, & gratulatorijs vocibus, quib. eam ad cœlos euntem prosecutæ sunt Angelorū hierarchiæ, tales ei preces concipit: Exultamus magna & canora voce dicentes: Aue, gratia plena, Dominus tecum. Intercede hera, & Domina, & Regina, & mater Dei pro nobis. Siquidem genus à nobis trahis, & qui ex te natus est Deus caro factus, est Deus noster.

MIN. Quid si pro solenni impudentia hoc non esse scriptum Athanasij Prædicantes dixerint? DOCT. Ab istis pedaneis iudicibus ad tribunal antiquorum Grȩcorum prouoco, nimirum Glycæ, Nicephori, Damasceni, Procli, qui prædictum sermonem eidem tribuunt, & laudant nomine Athanasij: quibus grauissimis authoribus conuicti tenentur, tametsi non conuertantur. 10.

MIN. Dum Alexandriæ sumus, dic si eiusdem loci Patriarcha Cyrillus Virginem inuocauerit. 11.

DOCT. Historia Ecclesiastica refert, oblatam ei fuisse visione speciem Virginis Mariæ pro se intercedentis, vt errata quæ cōtra pijssimum Chrysostomum admiserat, ipsi condonarētur: ex quo tempore tantum zelum & affectum religionis erga eandem Virginem præ se tulit, vt nihil dici possit vltra. *Niceph. li. 14. c. 28.* Rem ipsam authorem dabo. Nam in Concilio Ephesino cui nomine Leonis Papæ p̄sedit, graui censura notauit Nestorium, & totam manum eius diuæ virginis inimicam: imo coram vniuerso Patrum cœtu, eximias in eius honorem conciones habuit. Proferam verba ex interprete, quibus in vna quadam earum vsus est. *Hom. 6. apud Cyrill. Concil. antem tom. 6. c. 6.* Salue S. Deipara, inquit, eximium totius orbis decus & ornamentū. Salue lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum rectæ doctrinæ, templū indissolubile. Aue locus eius qui loco capi non potest. Salue mater & virgo, per quam is benedictus in Euangelio nominatur, qui venit in nomine Domini. Salue virgo, per quam sancta Trinitas in vniuerso orbe glorificatur & adoratur, &c. Per quā vniuersa creatura idolorum vesania detenta, ad veritatis cognitionem perducta est. Per quam tot terrarum orbe fundatæ sunt ecclesiæ. Per quā gentes adducuntur ad pœnitentiam, & cæt. MIN. Magna & heroica sane Virginis elogia, cum testificatione beneficiorū, quæ per ipsam humano generi contingunt. Eadem

laudum encomia pronunciata in eo Concilio, quod Caluinus, Beza, Prædicantes eorū, magno se honore & obseruantia complecti profitentur. Institutum persequere.

12. DOCT. Gregorius ob summam rerum diuinarum peritiam cognomento Theologus, ac D. Hieronymi præceptor, refert historiam omni memoria dignam, quæ toti generi humano satis patefacit, quam vtile & salutare sit beatiss. Deiparam in cunctis periculis & afflictionibus implorare. Narrat virginem Christianam nomine Iustinam, non minus forma corporis venustam, quam animi dotibus insignem, cum ei quidā fornicator auxilio dæmonis adiutus vim adferre pararet, ab imminenti periculo liberatam fuisse. Nam virginem Mariam suppliciter & feruenter obsecrauit, vt periclitanti virgini ferret auxilium, &c. quod quidem cū dicto impetrauit, adeo vt dæmon deuictus fuerit, virgo liberata, Magus qui vitium intentabat ad Christum cōuersus, pro quo martyrium etiam postea subiuit. MIN. Hæc quidem historia manifesto argumento est, ante tempora eius, id est, sæculis beatorum Martyrū, Virginem inuocari solitam, idque magno vsui & omnium emolumento: sed hoc scire expetebam, vtrum is docuerit eam pro peccatoribus exorare, & vtrum idem ipse eius opem aliquando imploraret?

Orat. in laudem Cyprian.

A B C D

13. DOCT. Vtrumque plane. Ac primum quidem in Tragœdia Christi patientis inducit eam Petrum post negationem hortantem, & pro ipso apud filium intercedentem.

Quid Petre luges? Triste, dirumq; id quidem
Quod perpetrasti, non tamen venia excidit.
O Nate care, ô Nate mi, ô Verbum Dei
Peccare cum sit insitum homini, ignoscito,
Quod Petrus in te admisit. Admissum id metu
Turbæ ingruentis, & frementis turbidum.

MIN. Mira certe huius sanctissimæ matris pietas, mira charitas, qua & peccatores hortatur ad resumendos animos in Deum: & non solum peccata eorum eleuat, sed & vt remittantur intercedit.

14. DOCT. Postquam autem descripsit Dominum matris suæ precibus exoratum ignoscere Petro: sic ipsam pro semetipso orat & obsecrat:

Benigna adesto vocibus meis: preces
Admitte, virgo, &c.
O puella gratia
Aequanda nullis, mater, & virgo supra
Omnes decora virgines, & maxima.
Quæ vincis omnes sola cœlitum ordines,
Regina, domina, generis humani bonum,
Amica semper esto tu mortalibus,
Maximaq; quouis in loco mihi salus, &c.

Hic quidem expressa est viuis coloribus suis intercessio pro peccatoribus, & inuocatio matris Dei, à doctissimo & vetustissimo Theologo, nihil vt apertius desiderari possit. Profer nunc alium.

15. DOCT. B. Ephrem Edessæ in Mesopotamia Archidiaconus, cum Magno Basilio familiaritate iunctus, tantum in Oriente nomen meruit, vt post sacra Biblia libri eius in Ecclesijs publice legerentur. Is hasce preces beatissimæ virgini nuncupat: Tu peccantiū, & auxilio destitutorum adiutrix. Tu portus procella vexatorum, solatium mundi, carcere clausorum liberatrix, orphanorum susceptio, captiuorum redemptio, ægrotantium exultatio, & omnium salus. Tu es honos & corona virginum, ô virgo, domina, princeps, regina, nobilissima, purissima, ter quaterque benedicta. Postea sic preces continuat: Sub alis custodi me, & protege. Miserere mei qui sum luto inquinatus peccatorum, quique multis criminibus creatorem ac iudicem meum offendi. Tu es portus meus, ô virgo intemerata, tu firmum præsidium meum. Totum me trado tibi, & tuæ committo fidei. Frequentibus lachrymis te obtestor, ô mater inclytissima: prosterno me coram te, domina & magistra optima: teque precor ne filius author & dator vitæ, perdat animam meam, nec leo rugiens deuoret me, &c. MIN. O quantum horum veterum sanctorū Patrum pietas distat à Caluinianorum & Hugnosticorum manifesta impietate! Sed perge quæso te illorum nobis religionem ad imitandum exponere.

Hieron. in catal. Ser. de laudib. Mariæ.

16. DOCT. Gregorius qui Nicomediensi præfuit Ecclesiæ, sic eandem Virginem Deiparam alloquitur: Te Christianorum multitudo murum habet firmissimum: per te fideles Reges arma tenent valida, per te consequūtur trophæa victoria. Præbe ergo manum laborantibus, opem feriis qui agitantur tempestatibus, seda bellorum fluctus, &c. MIN. Et hæ apertæ feruentesq; ad Virginem preces, simulque consequentes illarum fruct⁹. Sed quid hoc sermone designatur, quod de Regibus commemorat, eos per Virginem arma valida tenere?

Orat. de zona Deip.

17. DOCT. Notantur res gestæ, quæ referuntur in historijs Ecclesiasticis de Narsete duce Græcorum exercituum, quem nunquam prælij fortunam periclitatum esse ferunt,

Niceph. l. 17. c. 13.

runt, nisi prius inuocata Virgine, sumptoq; A ex ea certo augurio futuræ victoriæ: quæ res
Paul. Diacon l. 18. hist. long. ei crebro feliciter cessit sub imperio Iustiniani. Consimile factũ memorant de Theodoro Heraclij Imperatoris fratre, qui sępius parua manu copias ingentes barbarorum fudit sequestra & mediatrice Virgine, cui impendio deuotus erat. Multis alijs rerum argumentis, & fœlicibus euentis, imo euidentibus miraculis comprobatum est Deo gratam & acceptam fuisse pietatem eorum, qui sanctissimam Christi matrem cultu ac religione sunt prosequuti.

18. MINIST. Ne graue sit aut molestum tibi, quæso, quædam miracula recensere, quæ B Christus matris precibus adductus, in vniuersum genus humanum contulit. Etenim si hoc modo & argumento non conuertentur in hæresibus obstinati, saltem in pio proposito firmabuntur electi. DOCT. Ioannes sacrorum Ierosolymorum Patriarcha, ante
In vita S. Damasce. multa sæcula Græco sermone conscripsit D. Ioan. Damasceni vitam & gesta, & hunc Ioan. Oecolampadius minister Sacramentarius in Latinam linguam conuertit. Illic memoria proditur, desectam fuisse huic sancto doctori manum dextram à deluso falsis delationibus Tyranno. Is amputatam manũ leua tenens cum precibus ac gemitu, C prostratus corã imagine Virginis sic orauit: domina & castissima mater, quę Deũ meum peperisti, diuinarum imaginum causa, dextra mihi manus amputata est. Celerrime accurre, ac manui meæ medicinam adhibe. Dextera excelsi quæ ex te incarnata est, per tuam intercessionem virtutes multas effecit. Tuo itaque rogatu meam quoque dextram, obsecro, sanet, vt tuas filijque incarnati laudes modulato concentu literis consignet. Potes enim quidquid lubet, vt Dei mater. Finita oratione lapsus est in somnum, eique se obtulit per quietem Virgo, manui medicinam adhibens: expergefa- D ctus eam sanatam locoque restitutam reperit. Miraculum per vniuersam Damasci ac Syriæ regionem disseminatur, non sine iconoclastarum dedecore, magnaque piorum ædificatione.

19. *Serm. in Natiu. B. Mariæ.* MIN. Hoc accepto munere, quanto putas animi & cordis ardore laudes eius postmodũ celebrauerit? DOCT. Sic eam in fine cuiusdam concionis alloquitur: Tu sacerdotum gloria, Christianorum spes, virginitatis feracissima planta. Qui Dei genitricem te confitentur, benedicti sunt: & qui inficiantur, maledicti. O Ioachim & Annæ filia, ac domina, peccatoris orationem à me accipe, ardenter tamen amantis ac colentis, teque solam gaudij spem habentis, vitæ antistitem, in gratiam cum filio me reducentem, firmamq; salutis arram. Peccatorum sarcinam discute, idque quod menti meæ tenebras offundit, ac terrenam crassitiem dissipa. Tentationes comprime, pie ac sancte animam meam guberna, atque ad cœlestem beatitudinem, fac, te duce, perueniã.

MIN. Quando autem modulato concentu, vt repromiserat, laudes eius consignauit? DOCT. Inter plurima cantica, quibus honorem eius extulit, vnum his verbis contexitur. 20.

Tu dirigito nos,
Via pœnitentiæ,
Declinantes semper
Ad malorum deuia,
Ante plusquam benignum,
Exacerbantes Dominum,
Innupta Virgo,
O Maria benedicta,
O refugium
Hominum desperatorum,
O Dei tabernaculum.

Postea:

Guberna ô casta
Miseram mentem meam,
Eam miseratus,
Copia peccatorum
In profundum prolapsum,
Interitus ô intacta:
Et in hora me
Terribili duræ mortis
Tu eripito
Accusanti dæmoni,
Cunctoque supplicio.

Postea rursus:

Dei nos te matrem,
Esse cuncti nouimus,
Quæ vere post partum
Virgo apparuisti.
Inde pie confugimus
Ad benignitatem tuam,
Nam te habemus
Peccatores aduocatam.
Te possidemus
In periculis salutem
Quæ sola es intacta, &c.

Hæc ex lectissimis versibus Græcis Latine ad verbum reddita: quibus laudes Virginis celebrat, suppliciter illam inuocat, & interpellandam nobis proponit.

21. MINIS. Ista sanctorum Patrum Graeco- A rum triga mihi pro tribus millibus abunde satisfacit. Etenim ex his euidenter perspicitur non modo hunc Patrem, sed omnes etiam, qui ipsum in Oriente præcesserunt, summa obseruantia & religione Virginem Mariam complexos fuisse, laudes eius decantasse, & ea intercedente, multa beneficia Deo accepta Deo retulisse. Quibus ex rebus rite colligo, buccinatores Caluinisticarum opinionum totius antiquitatis aut ignaros, aut infestos hostes esse. Primum, quod hanc beatissimam Virginem fœdis criminationibus postulant, quæ iam antea commemorauimus: cum è contrario Patres omnes illam B certatim vt immaculatam & purissimam celebrent. Deinde, quod splendidis mendacijs vndequaque profluunt, cum Melanthonem sequuti, aiunt: *Neminem verba fecisse de inuocatione Sanctorum ante Papam Gregorium: aut Petrum Gnapheum, qui Zenone Imperatore, mundo per hæresin innotuit.* Nam authores ante citati, si vnum duntaxat exceperis, longe vtroque vetustiores & æuo antiquiores fuerunt. Tertio, quod aduersa fronte aduersus Spiritum S. confligunt, cum se objiciunt consensui tot populorum ac nationum, qui non potest nisi à spiritu Dei promanare, qui habitare facit vnanimes in domo. Denique, C quod confiteri coguntur, inuocationem Virginis esse doctrinam Apostolicam: aut

Cal. instit. l.4.c.2 §.3. ipsi Caluino reclamare profitenti religionem Christianam & doctrinam Apostolicam per vniuersum orbem terræ puram & integram floruisse ijs temporibus, quibus prædicti patres vixerunt. Et quoniam vim plenissimæ probationis habet consensio cōspiratioq; totius orbis Ecclesiarum: pertexe quæso, quæ exorsus es de Græcanicis, post ad alias accedemus.

22. Tr.2.Concil.p.402. DOCT. Constantinus Imperator Iustiniani prædecessor, in Concilio generali Cōstantinopolitano, coram Patribus protesta- D tus est, se certam salutis spem in intercessionibus Deiparæ Virginis repositam habere. Quin & ante illud tempus, sub Phoca & Bonifacio, templum Romæ (cui nomen Pantheon) memoriæ Virginis & omnium Sanctorum dedicatū fuit. In conciliabulo Constantinopolitano quod sub Leone Copronymo congregatum est, Orientales Episcopi quanquam in alijs aberrarent à vero, illic

Definit.15. recte definierunt: Si quis non cōfitetur sanctam semper virginem Mariam proprie & vere Deiparam: & cum sincera fide eius intercessiones, tanquam quæ ad libertatem apud eum qui ex se genitus est, Deum habeat, non postulauerit Anathema. MINIS. Caluinus certe & congerrones eius nō possunt hanc definitionem Concilij recusare, cum illud in cæteris probent, summūq; deferant honorem, & pro causa sua citent aduersus Catholicos.

DOCT. Frequens illa pastorum concio, 23. quæ ex toto Oriente in secundum Concilium Nicenum conuenit, publice legerunt, & suffragijs firmauerunt istam Tarasij patriarchæ orationem: Precor Deum, vt in- Act.3. tercedente Maria virgine, diuturnum vlcus curet, & in sincera fide omnes confirmet, & sanctam Ecclesiam custodiat. Iidem patres mutuis admonitionibus hortantes sese ad pietatem sic exclamant: Cum timo- Act.6. re Dei omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ, & semper virginis dominæ nostræ Mariæ. Item sanctorum Angelorum, & omnium Sanctorum. Rursus iidem patres comprobant vocem Basilij Amyrani Episcopi, supplicantis Act.1. virgini Mariæ, vt sanctitatis eius particeps fiat. Necnon Theodori Amorensis, qui in omnibus negotijs suis auxilium, protectionemque per intercessionem eiusdem Virginis implorat. Postremo, amplectuntur hanc beati Germani Patriarchæ Constantinopolitan. professionem: Ancillam & ma- Act.6. trem Christi vere progenere nostro intercedentem, ita vt Dominus quidem noster salutem dispenset, illa vero materno affectu pro nobis poscat, agnoscimus, &c. Nunquid tibi faciunt satis tot tantique patres ex antiqua Græcia, qui summo consensu Virginem inuocant, Virgini supplicant, & eam suis exemplis in auxilium aduocandam docent? An etiam ex recente Turcogræcia authoritates quæris? Hugnosticis plane non debent esse suspecti: quandoquidem qui nunc sunt Græci Romano Pontifici non obtemperant, sed cum quibusdam Lutheranis aduersus eum conueniunt, vt ex eorum mutuis quibusdam rescriptis apparet, quæ Græco & Latino idiomate Basileæ excudenda curauerunt.

MIN. Proderit scire quænam sit eorum 24 etiamnum hodie sententia: & si hac saltem in re in vestigijs maiorum permaneant.

DOCT. Theodorus Zygomalas primus Turcogræcia p.85. Patriarchæ Notarius, in quadam ad Marti- 86. num Crusium Epistola copiose recitat, quod cum Constantinopolis à Tataris & Per-

sis

fis semel obsessa fuerit: deinde miraculose liberata per intercessiones virginis Mariæ, ad cuius auxilium implorandum ciues & incolæ confugerant. Nam terrestres copiæ barbarorum (inquit) à Romanis militibus ad internecionem redactæ sunt, nauales fluctibus ac vi tempestatis perierunt: Diuæ Virginis intercessione, lachrymis populi ad misericordiam commotæ.

25. Emmanuel Malaxus, è Peloponneso (nunc Morea vocatur) natus, in historia Patriarcharum qui Constantinopoli fuerunt, postquam vrbs in potestatem Turcarum deuenit narrat Græcos in summum discrimen adductos fuisse perdendi omnes Ecclesias sub imperio Sultani Solymanni: quo quidem tempore Patriarcham Ieremiam iuisse ad ædem Virginis, ibique coram eius imagine genibus prouolutum, cum vberibus lachrymis ac precibus impetrasse, vt eius interuentu sacra templa ab excidio vindicarentur. Cuius beneficij nomine supplicationes decretas fuisse, habitasque gratias Iesu Christo, & gloriosissimæ matri eius, quæ est vera spes & anchora Christianorum.

L. 1. Turcogræcia. pa. 157. 163.

26. Postea, Ioannes Zygomalas Theodori superioris successor, graui morbo perculsus, implorata ope sanctissimæ Dei matris, valetudini restitutus est, vt idem ipse scribit Epistola ad Crusium, &c. Statim post adiicitur Epistola scripta ab Eugenio Abbate montis Sinai, ad Maximilianum Romanorum Imperatorem, in qua omnium suorum nomine, agit ei gratias eleemosynarum ergo, quas ipsis miserat: testaturq́; suam & suorum fidem his verbis: Nos miseri spem alibi firmam nullam habemus, nisi in Domino nostro Iesu Christo, eiusque sanctissima matre, & sanctæ domus Austriacæ potenti auxilio. Est ibi & Epistola quam mittit Stamatius presbyter insulæ Scyronis ad Theodosium Zygomalam, vbi eo consalutato, dicit: Oro Deum interuentu precum sanctissimæ Deiparæ, vt tua dominatio valeat tum animo tum corpore, &c.

L. 3. Turcogræcia, pa. 220.

Ibi. pag. 262.

L. 3. pag. 315

27. Postremo, Ieremias nouissimus Patriarcha Constantinopolitanus, in principio primæ Responsionis suæ ad ministros Germanicos: ita Virginem Mariam inuocat: precemur autem Deum, & beatissimam matrem eius, vt illud vos exhilaret, &c. Rursus in fine Responsionis sic scribit: Ad Sanctos exclamamus, & ad Dominam nostram: Persancta domina Deipara, pro nobis intercede peccatoribus. Denique respondens ad secundum Ministrorum scriptum, & eorum errorem aduersus Sanctorum inuocationem refellens, his verbis vtitur: Sanctam Deiparam vt Deam (apage) sed vt proprie & vere Dei matrem, honore afficimus, &c. Qui enim martyrem honorat, Deum honorat: & qui matrem Filij, ipsum Iesum sine controuersia, &c. Quanquam enim dicimus, Sancte Ioannes intercede pro nobis: &, sanctissima Deipara: &, sancti Angeli: tamen omnes inclamamus: Domine potestatum, miserere nostri, &c. Confirmat sententiam superiorem Scripturarum authoritatibus, deinde testimoniis sanctorum Basilij, Nazianzeni, & Damasceni. Denique citat Cyrillum, qui commentariis in Danielem, tradit, Angelos, ac potissimum beatissimam Iesu matrem intercessuram olim pro compluribus in die iudicij, &c. Nunquid iam ex iis satis liquet tibi, Virginem esse memorem nostri in cœlis, nobis bene precari, & Deum eius intercessionibus, confugientibus ad opem eius multa bona impertiri? An adhuc deliberandum censes?

Pag. 15. Pag. 128. Pag. 144. 145. 146. Pag. 147.

MIN. Equidem omni sensu ac iudicio priuatus essem, nisi tot eruditis ac sanctis testibus, tum antiquis, tum recentioribus, eadem fide ac doctrina contestantibus Virginem omni tempore inter Græcos cultam & inuocatam fuisse, penitus acquiescerem. Cedo nunc quid super hac re credant Rusi & Moschouitæ Christiani, vt videamus an populi illi Septentrionales cum Orientalibus fide concordent. DOCT. Ioannes Lasitzki minister Sacramentarius Polonus, in Lib. cuius inscriptio est, *Theologia Moschouitica*, Spiræ excuso, an. millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, recitat colloquium Ioan. Basilij magni Moschorum Ducis, cum Rohita ministro hæretico Bohemo, ibi testatur hunc Moschorum Principem voce primum nuncupasse, deinde scripto complexum ea quæ sequuntur: Matrem gubernatoris omnium, rectricem, reginam, Deiparam, confidentia materna apud Filium pollentem, defectus nostros eius gratia supplentem, pro vniuerso Christianorum genere orantem, illudque protegentem, inuocamus, auxilium ab ea imploramus, ac vt nobis veniam peccatorum, salutem, dulcemque futurorum bonorum possessionem à suo nato impetret, rogamus. In fine autem Colloquij hæc rursum pronuntiat: Purissima genitrix Christi est mediatrix salutis hominum, ac per eam placatus est nobis 28.

Pag. 42. 43 Pag. 150.

bis Deus: quapropter ante signum eius procumbimus. Hæc sunt quæ præco Sacramentarius prædicat de fide ac doctrina Russorum circa hunc articulum. Hæc Septentrionis cum Oriente consensio. A

29. Quæ rursum in eodem Libro confirmat,
Pag.174. addito Tractatu Ioannis Fabri, Ferdinandi Imperatoris confessarij, in quo sic de iisdem Russiæ populis loquitur. Magna est illis reuerentia virginis Mariæ, crebris quidem orationibus, veluti Christi mater pro intercessione apud filium rogatur. Adiicit post-
Pag.236. ea schedium ab Anonymo missum ad Dauidem Chytræum Lutheranum præconem, vbi scriptum exstat: Homilias Chrysostomi, Basilij, Gregorij Nazianzeni ex Græco conuersas, & manuscriptas habent (Moschi) cum preculis quibusdam ad bea- B
Pag.241. tam Deigenitricem. Paulo post: Catechesi nulla vtuntur, sed preculas ad beatam Virginem, & Diuum Nicolaum in libris descriptas pueris proponunt. Atque hæc est fides gentis Hyperboreæ, hæc religio super inuocatione Virginis, iis quæ obtinent in Oriente apud Græcos, Asiaticos, ac Syros consentanea: eaque recitata descripta, & euulgata in orbem per eiusdem pietatis aduersarios, ne quid à Catholicis confictum putare aut dicere valeant Hugnostici. Quæ iam de his tua mens est? MINIST. Talis profecto a- C nimorum consensus inter populos linguis, moribus, legibus, ac terris tam dissitos, non aliunde quam à Deo proficisci potest, cuius numine inspirantur, vt sic vnanimiter, constanter, ac reuerenter inuocent matrem Domini nostri. Quapropter quicunque huic se doctrinæ interponent, cum Spiritu sancto gigantum more bellabunt: qui eam reprobabunt, ipsum Spiritum sanctum condamnabunt: & qui eam amplexabuntur, eundem Spiritum sanctum suffragio suo comprobabunt.

30. DOCT. Ecquid tum dicturus es, cum D euidenter docuero, cunctas in orbe Latino Ecclesias eandem fidem ac doctrinam tenuisse? Indubitata fide credam huiusmodi consensum traditionem esse sanctorum Apostolorum, quorum vox & praxis per omnes mundi Ecclesias sic diffusa fuerit. DOCT. Ordiar ab Africa, producamque in primis celebrem illum Theologum Augustinum, publica concione coram tota Ecclesia pronunciantem, deinde posteris tra-
Serm.2.de Annunc. dentem has ad virginem Mariam preces: Sancta Maria, succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu, sentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam sanctam commemorationem. Idem libro Meditationum, (Danæus in Enchirid. Augustini) quem Geneuenses suspectum fœtum habere nequeunt, cum eundem pro seipsis laudent & probent: ibi Deum per Virginem sic interpellat: Pie & misericordissime Domine, ne Cap.35. efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea: sed propter bonitatem tuam suscipe preces serui tui, & da mihi effectum petitionis meæ, intercedente, orante, & impetrante gloriosa virgine genitrice tua Maria Domina mea, cum omnibus Sanctis tuis. Amen. Capitulo proximo easdem preces re- Cap.36. petit atque confirmat. Deinde, sic eam inuo- Cap.40. care pergit: Sancta, & immaculata virgo Dei genitrix Maria, & mater Domini nostri Iesu Christi, interuenire pro me digneris apud illum, cuius meruisti effici templum. Acne Ministri responsione idonea destituti ganniant eum sibi minime constare, ecce sic rursum eandem Virginem compellat: Accipe quascunque exiles, quascunque meri- Serm.35. de sanctis, qui est .. de Assumpt. tis tuis impares gratiarum actiones: & cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis gratiam raconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus: accipe, quod offerimus: impetra, quod rogamus: excusa, quod timemus, &c. Et non multo post: Sit tibi compassio super afflictis, sit pius affectus super cœlorum peregrinis. Et cum te lætantem semper aspicis, fletus nostros quæsumus, ipsa ad Deum admittas, eumque vt proprium filium pro nobis interpelles. Postremo, & singulos & vniuersos ad consimilem pietatem adhortans, ita concludit: Inter hæc igitur Fratres, cum toto mentis affectu beatissimæ Virginis nos intercessionibus committamus, omnes eius patrocinia imploremus: vt dum nos supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cœlis. En supplicationes & preces, en sermones & adhortationes, en formulæ & exempla Dei matris inuocandæ, quæ ante mille & ducentos annos, eximius Antistes ille dictabat: quo tempore Caluinus fatetur doctrinam Apostolicam in vniuerso terrarum orbe adhuc integram & intemeratam floruisse. Quid tu iam meditaris?

MINI.

31. MINIS. Incredibili voluptate afficior, A cum audio quid de re proposita senserit & docuerit tam eximius ac eruditus pater: incendorque mirabili zelo ac deuotione erga sanctissimam Dominam meam, & matrem Domini mei IESV. Sed & cum tanti viri exemplum attentius considero, non possum satis mirari, vel potius miserari miserabiles illos Caluinolatras, qui tot conuicti testimoniis, imo & authorum suorum condemnati sententiis, nihilominus obstinatis animis in errore perseuerant. Non dubito vero quin omnes alij Africani doctores cum Augustino consenserint. DOCT. Hoc B ipsum vel vno Fulgentio, qui circiter annos sexaginta post eum floruit, facile colliges. Sic enim omnes, fœminas præsertim ad cultum & inuocationem Virginis inuitat: Sermone de laudibus Mariæ. Venite virgines ad Virginem, venite concipientes ad concipientem, venite matres ad matrem, venite lactantes ad lactantem, venite iuuenculæ ad iuuenculam. Ideo omnes istos cursus naturæ virgo Maria in domino nostro Iesu Christo suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret, &c.

32. MINIST. Breuis nec difficilis traiectus est ex Africa in Hispaniam. Demus ergo ve- C la ventis, & perlustremus ea loca, vt sciamus an illic quoque reperiantur, qui Virginem inuocauerint.

DOCT. Iam anni sunt amplius nongenti postquam Hildephonsus Archiepiscopus Toletanus illustre specimen dedit, quam obnixe gens illa Virginem honorandam & inuocandam asseruerit. Has enim preces ad eam dirigit: O Domina mea, mater Domini mei, ancilla filij tui, te rogo, te oro, te quæso, habeam Spiritum domini tui, vt de te vera & digna sapiam & loquar. Postea: Nunc venio ad te, sola virgo mater Dei, procido co- D ram te, rogo te, vt obtineas deleri facta peccati mei, vt facias me diligere gloriam virtutis tuæ, vt reueles mihi multitudinem dulcedinis filij tui: concedas mihi adhærere Deo & tibi, seruire filio tuo sicut factori meo, & tibi sicut genitrici factoris mei. Iam audi quomodo in Epilogo cuiusdam concionis gregem suum ad eius inuocationem cohortetur: Exaltata est sancta Dei genitrix, non solum quia humilis inuenta est: verumetiam ineffabiliter gratia repleta est. Quam deprecantes veneramur, & venerantes deprecamur vt ipsa pro nobis intercedere dignetur apud Dominum nostrum Dei filium, quem de se genuit incarnatum. Easdem hortationes & preces continuat in fine quarti Sermonis, & in Sermone quinto adfert authoritates Hieronymi, Ambrosij, & poetæ Sedulij ad eundem scopum collimans. Sexto denique Sermoni hunc epilogum imponit: Iam ergo ad eam preces & vota vertamus, opem intercessionis eius poscamus singuli, poscamus omnes. Oremus vt sit protectrix in prosperis, submoueat noxia, suggerat profutura, admittat preces supplicantium intra sacrarium Diuinitatis: nobisque impetret consortium suæ beatitudinis. MIN. Contentus hoc Catone, qui mihi magni agminis instar est. Nunc tendamus in Italiam.

(L. de virginit. S. Mariæ, c. 1. Cap. 12.) (Serm. 2. de Assumpt.)

DOCT. Omittam igitur Sermonem eius de Purificatione, primum & secundum de Natiuitate eiusdem Virginis, vbi eam inuocat, & omnes ad deprecandam eam inuitat: vt ad Ambrosium, Orat. 2. præparat. ad Missam, Mediolanensem Præsulem veniam. Hic abhinc annis mille trecentis, cum ad Missam celebrandam accingeretur, sic opem eius implorabat: Beatæ Mariæ virginis suffragia peto, Apostolorum intercessionem imploro, Martyrum preces deposco, &c. Adeoque certum est hoc testimonium esse Ambrosij, vt illud fateri coacti fuerint Centuriatores, Cent. 4. columna ducentesima nonagesima sexta. Idem in præfatione Liturgiæ quæ etiamnum hodie in Ecclesia Mediolanensi vsurpatur, sic publicitus eam inuocabat: Vere dignum & iustum est in huius diei veneranda festiuitate gaudere, in qua sancta Dei genitrix mortē subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Dominum nostrum genuit de se incarnatum. Et de ipsa illico: Cuius intercessione quæsumus, vt mortem euadere possimus animarum. Postea in eiusdem Liturgiæ canone hæc continentur. Cōmunicantes, & memoriam venerantes in primis gloriosæ semperque virginis Mariæ, genitricis Dei ac Domini nostri Iesu Christi, sed & beatissimorum Apostolorum, & Martyrum tuorum, &c. quorum precibus, meritisque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Sic autem benedicebat populo suo: Subueniat Domine, plebi tuæ Dei genetricis oratio: quam & si per conditionem carnis migrasse cognouimus, in cœlesti tamen gloria pro nobis orare sentiamus. Easdem preces persequitur in consecratione Eucharistiæ, & in Oratione post communionem? Ad hæc, 33.

in Li-

in Liturgia quæ celebratur die Assumptionis, idem genus precationis concipit in oblatione, ad populum, & post communionem, vt iam dubitare fas non sit, quin hic antiquissimus, doctissimus, & sanctissimus author, impenso cultu & pietate benedictam Dei matrem sit prosecutus. MIN. Ex quo fonte deriuas hæc testimonia?

Vide Liturgica Pamely. DOCT. Ex Liturgia (id est, ex solemni ritu celebrandæ Messiæ) quam Mediolani seruabat, sicut & hodie illic asseruatur curiose in libris manuscriptis, continuumq; in ea Ecclesia tenorem retinuit ab eius tempore ad ætatem vsque nostram: quæ & tandem eadem typis excusa, & diuulgata sunt, superioribus annis. *Coloniæ, 1571.*

34. MIN. Ecquid potes adferre in hanc rem à Diuo Hieronymo? DOCT. Siquidem decretum est tibi Dalmatiam cum Italia cõiungere, aio satis explicate doceri ab illo Virginem Mariam veram matrem & aduocatam virginem, quibus opitulari sedeat etiam in ipso mortis articulo, cum sic Blesillam vita functam, cum sua matre adhuc viuente loquentem inducit: Putas me esse solam? Habeo pro te Mariam matrem Domini. Deinde, magnifice extollens obitum Eustochij Virginis, quæ soror erat supradictæ Blesillæ, sic fatur: Qualis erit illa dies, cum Diua Maria mater Domini choris occurret comitata virgineis? Adhuc dilucidius exponens in aliena persona suam sententiam, ita discipulum suum Sophronium de Virgine pronunciantem facit: Sermone de Assumptione beatæ Mariæ. Sola est post Deum, quæ nos confirmet in omni veritate, suisque commendet meritis, & precibus auxilietur, vt & ipsi digni inueniamur in eius laudibus. Concionem sic claudit: Hanc imitamini moribus, sequimini castitate, huius implorate auxilium, & cætera. *Epist. ad Paulam.* *Epist. ad Eustoch.* *Serm. de Assumpt.*

35. MINIST. Quid præterea doctum & antiquum ex Italia citare potes, vnde hæc Virginis astruatur inuocatio? DOCT. Auctorem habeo Gregorium, qui ante mille annos edicit vt in Ecclesia cantetur ipso Annunciationis factæ ad virginem die: *Vultum tuum deprecabuntur, &c.* idque cui titulus est, *Antiphonarius*, quem genuinum, & non suppositítium Gregorij fœtum agnoscunt non modo prisci authores illi Ioannes Diaconus, Vvalafridus, Amalarius, Micrologus, & Ionas Aurelianensis: sed & recentiores hæreticorum tres viri Illyricus, Vvigandus, & Iudex, Centuriæ sextæ, colum. sexcentesima septuagesima nona, ferruminatores. Deinde, in magnis Litaniis, inter alias solennes preces etiam hæc oratio, illius constitutione, refertur: Pagina centesima vigesima quarta. Saluator mundi, salua nos omnes. Sancta Dei genitrix virgo semper Maria, ora pro nobis. Item in libro cui nomen indidit, *Sacramenta*, recitans Canonem Missæ, qualem nunc habemus ibidem duas Virginis inuocationes complectitur, è quibus vna incipit, pagina centesima octuagesima, & centesima octuagesima tertia, *Communicantes, &c.* altera: *Libera nos quæsumus Domine, &c.* Rursus semel eam inuocat, pagina ducentesima decima, sumpto exordio ab his vsitatis precationibus, Deus qui de beatæ virginis Mariæ vtero, pagina ducentesima vndecima: quater eam implorat: pagina trecentesima vigesima nona, bis: pagina trecentesima trigesima, quinquies: pagina trecentesima trigesima prima, quater: pagina trecentesima trigesima sexta: ter: Postremo, pagina trecentesima trigesima septima: eidem istas preces nuncupari præcipit: Adiuuet nos quæsumus Domine, sanctæ Mariæ gloriosa intercessio, cuius etiam diem, quæ felix eius est inchoata natiuitas celebramus. Per Christum, &c. *Pag. 81.*

MIN. Equidem tam admiror constantiam & pietatem horum veterum & sanctorum hominum in honoranda & deprecanda diua Virgine, quam ex animo detestor obstinationem atque impietatem horum Prædicantum, qui in contraria nituntur. Idem Gregorius iubens celebrari magnas Litanias in Christianis Ecclesiis, easque Romæ prius obseruans, septem ordine processionibus indictis vniuerso populo Romano, qui misericordiam à sancta Trinitate peteret, ac deinde Virginis auxilium implorarет, dicendo: Sancta Maria, ora pro nobis. Sancta virgo virginum, ora pro nobis. Sancta Dei genitrix, ora pro nobis. Is inquam, copiose demonstrauit, quantopere Diuam Virginem omni cultu ac religione prosequendam esse putaret, & summa ope studuerit, vt vniuersa gens Christianorum in rebus aduersis ad eius opem & auxilium implorandum confugeret. 36. *L. 2. ep. 1. L. 11. ep. 1. Vvalafrid. Paul. Diac.*

MIN. Sed forsan in eiuscemodi Leitaniis solummodo cantabatur, *Kyrie eleison*, ad implorandam Dei misericordiam: nec Virginis, Sanctorumque suffragia inuocabantur, vt hodie mos viget. DOCT. Iam recens contrarium audiuisti ex relatu eiusdem Grego- 37.

Gregorij. Scribit enim cantari solitum fuisse: Sancta Dei genitrix, virgo semper Maria, ora pro nobis. Præterea, primum Aurelianense Concilium habitum in Gallia sub regno Clodouei, primum Moguntiacum sub Carolo Magno, quintum Toletanum sub rege Chintilla conuocatum, vna voce comprobant vsum earundem Leitaniarum, easque vocant inuocationes Sanctorum, quales sunt quæ in omnibus Catholicis ecclesiis hodierno die vsurpantur. Quid amplius requiris?

Cap. 29. Cap. 33. Cap. 1.

38. MIN. Hæc quidem, fateor, animum propriæ salutis percupidum satis superque conuincunt: sed quia recepisti te ostensurum hanc traditionem datam fuisse ab vniuersa Christianorum gente, Germanos coniunge Italis & Hispanis, vt intelligamus an & illi quoque Virginem inuocandam existimarint. DOCT. Quoniam magna pars eorum ante tempora Caroli Magni Christianam religionem ignorauit, dabitur illis hæc gloria, vt etiam Virgini cultum detulisse probentur, etsi ea laus ad Gallos proprie referri debet. E nouem Cathedralibus Ecclesiis, quas eximius Imperator ille primus fundauit, & viginti duobus Monasteriis quæ construenda curauit tum in Galliis tum in Germania, horum maior pars dicta & dedicata est memoriæ atque honori beatiss. virginis Mariæ, quam præ omnibus sanctis coli & inuocari vehementer cupiebat. MIN. Hoc negari nulla ratione potest. Centuriatores siquidem tametsi infensi Virginis hostes, idipsum scribere & assentiri coguntur: imo addũt, quod in singulis Ecclesiis & Monasterijs literam auream centum librarum Turonensium collocauit.

Cent. 8. col. 527. 528.

39. DOCT. Non sustinuissent aliter dicere, ne manifesti conuincerentur à Budensibus in Hungaria, Aquisgrandusibus in inferiore Germania, ac Ebredunensibus in Delphinatu. Eadem veritas eos compulit, vt de laudatissimo illo Imperatore præclarum istud elogium pronuntiarent: eum videlicet constanter asseruisse, Sanctorum intercessiones plurimum valere apud eum, qui totius vitæ author est. Et rursus: In cœlis curam gerunt nostræ salutis, proque nostris erratis apud eius pietatem interpellant. Quanto igitur æquius fuit, vt idem de beata Virgine credendum & sentiendum putarit?

Cent. 8. col. 309.

40. MIN. Huic telo solenne calumniarum scutum opponent, & eum hac in re superstitiosum & idololatram extitisse vociferabuntur. DOCT. Interclusit illis hoc impudentiæ diuerticulum pudor & sanctitas veteris Ecclesiæ Catholicæ, quæ in Manichæis & Vigilantianis huiusmodi responsum explosit, tanquam blasphemum aduersus sanctos, Deo ipsi contumeliosum, denique hæreticum & damnandum.

MINIS. Perge igitur in commemoranda pietate veterum Germanorum erga matrem Domini nostri. DOCT. Fiet, & quidem prolatis testimoniis recentiorum, qui hanc doctrinam repudiant, & Lutheri paradoxa sectantur: vt tanto clarius veritas enitescat, quæ ex ipsis aduersariorum faucibus sui confessionem extorquet. Nam prædicti Centuriarum concinnatores quasi suorum errorum pertæsi, allegant Brunonem Augiæ Abbatem, qui pene sexcentis annis ante natas illas hæreses quibus ætas nostra infestatur, in Germania floruit, & hæc de Virgine scripsit: Si Mariæ intercessionis auxilium tota mentis intentione quæramus, possumus à peccatorum nostrorum maculis purgari, palmaque castitatis quandoque donari. Deinde, pia quadam apostrophe sermonem ad eam conuertit, precaturque vt materno affectu filium suum oret ac obsecret pro salute mortalium. Postremo, peccatores hortatur, ne vnquam inducant animam, vt de gratia, bonitate & misericordia diuina desperent. Ne diffidas, inquit, de misericordia Dei, quia qui preces pauperum non spernit, multo magis dilectæ matris suæ orationes pro te exaudit, &c. 41.

Cent. 11. col. 231. Serm. de Natiuit. B. Mariæ. Serm. de Nat. Dom.

Haymo Episcopus Alberstatensis iam annis vere centum quadraginta ante Brunonis ætatem, ita scripserat: Hanc Deo acceptam reginam deuotis precibus supplicem*, vt quia nos suo exemplo in nomine Christi congregauit, suis nos meritis & orationibus in præsenti vita coniunctos efficiat, & in futuro acceptos reddat. MIN. Et hic quoq; inuocandam Deiparam docet, & huius inuocationis fructus vberrimos proponit. 42.

Cent. 9. col. 107. Homil. de para. virg.

DOCT. Rabanus cognomento Maurus Archipræsul Moguntinus, cui Trithemius hoc testimonium defert: Cui nec Italia similem, nec Germania peperit æqualem. Is inquam, non habet loco Christianorum eos qui reliquias & orationes sanctorum aspernantur, præcipue autem Virginis matris: sed tanquam Eunomianos & Vigilantianos damnatæ impietatis hæreticos reiicit & abominatur. 43.

L. 4. c. 10. de Serm. propriet.

Rupertus Tuiit-ensis Abbas, qui ante an- 44.

Cent. 11. col. 794. nos quadringentos pietatis & doctrinæ gloria claruit, omnia Cantici Canticorum mysteria ad Mariam virginem referens, sæpe magna cum reuerentia, multisque honorificis nominibus eam compellat. Exempli gratia: O Maria, mons montium, virgo virginum, sancta sanctorum, ad te præcipue conuertimur, ad te præ cæteris oculos nostros leuamus, tuum pro nobis auxilium suspiramus. Idem in Proloquio prædictorum Canticorum, aduocat in auxilium & subsidium suum merita, & suffragia huius immaculatæ matris Dei, vt à Spiritu sancto possit impetrare veram intelligentiam atque interpretationem huius libri pleni reconditorum mysteriorum.

L. 7. Com. in Cant.

45. MIN. Hi quinque ex Germania sufficiunt: traiiciamus in Angliam. DOCT. Vt ex ipsorum hæreticorum armamentario tela etiam promere perseueremus ad Diuæ Virginis persequendas hostium reliquias, illis obiiciam Thomam Archiepiscopum Cantuariensem, cuius vita constanti martyrio multis comprobata miraculis doctrinam augustiorem & commendabiliorem efficit. Is pius doctor (vt & ipsi etiam Centuriatores scriptum reliquerunt) ante annos quadringentos hymnum composuit de laudibus & intercessionibus matris Dei, cuius initium est: *Gaude flore virginali, &c.* vbi eam tanto cũ affectu & humilitate inuocat, vt nihil supra.

Cent. 12. col. 1503.

46. Anselmus item Cantuariensis Archiepiscopus circiter annum 1094. in Commentariis ad secundam Epist. ad Corinth. cap. quinto, testatur, omne genus humanum peccato mortuum esse, sola Virgine excepta. Idem præclaro libro de Excellentia Virginis, docet quod & si inuocantes eam non merentur exaudiri, merita tamen matris intercedunt vt exaudiantur. Postea subiicit, quod pura sanctitas, & sanctissima puritas eius promeruit, vt precibus suis reparatrix esset generis humani. Præterea, quod meritis suis reparat, & seruat (hoc est, confert ad salutem & reparationem) tanquam domina & mater omnes peccatores, qui ad eam confugiunt. Postremo, quod exaltata super omnes Angelorum ordines, Deum facie ad faciem contemplatur sicuti est, & cum filio suo in æternum exultans, reddit nos participes suorum meritorum. Nos participes sumus & meritis & precibus eius.

Cap. 6. Cap. 9. Homil. de Assumpt.

47. Venerabilis & sanctus Dei Presbyter Beda, qui anno 662. post Christum natum (vt memorant prædicti Centuriatores) vir humanarum diuinarumque literarum, sermonis item Latini, Græci, ac Hebraici callentissimus, præcipuum quendam cultum erga Virginem præ se tulit, de qua sic verba facit: Sancta Maria Dei genitrix hodie translata est in cœlum de mundo, vt pro nobis oret filium: quia mundus deletus esset, nisi per preces sanctæ Mariæ sustineatur. Idcirco scimus eam assidue apud Deum suis precibus intercedere, seruando iustos ne collabantur, confortando pœnitentes ne pereant. Seruiamus igitur semper huic virgini: nunquam enim deserit eos, qui sperant in ipsa. Cum diligebat orationes Sanctorum Christus, & exaudiat, multo magis matrem suam exaudit pro peccatoribus exorantem. Ad extremum, cunctos in eius venerationem inflammans, scribit: Stat Maria in conspectu filij sui non cessans pro peccatoribus exorare. Toto igitur affectu confugiamus ad eam, vt per suas orationes ducat nos ad illa gaudia, vbi ipsa manet cum filio sine fine. An nõ hoc est constanter, aperte, deuoteque matrẽ Dei inuocare? MIN. Nihil fieri potest vltra. Porro pertexta erit probationum tela, si de veteribus Gallis demonstraueris, eos etiam virgini supplicandum censuisse.

Cent. 8. col. 307. 847. Hom. de S. Maria. Ibidem.

48. DOCT. Audes-ne antiquiorem quendam postulare Diuo Irenæo, quem docuit, Polycarpus martyr auditor ipsius Ioannis Apostoli pariter ac Euangelistæ. Is Lugduni Episcopatum gessit, & martyrio affectus est ante annos mille quadringentos. Vocat porro Mariam Virginem aduocatam Euæ peccatricis, vt supra retulimus: quod nec Gallasius Caluinista, nec Centuriatores Lutheristæ, non aliter quam conuitiis eludere potuerunt. MIN. Sic propriam iniquitatem produnt, & veritatem Catholicam potius confirmant, quam infirment. Alios etiam plures audire peropto, vt successio huius Apostolicæ doctrinæ magis magisque patescat.

L. 5. c. 19.

49. DOCT. Auspicabor igitur à D. Bernardo, qui quadringentis annis priusquam inauspicata illa nomina Lutheranorum, Zuinglianorum, Caluinianorum, Hugnosticorum, velut pestilenti quodam sidere terras infecissent, ita quemque cohortabatur ad Virginem in quacunque tribulatione inuocandam: Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias

Hom. 2. super Missus est.

pias abſorberi triſtitiæ deſperationis abyſſo, A cogita Mariam. In periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam inuoca. Ne diſcedat ab ore tuo, ſemper in corde verſetur, & vt eius precibus auxilium impetres, noli relinquere exemplum conuerſationis eius. Eam ſequendo, non aberrabis: eam inuocando, non deſperabis: eam cogitando, non falleris. Hac duce non cades, hac cuſtode non timebis, hac ſuſtentante non defatigaberis, hac propitia peruenies, &c.] Quam vero conſtans & ſibi ſemper ſimilis in hac pietate fuerit, oſtendens ſcribit alio in loco: Aduocatam præmiſit peregrinatio no- B
Serm. 1. de Aſſumpt. ſtra, quæ tanquam iudicis mater, & mater miſericordiæ, ſuppliciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit, &c.

50. MINIST. De hoc authore tantum eſt, ad alios accede. DOCT. Itaque tacitus omittam eximias preces, quibus eam affatur, Homilia quarta ſuper Miſſus eſt: Serm. 2. de Pentecoſte: Serm. 2. de Aſſumptione: Serm. de eadem Virgine: Sermone item de Natiuitate eius: vt veniam ad Richardum à ſancto Victore, qui D. Bernardo coetaneus fuit, tantaque eruditionis laude floruit, vt ſecundus quidam Auguſtinus haberetur, Is
Com. in Cantica. Virginem ſic inuocat. O dulcis mater Chri- C ſti, reorum miſerere. Aue Maria, mater gratiæ, mundi regina, mater miſericordiæ, ſalua nos à ruina, fons vitæ, vena gratiæ, feſtina in auxilium noſtrum, cum appropinquabit dies mortis, vt in æternum tecum exultare poſsimus.] Alibi contendit eam eſſe & regnare à dextris Ieſu Chriſti, conſtitutam ſuper omnibus operibus manuum eius: cum non modo exaltata ſit ſupra omnes animas Sanctorum, verumetiam ſupra vniuerſos ordines Angelorum. MINIS. Miror plane & veneror tantorum virorum ſingularem pietatem nec dubito quin ad imitationem D eam nobis propoſitam eſſe Spiritus ſanctus voluerit.

51. DOCT. Eodem ſæculo Honorius Preſbyter & Scholaſticus Auguſtodunenſis, has
In ſpeculo Eccleſiæ. D. Virgini preces conſecrabat. Precor Mariam, & omnes Sanctos Dei, vt dignentur pro me intercedere, & adiuuare apud Dei miſericordiam, vt omnium offenſarum gratiam & veniam mihi largiatur, meq; cuſtodiat ne amplius offendam: & poſt hanc vitam efficiat, vt in beatorum conſortium recipiar.]

52. Iiſdem temporibus Cenomanis florebat Hildebertus eorum Antiſtes, qui magnifice hanc de Virginis & Sanctorum inuocatione doctrinam propugnans, probabat Letanias, quibus Virgo, Angeli, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, & Virgines inuocantur, tanquam preces Deo gratas, plurimum acceptas, & perquam vtiles vniuerſo generi mortalium. *Epiſt. 57.*

Eadem ætate viuebat & vigebat Petrus 53.
Bleſenſis, vir tanta doctrina & ſanctitate *Cent. 12.* morum, vt ipſi hæretici Theonino dente o- *col. 1574.* mnes arrodentes, hunc laudare cogantur, *Balæus* quod alta mente, ſingulari tamen modeſtia *Cent. 13.* multos Archiepiſcopatus ac Epiſcopatus vltro ſibi oblatos repudiarit, quodque nunquam prono in adulationes ingenio fuerit: ſed teſtis & præco veridicus, prælatorum ac Principum vitia modeſte redarguens. Denique, quod in Iuriſprudentia, Philoſophia, & Medicina multum exercitatus, præcipue autem in Theologia vir ſummus fuerit, ad quam Lutetiæ cum eſſet diligenter animum appulerit. Is igitur talibus ingenij doctrinæque laudibus excellens author ita in rem præſentem ſcribit: filius per preces & *Ser. 39. qui* merita ſuæ Matris, largitur captiuis indul- *eſt de Aſ-* gentiam, clauſis apertionem, cæcis illumi- *ſumpt.* nationem, laborantibus requiem, infirmantibus ſanitatem, indigentibus abundantiam, metuentibus ſecuritatem, fidem inter amicos, pacem inter hoſtes, certitudinem in rebus dubiis, conſilium in erratis, ſolatium in tribulationibus, defenſionem in bello, refugium in exilio, portum in naufragio, ſapientiam ignorantibus, conſolationem pupillis & viduis, gratiam incipientibus, & gloriam triumphantibus. Tolle Solare corpus è mundo, nihil præter noctem ſupererit: tolle Mariam è cœlo, nihil miſeris mortalibus relinquetur præter cæcitatem, tenebras, ac errorem.] Alibi hortans omnes ad eam *Serm. 4.* inuocandam ſic loquitur: Innocemus eam, quia fecit ei magna qui potens eſt, qui per eam operatus eſt ſalutem in medio terræ. Ea pro nobis ſupplicante in cœlis, non ceſſabit ab operibus miſericordiæ. Scio quidquid hæc Mater prælecta in terris, exaltata nunc & ſuperexaltata in cœlis, Filium ſuum rogabit, id fœlici ſucceſſu terminatum iri. Ipſa eſt quæ nobis proponitur aduocata diligens, & mediatrix apud Filium ſuum contra tentationum inſultus, inter omnes anguſtias & ærumnas, quibus labefactari ſolet mortalis infirmitas, &c.]

MIN. De hoc abunde eſt, alium teſtem 54.
aduoca. DOCT. Iuo Carnutenſis Epiſco-

pus, ante annos ferme sexcentos, non mino- A rem vim tribuebat Virginis intercessionibus, cum ita differebat: Non infructuosam credimus futuram largitionem vestram, quia quod viribus nostris non valemus, meritis beatæ & perpetuæ Virginis cui Deo authore famulamur, indubitanter posse obtineri credimus.] MINIST. Quem-nam ibi alloquitur? DOCT. Regem Anglorum, à quo nonnihil eleemosynæ sperabat, ad exædificandum illud Cathedrale templum, quod etiamnum Carnuti visitur.

55. Centur. 11. col. 550. Fulbertus vnus ex antecessoribus illius, quique (etiam ipsorum hæreticorum sensu) vir fuit eruditione & sanctimonia excellens, B præditus quoque Spiritu Prophetico, summum erga Mariam Virginem cultum præ se tulit iactis eximij ædificij fundamentis in honorem & memoriam eius: compositisque in laudem responsis, quorum principium est: *Stirps Iesse, &c. Sol iustitiæ, &c. Chorus Angelorum &c.* Imo & librum in eandem materiam conscripsit, quem citat doctus Trithemius. Cui pietati remunerandæ, Virgo se ipsi videndam exhibuit, eumque consolata est in vltimo actu vitæ & morbo quo defunctus est, quemadmodum recitat Vincentius Bellouacensis l. 25. c. 15. C

59. Centur. 11. col. 515. Ionas Aurelianensis sub regno Ludouici cognomine pij, vir quem aduersarij fatentur Latine Græceque doctum, & in antiquorum lectione versatissimum fuisse: is refellens errores cuiusdam Claudij Taurinensis, inter multas egregias voces sic de Ma- L. 2. aduer. Claud. tre Dei pronunciat: Virginem quæ peperit Christum non adoramus, sed vt sanctam Dei genitricem congruo honore veneramur, eius intercessionem apud diuinam maiestatem humiliter flagitamus: quippe quoniam per eam, authorem vitæ suscipere meruimus.

57. Centur. 9. col. 523. Hincmarus ante septingentos annos Rhe- D mensis Archiepiscopus, quem etiam Centuriatores confitentur doctum, disertum, Philosophum, Poetam, & eximium Theologum extitisse, necnon diligenter exercitum in scriptis veterum patrum, & decretis Ecclesiæ. Cum ergo ex iis didicisset sanctam Virginem honorare & inuocare, per eius gloriosam integritatem, merita, & intercessiones, Hincmarum Laudunensem Episcopum & nepotem suum adiurat, ne quid aggrediatur aut instituat, quo fraus fiat legibus Catholicis & Ecclesiasticis, &c.

Fortunatus Pictauiensium, & Gregorius 58. & 59. Turonensium clarissimi & vetustissimi Præsules, ante annos plus minus nongentos, adeo constanter ac manifeste docuerunt omnes Sanctos, proinde & Mariam Virginem omnium eorum primariam, pro salute nostra solicitos esse, nobis bene precari, eorumque preces dum inuocantur, valde conducere, vt & Centuriatores huius Centur. 6. doctrinæ hostes infestissimi, vltro fatentur. col. 712. Addo, cum id inficiatione diluere non va- 713. &c. leant, conuitiis & contumeliis refutare conantur, vocando eos, *homines superstitiosos, excæcatos ab ipso Diabolo, sacrilegos, & raptores gloriæ Dei, &c.* MINIST. Istiusmodi maledicta tantum abest vt causam ipsorum fulciant, vt potius subruant ac penitus euertant. Similes enim sunt peruicacibus reis, qui cum legitima reiectione authoritatem testium infringere nequeunt, ab impudentia calumniandi subsidium petunt. Sed vt finis modusque istis probationibus imponatur, iam paucis contrahe & disputationem absolue.

DOCT. Testes igitur huius sententiæ 60. & pietatis vna fidelia tibi denuntio vtrumque Remigium, Prosperum, Cæsarium, Auitum, Mamercum, Serenum, Saluianum, Eucherium, Addonem, qui omnes ne lato quidem vngue ab his quæ in Irenæo, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Gregorio, Virginem inuocantibus, & inuocandam suadentibus, legerant vnquam recesserunt. MINIST. Iam clare video, quod (vt Hiero- L. aduers. nymus iamdudum obseruauit) Gallia sola Vigil. ad hoc vsque sæculum, monstris caruit: sed viris fortissimis, eloquentissimis, addo & Christianissimis abundauit: qui acceptam à viris Apostolicis Lazaro, Martiale, Maximino, Dionysio, Potino, Irenæo, Taurino, Luciano, Sauiniano, Saturnino, &c. veram religionem constanter seruarunt, & posteris fideliter tradiderunt. Et vt hanc disputationem claudam, sexaginta (si recte calculum posui) testimonia protulisti, quibus preces & inuocationes Virginis, harumque vtilitates clarissime & solidissime comprobantur. Quisquis vero obstinata mente post tot authores & authoritates Hagiomastiga & Vigilantianus permanserit, huic certe nulla ratio, nullus vnquam testis satisfaciet. Atq; vt quod est aperte fatear, vehementer grata mihi tota ista de Virgine superior tractatio. Primum enim commodum fuit nosse & parentes eius, & immaculatam conceptionem

nem

nem atque natiuitatem: hinc vitæ tenorem, A perpetuam virginitatem, sanctimoniam, fidem, moderationem, beatam in cœlos assumptionem: inde perpetuam erga vniuersum populum Christianum caritatem. Suppliciter itaque illam nunc inuocemus, vt ad ea, quæ nobis de cœlitibus tractanda supersunt, Deo auspice, progrediamur.

PRECES AD B. VIRGINEM.

Suauissima & benignissma Mater Domini, seruatoris, & fratris nostri Iesu Christi, secundum spiritum adoptionis Mater nostra, ratione autem carnis ex Adam desumptæ etiam soror nostra, potestate domina, & caritate aduocata nostra; in conceptione, nati- B uitate, totoque vitæ humanæ curriculo immaculata, in conceptu, partu, & post partum virgo integerrima, toto terrarum orbe honoratissima, & in cœlis super omnes Angelorum ordines exaltata. Tu quæ semine tuo caput Serpentis conteris, & vniuersas gentes benedicis, gloria Patriarcharum, scopus Prophetarum, honor Apostolorum, materies Euangelistarum, robur martyrum, solamen confessorum, exemplar virginum, fiducia anachoretarum, asylum miserorum, portus peccatorum, decus generis humani, lux & splendor totius Ecclesiæ Catholicæ. Te quam fieri potest maxime humiliter ora- C mus & obsecramus, vt gratia qua plena es, & authoritate materna qua polles apud filium tuum dominum & supremum iudicẽ nostrum, intercedere digneris, ne in furore Psal. 6. 32. suo arguat, aut in ira sua corripiat nos: ne secundum peccata nostra quæ fecimus nos, neque secundum iniquitates nostras retribuat nobis. Nemo enim in conspectu ipsius iustificari, nemo cœlesti Paradiso dignus inueniri potest si iniquitates hominum seueriter obseruauerit: sed vniuersi mortis primę, & secundæ, quæ est ignis Gehennæ inextinguibilis, rei peragerentur. Effice igitur eximijs meritis, & feruentibus assiduisque pre- D cibus tuis, honoratissima mater, vt nos gratia & miseratione sua prosequi dignetur, eluat maculas, obliteret culpas, lauet nos à peccatis in sanguine suo, proijciat delicta in profundum maris, animarum nostrarum stolas sic fonte vitæ velit dealbare, vt aliquando puri & integri ante solium ac tribunal iudicij eius sistamur, & gloria sempiterna quam seruis suis pollicetur & præstat, tecum fœliciter perfruamur. Amen.

PERFECTA CHARITAS IN PROXIMOS perseuerat in sanctis cœlitibus: simulque nobiscum iunguntur sancta quadam communione: aduersus 55. & 56. Hugnosticorum errorem.

CAPVT XI.

DOCTOR.

CVm ante hunc de Virgine tractatum, copiose disseruerimus, de ijs qui non sunt in Paradiso cœlesti: tum de ijs qui vere ibi sempiterno æuo fruuntur, quos potius honorare, quam probris & conuitijs incessere decet, vis-ne vt vlterius progrediamur? MINIST. Nihil est quod malim. DOCT. Itaque vt ordine procedat oratio nostra, mecum attende, quam subtili & vafro artificio vsus sit Geneuensis Hæresiarcha, vt Sanctorum precibus ac intercessionibus contradiceret. Primum enim illos despoliat Cal. in 1. omni erga nos, qui adhuc in terris degimus, Cor. c. 13. dilectione & charitate. Idque hac vehemen- v. 8. ti interrogatione, quæ negatiuam orationem inducit: *Quid absurdi, si dicamus, Charitatis perpetuitatem, quam hic prædicat Apostol. post diem extremum fore*, nihil pertinere ad tem- Inst. l. 3. ca. pus intermedium? Secundo, declarans alte- 20. §. 24. rum errorem suum, vt intercessionem & inuocationem Sanctorum euertat, scribit: *Mortuos dum à nostro contubernio subduxit Dominus, nullum nobis cum illis reliquit commerciũ: ac ne illis quidem nobiscum, quantum assequi licet coniecturis.* Hæc est duplex fraus versuti hominis, hi duo lapides offensionis, quos ante suos suorumq; pedes obijcit, vt in eũ errorem prolabantur, ne Sanctos iam immortales existiment orare pro nobis mortalibus. Tollendi sunt igitur è via, ne quis impingat, deinde, ad ea perueniemus quæ tantopere desideras.

MINISTER. Quod ad primam hallu- Confut. 1. cinationem attinet, ea plane hæresin redolet, aduersaque fronte confligit aduersus Apostolum scribentem: *Charitas nunquam ex-* 1. Cor. 13. *cidit. Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.* Etenim dicendo, *Nunquam excidit*, vtrumque tempus cõplectitur, & quod antegreditur iudicium futurum, & quod posterius consequetur. Deinde, cum prædictam charitatem comparat cum fide, spe, prophetia, dono linguarum, alijsque charismatibus, quæ superueniente clara Dei visione, & perfecta fruitione, cessabunt:

sabunt: satis docet illã nullo vnquam tempore excidere, nunquam deleri ex animis beatorum, postquam è terris ad cœlestia regna migrauerunt.

2. Præterea, probe recordor me legisse in Commentarijs Musculi, Bullingeri, Vermilij, & aliorum: quos in vnam farriginem cõgessit Marloratus, hæc illorum in eum Apostoli locum, verba: *Charitas nunquam cessat, nunquam dissoluitur, perpetuo durat, nunquam finem accipiet, &cæt.* quæ dicta & sententiam Caluini manifeste redarguunt: & charitatis donum in Sanctorum animis permanere confirmant. Item mortis quidem interuentu animas à corporibus, & ab omni terrena concretione separari, non à cœlis: sensum corporis tolli, non gratiam Dei quæ vera charitas est. *1.Cor.13.*

3. Nec me præterit Bezam obijcientem sibi Catholicorum argumenta, quibus fulcitur Sanctorũ intercessio, vsum esse his verbis: *Aiunt, Charitatem nunquam excidere: quod quidem illis concedimus.* Quapropter Caluinus Apostolo reclamitans, & à suis congerronibus dissidens, erit mihi Anathema donec Dominus aduenerit. In his habes meum de prima parte iudicium. *Confes.p.4*

4. DOCTOR. Rectum plane & sanum: & quod fulciri potest hac ratione. Cum virtus aut qualitas aliqua siue spiritalis siue corporea destruitur & aboletur, id fieri oportet superuentu contrariæ ac oppositæ in eius locum succedentis, vt cum frigus à calore pellitur, humiditas à siccitate, humilitas à fastu & arrogantia, magnanimitas à degeneri metu, castitas à libidine, fidei obscuritas à clara visione, spes futuri boni ab eius pſenti fruitione, & sic de alijs. At cum animæ Sanctorum ex hoc mũdo migrant in cœlestem Paradisum, nihil eis obijcitur contrarium charitati & amori siue in Deum, siue in pximum. Nam ex terra in cœlum euolare, Deũ intueri facie ad faciem sicuti est, frui visu omnium Sanctorum beatifico atque consortio, nõ est destructio charitatis, sed eius perfectio potius & complementum. Igitur clarum & certum est, in beatis illis mentibus caritatem perfectam tam erga Deum, quam proximos in perpetuum manere.

5. Quin & Scriptura testatur, quod *Dilectio est fortis vt ipsa mors:* & quod *aquæ multæ* (hoc est, tribulationes) *non possunt extinguere charitatem.* Quod Paulus vehementissima pulcherrimaque amplificatione ista magis cõfirmat: *Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare à charitate Dei.* MIN. Non est igitur deliberandum, sed certo statuendum, quod amor Dei & proximorũ sic perseuerat in animabus beatorum, vt nulla tribulatio, non ipsa mors, aut vlla res alia possit illum ab ijs detrahere. Proinde, pugnat cum apertissimo Dei verbo furiosus iste Caluinus, cum ait, Charitatem non pertinere ad totum illud temporis spatium, quod inter obitum sanctorum & nouissimum iudicium intercedit.

DOCT. Præterea, debebat & illud in Hæresiarchæ mentem venire, Sanctorum animas æterna beatitudine fruentes arctiori perfectiorique vinculo coniungi cum Deo, quam cum erant incluse in hisce corporum compagibus Passioni & morti obnoxijs. At charitas secundum Apostolum, est vinculũ perfectionis, efficitque vt Beati cohæreant Deo, & sint cum eo vnus spiritus: est igitur atrabiliarij dictio non hominis, excludere charitatem à sanctis animabus. MIN. Sane tum demum reapse efficimur os ex ossib⁹, caro de carne, & membra viuentia gloriosi corporis Christi. Tum demum fit quod dicitur, vnus pastor, & vnum ouile, Tunc omnes electi coalescunt in vnum, sicut Pater & Filius, & Spiritus S. vnum sunt. 6. *Col. 3. 1.Cor. 6. Eph. 5. Ioan.11. Ioan.17.*

DOCT. Iam vero tute cogita, quod absurditates inde sequerentur, si animæ Sanctorum in Paradiso cœlesti receptæ, forent expertes charitatis. MIN. Profecto, sine Deo essent, quia Deus charitas est, & qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo. Viuerẽt in perpetuis peccatis, in ira Dei, in tenebris, in infernis. Qui enim fratrem non diligit, ait Ioannes, nõ est à Deo, sed manet in morte, homicida est, in tenebris ambulat, non habet vitam æternam in se manentem. Proinde Caluinus perpetua charitate Sanctos spolians, fœlices animas cum miseris & reprobis confundit: & (quod dictu perhorrẽdum est) Paradisum inducit cum inferno, lucem cum tenebris, vitam cum morte. Denique regnum cœleste & gloriosum confundit atq; permiscet cum inferorum gurgite & tyrannide cacodæmonis. 7. *1. Ioan. 14. 1.Ioan. 3. Communionem nobis esse cum Sanctis probatur.*

1. Sed præteruehamur hunc scopulum vt ad alterum errorem veniamus. Videtur n. propius ad verisimilitudinem accedere, Sapiente dicente: *Mortui nihil nouerunt amplius. Nec habent vltra mercedem: quia obliuioni tradita est* *Eccl.9.*

ta est memoria eorum. Amor quoque & odium, &
inuidia, simul perierunt, nec habent partem in hoc
sæculo, & in opere quod sub sole geritur. Quapro-
pter videri posit, nullam nobis à Deo cum
defunctis communicationem relictam esse.
DOCTOR. Attendenda sunt & verba quæ
præcesserunt, & quæ deinceps subijciuntur.
Inde enim facile apparebit, non aliud hic es-
se propositum Salomoni, quam vt loquatur
de temporarijs huius sæculi rebus, & nego-
tijs ad mortalem vitam pertinentibus, quo
in genere sunt ista, plantare, arare, nauigare,
ædificare, bibere, edere, oleo & aromatibus
vti, pretiosis & mollibus vestiri, nubere, li-
beris operam dare, & similia: quæ cum nisi
in hac vita exerceantur, idque ministerio
corporis, cuius fasce leuati sunt beatorum
spiritus; in eiusmodi rebus ac negotijs nul-
lo modo cum nobis mortalibus communi-
cant.
2. MINISTER. Quid-nam igitur nobis
cum mortuis commune est? DOCT. Iam
docui non esse appellandos mortuos, qui
nunc in cœlis perfecte viuunt & regnant cũ
Christo capite suo. MINISTER. Ignosce
quæso, non enim amplius meminerã. Quæ-
nam igitur, vt emendatius loquar, commu-
nio inter Sanctos qui vigent & triumphant
in cœlis, & inter eos qui adhuc militant & ę-
rumnis conflictantur in terris? DOCT. E-
iusmodi iuxta Paulum, qualis est vniuscu-
iusque membri cum corpore sub eodem ca-
Rom. 12. pite communi. *Multi (inquit) vnum corpus su-*
1. Cor. 10. *mus in Christo, singuli autem alter alterius mem-*
bra. Rursus: *Vnus panis, vnum corpus multi su-*
mus, omnes qui de vno pane, & de vno calice parti-
cipamus. Deinceps postquam luculenter di-
seruit, nos omnes membra vnius mystici &
spiritalis corporis sub capite nostro Dn. Iesu
Christo, subiungit: Nullum in tali corpore
disidium esse oportere, sed singulis mem-
bris esse debere mutuam sui curam atque
1. Cor. 12. sollicitudinem. Quid si membrum vnum a-
liquid mali patiatur æquum est vt cætera
membra communi quodam sensu doloris
Ephes. 4. afficiantur. Similiter, si aliquod membrum
glorietur, conuenire vt reliqua mẽbra con-
gaudeant & collætentur. Vnde sequitur ta-
lem esse cõmunionem beneficiorũ, dono-
rum, & gratiarum Domini inter Sanctos si-
ue qui regnant in cęlis, siue qui adhuc in ter-
ris pugnant, qualis est bonorum & donorũ
corporalium inter partes & membra eius-
dem humani corporis. Cum itaque singulis
membris ingenita sit hæc naturalis procliui-

A tas, vt alterum in alterius salutem & incolu-
mitatẽ laudabili conspiratione tendat, vnde
vniuersi corporis cõseruatio existit: verum
& æquum est, nos gloriæ & fœlicitati San-
ctorum cœlitum congaudere & collætari,
sicut illos vicissim par est, charitate stimulã-
te, miserias nostras pro viribus subleuare, &
inopię auxilium ferre: alias nulla foret vnio,
sed schisma, disidiumq́; quod maxime de-
testatur prohibetque D. Apostolus.
MIN. Sed quo argumento probabis bea- 3.
tos cœlites, adeoq; ipsos Angelos, hac com-
munione comprehendi? DOCT. Authori-
tate eiusdem Apostoli scribentis, Deum Pa- Ephes. 1.
B trem omnia subiecisse pedibus Christi filij
sui, quem omnibus rebus præfecit, vt sit ca-
put Ecclesiæ, quæ est corpus eius. Subducta-
que membrorum ratione, complectitur
Principatus, Potestates, Virtutes, Domina-
tiones, & omne nomen quod nominatur
non solum in hoc sæculo, sed & in futuro.
Alibi rursum protestatur, Iesum Christum
esse caput totius Ecclesiæ, tum eius quæ re-
gnat apud superos, tum eius quæ adhuc pe-
regrinatur in terris. Quoniam omnia per i- Coloss. 1.
psum, & in ipso creata sunt. Et ipse est ante o-
mnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est
caput corporis Ecclesiæ, qui est principium,
C primogenitus ex mortuis: vt sit in omnibus
ipse principatum tenens. Quia in ipso com-
placuit oẽm plenitudinem inhabitare, & per
eum reconciliari in ipso, pacificans per san-
guinem crucis eius, siue quæ in terris, siue q̃
in cœlis sunt. Quo respectu Angeli quoque Eph. 2.
(licet diuersam à nobis naturam sortiti) fra- Apoc. 19.
tres & conciues se nostros perhibent, & in & 22.
cultu Dei conseruos. Apostolos non dubitat
Christianos adhuc in terris degentes voca-
re concines Sanctorum, & domesticos Dei,
tanquam eos qui ad eandem familiam & Ec-
clesiam pertineant. MIN. Iam clare perspi-
cio Caluinum hic, vt alibi pasim turpiter
D hallucinari: ac sicut ad astruendam Sacra-
mentariam hæresin multas aduersus omni-
potentiam Dei euomuit blasphemias: simi-
liter vt intercederet turbulentus iste tribu-
nus intercessioni Sanctorũ, Apostolo ipsi bel-
lum indicendum putauit à quo tam cõstan-
ter, & explicate docetur sancta illa Cõmu-
nio, q̃ nobis cum beatis cœli ciuibus interce-
dit. Nam cum oẽs electi tum in terra tum in
cœlis, membra sint vnius & eiusdem cor-
poris, cuius caput est Christus; consentaneũ
est vt quisque secundum mensuram suam
cum capite communicet, singuli in eo cõue-
niant,

niant, & inter se mutua quadam sympathia charitatis, beneuolentiæ, reuerentiæ, & auxilij conspirent. Peccat igitur hæreticus cōtra ordinem naturæ, contra sensum communem, vt (quod vtroque grauius est) contra testatissimam Pauli doctrinam, cum audet asserere, nullam nobis à Deo relictam esse communionem cū ijs qui ex hac mortali vita ad immortalitatem euaserunt.

4. DOCT. Quid? an non firma fide amplectendi sunt isti articuli Apostolici Symboli, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam. Sanctorum communionem?* MIN. Non secus equidem atque oracula dictatore Spiritu sancto, Apostolis reuelata, & ab ipsis tradita per omnes orbis oras, insculpta cordibus primorum Christianorum, & ab omni æuo sancte inuiolateq; ad hoc vsque tempus, vt sacrum depositum conseruata. DOCT. Quid porro designari cēses per communionem Sanctorum? MINISTER. Quod sicut priores *Act.4.* Christiani charitate permoti, facultates suas in vnum conferebant, bonisque temporalibus communiter vtebantur: ita inter electos, inter omnia Ecclesiæ Christi tam cœlestis quam terrenæ membra, sancta gratiarum spiritualium communicatio intercedit. DOCT. Sane ac erudite. Sed si Caluinus etiam in hac re, vt in alijs plurimis, secum pugnet, edicito.

5. MINIST. Apertissime plane, si vsquam *Inst. l. 4. c. 1. §. 2.* alias. Sic enim supra dictos fidei articulos exponit: *In symbolo, vbi profitemur nos credere Ecclesiam id non solum ad visibilem refertur, sed ad omnes quoque electos Dei, in quorum numero comprehenduntur etiam qui morte defuncti sunt.* Addit paulo post: *Sic electos Dei omnes in Christo esse connexos, vt quemadmodum ab vno capite pendent, ita in vnum velut corpus coalescunt, ea inter se compage cohærentes, qua eiusdem corporis membra, &c.* DOCT. Iam igitur conijcere potes pellacem & versipellem chamæleonis istius animum, qui cum alibi persuadere contendat. Nullam nobis esse cum Beatis communicationem, quos contumelioso nomine *Mortuos, & mortuas vmbras* appellat; hic contrarius asserit, eandem esse nobis participationem cum defunctis, atque cum membris eiusdem corporis.

6. MIN. Petrus Viretus seorsim à Caluino *Exposit. super Symbol.* sentiens, his similitudinibus ad communionem Sanctorum adumbrādam vtitur. Verba eius Gallica Latine reddimus: *Sicut in ciuitate, in republica, in corpore, quædam communio existit inter incolas, inter ciues, inter membra: sic* A *in Ecclesia Iesu Christi est quædam vnio, quoddam velut ius ciuitatis atque societatis, cuius vinculo corpus cum capite suo Iesu Christo, & singula mēbra sic inuicem cohærent, vt nullo bono nisi communiter perfrui possint, &c.* DOCT. Atque hæc Ecclesia, & hoc mysticum Christi corpus non minus comprehendit Sanctos qui in cœlis quiescunt, quam qui laboribus fatigantur in terra, sicut ante demonstrauimus: idque ex eo etiam confirmari potest, quod Spiritus sanctus reuelauit vnam duntaxat esse columbam, vnam electam, vnam denique Ecclesiam sponsam Christi. Sequitur *Cant. 4.* ergo Deum velle, vt credamus eandem esse *Eph. 5.* B vnitatem, confœderationem, & mutuam *Io. 10. 11.* charitatem inter Christianos qui sunt in cælis & qui in terris agunt, qualis debet esse inter ciues eiusdem ciuitatis, municipes eiusdem reipublicæ, & membra vnius eiusdemque corporis.

MINIST. Hęc omnia tam validis rationibus nituntur, vt contrariam sententiam non dubitem impietatis ac hæreseos condemnare. Iam veniamus ad cardinem, vtrum scilicet sancti qui in cœlis versantur orent ac intercedant pro nobis.

C *SANCTI IAM IN COELO POSITI vident, (id est) intelligunt, sciunt, & contemplantur, nostras humanas miserias: & exaudiunt preces quas eis nuncupamus: aduersus 57. & 58. errorem.*

CAPVT XII.

DOCTOR.

PRius adhuc nobis refutandæ sunt hæ falsæ Caluinianorum opiniones, quibus negant Sanctos nostras nosse miserias, atque preces intelligere aut contemplari, Sic enim sentit Hæresiarcha, dicens: *Quid impedit quominus Sancti tranquilla pace nunc fruentes, chari-* *In 1. Cor. c. 13. v. 8.* D *tatem præsentibus officiis minime exerceant? Quid absurdi Papistæ in eo reperiant?* Deinde, fron- *Inst. l. 3. c. 10. §. 24.* tem more suo perfricans vocat contrariam Catholicorum sententiam, *Inuentum profanum, mere ethnicum & magis redolens Aegyptiorum superstitionem, quam consentaneam Philosophiæ Christianæ: puram esse sophisticen, prudentiam carnis, vanitatem, somnia delirantium, &c.* adeo in maledicendo disertus & copiosus est.

MIN. Ecquis, quæso, reuelauit nobis eos *Confut. 1.* tam longas aures habere, vt huc ad nos pertingere valeant; aut tam acuto esse visu, vt huma-

humanas ærumnas nostras intueantur? DOCTOR. Non te pudet tam prophano more loqui de rebus sanctis ac plane Diuinis? Tam riducula imaginari de mysteriis cælestibus? Responde mihi, nunquid Deo tribuis oculos, vt videat: aures carneas vt audiat? MINIST. Nequaquam. Deus enim spiritus est. DOCT. Quid? Angeli ne opus habent proprijs oculis aut prælongis auribus, vt miserias nostras intueantur, preces audiant, conuersione & pœnitentia nostra lætari possint? MIN. Minime. Non enim ex corporibus compositi sunt, vt sensuum & membrorum adminiculis indigeant. DOCT. Nunquid anima diuitis epulonis oculos corporeos habuit, cum Abraham vidit, & Lazarum in sinu eius? Aut nunquid Abraham aures prælongas, vt à longe preces animæ in inferis demersæ posset audire? MIN. Minime. Erant enim animæ secretæ à corporibus, ac proinde non nostro humano more, sed spirituali ratione hæ locutiones & auditiones intelligendæ sunt. Solet enim Scriptura sese captui nostro submittere, cum res Diuinas & spirituales sub imagine rerum terrenarum & corporaliũ delineat & repræsentat. DOCT. Vides igitur Caluinum suis sequacibus turpiter imponere, cum fingit animas Sanctorum auribus prælongis opus habere vt preces nostras audiant, & oculis vt nostras miserias contemplentur, quasi essent corporeæ, materiales, ac proinde interitui obnoxiæ qui crassus error magis resipit hominem Epicureum & Atheum, quam Theologum. Cæterum, ita res est, quemadmodum Angeli dicũtur audire & videre, cum aliquid intellectu & cogitatione complectuntur; ita Sanctorum animæ (quas Scriptura dicit esse sicut Angeli Dei in cælo) dicuntur calamitates & miserias nostras intueri, & preces exaudire, cum mente intelligunt ea, quæ nobis opus esse videantur.

Io 4. *Luc. 15.* *Luc. 16.* *Matt. 22.*

2. MIN. Iam quidem vincor veritate, vt tibi assentiar: veruntamen nõ satis assequor quomodo id fiat, cum tam immensis locorum interuallis inuicem disiungamur. DOCT. Magnus ille Theologus & pater Augustinus triplicem modum exponit. Primum, cum Sanctorum animæ faciem Dei plene cõtemplentur, in eo veluti tersissimo & clarissimo quodam speculo & nos, & humana omnia vident, quorum cognitio ad complendam eorum beatitudinem pertinet. Quam sententiam secutus est præclarus Petri successor Gregorius, ita scribens: Quia sanctæ animæ omnipotentis Dei intus claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent.] Rursus: Quia omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt?] Et hanc sententiam à discipulis & auditoribus Apostolorum hausisse non est ambigendum, beato Areopagita Pauli sectatore, in hæc verba exclamante: Quid est quod Sancti in cælis, non videant in quo perfectę rerum omnium ideæ conspiciuntur?) In hoc eodem speculo sine macula, (ait rursum Augustinus) res temporarias Angeli contemplantur, tanquam in primoribus causis & principiis suis. Rursus: Post nouissimum iudicium animæ sanctorum inibi contemplabuntur etiam reproborum supplicia, non motu corporeo, sed scientia quam de ijs habebunt] Nam si Prophetis hoc datum est, vt res nondum exsistentes intelligere potuerint, quia Deus in ipsis habitabat, tametsi adhuc conditione mortales essent: quî conuenit vt Sancti iam immortalitate fruentes ignorent ea quæ facta sunt, cum Deus erit omnia in omnibus? Habes itaque primum modum expressum, verbo Dei, traditione Apostolorum, & antiquitatis consensu firmatum. Quid nunc tibi videtur? Non iam animo tuo factum satis.

In Ps. 108. l. de cura pro mort. c. 15. & 16. *L. 12. mort ca. 13.* *Li. 4. Dial.* 3. *Li. de hier. cælesti.* *Li. 9. ciuit. ca. 22.* *L. 20. c. 22.*

MIN. Sequenda plane credendaque videtur sine controuersia tantorum Patrum doctrina: præsertim cum eam approbet tota posteritas, ratio stabiliat, & suffragetur Scriptura, non refragetur. Etenim perspicuum est Prophetas tametsi corporea mole pressos, liquido cognouisse res semotas & procul distantes, vt Elisæus ea quæ in interiore Regis Syrorum consilio tractabantur: nec eum latebant famuli sui fraudes & furta, Petro nota fuerunt periuria & sacrilegia Ananiæ & Saphiræ. Moses duobus millibus annorum ab orbe condito, nouit creationem illius; Dei cum Adamo, Eua, Serpente, & Caino colloquia, res item gestas Abelis, Enochi, Noe, Abrahami, aliorumque veterum: hæcque omnia tam clare, tam certo, tam sigillatim præcepta & explorata habuit, ac si præsens interfuisset. Atque ista omnia non acutis oculis, non prælongis auribus, non vlla ope humana percepit aut didicit, sed diuini Spiritus reuelatione ac inspiratione. Proinde cum Sancti cælo recepti infinitis modis propius & familiarius cum Spiritu sancto versentur, (imo cum ipsum facie ad faciem videant sicuti est) quam vnquam Moses in terris,

3. *4. Reg. 5. 6.* *Act. 5.* *Gen. 1. 2. 3. 4. &c.*

Isa.7.9. 11.53. Ps.21.ca. ris, neutiquam ignorant miserias nostras, nec preces quas ipsis nuncupamus. DOCT. Augustinus hæc omnia comprobat dicendo Prophetas vidisse sciuisse, & prædicando vaticinatos fuisse cuncta futura mysteria, per hoc quod erat Deus in eorum (licet adhuc mortalium) mentibus: sic à minori ad maius colligendo: Quomodo igitur immortales Sancti iam facta tunc nescient, cum Deus erit omnia in omnibus? *L.2 c.ciuit c.22.*

4\. *Matth.17. 2.Petr.1.* Possumus & hunc modum etiam ampliore ratiocinatione asserere & amplificare in hunc modum. Cum tres Apostoli conspecta claritate & gloria humanitatis Christi transfiguratæ, Mosem ac Eliam quos nunquam corporis sensibus viderant vel audierãt, protinus in illa luce cognouerint: qui fieri posset vt illis miseriæ, ac preces nostræ essent penitus ignotæ, cum nunc in illa infinita Dei luce inhabitent? Nonne scriptura clamat in illa ciuitate cælesti nullam amplius superesse noctẽ, nec beatos eius ciues egere vlla luce Solis, Lunæ, aut lucernæ, cũ ipse Deus illos illustret & lucerna eorum sit Agnus? Quod cum ita sit, an non hæresiarchæ vestri vere tenebriones, & tenebrarum filij, qui in illo infinito ac cælesti lumine, suam ignorantiam, suas tenebras, aut asininum stuporem imaginantur? Qui negant in hoc immaculato Diuinæ maiestatis speculo rerum nostrarum statum repræsentari sanctis animabus, quæ iam sempiterna fœlicitate potiuntur? Qui Patrem luminum, & Solem iustitiæ impediunt, quominus radios lucis suæ cum filiis ac domesticis suis, quos vnum secum voluit esse spiritum, effuse communicet? *Isa.60. Apoc.22. 1.Tim.6. 1.Io.1. Sap.7. Heb.1. Io.1. 1 Cor.6.*

5\. MIN. Valde mihi adlubescit & probatur hic primus cognitionis Sanctorum modus: cedo nunc secundum. DOCTOR. Beatorum animæ multa scire possunt huius mũdi negotia, præsertim vero miserias supplicationesque mortalium (inquit Augustinus) opera & ministerio innumerabilium Angelorum qui continenter è terris ad superos euadunt, singulisque probe animaduersis, deferunt omnia coram Deo, consuluntque Diuinam eius Maiestatem, quid suo interuentu atque ministerio fieri placeat. Quidni porro manifestarent beatis hominum spiritibus qui secum in cælo degunt, quantopere suffragijs eorum indigeamus, & ipsos à nobis inuocari: quemadmodum viceuersa sæpius annũtiarunt multis mortalium ea quæ fiebant, apud superos, aut decreta erant à Deo? MIN. Scio plane Angelos reuelasse patri Abraha- *Li.de cura pro mort.c.15.& li. de spiritu & anima.c.39. Iob.1. Gen.22. Tob.12. Gen.18.22.*

A mo, quæ constituta fuerant in cælis: quid euenturum Isaaco & posteris eius. Apparuerunt item Isaiæ Messiam cõcipiendum & nasciturum de Virgine: Danieli tempus huic rei præstitutum: templique ac populi Hebraici postremam vastationem: alijs itẽ mortalibus alia infinita mysteria. Ea propter non dubito, quin sanctis in cælo secum agentibus indicent calamitates, morbos, necessitates, pericula quibus continuo expositi sumus: & preces denuntient quibus opem eorum flagitamus, cum sint earum rerum spectatores, testes, & arbitri. *Isa.7. Dan.9.10. 11.12.*

Aliud item meditanti mihi in mentem venit. Non potest Calninus, aut quisquam ex eius gregalibus inficiari, quin Angeli in omnibus viis nostris nos dirigant, excubent pro salute & incolumitate piorum, contemplentur bona opera, lachrymas, eleemosynas, officia humanitatis, suprema sepulturæ munera, preces, ieiunia, suspiria, & fructus pœnitentia dignos: quin & commodis atque vtilitatibus nostris consulentes, offerunt vota & desideria nostra coram Deo, quem obsecrant, vt nostri misereatur. Non igitur obstat illis nostrarum rerum ignoratio quominus pro nobis intercedant, & fœlices Paradisi animæ (quæ familiari cum eis consuetudine, & fœlicitatis consortio cum illis iunguntur) abunde certiores fiunt, quo loco sint res rationesque mortalium fratrum suorum, qui adhuc cum afflictionibus & ærumnis huius mundi confligantur. 6. *Ps.90. Ps.33. Tob.12. Act.10. Apoc.5.8. Luc.15. Zach.1. Dan.12.*

DOCTOR. Hoc ita sibi constanter persuasit venerabilis antiquitas, ex cuius numero tres duntaxat in testimonium aduocabo. Basilius multis modis magnus virginem suis luculentis præceptis instituit: Virgo seipsam primum, conscientiamque suam reuerebitur, etiam si valde sit sola. Deinde, adstantem sibi Angelum. Quid per singula pergam? Ipsas Angelorum infinitas multitudines, & vna beatissimorum Patrum spiritus reuerebitur. Nullus enim ex his est, qui non singula vbique consideret.] Ambrosius item scribit: Obsecrandi sunt Angeli, obsecrandi Martyres: isti sunt nostri præsules, & speculatores vitæ, actuumque.] Atque hi duo vixerunt illis temporibus, quibus hostes fatentur, nihil adhuc corruptum, nihil fuisse immutatum in doctrina Apostolica. Tertius est Hugo à sancto Victore, cuius hæc sunt verba: Sicut Angelis: ita & Sanctis qui Deo adsistunt, petitiones nostræ innotescunt in Verbo Dei quod contemplantur.] 7. *L.de virg. L.de Viduis & Ser.77. L.2.vlt.*

MIN.

1 MINIST. Hic alter modus cognoscendi satis liquet, tum ex verbo Dei, tum ex antiquorum testimonijs: edissere nobis tertium & postremum.

DOCTOR. Animæ Sanctorum quæ in cælo sunt (ait idem Augustinus) rescire possunt quæ hîc in terris fiant, ex relatu animarum, quæ singulis momentis ex hoc inferiore mundo migrant, vt secum ad superiora loca commeent. Neque enim ambigendum est, quin vt Angeli mutuis inuicem alloquiis fruuntur, suntque inter eos qui alios instruant, & impartiant suo lumine: tale quippiam statuendum sit de spiritibus iam à corporibus seiunctis.

L. de cura pro mart. c. 15.

Isa. 6. Dan. 10. 11. 12. Zach. 1. 2. Luc. 1. Luc. 16. Matth. 17. 2. Macch. 15.

MINIST. Nemo id inficiari poterit, nisi eadem audacia Euangelio fidem detrahat, quo inducuntur Abrahæ ac Epulonis animæ vltro citroque differentes: Moses & Elias loquentes cum Iesu: item Ieremias & Onias cum Machabæo: insuper sanctorum Martyr. spiritus diuinam iustitiam & vltionem implorantes: item, 24. Seniores sese mutuo ad diuinas laudes celebrandas, & miranda opera in cælestibus adhortantes. DOC. Ab hac mente non recedit B. Gregor. explicans istam Ioan. interrogationem: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Ait enim illum scire studuisse, An Christi aduentum annuntiaturus esset spiritibus Patrum in alio sæculo, sicuti fecerat in terris viua voce dum cœtus hominum hîc frequentabat. Quod aliter intelligi non potest, nisi constet spiritus à corporibus separatos suam habere communicationis facultatem. Hoc euidentius declarat Petrus dicẽs Spiritũ Domini Iesu *spiritibus qui in carcere erant, prædicasse*: ac sic etiam mortuis Euang. fuisse. Vnde sequitur animas hominum postquam ex hac vita discesserunt, velle, intelligere, reminisci, mirabilique attamen vero modo secum colloqui, atque inter se conferre de rebus ad gloriam Dei, suam, suorumq; salutem spectantibus reapse conferre. Proinde procul ablegenda est sannionis Caluini procacitas & petulantia, cum animas beatorum imaginatur opus habere oculis & auribus corporeis, vt necessitates nostras aduertant, & preces nostras exaudiant. Deinde damnabilis calumniator deprehenditur, cum audet *profanum commentum, sophisticam garrulitatem, & vana somnia* vocare doctrinam tam bene verbo Diuino, & antiquorum interpretationibus nixam atque fundatam.

Apoc. 6. Hom. 6. in Euang. Matth. 11.

1. Petr. 3. 4.

MINIST. Hæc sane disputatio tantam animo meo consolationem instillat, vt summopere te orem ne graueris exponere, si qui sunt alij modi, quibus animæ beatorum querelas & desideria nostra persentiscant. DOC. Quarta cognoscendi ratio oritur ex incredibili subtilitate, & acumine illorum intellectus, quem Dei gratia perpetuo comitatur. MINIST. Non amplius sane distrahuntur huiusce mundi curis, nullum cum corporea labe commercium habent, non inquietantur horrore mortis, non auocantur necessitate cibi, potus, somni, carent morbis, omnibusque aliis molestiis: itaque tum animus sui iuris semper quasi in procinctu est intentus ad ea contemplanda & meditanda, quæ Dei gloriæ, & proximorum saluti conducunt. Deinde, tanta luce Diuina perfunduntur, vt arbitrer minimum Beatorum sine vlla comparatione doctiorem esse quolibet summo huius mundi Philosopho atque Theologo. DOCTOR. Quemadmodum ergo Abrahami spiritus intellectu præuio scire poterat (etiã apud inferos) Diuitẽ opibus ac delitiis abundasse, Lazarum malis multis afflictum fuisse: deinde, quod fratres diuitis habuerint Mosem & Prophetas; denique, hanc fuisse animam Pauperis, illam Diuitis, licet ante bis mille annos in terris conuersatus nõ fuisset: ita etiam animæ Beatorum non difficulter intelligentia consequi possunt, quibus incommodis conflictemur, & quatenus earum opem & auxilium imploremus.

Apoc. 21.

Luc. 16.

MINISTE. Nihil æque gratum mihi fuerit, quam si istud dogma testimoniis Antiquorum corrobores. DOCTOR. Hebræus pater Aegesippus postquam tragice descripsit Ierosolymorum vrbis & templi lamentabile excidium, sic præcipuos populi Patres in infandi luctus ac doloris aduocat consortium: Vide Abraham, vide Isaac, vide Iacob, miseram progeniem tuam humi prostratam & abiectam quibus fieri potest miserrimis modis. Intuere Moses populum quem eduxisti de Ægypto, & quem mirabiliter per deserta gubernasti. Intuere Iosue, gentem, pro qua tot bella gessisti contra Reges & populos Chananæor. Intuere Dauid Ierusalem in qua regnasti. Aspice Salom. templum quod ædificasti. Aspicite Elia, Elisee, Isaia, Ierem. Dan. aliique Prophetæ deploratissimam conditionem filiorum Israel, quos tanto amore complexi estis, &c. MINIST. Non est dubium quin hic Apostolicus vir crediderit & docuerit cælestes animas, ea quę in terris fiunt, contemplari: non quidem obtutu aut sensu

Li. 5. de excidio vrbis.

Serm.

sensu corporeo: sed claritate & acumine intellectus.

10. *Ser. de laudibus Patriarcha.* DOCT. B. Ephrem gente Syrus, Ioseph, sic eum cum defuncta matre Rachele sermones miscentem inducit: Aspice dulcis mater, aspice miserum tuum Ioseph, domo patris extorrem, fratribus exosum, diuēditum exteris, & in seruitutem abductum ad ea loca, quæ prorsus ignorat. Aperi sepulchrum, ô mater, & eum suscipe tecum in requiem, quē cum dolore enixa es, quique nunc tot ærumnis oppressus in captiuitatem abripitur, &c.

11. *Orat. in laudem patris.* Perantiquus pater, & magnus Theol. Nazianz. hoc sermone defunctum beatumque patrem suum compellat: Fac vt norimus quænam sit gloria tua, quantum lumen te circumsistat. Suscipe tecum vxorem tuam, & liberos tuos: atque ignosce nobis, si quid in commemorandis laudibus tuis prætermisimus. *In laudem Cypriani.* Deinde conuersus ad Cypr. exclamat: At tu nos è cælo benignus aspicias, sermonesque nostros, & vitam gubernes, &c. Idem facit, & orat. in laudem B. magnique Basilij.

12. *Ep. ad Ripar. contra Vigilant. Apoc. 14.* Latinus pater Ieron. aduersus Vigilantium hæret. fortiter asserit, quod cum dæmones incredibili celeritate sic orbem circumeant, vt quodammodo vbique præsentes esse videantur: longe credibilius sit beatos spiritus Agnum sequentes quocunque ierit, scientia & intellectu percipere preces, quibus ipsos inuocemus.

13. MIN. Pertexuisti, & multis adfirmasti, quartum modum: ordire quintum. DOCT. Sancti etiam negotia & desideria nostra nosse possunt, ex viuida recentique memoria, quę in ipsis residua superest, earum rerum quas experiendo didicerunt aptandas, aut refugiendas, dum nobiscum in humanis essent. *Luc 16. 2. Petr. 1.* Sic enim anima Diuitis reminiscebatur quinque fratrum suorum, vitæque perditæ, quā in terris degebant. Hoc modo Petrus iam morti vicinus pollicetur se operam daturū, vt post obitum suum discipuli eius indelebili memoria conseruent ea, quibus ipsos dum in terris esset, erudierat. Id quod successorum eximius B. Clemens sic explicat, *Epist. 1. Oecum. in c. 1. ep. 2. B. Petri.* quasi promitteret, se cum cælo receptus esset, non desiturum orare Deum pro ipsis: & Scholia Græcorum idipsum comprobant.

14. *[illegible] ad [illegible]* Ignatius, Ioannis Apost. ac Euang. discipulus pollicetur Trallensibus, spiritum suum fore memorem ipsorum, simulatque ad A superos peruenisset, quo iam instante martyrio, proficisci maturabat.

Paulus Neroni, cuius iussu capite multatus est, prædicit fore, vt tertio post obitum die, ipsi appareret: quod etiam promissi memor effecit, vt testis est Nice. 15. *Niceph. l. 2.*

Potamiena re & euentu compleuit, quod Basilidi carnifici suo facturam se receperat, nempe, se triduo post mortem optabile nuntium ipsi allaturam super conuersione & salute, quia pudicitiam eius à petulantibus vindicarat, cum pro fide Domini nostri eam ad supplicium duceret. 16. *Euseb. li. 6. hist. c. 5.*

Cypr. Cornelium Papam obsecrat, vt qui B prior ex alterutro decederet, pro superstite apud Deum preces assidue conciperet. Idem affirmat nos in cælis magnam habere frequentiam propinquorum affinium, fratrum, & amicorum, qui aduentum nostrum votis expetunt, & certi de sua salute, de nostra sunt solliciti. 17. *Ep. ad Cornel. Serm. de mortal.*

Hieronymus certam animo spem concipit fore, vt Heliodorus pro se Deum oraret: & vt Blesilla Paulæ filia defuncta pro matre intercederet, quæ ipsam in ventre gestauerat: & pro se, qui eam instituerat, &c. 18. *Ep. ad Heliod. Epist. ad Paulam.*

MINIST. Acquiesco his decem testimoniis. Satis enim inde colligo non cum C morte corporis exstingui spiritalem memoriam animorum cælestium: sed velut natiuam facultatem immortalium spirituū semper viuere, ac vigere, nunquam interquiescere, versari in perpetua recordatione fratrum & amicorum.

Proinde, sancti multam ærumnarum nostrarum cognitionem habent, & curam gerunt desideriorum, quibus opem eorum prece prouocamus. Nunc itaque accedere possumus ad præcipuam quæstionis partem, vtrum scilicet, Sancti Paradiso recepti nobis bene precentur.

D

BEATI SPIRITVS CAELIS SVSCEPTI *pro nobis orant & intercedunt apud Deum: contra errorem 59.*

CAPVT XIII.

DOCTOR.

SCio equidē Archisynagogū vestrū Calu. vehementer huic sententiæ refragari, quippe

In 1. ad Tim. c. 2. Et in 1. Cor. c. 13. Verba eius Gallica Latine reddimus. quippe qui scribat: *esse mera deliria, à cerebro humano conficta, falsam doctrinam sine vlla Scripturarum authoritate fabricatam, si quis credat aut doceat Sanctos defunctos pro nobis intercedere. Nec quidquam absurdũ consequi, si dicamus, Sanctos placida quiete gaudentes, nullo caritatis sensu commoueri, vt auxilium ferant iis, qui adhuc in terris versantur.* Author eius libri, qui superba inscriptione *Clypeus fidei* vestræ nominatur, hanc quæstionem tractans, ait: *Scriptura de hoc capite verbum nullum facit, nec Deus nobis hoc arcanum verbo suo reuelauit: proinde, curiosa quæstio est, inutilis, superuacua: neque enim id scire salutis nostræ interest, atque adeo nullum emolumentum inde proficiscitur.* Et post paucula subiicit: *Hæ sunt rationes meæ, quibus adducor vt negem Sanctos orare pro nobis.* Hæc huius sectæ sententia: quid tu de hac re censes?

(Dial. 8 f. 145. 146.)

Confut. 1. MIN. Confiteor ingenue me olim in eodem errore fuisse: sed me Deus ab hac prauitate liberauit: quod quomodo, quave ratione id contigerit, paucis exponam. Primum, legi sedulo Apologiã Melanchthonis pro Confessione Augustana, quam tanti facit Lutherus, vt eam canonicis libris exæquare non vereatur. Ibi scriptum reperi: *De Sanctis etsi concedamus, quod sicut viui orant pro Ecclesia vniuersa in genere, ita in cælis orent pro Ecclesia in genere, tametsi testimonium nullum extet in Scripturis præter illud ex l. Machabæorum posteriore, &c. Exstat quoque apud Zachariam oratio Angeli precantis pro Israele, & sancta ciuitate, &c.* Hæc lectio labantem animum meum valde impulit. Non quod magnopere mouerer authoritate Lutheri vel Melanchthonis, quibus tamen tunc temporis multum tribuebam, quam quod eam doctrinam certo & irrefragabili Zachar. testimonio firmari videbam. Exinde, fixum mihi immotumque sedit, Animas beatorum cum Deo in cælis viuentes orare & intercedere pro nobis fratribus suis.

(2. Mach. c. 15. Zach. 1.)

2. Secundo, cum scripta Caluin. firmatiore iudicio peruolutarem, hanc sententiæ meæ cõfirmationem deprehendi ex his eius verbis: *Angelorum orationes leguntur sæpius, neque id modo, sed in Dei conspectum per eorum manus perferri dicuntur fidelium preces.* Hinc concludebam. Veritas ab innito extorquet, vt fateatur Angelos Dei nõ solum orare pro nobis, sed etiam deferre preces aliorum Sanctorum coram Deo. Manifestus igitur calumniator est Calu. cum istius doctrinæ respectu Catholicos vocat *garrulos, sophistas, pecora, fatuos, superstitiosos, profligatos, & sacrilegos.* Nam hæ omnes contumeliæ in ipsius caput recidunt.

(Inst. l. 3. c. 20. §. 23. & 24. Zach. 1. Tob. 1. Tob. 12. Actor. 10. Apoc. 8.)

Tertio, quando addit superioribus: Probabile esse *Sanctos stata atque immota voluntate in regnum Dei aspirare, quod non minus impiorum interitu, quam fidelium salute constat. Quod si verum est, eorum quoque caritatem in communione corporis Christi non dubium est contineri, nec latius patere quam fert communionis illius natura, iam vero in hunc modum pro nobis orare tametsi concedam, &c.* Atqui certo proposito salutem fidelium quærere, sanctũ desiderium & flagrantem caritatis affectum demonstra. Eiusmodi autẽ affectio quid aliud est, quam omnibus numeris absoluta deprecatio, ac eleuatio mentis in Deum in gratiam proximi. Perspicuum est igitur beatos spiritus orare pro nobis. Adhæc, si Caritas eorum inclusa est in communione corporis Christi, quo sensu etiã precari intelliguntur, hæresiarcha secum pugnat, & legem in semetipsum sancit, cum alibi negat & Caritatem, & communionem, & intercessionem Sanctorum. 3.

Quarto fidem præcedentem adauxit scribendo: Ita vnus statuitur Mediator Christus, cuius intercessione propitius & exorabilis nobis reddatur Pater. Quamquam interim & suæ Sanctis intercessiones relinquuntur, quibus alii aliorũ salutẽ mutuo inter se Domino commendant, de quibus meminit Apostol. sed tales, quæ ab vnica illa dependeat, &c. Porro alibi Sanctos vita functos sub hac vnitate comprehendit. Non oportet igitur ambigere, quin salutẽ nostram procurent, & impenso studio desiderent, eamque precibus suis Deo commendent. 4.

(Inst. l. 3. c. 20. §. 19. 1. Tim. 2.)

Quinto, animam meam in hanc sententiam obfirmauit cum sic dixit, vt e. gallico sermone eius Latine ad verbũ reddam: *Deus nõ vult vt exercitium caritatis, quod præcipit nobis monstrare in mutuis pro inuicem precibus sit infructuosum. Quod nos inuitare debet ad optandam intercessionem fratrum, dum aliqua vrgemur necessitate. Non enim Deo tantum est gratum exercitium, sed etiam nobisipsis vtile.* Quæ porro rationes & causæ tribuuntur hic mortalibus & vitiosis, eædem etiam competunt iis qui secundum animas immortali æuo fruuntur, & in cælis gratiæ confirmationem acceperunt. Sequitur ergo, vt & hi pro nobis fratribus adhuc licet exulibus intercedant. 5.

(In 2. Cor. c. 1.)

Explebo senionem contradictionũ Hugnost. hoc lemniscato corollario venerabilis Bezæ: *Atqui caritas (inquiunt) nunquam excidit, ac proinde salutem nostram sitiunt Sancto-* 6.

(Confess. ca. 4. art. 16.)

rum spiritus in cælis versantes: Id nos concedimus. Obiectio autem quam proponit Beza sumpta est ex ipso textu Apost. proinde Paulum ipsum impudentissimus lanista sumit sibi antagonistam. Et quando fatetur caritatem in Sanctis permanere, Caluinum suum coarguit, qui id negat. Postremo, cum largitur nobis, Sanctos salutis nostræ cupidos & studiosos esse: hoc posito, efficitur sua sponte eos orare pro nobis. Huiusmodi namque votum ac desiderium efficax est coram Deo oratio. Hactenus fideliter tibi retuli sex rationes, quibus initio impulsus sum, deinde, plane persuasus vt crederem, & in concionibus docerem tanquã salutarem ac Euangelicam doctrinam, Sanctos cæli ciues nobis fratribus suis bene precari. Rem feceris mihi gratissimam, si caput istud aliis probationibus firmandum sumpseris.

7. DOCT. Iam à nobis ante demonstratum est tam expresso Dei verbo, tum interpretatione antiquorũ Sanctos præditos esse perfecta erga nos caritate, sanctam inter nos & illos cõmunionem intercedere, nec ipsos fugere quæ sit ratio rerum nostrarum. Vnde liquido colligitur, quod votis exoptent, & continuis precibus salutem nostram procurent. Nam eiusmodi desideria veræ preces sunt coram Deo.

8. Satis item probauimus iisdem modis, & beatissimam Deiparam, & sanctos Angelos intercedere, ac postulare pro salute mortalium. Itaque nulla superest de sanctorum intercessione dubitandi ratio. Sed vt votis tuis pro viribus faciam satis has probationes superioribus adiiciam.

9. Animæ Sanctorũ in Paradiso cælesti degentes non possunt esse deterioris conditionis, quam animæ reproborum in inferis. MIN. Imo vero nisi infinitis modis perfectius esse statuantur, miscebimus sacra profanis, cælũ terræ, Paradisum inferno, Deum (quod cogitatu nefarium est) cum diabolo confundemus. DOCT. Atqui in Euangel. Luc. 16. Filius Dei narrat animam diuitis cum torqueretur flammis infernalibus, preces Abrahamo nuncupasse pro fratribus suis ne venirent in eundem locum tormentorum. Longe igitur conuenientius est, idem statuere de Sanctis Paradisi nimirum, eos tum in genere, tum speciatim pro salute proximorum suorum Deum exorare.

10. MIN. Peruincit ratio ducta à minori ad maius. DOCT. Spiritus illi cælum habitantes, tam perfecte cohærent cum cap. suo Iesu Christo, vt prorsus eadem omnia ex animo velint, optent, atque desiderent. Nam absq; hoc foret, vt nullo modo censeri possent vera & viuentia membra corporis eius, & vnum cum ipso, velut ipse prædixit. Sed Christus quatenus homo precatur, intercedit, atque postulat pro nobis continuo apud Patrem. Ergo sancti conspirante voluntatis affectu, preces itidem concipiunt, quod non aliud est, quam pro nobis orare. Io. 10. 14. 15. 17. Io. 17. Rom. 8. Heb. 9.

Adhæc, Scriptura identidem præcipit, vt alii pro aliis precemur, salutemque proximorum, non secus ac nostram, votis expetamus. Et saluator formulam orandi præscribens, iubet vt in communi dicamus: *Da nobis panem nostrum, dimitte nobis debita nostra: Ne nos inducas in tentationem, libera nos à malo.* Quinetiam iubet vt precemur pro iis qui oderunt, persequuntur, & calumniantur nos. Præterea, sacræ literæ scatent exemplis, vnde colligitur, eiusmodi preces Deo gratas esse, & perutiles iis, in quorum gratiam funduntur, Id apparet ex precibus Loti pro Segor, Abrahami pro Abimelec, Isaaci pro vxore sua, Iacobi pro Iosepho, Mosis & Aaronis pro Israele, Eliæ pro impetranda pluuia, Elisæi pro famulo suo, & hospita: denique Centurionis pro seruo, Chananææ pro filia, Marthæ & Magdalenæ pro fratre suo, &c. felices animæ Cælitum non minore studio æternam salutem nostrã exambiunt, quam prædicti temporariam incolumitatem exoptabant, nec minore gratia valent apud Deũ quam illi, longe vero flagrantiori: quod & de caritate similiter iudicandũ est. Quibus rationibus liquido patet, eos pro nobis orare ac intercedere. Quid habes quod contra reponas? MIN. Hæc sane sunt testatissima veritatis oracula, illustribus exemplis comprobata, sic nolim contra Deũ pugnare. Tot deniq; videre mihi videor opima spolia, & trophæa de hoste subacto, quot argumenta, quotq; periodos in eum emittis. Quidquid porro tergiuersentur aut obmurmurent sacri isti sanctorum hostes, nunquam erit vt harum probationũ tormenta cauillationibus eludere, aut viribus propulsare possint. 11. Iac. 5. Matth. 6. Matth. 5. Gen. 19. Gen. 20. Gen. 24. Exod. 32. 3. Reg. 18. 4. Reg. 4. & 6. Matt. 8. 15. Io. 11.

12. Nunquid autem ex antiquorum patrum promptuariis hæc eruta sunt? D. Hier. ante annos mille ducentos ita scripsit: Si Apost. & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti: quanto magis post coronas, victorias, & triumphos?] &c. Continuo his exemplis propositum firmat. Moses L. contra Vigilant.

Exod. 32. ses sexcentis hominibus veniam impetrauit. Stephanus pro persecutoribus obtinuit. Paulus ait ducentas 75. animas sibi condonatas fuisse. Quid igitur absurdius fingi potest, quam si putemus, postquã nunc Christi iuncti sunt, os ipsis esse obturatum ne pro iis orare posint, quos in vita docuerunt? Si precantur pro nobis quo tempore procul absunt à Deo, terrenisque curis & cogitationibus seuocantur: quanto id impensius facient, quando immortalitatis coronam, & perpetuam à laboribus vacationem sunt adepti?

Actor. 7.

Actor. 27.

13. Nazianzenus Hieronymi præceptor, hoc eodem argumento subnixus, in Orat. funebri, sic de patre suo vita functo loquitur: Nunc magis proficit nobis precibus, quam antea doctrina: quanto etiam Deo propinquior est, postquam deposuit corporalia. MIN. Ne præscriptis verbis immoremur, dic sodes authorum veterum nomina & loca, vbi argum. istud disceptatur.

14. DOCT. Consulendus est tibi Origenes in lib. Iob: Cyprianus serm. de mortalitate: & ser. de stella & Magis: Basilius orat. de 40. Martyribus: Arnobius ad Ps. 105. Euseb. l. 12. de præparat. Euang. c. 1. & l. 13. c. 7. Leo magnus ser. de B. Petro & Paulo: & ser. 2. ac 3. de sua assumptione ad Episcopatum: Chrysost. ser. in laudem Iuuentii & Maximi. Theodore. l. 8. ad Græcos: Ambrosius l. singulari de viduis: Augustinus l. de cura pro mortuis, c. 4. Tractatu 84. in Io. & ser. 17. de verbis Apost. Fulgentius serm. de laudibus virginis: Gregor. l. 2. Dialog. c. vltimo. Nunquid hi duodecim testes tum Græci tum Latini tibi satisfaciunt? An etiam locupletiores desideras? Porro hi omnes in vnam sententiam conspirant, quod scilicet Animæ beatorum nos vt proximos beneuolentia complectantur, salutique nostræ consultum cupiant, atq; pro ea intercedant assidue apud Deum communem patrem & seruatorem nostrũ. MIN. Os nullum haberem, aut haberem plane os Calu. si tam graues & idoneos testes vlla exceptione remouere conarer. Amplector igitur eos tanquam fide dignissimos, & qui à Spiritu S. inspirati veram doctrinam ac religionem eruditiss. scriptis per orbem propagarunt.

15. Zach. 1. Tob. 12. Actor. 10. Apoc. 5. & 8. DOCT. Diuinus ille Spiritus non contentus tam solidis rationibus autoritatẽ huius doctrinæ sanciisse, eandem rursum præclaris exemplis firmauit. Inducit enim Angelos nunc pro mortalibus orantes: nunc offerentes vota & eleemosynas eorũ coram Deo: nunc lætitia exultantes propter conuersionem peccatorum. Est etiam vbi testificatur se tantum tribuere amori fideliũ qui ex hac vita commigrarunt, vt in eorum gratiam ciuitates in libertate conseruet, regna & imperia collabi ad interitum non sinat. Demum, proponit fideles animas Ieremiæ & Oniæ pro Israele deprecantes. Luc. 15. 3. Reg. 11 4. Reg. 8 & 19 2. Mach vltimo.

16. MIN. Duplici cauillo declinant hoc vltimum telum Sanctorum antagonistæ. Primum, aiunt ibi somnium narrari: deinde, lib. esse apocryphum. DOCT. Si nihil habent quod opponãt cæteris probationibus, causa & ratione sumus superiores, ipsi omnino cadunt. Ad primam autem cauillationem respondeo, multa somnia in sacris haberi, vt Iosephi, Pharao. Nabuch. Daniel. Magorum, alterius Iosephi, &c. quæ pro Diuinis reuelationibus & oraculis recipienda sunt. Cũ vero euentus patefecerit illud Machab. istiusmodi fuisse, sacrilegio adstringunt seipsos qui calumniãtur ac despiciunt. Quod ad posterius effugium spectat: polliceor profiteorq; me postea probaturum, & authore Scriptura, & testibus antiquis Patribus hunc 2. Machab. librum canonicum & indubitatæ authoritatis habendũ esse. MIN. Nunc igitur ostende, pium esse ac vtile vt Sancti inuocentur: hoc enim illud est, quod Calu. Discipulis omnibus machinis euertere contendunt. Gen. 37. Gen. 41. Dan. 49. Matth. 2. Dial. 4.

FRVCTVOSVM ET SALVTARE EST hominibus Sanctos cælites inuocare: contra 63. errorem.

CAPVT XIV.

DOCTOR.

NOn sum nescius Caluinũ solemni more debachari, & postquam rationibus se inferiorem videt ad contumelias confugere. Scribit enim inuocationem Sanct. *esse mimicam stupiditatẽ, imo pene rabiem, profligatam insaniam, superstitionem, crassa & enormia monstra impietatis, quibus Papistæ reddiderunt seipsos detestabiles Deo, Angelis & hominibus.* Nec vnquam *exstitisse quemquam siue Angelum siue diabolum, qui hominibus vel syllabam reuelauerit super intercessione & inuocatione Sanctorum.* Beza teneræ scilicet atque imbecillæ frontis homo, ministralem modestiam in theatrum educit, & ait: *Summum, quod ab hominibus perpetrari posit scelus, esse idololatriam, & inuocationem mortuorum.* Paulo post adiicit: *Detestamur* Ex gallicis Latina fecimus. Inst. l. 3. c. 20. §. 21 & 22. Confess. c. 7. art. 11.

mur Confitetor Papistarum tanquam blasphematorium aduersus Filium Dei, quia ibi inuocantur mortui, & per consequens absentes, vt intercedant pro viuentibus. MIN. Non potest opus pluribus citandis immorari. Nam (vt ante monui) nullum est doctrinæ caput, quod obstinatioribus animis oppugnare conentur. Huc omnes machinas admonent, huc vniuersas ingenii vires explicant. Vide tu tantū vt contrariū idonee probes: deinde, vt eorum vim ac impetum propulsare queas.

Confut. 1. DOCT. Educam in prima fronte instructissimis eorū copias qui sub auspiciis & vexillo Mosis militarunt. Is enim de Abrahamo, Lot, Iacob, & Iob, hoc testimoniū perhibet, quod magno cum cultu & affectu S. Paradisi Angelos inuocauerint, & opem eorum implorauerint. Nec hoc nomine reprehenduntur tanquam homines superstitiosi vel idololatræ: sed magnopere laudantur, & exaudiri meruerunt, quasi re bene gesta. MIN. Iam primum animaduerto, Abrahamum ante pedes Angeli procidnum dixisse: *Obsecro, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel, &c.* Rursus: *Ne quæso, indigneris Domine, si loquar.* Angelus item sic Lotum alloquitur: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua locutus es:* aperte declarans Loti preces antecessisse, easdemque gratas & exauditas fuisse. Sed nō succurrit mihi locus vbi Iacob & Iob Angelos inuocarint.

Gen. 18.

Gen. 19.

2. DOCT. Moses narrat Iacob postquam tota nocte cum Angelo colluctatus esset, qui sub effigie humana sese ipsi obtulerat, surgente aurora dixisse: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Quod alius Propheta sic interpretatur: *fleuit.* scilicet Iacob, *& rogauit eum,* nempe Angelum. MIN. Certe, cū Creatura creaturæ benedicit, pro eodem orat ex affectu, vt ex benedictionib⁹ Legis perspicuum est, vbi Sacerdos dicere iubebatur: *Benedicat tibi dominus, & custodiat te. Ostendat dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat dominus vultū suum ad te, & det tibi pacem.* Non igitur ambigendum quin Iacob angelū inuocarit, seque eius tutelæ & clientelæ commendarit, ac denique exauditus fuerit.

Gen. 32.

Ose. 12.

Num. 6.

3. DOCT. Quod ad Iobum attinet, res est manifesta ex eo quod narratur. Admonitus ab amico, *vt ad aliquem sanctorum angelorum se conuerteret,* qui sui misereretur, secutus cōsilium, omnes obtestatur his verbis: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* MIN. Quis de Angelis locū interpretatur? DOCT. Primum, 72. selecti ex toto populo Dei, qui abhinc bis mille annis, sacra Biblia in linguam Græcam transtulerunt. Deinde, Hier. Philippus, presbyter, August. seu Ticonius, suis in lib. Iob cōmentariis. Quocirca nihil dubii relinquitur, quin hi quatuor Patriar. Angelos inuocarint, ac exemplo præluxerint vniuersæ posteritati. Nec possunt hic delitescere sub futili calumnia vt illos dicant mortuos vel absentes: siquidem Angeli sunt immortales, Patribus illis adfuerunt, precesque eorum exaudierunt, & opem eisdem attulerunt. Nec audebunt inficiari vere Angelos fu sse; quando & Scriptura istud refert, Calu. Muscul⁹, Borrhaius, Vermil. & Luth. id vltro fatentur. Manet igitur ratum, ipsoq; expresso Dei verbo constabilitum hoc dogma, non modo licitam, sed vtilem ac salutarem esse sanctos Angelos inuocari, & ipsis vota nuncupari.

Iob. 5.

Iob. 19.

MIN. Vt certius & clarius adhuc liqueat, alios rursum testes producas. DOCT. Patriar. simulque Proph. Tobias filium vnigenitum longinquo committens itineri, ipsi & comiti eius, quem hominem esse putabat, felicem profectionem precatur: *Angelus Domini comitetur vobiscum.* MIN. Manifestum est quod eis fausta omnia optat ab Angelo. DOCT. Raguel vir & ipse pius iisdem redeuntibus ait: *Angelus domini sanctus sit in itinere vestro.* MIN. Et istæ formulæ sunt precationum, quas proculdubio à patribus traditas retinebant, velut vsu approbatas ab ipso populo Dei. 4.

Tob. 5.

Tob. 10.

DOCT. Daniel quoque familiari sermone compellans non solum Angelum Gabr. subinde obsecrat eum, vt ipsi visiones oblatas exponat, & reuelet mysteria quæ minus capiebat. Verum etiam ad alios beatos spiritus thronum Dei circumstantes accedit, & veritatem orando quærit ab eis de omnibus quæ viderat. 5.

Dan. 10.

Dan. 7.

Addo & Zachariam Proph. sanctum Dei Angelum sæpius rogantem: *Qui sunt isti Domine mi? Quid sunt hæc? Quid isti veniunt facere? Quod tu vadis? Quid sunt hæc domine mi?* Rursumq; Zachariam sacerdotem qui Angelū Gabr. interrogans petit: *Vnde hoc sciam?* Imo & ipsam Deiparam virginem, quærentem ab Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Petunt enim rogantque ab eis doceri de iis, quæ adhuc eos latebant. MIN. Nihil hic video absonum, sed omnia consentanea cum verbo Dei, & veteri traditione Patriarcharum & Prophetarum, qui in auxilium Angelos aduocauerunt. Indeq; 6.

Zach. 1. 2. 3. 4.

Luc. 1

patet

patet Caluinum impudentissime scribere: *Nec angelum nec diabolum vel minimam syllabam reuelasse de inuocatione Sanctorum.* Diabolorum quidem reuelationes abhorrentes, Luthero & Zvvinglio, illas in scriptis iactantibus, missas facimus: tot à bonis & beatis Dei nunciis: quot superius retulimus, contenti. Nunc de humanis spiritibus tibi disserendum. An etiam opem eorum implorare liceat?

7. DOCT. Deus ipse præcipit amicis Iobi, vt eo sequestro & aduocato vtantur ad iram suam à se auertendã, & pacem exorandam: quo facto, illis protinus ignouit. Idem iubet Regi Abimelecho restituat Abrahamo Saram vxorem suam; deinde, vt eo deprecatore vtatur ad auerruncanda mala, quibus ipse & familia eius, ob illius raptum affligebatur: quod & factum est. Vniuersus populus Dei inuocat S. Samuelem, dicendo: *Ne cesses pro nobis clamare ad dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philistinorum.* Seniores Bethuliæ precibus cõtendunt ab heroina Iudith: *Ora pro nobis, quia mulier sancta es.* Pharao Mosi & Aaroni supplicat, vt pro se apud Deum intercedant: quod sæpius factitarunt. Tempore captiuitatis Babylonicæ, qui residui supererant in Iudæa, sic Ieremiam obtestabantur: *Cadat in conspectu tuo oratio nostra, & ora pro nobis ad Dom. Deum tuũ pro vniuersis reliquiis istis, &c.* quod & reipsa præstitit. Quid multis moror? Paulus selectum illud Christi organum, non dubitat inuocare sanctos Christianos, qui erant Romæ, Thessaloniæ, Colossis, aliisq; in locis, vt horum precibus iuuaretur. Iacobus alter Apost. præcipit, *Orate pro inuicem, vt saluemini.* Hoc quam vtile & salutare sit, probat exemplo Eliæ, qui precibus impetrauit à Deo primum ne plueret; deinde, oportunam pluuiam: hincq; vt cæli flammas iterum & tertio flammas demitterent. Apertæ sunt quoque hæ Elisæi ad B. Eliam, cum in cælum raperetur precatoriæ exclamationes & inuocationes: *Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga eius.* An non his manifeste patet, intercessiones, inuocationesque Sanctorum plurimum valere apud Deum?

Iob. 42. Gen. 20. 1. Reg. 7. Iudith. 8. Exod. 8. 9. 10. Ierem. 40. Rom. 15. 1. Thess. 5. 2. Thess. 3. Coloss. 4. Heb. 13. Iac. 5. 3. Reg. 4. Reg. 2.

8. MIN. Quidquid à te dictum est veritate nititur. Sed obstrepit Calu. & hæc de viuentibus dicta esse firmat: non autem ad mortuos pertinere, de quibus nunc sermo nobis est. DOCT. Eodem fuco fraudem suam obtegebat hæreticus Vigilantius, cuius sinistrum acumen hoc valentissimo cuneo retundit B. Hieronym. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post victorias, coronas, ac triumphos? Vnus Moyses sexcentis millibus impetrat à Domino veniã: Stephanus persecutoribus veniam precatur, & postquam cum Christo esse cœperunt, minus valebunt. Porro cum Sanct. inuocamus, non corporibus, non ossibus, cineribus, aut vestibus, non tumulis aut imaginibus eorũ, (quæ sunt res inanimes ac mortuæ) vota nostra nuncupantur, sed conuenimus illorum animas, quæ nunc in cælesti patrioque domicilio verius viuunt, quam cum terrenis sordibus inquinatæ, & corporeo carceri erant mancipatæ. Quapropter argumentum ductum ab inuocatione Sanctorũ adhuc in terris viuentium, præsens ac efficax est ad cõstabiliendam inuocationem Sanctorum, qui iam sedibus superis sunt recepti.

Ep. ad Ripar. Exod. 32. Act. 7.

Adde quod ex certissimis Scripturarum locis apparet mortales in concipiendis Deo precibus solitos esse commemorando recolere memoriam defunctorum: Deumq; sæpe ipsorum ratione magna præmia hominibus tribuisse, id quod argumento est illos orare pro nobis, Deumque velle vt eos in opem nostram aduocemus. Hac enim mente Moses Dominum precatur: *Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, & Isaac, & Israel seruorum tuorũ, quibus iurasti per temetipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli, &c. Placatusque est dominus* (ait Moses) *ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum.* 9.

Exod. 32.

MIN. Manifesta est commemoratio Sanct. corporibus defunctorum, & domini placatio, sed habes ne ex antiquis authorem, qui locum hunc de illorum inuocatione interpretetur? DOCT. Theodoretus ante mille & centũ annos obseruauit, quod Moses ex piandæ iræ Dei se putans imparem,] adhibuit, etiam patrocinium Patriarcharũ, Aug. quoque ibidem scribit. Admonemur, cum merita nostra nos grauant, ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit.] Consimili sensu locum explicat Chrysostomus Hom. 42. in Gen. & 27. in Matthæum, &c.

Quæst. 67. in Exod. Quæst. 149 in Exod.

MIN. Numquid alii Israelitæ eandem inuocandi rationem secuti, suffragia Sanctorum defunctorum in subsidium adhibuerunt? DOCT. Tres Danielis collegæ in fornacem ignitam proiecti orant Deum, vt 10.

Dan. 3.

non amoueat misericordiam suam ab ipsis, *propter Abraham dilectum suum, Isaac seruum suum, & Israel Sanct. suum.* Et statim auxilio leuati sunt, præsentemque manum Dei auxiliatricem senserunt. Vnde colligitur, veterum sanctorum Patriarcharum commemorationem Deo gratam exstitisse: quandoquidem sic orantes exaudiri meruerunt.

11. Salomon itidem Deum obsecrat ne auertat à se faciem suam propter Dauid fidelem Domini seruum: sed memor esse velit mansuetudinis eius quod quidem Deo non ingratum fuisse successus demonstrat. Pollicetur enim illi, Regnum eius non diuisum iri quandiu viueret, idque in eiusdem Dauidis quantumuis defuncti gratiam, *Veruntamen* (inquit) *in diebus tuis non faciam, propter Dauid Patrem tuum.* 2. Paral. 6. Psal. 131.

12. Quin & Abiam, & Filium eius regni honore dignatus est, quamuis etiam luce forent indigni, *Eo quod fecisset Dauid rectum in oculis Domini.* Postremo, promittit Ezechiæ de Ierosol. *Protegam vrbē hanc, & saluabo eam, propter me, & propter Dauid seruum meum.* Chrysost. in stuporem rapitur fauorem & beneuolentiam Dei meditando erga Sanctos, quod vnius defuncti intuitu, tam prolixa bona & beneficia in posteritatem redundarunt. Qui licet corpore mortuus esset, viuebant tamen & vigebant merita & preces eius apud Deum. 3. Reg. 11. 3. Reg. 15. 4. Reg. 19. In Psal. 50.

13. Baruch propheta, Ierem. nepos & scriba, recitat Hebr. cum Babyl. abducti gemerent sub acerbo iugo seruitutis, vt obtinerent à Deo misericordiam ingemuisse, & in subsidium preces Maiorum suorum, iam vita functorum sic aduocasse, vt eorum contemplatione sui misereretur: *Domine omnipotens, Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum qui peccauerunt ante te.* MIN. Locus euidenter docet Animas patrum in alio sæculo pro filiis & posteris suis precari: posterosque vicissim à Deo petere solitos, vt parentū pro se intercedentium orationes venia prosequi dignetur. Baruch. 3.

14. Sed Hugnostici putant se tutos esse Palladis Ægide, & velut Aiacis clypeo, cum ad latebras solemnes confugerunt, dicendo, lib. istum esse apocryphum. DOCT. Hæc vere puerilis est nænia: siquidem veteres Hebræi, Græci, & Latini, tum priuatim tum publice in conciliis Oecumenicis hunc librum inter Scripturas canonicas retulerunt, idque tam sub nomine Ieremiæ, cuius amanuensis fuit, quam sub inscriptione magis propria Baruch Prophetæ: vt alio in scripto copiose declarauimus. Annot. in l. 5. Irenai, c. 35.

15. Sed addam alium locum notatu maxime dignum, vbi pius ille Patriarcha Iacob in extremis agens, & liberos paterna benedictione impertiens, Angelum suum inuocat. Deinde, prophetico afflatus prædicit futurum, vt nomen eius, ac sanctorum Parentum, à posteritate votis memoraretur dicens: *Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentem diem: Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis* (Ephraim & Manasse:) *& inuocetur super eos nomen meum, nomina quoq; patrum meorum Abraham & Isaac, & crescant in multitudinem super terram.* MIN. Negari non potest, quin imploret Angelum suum, orans eum vt nepotibus suis benedicat: quæ benedictio angelica preces includit, vt est ante à nobis demonstratum. Sed quod ad posterius pertinet. Caluinus & congreges aiunt, *Inuocandi verbo adoptionem siue adrogationem in nomen ac familiam eius significari.* Et hoc scilicet agere Iacob, vt qui ex Ioseph nati erant, dicerentur filii Abrahæ, Isaac, & Iacob. DOCT. Sponte sibi oculos obstruunt, ne veritatis lucem videant. Quid enim opus erat adoptionis beneficio, vt filiorum iura nanciscerentur, cum naturali iure sorteque tales essent? Aut quorsum hic Patriarcha tam sollicite pro duobus illis impetratum cuperet priuilegium commune cum cæteris posteris, qui omnes promiscue nominantur filii Israel, Isaac, & semen Abrahæ? Restat igitur, vt inuocandi verbum propria & genuina significatione hic accipiatur, vt idem notet, quod aduocare in subsidium & opem eum cui vota nuncupamus. Sic namque dicitur: *Quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Abraham inuocauit nomen Domini. Isaac ædificauit altare, & inuocauit nomen Dei. Iacob erexit altare, & inuocauit super eo Deū fortem. Moses constituit aram, & inuocauit nomen Dei. Inuocabunt nomen meum super filiis Israel, & benedicam ipsis, &c.* Non persequar plura testimonia quæ sunt absque numero, contentus superioribus, quibus Inuocandi vocabulo significatur orare & obtestari aliquem, vt abunde probauimus. Atque hæc satis erunt ad elidendam Hugnosticæ replicationis aciem, qua vel male deprauant germanum sensum vocis *Inuocandi*: vel non obseruant tot Scripturæ locos, vbi *Inuocare* nihil aliud declarat, quam precari ac obsecrare. Gen. 48. Ioel. 2. Actor. 2. Rom. 10. Gen. 12. 15. 21. Gen. 26. 33. Exod. 34. Num. 6. Deut. 32.

erare. MIN. Sane si difficiles & obscuriores Scripturarum loci interpretationis lucem accipiunt à magis perspicuis ac euidentibus: cadent causa prædicantes, faterique cogentur inuocationem Sanctorum expressa Scripturarum authoritate fundari.

L.1.in Gen. c.20. DOCT. Quin & Augustinus eximium illud organum Spiritus S. cum plerisque aliis antiquis Patribus, textum hunc B. Iacob intellexerunt de veris precibus & orationibus: quod confirmandis piorum mentibus magnam vim habere debet.

16. MIN. Ex his igitur tot veteris Testamenti testimoniis sine controuersia statuere possimus, fuisse receptam vsu consuetudinem, B & omni tempore comprobatam inter Patriarchas & Prophetas, vt sancti inuocarentur siue Angeli, siue humani spiritus, qui soluti corporeis compagibus ad cælos emigrarunt. DOCT. Nihil causæ est cur quisquam id in dubium vocet, nisi expressis Dei verbis fidem ausit derogare. Sed vt pluribus vinculis constringatur hæretica peruicacia, decem alios locos huc spectantes, etiã cum interpretamento & consensu patrum Circunciforum allegabo.

Gen. 35. Ierem. 31. R.Solomo. Iacob aiunt illi, noluit sanctam fœminam Rachel sepelire in Hebron, sed in Bethlehem, vt pro suis posteris oraret, C cum Nabuchodonosor post direptionem Ierosolymorum, illos Babylonem transportaturus esset: quod & fecit, plorans filios suos, id est, intercedens pro illis.

Ser. de Laudibus Ioseph. Sed & beatus Ephrem author est, Ioseph cum à mercatoribus Madianitis tanquam mancipium in Ægyptum abduceretur, deuenisse in eum locum vbi sepulta erat beata mater Rachel, ibique vbertim fleuisse, matrisque gratiam & opem suppliciter implorasse: quod illi magnum fructum attulit.

17. Iosephus & ipse Hebræus: insuper.

L.9. antiq. c.2. Author libri Seder ollam, c.17. ex l.4. Regum, c.2. & secundi Paralipomenôn, cap. 21. aperte colligunt D Prophetam Eliam, septem post translationem suam annos, misisse literas ad Ioram regem Iudæ, quibus acriter increpuerit eius apostasiam, quod societatem coiisset cum infidelibus Israelitis: eidemque denunciauerit grauem iram Numinis, & instantem regno Regique ruinam. Ex quibus euidens & ratum efficitur, Sanctos affici rerum humanarum cura atque sollicitudine.

18. Cum Dauid ait: *Montes in circuitu eius, &c.*

Psal.124. priscus ille Rabbi Akiba docet, appellatione montium Patres, collium vero nomine matres illæ sanctæ, (Sara, Rebecca, Rachel, A Anna) designari precantes & intercedentes apud Deum pro conseruatione sanctæ ciuitatis. Quam Hebræorum expositionem secuti sunt postea Hieronymus, Augustinus, aliique patres Christiani.

Rabbi Solomo verba ista Sapientis explicans, *Laudaui mortuos potius quam viuentes*, adfirmat hos defunctos laude dignos esse Patriarchas & Prophetas, quorum ope & auxilio Israelitæ apud Deum exaudiuntur. 19. Eccl. 4.

Quando Dominus per Isaiam dicit: *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & nocte nõ tacebunt laudare nomen Domini*, ex sententia veterum Thalmudistarum, loquitur de bonis Angelis: & secundum Rabbi Ionatham & Rabbi Solomonem Patriarchas intelligit, qui meritis ac precibus suis coram Deo Ciuitatem suam defensabant. 20. Isa. 62.

Author posterioris libri Machabæorum testatur Ieremiam & Oniam iampridem vita perfunctos, indesinenter orare Deum pro salute populi, & sanctæ ciuitatis Ierusalem. 21.

Iosephus Gorionis, Ioseph. Matthatiæ, ac Egesippus tres doctiss. & antiquiss. inter Hebr. cum referant excidium horrendum plane famosæ vrbis Ierusalem à Romanis euersæ, Mosen, Aaronem, Phineem, Eleazarum, Iosuam, Dauidem, aliosque sanctos velut à mortuis excitant, ad hanc contemplandam calamitatem, vt miseratione commoti, iram Diuinam suis precibus mitigarent. 22.

Iuxta hanc doctrinam & traditionem patrum suorum circunciforum, Iudæi etiam nostris temporibus, cum sepulturæ corpora mandant, aduocant Angelos custodes Paradisi: deinde, Abrah. Isaac, Iac. Saram, & alios, quorum corpora condita in spelunca duplici Hebron vt spiritus defunctorum suorum opitulentur: eisdemque portas Paradisi reserant. Angeli pacis (inquiunt) egredimini in occursum ipsius, portas Paradisi reserate illi Patres qui dormitis in Hebron, portas horti Eden aperite illi, &c. Satin, hoc aperte cõfirmat inuocationem Sanctorum cœlicolarum, etiam pro quiete defunctorum? MIN. Neminem tam insigni impudentia præditum esse arbitror, qui rem tam perspicuam ausit negare. 23. L. Machzor.

DOCT. Ex hac eadem consuetudine factum est, vt anima diuitis Epulonis sanctum Abrahamum implorauerit pro se, & fratribus suis, nec id ei vitio vertitur: sed quod nullam pauperis rationem habuerit, cum diuitiis ac delitiis superflueret. 24. Luc.16.

25. Hinc etiam fluxit, vox militum, qui intererant supplicio Domini nostri. Nam cum in ipso agone mortis Dominus exclamaret,
Matt. 27. *Eli, Eli, lammasabathani*, putauerunt à moribundo prophetam Eliam inuocari: quæ quidem cogitatio eorum animos non subiisset, nisi communi omnium opinione, & diuturno vsu recepta & firmata doctrina fuisset inter Hebræos, vt sicut Eliæ, sic & aliorum Sanctorum auxilium imploraretur. Hinc clare vides, & certo statuere debes, hanc doctrinam veteris & noui Testamenti authoritate muniri. Proinde, Caluiniani in reprobam mentem traditi sunt, cum illam tot probris ac conuitiis proscindunt. MIN. Decem sane illa testimonia tam sunt clara, tam certa, vt quid obiectari possit nequeam comminisci. Sunt enim hausta ex fontibus Israelis, & vniuersæ Ecclesiæ vsu praxique firmata. Cuperem nunc scire, an totidem testimonia Patrum Græcorum & Latinorum citare possis?

26. DOCT. Imo vero longe plura mihi sunt ad manum. Sed prius lubet hic inserere argumentum ex Symbolo sumptū, quo protestamur credere, *Communionem Sanctorum*. Cum enim tam arcto necessitudinis vinculo cum illis iungamur, vt ciues eiusdem ciuitatis, filii eiusdem familiæ, membra vnius corporis sub eodem capite: non solum possumus, sed & optimo iure debemus eorum opem postulare, vt rebus nostris opitulentur. Illos porro Communionis eius officium adstringit ne desint nobis: sed vt precibus ac meritis suis causæ nostræ apud Deum patrocinentur. Quemadmodum igitur ciuis à ciue, frater à fratre, amicus ab amico subsidium petit: sic in aduersis rebus confugiendum est ad beatissimæ Deiparæ, Angelorum, Apostolorum, & omnium Sanctorum preces atque suffragia. MIN. Hoc quidem argumentum, vt de Geometricis demonstrationibus dictum est, cogit, non suadet. Adde quod ipsi aduersarii fatentur, sanctos omni charitatis cumulo perfectos esse, imo & nobis bene precari: quo concesso, quid est quod dubitemus eos orare, vt in hoc pietatis officio continenter perseuerent? Id autem nihil aliud est, quam ipsos inuocare. Sed responde mihi ad interrogatum de Patribus Græcis.

27. DOCT. Sexcenti triginta eorum Epi-
Actor. 14. scopi in Concilio Chalcedonensi coeuntes, sic de beato Flauiano martyre loquuntur: Flauianus post mortem viuit, martyr pro A nobis oret. Iidem authores Græci ad Leonem qui tunc imperabat, ita scribunt: Sanctissimum Protherium in choro & ordine sanctissimorum martyrum ponimus: & eius intercessione, misericordem ac propitium Deum habere postulamus. An nō hoc est sanctos cœlites inuocare? Nec vero hæc decemuiralis sanctio est, sed consensio sexcentorum triginta Pontificū Ecclesiæ Græcanicæ: tu autem paucorum testimonia requirebas. MIN. Liberalitatem tuam exosculor. Illud etiam mihi nunc in mentem venit Concilium istud esse vnum ex quatuor primis generalibus, quæ B. Gregorius B comparat cum quatuor Euangelistis: & quæ Caluinus & Beza sese amplecti profitentur velut Spiritus sancti oracula. Sed cupio iterum agnoscere. Vtrum posteriora Concilia hanc quoque doctrinam suo consensu firmarint? Ep. ad Leonem.

DOCT. Patres sexti Concilii generalis hæc scripserunt: Solo Deo creatore adorato, inuocet Christianus sanctos, vt pro se intercedere apud maiestatem diuinam dignentur. 28. Cap. 7.

Et in septima Synodo vniuersali Patres hoc decretum sanciunt: Cum timore omnia agamus, postulantes intercessiones in- C temeratæ Deiparæ. Item sanctorum Angelorum, omniumque Sanctorum. MIN. Sufficiunt hæ tres Synodi, quibus interfuerunt tot sancti Episcopi ac Pastores Ecclesiarum totius Orientis. Singulos nunc testes sensim excutiamus. 29. Actor. 6.

DOCT. Non ordiar à recentiore quam à Chrysostomo Constantinopolitano Archiepiscopo, qui ante annos mille ducentos inter Græcos sanctitate & doctrina floruit. Is laudat Imperatores, quod abiectis regni insignibus, & submissis fascibus, flexis genibus procumberent ad sepulchra Apostolorum iis supplicando, vt pro se apud Deum D intercederent. 30. Hom. 66. ad pop. Ho. 26. in 2. ad Cor. Hom. 5. in Matth.

Cyrillus Ierosolym. scribit hunc morem fuisse, vt in offerendo sacrificio Eucharistiæ supplicationes Deo fierent, quo gratæ essent preces, quas Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, aliique sancti pro genere humano profundebant. 31. Catech. 5. mystag.

Ephrem lumen Mesopotamiæ virginem Mariam inuocat tanquam sequestrem & aduocatam apud Deū: deinde, ad omnes beatos martyres, preces dirigit, vt in cœlis impetrent à Deo remissionem peccatorū, quæ ab hominibus in terris committuntur. 32. Ser. de laudib. Mariæ. Ser. de laudib. Ioseph.

Grego-

33. *Orat. in S.* Gregorius Nyssenus martyrem Theodorum, aliosque Martyres obtestatur, vt intercessionibus suis regionem à Schytarum, seu Tartarorum, incursu liberandam curent.

34. Gregorius Nazianzenus in multis ac eruditis Orationibus inuocat nunc magnum Basilium, nunc Athanasium, nunc Cyprianum martyrem. *Orat.* Postremo memoriæ prodit, Iustinam quandam virginem Christianam, forti animo restitisse grauissimis diaboli & carnis tentationibus, per intercessionem B. Mariæ virginis, quam supplicibus votis in opem vocauerat.

35. Basilius Concione de quadraginta Martyribus ita fatur: Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursum lætatur, hos oret: ille vt à malis liberetur, hic vt duret in rebus lætis.

36. *In Euang. de sanctiss. Deipara.* Athanasius huiusmodi preces ad beatissimam Deiparam offert: Inclina aurem tuam ad preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui, &c. Intercede hera, & Domina, & Regina, & mater Dei, pro nobis, &c.

37. *L.12. præparat. c.1. & l.13. c.7. 2. Mac. 15.* Eusebius Cæsariensis compluribus locis hanc doctrinam tuetur, insuper & firmando citat quod refertur, Oniam de Ieremia dixisse Iudæ Machabæo: *Hic est fratrum amator qui multum orat pro populo & sancta ciuitate.* Hincque colligit æquum esse, vt sancti à Christianis colantur tanquam amici Dei, & precibus inuocentur tanquam ij, quorum interuentu magna nobis à Deo beneficia conferuntur.

38. *L.5. c.19.* Irenæus martyr ante annos mille quadringentos asserebat, Mariam virginem esse peccatorum patronam apud Deum, his verbis: Virgo Maria virginis Euæ facta est aduocata.

39. In veteribus Liturgijs, quas Græci vsque in hanc diem per vniuersum Orientem vsurpant, vt continua serie seruatas ex quo patribus à Iacobo Apostolo, Clemente & Dionysio Apostolorum Discipulis, magno Basilio, & Chrysostomo traditæ sunt: in iis inquam Liturgijs, religiosissime virgo Maria, necnon Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, &c. inuocantur vt ipsorũ intercessionibus Ecclesiasticæ res tum priuatim tum publice bonum ac fœlicem euentũ sortiantur. MINISTR. Sufficiunt hi Decemuiri ex sancta & docta antiquitate Græca producti. Totidem ex orbe Romano proferas, vt omnibus appareat, quam admirabili sententiarum consensione Spiritus

A sanctus deuinxerit Gentes moribus & linguis dissonas, & terrarum regionibus maxime disiunctas.

40. *Serm. de Annunc.* DOCTOR. Primipilaris duxerit in hoc certamine magnus ille vir Augustin. qui ante annos mille & centum doctrinam istam illustrauit. Is hac pia sanctaque precatione concionem suam de B. Maria virgine concludit: Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, intercede pro deuoto fœmineo sexu, &c. *Tract. 84. in Ioan.* Alibi Cyprianum martyrem inuocans eundem à calumniis Donatistarum vindicat. Deinde, docet in sacris mysterijs memoriam inseri B Martyrum, non vt pro eis oremus, sed magis vt ipsi pro nobis orent. *Ser. 17. de verb. Ap.* Alio in loco scribit: Iniuria est pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendare. *L. de cur. pro mort. c. 4.* Ad extremum ait: esse in rem defunctorum, vt in memoriis & basilicis Sanctorum sepeliantur, quatenus ab amicis superstitibus, eorum curæ beneuolentiæque commendentur, tanquam fidelium aduocatorum.

41. B. Leo Papa publicitus Petrum Paulum, & Laurentium martyrem inuocat, Epilogo concionum, quas super eorum laudes habuit ante mille & ducentos annos: authorque fuit auditoribus suis, vt exemplum sanctissimi C pastoris sui æmularentur.

Idem in fine cuiusdam sermonis de Epiphania, populares suos his verbis adhortatur: Confirmate amicitias cum sanctis Angelis, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribusque, & per bonam æmulationem ipsorum ambite suffragia.

42. *Ser de laudib. Mariæ* Iam ante notauimus, virgines, viduas, matres, & omnis ordinis homines à Fulgentio admoneri, vt virginem Mariam precibus obtestentur.

43. *L. peri stephan.* Insignis ac elegans poeta Christianus Prudentius versibus suis egregias preces nuncupat Laurentio, Cassiano, Hippolyto, alisD que Martyribus: testaturque hunc inter Christianos morem suo tempore vsitatum fuisse. Vixit autem circa annum trecentesimum octogesimum ab Apostolis.

44. *Panegyric. & ep. 12.* Paulinus arcto necessitudinis iure cum Hieronymo & Augustino deuinctus, curam sui suorumque omnium, precibus Celsi & Clari martyrum religiose commendat.

45. *L. 2. hist. c. 33.* Ruffinus Aquileiensis commemorat Imper. Theodosium, cum paulo antequam periculosi prælij fortunam experiretur, cilicio indutum procidisse ante corpora sanctorum

rum Apostolorum & Martyrum, auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscentem.

46. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, eam obsecrat, vt precibus suis coram Deo senectutem suam subleuandam curaret. Idem

L. cont. Vigil. prætera, scripturis & rationibus valentissimis refellit hæreticum Vigilantium, sanctorum preces & intercessiones explodentem.

47. *In cap. 21. Luc.* Ambrosius vehementer approbat pietatem Imperatorum & Regum ætatis suæ, à quibus sancti Martyres inuocabantur. Illi fiunt supplices: hi patroni. Et in libro de viduis, eas hortatur ad implorandam opem Angelorum, qui nostri tutores & defensores sunt constituti. Nec minus ait, supplicandum esse Martyribus, qui ratione humanitatis propius nos contingunt. Non erubescimus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis etiam cum vincerent, cognouerunt.

48. *In Ps. 124. 129.* Hilarius, quem Hieronymus vocat Tubam Latini sermonis contra Arrianos, alicubi asserit nos Prophetarum & Apostolorum intercessionibus plurimum indigere, vt Deus nostri misereatur. Alibi scribit: Intercessione Angelorum, non indiget Dei natura: sed infirmitas nostra.

49. *Ep. ad Presbiteros & Diaconos.* Doctus & constans martyr Cyprianus cum festos dies Martyrum præcipit celebrari, nonne & illud simul iubet, vt inuocentur? Siquidem populares eius Augustinus, Fulgentius, Eugypius, ad hunc finem festa Sanctorum comparata esse dicũt, vt eorum meritis consociemur, & precibus adiuuemur. Quid cum idem ait, Sanctos esse quidem de salute sua securos, de nostra vero sollicitos? Quid cum à Cornelio precibus pacisciur, vt vter eorum prior decederet, assidue apud Deum pro salute alterius intercederet.

Serm. de mortal. Ep. ad Cornel.

MIN. Nihil certius dici potest. Proinde quisquis adhuc hæsitat in via tam plana, omni fide, religione, imo & ipso sensu communi caret

50. DOCTOR. Commode sane ratiocinaris. Cum enim tot Scripturis fidem habere detrectant, nec sanctos Patres interpretes admittunt, id manifesto argumento est, eorum mentes nulla religione imbutas esse. Deinde, splendida mendacia, & pudendæ contradictiones primariorum Ministrorum aduersus hanc doctrinam insurgentium, satis declarant omnibus, ipsos communi sensu destitui. MINISTER. Velim istud apertius declarari. DOCT. Cum pertinaciter defendere conantur, *inuocationem sanctorum esse nuperum commentum*, mutuis contradictionibus seipsos inuicem dilacerant, & (vt Horatiano versu vtar) lupis & agnis quanta sortito obtigit, tanta illis inter se discordia est. Melanthon ore ferreo canis, ait eam cœptam esse temporibus Papæ Gregorij, nec vllam antea mentionem istius doctrinæ fando vel auditione vsurpatã fuisse. MIN. Viginti & quinque Patres, tum Græci, tum Latini, quos ex vetere Ecclesia in cõtrariũ produxisti, fœdissimi mendacij hominem conuincunt. *Apol. pro confess. August.*

DOCT. Martinus Chemnitius paulo verecundius, ducentis annis eam antiquiorem facit, dicens, *eam statim post Augustini ætatem obtinuisse*. MINISTER. Pleraque pars Authorum quos commemorasti, Augustini tempora centum, ducentis, trecentis, quidam etiam quadringentis annis præcesserunt: quod vel supinam Prædicantiũ ignorantiam, vel obcæcatam malitiam euidenter coarguit. 51. *Examine sess. 22. cõc. Trid.*

DOCTOR. Idem etiam scribit, eum à quo primum cœpta est inuocari virgo Maria, fuisse quendam hæreticum, nomine Petrum Gnapheum, qui vixit anno 470. post Christum natum. MIN. Stuporem hominis, ne dicam pecoris? An non legerat id factitatum à Nazianzeno, Basilio, Athanasio, Irenæo, qui tanto interuallo anteriores fuerunt? 52.

DOCT. Ioannes Hannoniensis & Ioan. Crispinus scribunt, *Theodosium Imperatorem hoc nomine primum extitisse authorem inuocandi sanctos anno circiter 391.* MINISTER. Aut non legerant, aut neglexerant scripta Athanasij, Hilarij, Eusebij, Cypriani, Origenis, & Irenæi, ex quibus contrarium prorsus apparet. Nec dubitandum est, quin cum simplex & vniformis sit natura veritatis, tot hallucinationes, calumniæ, & repugnantiæ ministrales sint euidentes probationes erroris Hugnostici, & doctrinæ Catholicæ confirmationes. 53. *L. de statu Eccles.*

DOCT. Iam ergo accedamus ad argumenta quibus hanc doctrinam conuellere nituntur. MINISTER. Obiciunt Paulum scribentem: *Vnum esse mediatorem Dei & hominum*, nempe Christum Iesum, DOCT. Vnicus sane est ratione ac medio redemptionis. Hoc est, solus is est, qui sanguine in passione & cruce effuso, & merito mortis 54. *1. Tim. 2.*

mortis suæ nos ab inferno, à diabolo, à morte, à peccato, ab ira patris redemit, eidemque nos reconciliauit. Hanc porro genuinam esse verborum Apostolicorum mentem ex antecedentibus & consequentibus satis apparet. Sed non est vnicus aut solus ratione & medio precum: siquidem ipsemet præcipit vt alij pro salute aliorum precemur, & apud communem patrem intercedamus: quo munere ac officio sancti pariter cum eo regnantes funguntur, vt est à nobis copiose demonstratum. Nec ambigere oportet, quin mediatoris ministerium hoc sensu intellectum probe cum Sanctis communicari possit, cum etiam Moses mediator dicatur inter Deum & populum
Deut. 5. Gal. 3. Israelis. Quod Paulus confirmat scribens
Ora. ad *Legem datam fuisse per Angelos in manu media-*
Greg. Nyss. *toris.* Nazianzenus asserit Martyres esse
L. 12. thes. mediatores inter Deum & nos. Cyrillus
c. 10. idem officium ac munus tribuit Prophetis & Apostolis. Ephrem, Bernardus, Anselmus virginem Mariam identidem appellant aduocatam & mediatricem hominum apud Deum. Denique, res est tam aperta & certa, vt Caluinus ipse vi veritatis coactus fateatur, Sacerdotem olim solitum
In c. 1. Luc. v. 9. 23. esse coram facie Dei comparere, *vt inter*
In cap. 16. *Deum & populum esset mediator.* Præterea,
Marc. v. 19 quod Melchisedec, Aaron, alijque Sacerdotes, *tanquam Mediatores, populo nomine Dei benedicebant.* Hoc autem de medio remedioue redemptionis intelligi non potest: superest ergo vt ad preces orationesque referatur. Proinde, huiusmodi officium caritatis Sanctis etiam congruit, citra vllam Iesu Christi iniuriam, cuius meritis innituntur, vt & cum eo, & pro nobis apud cœlestem Patrē intercedant.

55. MINIST. Sed aiunt, Christum opus non habere socio, cum *ipse ab omni parte perfectus*
In cap. 19. *sit.* At ego vicissim illis regero: Sanctos A-
Mat. v. 28. postolos à Caluino subinde vocari, *eiusdem*
& in 22. *gloriæ socios veteres sacerdotes mediatores inter*
Luc. v. 29 *Deum & populum.* Imo, Paulum affirmare
2. Cor. 1. eos, qui passionum Christi participes fuerint
Io. 15. 20. fore socios consolationis. Quin & ipse Iesus
Rom. 8. Christus Apostolos, iam non seruos, sed a-
Ioan. 10. micos, fratres, & cohæredes agnoscit: insu-
Mat. 19. 25 per, vera & viua corporis sui membra assessores suo in supremo iudicio, & conregnātes sibi in cœlesti gloria cognoscit: qui tituli longe sunt augustiores, quam si socij eius & participes dicantur in precibus Deo patri nuncupandis pro salute mortalium. Nec

A quidquam inde detrimenti aut imminutionis capit absolutissima Christi gloria: sed illustratur potius, & magis amplificatur, cum immensis meritis suis non tantum assecutus sit, vt preces suæ Patri sint acceptæ, sed vt & preces quas in nomine eius Sancti concipiunt, exaudiri mereantur.

MINIST. Adiiciunt. Paulus ait, non posse 56.
rite fieri inuocationem, nisi credamus in eū Rom. 10.
quem inuocamus. *Quomodo inuocabunt, in* Ep. ad Phi-
quem non crediderunt? Non conuenit porro vt lem. v. 5.
in Sanctos credere dicamur. DOCTOR. Exod. 14.
Respondeo, eundem Paulum laudare Phi- 2. Paral.
lemonem, *ob fidem quam habebat in omnes San-* 20.
B *ctos.* Totum Israelem laudari, quod crediderit in Mosem. Iosaphat pium Regem populo suo præcepisse, vt crederet in Deum, & in Prophetas eius. Priscos Christianos
non dubitasse dicere: Credo in vnam san- Ioan. 5.
ctam, Catholicam, & Apostolicam Eccle- Orig.
siam. Saluatorem dixisse Iudæis: *Si crederetis in Mosem, crederetis & in me.* Origenem citra vllam hæsitantiam pronunciare: Christianos credere in Deum, & in Prophetas &
Apostolos eius: id quod recte dici multis Com. in ep.
rationibus adfirmatur à Hieronymo. Quo- ad Philem.
circa non absurde dicere possumus, Nos credere in Sanctos, sicut & eos inuocamus.
C Credimus autem eos esse fratres & proximos nostros, fruentes gloria cœlesti, perfecte Deo iunctos, omni caritate plenos, securos de sua salute, & de nostra sollicitos: & idcirco eos continenter Diuinæ maiestati supplicare vt misereatur nostri. Qua fide & persuasione subnixi, votis adiuramus eos tanquam conciues, confratresque nostros, vt in hoc caritatis officio erga nos perseuerent apud Deum communem patrem & creatorem.

MINISTER. Caluinus rursum occur- 57.
rit dicens: *Non esse verisimile sanctos huc &* Inst. l. 3. c.
illuc agitari variis desideriis, & à quiete sua desci- 20. §. 24.
D *scere, vt sollicitudine rerum humanarum distra-* In 1. Cor. c.
hantur: sed ita defixos esse in contemplatione Dei, 13. v. 18.
ac velut absorberi ab ea, vt alio curam & cogitationem traducere non possint. DOCTOR.
Caluinus nimis temere & arroganter de re
tam ardua pronuntiat. Nam vt Angeli sem- Mat. 18.
per videntes faciem Dei nullam imminutionem beatitatis suæ, nullam interpellationē quietis patiuntur, cum paruulorum adeoque nostrûm omnium curam gerunt, cum
iis adsistunt qui hæreditatem capturi sunt Heb. 1.
salutis, cum castra metantur circa timen- Psal. 33.
tes Dominum, cum voluntatem eius

fac un-

faciunt : ita nihil perit de summa fœlicitatis
Psal.103. beatarum animarum, cum sese accingunt ad
imitationem capitis sui Iesu Christi, & cum
eo patrem pro nobis comprecantur.

58. Deinde, si distractio esset à beatitudine & æterna salute cũ Deo preces nũcupantur, Domini nostri Iesu beatissima anima assidue pro nobis apud patrem postulans, tanto maiorem fœlicitatis suæ diminutionem perciperet, quanto magis quam cæteri sancti tum in genere pro vniuersis, tum speciatim pro singulis orat & interpellat. Quam impurissimam hæresin vel Diabolus ipse detestaretur.

Rom.8. Heb.9.

59. Præterea, cum Sancti preces fundunt, & rerum nostrarum curam agunt, non distrahuntur huc & illic vario æstu cogitationum. Nam in contemplatione & fruitione solius Dei vident & agnoscunt quæcunque ad eius cultum, & propriam fœlicitatem spectant, affirmante Apostolo, Deum eis esse omnia in omnibus. Est igitur in Sanctis cœlitibus, intellectus & scientia, voluntas & amor, memoria & reminiscentia, obiectum & idea, & omnium rerum speculum tersissimum.

1.Cor.15. Aug.22. de ciuit. c. 29.30.

60. Ad hæc, Caluinus atroci iniuria bonitatem & clementiam Dei violat, tanquam si is, & eius clara visio facie ad faciem, abyssus esset plena tenebrarum & confusionis, vt omni intellectu ac iudicio priuaret eos qui sui contemplatione fruerentur, efficeretq; stupidos, amentes, & sensus expertes: cum è contrario sit Sol iustitiæ, & lumen infinitũ, à quo diuina claritas vbique diffunditur.

1.Cor.13.

61. Denique, si omnes spiritus qui Deum clare vident, sic ipsius contemplatione prorsus absorbentur, vt omni alia cogitatione vacent, vt hæresiarcha nugatur, anima Christi post ascensum ad superos non cogitasset de salute Stephani, aut conuersione Pauli: non Angelus Gabriel Mariam salutasset: non Michael pugnasset pro corpore Mosis: non Raphael vtriusque Tobiæ curam gessisset: non omnes lætarentur super vno peccatore pœnitentiam agente: non ministrarent iis qui hæreditatem capient salutis: non Moses & Elias (quos etiam aduentum Christi in cœlis Hugnostici collocant) Christo transfigurato adfuissent, nec collocuti essent de excessu quem passurus erat in Ierusalem: non vacaret Martyribus iustitiam Dei aduersus persecutores implorare: non Abrahamo Diuitis precibus & responsis aurem præbere, &c. Quæ si concedantur vah, quæ non

Act.7.9. Luc.1. Iud. Tob. Luc.15. Heb 13. Mat.17. Marc.9. Luc.9. Apoc.6. Luc.16.

A absurditates & blasphemiæ consequentur?

MIN. Pergunt nihilominus vociferari, *Cœlites procul dissitos esse à nobis, magnaeque demẽtiæ esse absentibus vota nuncupare, & surdis fabulas narrare:* DOCTOR. Est igitur archifatuus ipse Beza proprio, & cohortis suæ iudicio, qui cum Caluino mortuo & absente sic fabulatur: *At, tu interea Caluine, fruere apud Christum fidi serui præmiis.* Idem ad Scaligerum, eiusdemque defunctos filios hæc verba dirigit. *Quiescite in Christo pij manes:* quibus & absentes alloquitur, & pro defunctis orat: quæ omnia Hugnosticis decretis penitus aduersantur. Barthasius eorum poeta pari dementia tenebitur, qui beatos Martyres, antea multis sæculis hac functos vita, sic compellat, vt Gallicis versibus Latina respondent: 62.

L.Iconum.

B Triumph. fidei.

Sancta cohors, saluete, lubet coniungere dextras,
Magnanimi heroes, manibus iuuat indere vestris
Victrices palmas, & cingere tempora lauro,
Vt leuet exactos præsens honor iste labores.

Sed & Lutherus supremum dementiæ & stoliditatis gradum obtinebit, quod tanta cũ rabie in beatum Hieronymum, ante tot sæcula huic mundo defunctum fertur vt dicat: *O Hieronyme, cur non te pedibus conculcamus, cũ tua cucula, & Bethlehem?*

Comm in Gen. & colloq. mensal.

C MINIST. Certe negari non potest, quin hi tres cum absentibus verba faciant: quocirca vel summæ dementiæ condemnentur necesse est, quod ab Hugnosticis nunquam expectandum: vel concedendum, contra eorum argumentum, recte & ordinecum absentibus corpore sermones sociari.

DOCT. Adde, quod hoc axioma Zuinglio, Vermilio, Bezæ, ac omnibus Sacramentariis vulgatissimum est, *Christum hominem tanta locorum intercapedine à nobis seiunctum esse, quantum à terra supremus cœlorum vertex distat*
D *atque dissidet.* Erit igitur illis fatendum, aut absentes pie inuocari posse, aduersus nunc allatam ratiocinationem: aut non inuocandum Dominum nostrum Iesum Christum. Quo quid exsecratius cogitari vel dici possit non video. 63.

Respondemus postremo. Sanctos Paradisi nequaquam sic nobis absentes videri, vt isti dicunt, cum idem spiritus caritatis nos in vnum corpus coagmentet, sitque inter eos & nos sancta communio, id est, commune quoddam vinculum, vt veluti cognationis & affinitatis iure copulemur. Ipsi porro 64.

in

in Deo (in quo sunt omnium rerum ideæ) nos, nostrumque statum euidentius perspiciunt, quam anima diuitis epulonis Abrahamum, & Lazarum in sinu eius recumbentẽ. *Luc. 16.*

MIN. Nihil amplius alicuius momenti succurrit, quod ex illis opponere possim tam liquidæ & catholicæ veritati. Siquidem accurate probatum est, sanctorum animas immortales esse, nec morte deleri: easdemque solutas corporibus diuina visione & fruitione donari. Deinde, charitatem in eis longe feruẽtiorem permanere, quam dum terram nobiscum incolebant. Adhæc, esse nobis sanctam cum ijs communionem: denique multas esse rationes quibus intelligere possint, & quid rerum nostrarum vsus exigat, & quid votis impetratum cupiamus. Valide aueo nunc scire, an Deus precibus eorum atque interuentu nobis mortalibus opituletur.

DEVS PROPTER PRECES ET MERITA Sanctorum multa beneficia tribuit hominibus: & veris per eosdem factis miraculis virtutem & beneuolentiam suam in genus humanum manifestat: aduersus 62. & 63. errorem Hugnosticum.

CAPVT XV.

MINISTER.

CAluino nõ satis videtur oppugnare preces & inuocationem Sanctorum, nisi etiam peruicaciter neget Deum adduci precibus & meritis eorum, vt bene benigneque nobiscum agens multa & vera miracula faciat. Quinetiam carpit Augustinum, quod scripserit, Ecclesiam non fuisse habituram Paulum Apostolum, nisi Stephanus pro eo orasset. Præterea, multis cõtumelijs D. Hieronymum onerat, quod magno animi feruore, aduersus Vigilantium, vim earum precum propugnauerit. Postremo, nõ horret scribere, Omnia miracula quæ narrantur à Catholicis per intercessiones Sanctorum accidisse, *meras esse illusiones Satanæ*. Atq; hic totius gregis huius vlulatus.

In acta c. 7 v. 60. Instit. Præfat. Instit.

Confut. 1. DOCT. Spero me effecturum vt conuincantur & damnatæ ingratitudinis erga sanctos, & diabolicæ impietatis aduersus Deum, vbi contrariam sententiam tum expressis scripturis, tum eruditæ antiquitatis testimonijs comprobauero. Sed prius dicẽdum videtur qui primi fuerint eiusmodi calumniarum assertores. In Euangelio referA tur de Iudæis, quod cum Christi miracula inficiatione dissimulare non possent, calumniando ad authorem diabolum retulisse, dicendo: *In Beelzebul principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Simon Magus idem iudicium faciens de miraculis Apostolorum, cõtentiosius studium addixit artib⁹ diabolicis, ratus se hoc pacto vel paria cum ipsis, vel etiã maiora perfecturum. Iulianus, Apuleius, Porphyrius, Lucianus, Philostratus, Peregrin⁹, Eunapius, alijq; desertores religionis Christianæ; necnon Pagani, & Martyrum persecutores, conspicientes miracula quæ ab ijs fiebant, eadem de illis antiquitus dicebant, B quæ nũc isti Caluiniani. Furentes Manichæi, Arriani, Vigilantiani, VValdenses, Bogomili successerunt eiusmodi blasphemijs, & hãc pestilentum & derisorum scholam continuarunt, in quam Caluiniani inuaserunt.

Matt. 9. Luc. 11. Act. 8. Iren. li. 1. c. 20. Cyrill. August. Hieron. Euthym. Nicetas. &c.

MIN. Etiam si nullo alio vitio causa eorum laboraret, tamen hoc vno præiudicio damnati conciderent. Sed accede ad Scripturas.

DOCT. Illæ testificantur Deum condonaturum fuisse Sodomæ, Gomorrhæ, Seboim, Adamæ, totique prouinciæ, si vel decem duntaxat iusti in ijs reperti fuissent: quẽadmodum pepercit vrbi Segor sancti viri C Loth precibus exoratus. Precibus Abrahami sanauit familiam Regis Abimelech; precibus Iobi veniam dedit cognatis eius: precibus Isaac Rebecca vxor eius grauida facta est: Mosis & Aaronis precibus sæpe ab Aegyptijs Deus iram suam auertit, & magna beneficia contulit Hebræis. Precibus Eliæ concessit Deus pluuiam & fœcunditatem terræ effœtæ & hiulcæ. Precibus Elisæi mortuos suscitauit, oleum adauxit viduæ, ac tutum patensq; iter dedit per fluuiũ Iordanis, &c. 2.

Gen. 18. 19. Gen. 20. Iob. 42. Gen. 24. Exod. 8. 14. 16. 17. 3. Reg. 18. 4. Reg.

MIN. Hæc omnia verissima sunt, nec quisquam Hugnosticus in contrarium niti audebit. Sed nostra disputatio non est instituta D de sanctis qui in mundo adhuc erant, sed qui sidereis sedibus recepti sunt.

DOCT. At ego B. Hieronymum secutus authorem, hinc iterum efficax & validum argumenti genus procudo: Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quanto magis post victorias, coronas, & triumphos? Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam: & Stephanus imitator Domini sui, pro persecutoribus veniam deprecatur: & postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt? Paulus ducentos septuagin- 2.

L. aduers. Vigilant. Exod. 32. Act. 7. Act. 27.

ptuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas, & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est? Et pro ijs qui in toto orbe ad suum Euangeliũ crediderunt, mutire non poterit? Melior erit Vigilantius canis viuus, quam ille Leo mortu⁹? Si Paulum in Spiritu mortuũ cõfiterer.

3. His addo ratiocinationes istas. Tactis ossibus Elisæi, mortuus in vitam reductus est. *4.Reg.13.* Eliæ translati è terris, pallio diuisus patuit *3.Reg.11. 16.* Iordanis fluuius. Honori & amori Dauidis concessum est ne regnum Israelis in diebus Salomonis diuideretur: vtque Regi Abiæ *4.Reg.19.* successor daretur & hæres. Item, pollicitus B est Dominus Ezechiæ quod ciuitatem Ierusalem sartam tectam protegeret propter se, & propter Dauid seruum suum: cuius promissi fidem præsenti miraculo sanciuit, cæsis vna nocte centum octoginta quinq; hominum infidelium millibus qui orbem obsidione premebant. Nonne hoc est & beneficia largiri mortalibus, & miracula in terris edere tam per reliquias sanctorum defunctorum, quam propter merita & intercessiones eorum? MIN. Perscriptę sunt authoritates, & optime recordor Chrysostomum id ita interpretari.

4. DOCT. Deus Isaaco promittit se multi- C plicaturum semen eius sicut stellas cœli, da- *Gen.26.* turumque hæreditario iure possessionem terræ Chananæorum, quia pater eius Abraham dum in terris ageret, dicto audiens fuerat, & mandatis diuinis sine cunctatione obtemperauerat. Rursus eum confirmat his verbis: *Noli timere quia ego tecum sum. Benedicã tibi, & multiplicabo semen tuum, propter seruum meum Abraham.* Moses in ea cogitatione defixus, Deo supplicat vt iram aduersus populum suum lentat atq; mitiget, peccatis indulgeat, & placabilis sit ei propter Abraham, Isaac, & Iacob fideles seruos suos, qui qua- D dringentis annis ante, imo & quingentis ex *Exod.32.* hac vita excesserant. Nec successu caruerũt hæ preces, quando statim subijcitur: *Placatus est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.* MIN. Hæ quidem probationes sunt extra omnem replicationis aleam. Non enim Deus duntaxat recipit se filijs benigne facturum ob fœdus cum patribus conuentum: sed etiam ob vir- *Gen.26.* tutes & bona opera ipsorum. Ratio adiuncta declarat, *eo quod obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & ceremonias legesque seruauerit.*

5. DOCT. Cum Deus in lege sua comminatur se visitaturum (id est publicis calami- *Exod.20.* tatibus & cladibus puniturum) iniquitatem *Deut.5.* patrum in filios vsq; ad tertiam & quartam generationem: & è contrario spondet se misericordia vsurum vsque ad millesimam progeniem erga eos qui Deum diligunt, & mandata sua obseruant: nonne vt ipsa promittit se propitiũ fore posteris, ob virtutes & laudata facta parentum defunctorum? MIN. Assentior equidem, & vt hæc sententia magis firmetur, dicam non alio spectauisse Salomonem cum inter precandũ virtutes Dauidis patris sui ita commemorat: *Memento Domine, Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.* *Psal.131.* Nam etiam ex sententia Musculi & aliorum Ministrorum, psalmus ille est precatio Salomonis. Scribit enim ille: *Admonemur sic esse comparatum Deum, vt propter suos benefaciat ipsorum posteris. Deinde, non esse culpabile, si horum à pijs inter orandum fiat mentio. Prima huius causa est immensa illa bonitas diuinæ dilectionis, qua seruos suos sic prosequitur Deus, vt non solum ipsis dum in viuis agunt, sed & posteris post mortem ipsorum benedicat.* *Com.in Ps. 131.* DOCT. Hactenus recte, quoniam quidem germanum scripturæ sensum exprimunt: simulque Catholicum dogma aduersus hæresin comprobant. Sed quænam esse putas beneficia & miracula, quæ Deus erga Salomo- *3.Reg.3.* nem, propter defunctum Dauidem patrem *2. Paral.1. 2.3.* demonstrauit? MIN. Sapientiam conferendo adeo præcellentem, vt omnes qui ante fuerant longo interuallo superaret: nec quisquam postea similẽ est vllo labore consecutus. Deinde, locupletauit eum immensis opibus, beauit regnum ipsius tranquilla pace, & alijs beneficijs affecit, quæ in scriptura memorantur. DOCT. Manet igitur firmum, quod Deus multa bona confert, & ingentia miracula perficit in terris ob preces & merita Sanctorum, quos secum admisit in cœlis.

MIN. Dic sodes, si hæc antiquitate pa- 6. trum confirmentur. DOCT. Augustinus *L.22.ciu. c.8.* cum velut habito delectu enumerat miracula, quæ Deus suo tempore exsequebatur *L.9.conf. c.7.* per orationes & memorias Sanctorũ, refert Mediolani quendam cœcum, videndi vsu ac munere donatum fuisse, cũ ad sepulchra B. Martyrum Geruasij & Prothasij curriculo fugisset: idq; euenisse in conspectu Imperatoris, se & Ambrosio præsentibus. Deinde, sanitati restitutum fuisse quendam dæmoniacum eorundem Martyrum precib⁹: simul-

simulque restitutum eidem oculum, quem A crudelis dæmon egrediens euulserat. Quod cum rumore crebrescēte diuulgatum esset, delatos eodem fuisse alios pari morbo conflictantes, qui simili remedio sanati sunt. Idē memoriæ prodidit mulierem cœcam, presbyterum calculi doloribus cruciatum, Episcopum vulnere saucium, Ethnicum quendam conuersum, tres podagricos, tres adolescentulos, quādam puellam & monialem à mortuis excitatas, & superiores mirabiliter sanatos fuisse protomartyris Stephani, precibus cuius reliquiæ honorabātur. MIN. Caluinus ergo manifestā impietatem prodit, cum detrahit de Sanctorum inuocatio- B nibus, eorumq; deridet miracula.

7. *Ser. 85. 90. 91.* DOCT. Ambrosius author est, multos dæmoniacos ab immundo spiritu liberatos esse, plures item paralyticos, aliisq; morbis oppressos pristinam valetudinem recuperasse, tactis ossibus, & inuocatis spiritibus duorum Martyrum Nazarij & Celsi.

8. *Epitaph. Paulæ.* Hieronymus recitat Paulam mulierem Romanam singularis exempli matronam, admiratione raptam fuisse, cum per terram sanctam peregrinaretur, & videret miracula, quæ fiebāt in vrbe Samariæ, ad sepulchra Prophetarum Abdiæ, Elisæi, & Io. Baptistæ. *Epist. ad Marcel.* Cum item hortatur Marcellam ad istud C iter suscipiendum, eadem rursus enumerat *L. adu. Vigilant.* miracula. Postremo, Vigilantij refellens errorem, obijcit ei miracula quæ fiebant ad contactum reliquiarum Andreæ, Lucæ, ac Timothei, quæ Constantinopoli colebantur. Quæ quidem miracula tam erant perspicua, vera, efficacia, vt ipse diabolus vi diuina coactus, eadem confiteretur. MINIS. Sufficiunt mihi tres isti Latini: quibus si totidem Græcos adiunxeris, nihil est quod vltra desiderem.

9. *Orat. in Babyl.* DOCT. Chrysostomus in concione palam testatur, sanctum martyrem ac Episcopum Babylam, præsentia reliquiarum sua- D rum, os obturasse diabolo proferre responsa solito: templum Apollinis euertisse: plurimaque miracula fecisse: quorum etiam Ruffinus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, ac Nicephorus in Ecclesiasticis historijs meminerunt.

10. *L. de vita prophet.* Epiphanius scribit ob preces B. Ieremiæ, nullam perniciem Aegyptijs inferri ab Aspidibus, crocodilis, alijsque noxijs, & generi humano infestis animalibus. Sepulchrum autem eius erat in quodam loco, ad quem Christiani proficiscebantur, ibique preces concipiebant; ac sumpto puluere ex eius tumulo, eo tanquam præsenti remedio, aduersus omne genus venenatorum animalium vtebantur.

Gregorius Nazianzenus hanc virtutem 11. adiunctam esse dicit corporibus Sanctorum *Orat. in* cum pie tanguntur, & religiose coluntur, vt *Julian.* malignos spiritus expellant, curent ægros: quinetiam interdum fieri, vt illorum animæ appareant cultoribus suis, eos consolando in aduersis, & à plurimis vindicando calamitatibus: tandemque sic concludit: *Horum etiam corpora solum siue tacta siue venerata,* *Ioan. 14* *eadem possunt quæ & sancta anima, &c.* cum Christus promiserit, quod quisquis in eum crediderit, facturus est eadem, vel etiam maiora miracula, quam quæ fecit ipse.

Et vt expleatur duodecimus numerus 12. confutationum horum errorum, referam *Lib. 5. hist.* veterem & piam historiam ab Eusebio recitatam. Quædam sancta virgo nomine Potamiena, dum pro confessione nominis Christi ad supplicium duceretur, pollicita est Basilidi carnifici priusquam ab eo decollaretur, se simul ac ad Dei conspectum venisset, quo tum gloriosæ mortis beneficio tendebat, fore memorem eius. (Intercesserat n. Basilides ne vitium virgini adferretur à quibusdam impuris verberonib.) effecturamque vt dono fidei onaretur. Hanc pollicitationem confirmauit euentus. Siquidem triduo post obitum apparuit ipsi, & eum ad Christianam religionem perduxit, in qua denique sic cōstanter perseuerauit, vt mortem pro eadē subire non dubitauerit. MIN. Apparitio certe virginis, & tanta conuersio carnificis, miracula sunt: simulque manifestant Deum meritis & intercessionibus Sanctorum nobis esse beneficentissimum. Nunc tractanda est quæstio, An liceat istos honorare: & certis statisque diebus eorum festa celebrare.

PIVM AC IVSTVM ESSE QVOSdam dies festos Sanctorum celebrare, & non solum diem septimum: contra errorem 64. & 65.

CAPVT XVI.

MINISTER.

TOta Geneuensium schola vehementer abhorret à Sanctorum festis celebrandis: *quod* (inquiunt) *ea res meram idololatriam,*

Cal. inst. l. 2. c. 8. *& anilem superstitionem resipit.* Sed nec vllum A diem præter septimum solemnem habendum: cantillantes in suis cœtibus: *Sic operare dies: lux septima dicta quieti est.*

Et ea propter nullam rationem habent festorum, quæ Confessoribus, Martyribus, Apostolis, aut etiam Dominicæ Natiuitati, Apparitioni, Præsentationi, Ascensioni, ac Eucharistiæ, consecrantur, nisi in illum diem septimum inciderint. Caluinus quidem aliquando de his dubitanter loquitur: magis tamen inclinat in illorum abolitionem, scribens Montbelgardensibus: *In festis non recipiendis cuperem vos esse constantiores, &c. Habetis* B *plausibilem recusandi materiam. Nam in Papatu magna celebritate Conceptionem & Ascensionem Virginis coluerunt. Quid habebit seruus Christi quod dicat, si suggestum conscenderit illis diebus, nisi vt eorum stultitiam videat, qui tales ferias excogitarunt?* Idem rursus Epistola ad Mensonium Poppium: *Optandum est, vt præter diem Dominicum, pauci retineantur dies festi.* Sed qui sint illi, nullum penitus signat: percupiens omnes prorsus sublatos esse. Quid de iis censendum iudicas?

Epistolarũ pag. 43.

pag. 327. 328.

Confut. 1. DOCT. Quod hac nota discipuli, ac imitatores Manichæorum deprehenduntur, qui Catholicis vitio dabãt, quod festos dies C Martyrum memoriæ consecrassent. Calumniabantur insuper quod Paganorum superstitiones hac in re imitarentur, mutatis tantum falsorum deorum nomenclaturis in Martyrum appellationes, errore non dissimili.

Aug. l. 20. contra Faustum.

2. Secundo, veros se filios & successores ꝓdunt Brusianorum, VValdensium, VViclefitarum, Hussitarum, & Zischanorum, qui festa omnia tollere de medio conati sunt, tãquã superstitiones Iudaicas. Quocirca iampridem veteres hæretici, necdum recentiores pari censura ab vniuersa Christi Eccle- D sia notari & reprobari meruerunt.

L. 3. vita B. Bernar. c. 5. Antonin. Guido. Tho. Vald.

3. Quod autem omnes Christianos celebrationi solius diei septimæ (quę secundum scripturas est dies Sabbathi) alligare conantur, aperte in eo & iudaizant, & Ebionizant cum Pseudoapostolis, de quibus toties Paulus conqueritur.

2. Cor. 11. Gal. 1.

4. Deinde, palam refragantur antiquæ legi diuinæ, qua præcipitur, vt præter septimum diem, celebrentur octauæ Paschatis, Pentecostes, Tabernaculorum & Dedicationis: quæ sanctio multos dies supernumerarios complectitur extra septimum. Præterea, sub lege obseruabantur nouilunia cuiusque mensis. dedicatio item templi ab Esdra & Machabæo restituti: dies quo Iephte filiam obtulit: liberatio Isaac: conseruatio Israelis per Mardochæum ac Estheram: Iudithæ victoria: necnon complures alij dies, qui successu temporis ob notabiles euentus à Pontificibus instituti fuerunt, & seruasse dicitur Christus in Euangelio. Luc. 2. Ioan. 10.

5. Quod ad festos dies attinet dictos memoriæ Christi, quo in genere sunt Natiuitas, Epiphania, Resurrectio, Ascensio, &c. non possunt aboleri sine manifesta ingratitudine erga diuinam bonitatem, atque damnabili contemptu præcipuorũ nostræ redemptionis mysteriorum: quorum memoriam ab omnibus Christianis cum gratiarum actione oportet celebrari.

6. Præterea, qui festa tollenda censent, insurgunt aduersus Apostolorum traditiones, quas Paulus æque ac Epistolas eorum tenendas docet: Siquidem illa per Apostolos primitus instituta, ab ijs obseruata, & ad posteros transmissa sunt, vt certiores nos faciunt Clemens discipulus eorum, Tertullianus & Cyprianus non multo ætate posteriores: & qui deinde secuti sunt patres Ecclesiarum Nazianzenus, Basilius, Epiphanius, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus. 2. Thess. 2. 3

7. Postremo, Caluinianorum cohors hac in parte discedit ab alijs huius æui sectis, & ab his festa ritu Catholicorum adhuc seruantibus, non modo defectionis, sed & impietatis coarguitur: nimirum à cohæreticis Anglis, Scotis, Danis, Suedis, Germanis, & Heluetiis.

8. MINISTER. Hæc quidem vera & manifesta pro festis Domini: sed pręcipuus cardo nostræ disputationis vertitur circa ferias Sanctorum, veluti Apostolorum & Martyrum. Nam de festis B. Mariæ dicatis supra disseruimus. DOCT. Isthuc ibam. Docet B. Clemens sancitum esse ab Apostolis præceptoribus suis, vt anniuersario honore celebraretur memoria Iacobi primi inter Apostolos martyris: necnon Stephani protomartyris discipulorum, qui quam doctrinam vocis præconio prædicauerunt, eandẽ suo sanguine constanter obsignauerunt. Confirmat hoc axioma idem ipse Clemens ex his scripturis: *Memoria iustorum laudibus, nomen autem impiorum putrescet. Quin & ex his verbis regii Prophetæ: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* L. 5. const. c. 13. 20. Act. 7. 12. Prou. 10. Psal. 115.

9. Quin & primæ notæ Pontifices Leo, Augusti-

gustinus, Chrysostomus, Basilius, Maximus, Chrysologus, alijque Patres qui ante annos mille ducentos in Ecclesia floruerunt, multis & sermonibus & scriptis festa Apostolorum auditoribus suis, atque vniuersæ posteritati commendarunt: quod nunquam fecissent, nisi iam tum & antea celebrari ab vniuerso Christianismo consueuissent. A

10. Tertullianus (Lib. de corona militis) non longo interuallo à temporibus Apostolorum semotus, recitans ea quæ quotannis ex instituto eorundem obseruabantur, ibidem refert, Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Quæ verba recte de Sanctorum festis interpretatur B. Hieronymus. Est enim phrasis Ecclesiastica, ex eo deriuata quod obseruat Origenes, vsitatius fuisse veteribus Christianis, vt celebres essent dies, quibus Sancti ex hac vita caduca & fragili, ad beatam immortalitatem euasissent, quam quibus in mundum ingressi miseriarum telam exordiri cœpissent. B

In c.4. ad Gal. L.3. in Iob. & in Ps. 37.

11. Huic dogmati pulchre suffragatur Smyrnensis Ecclesia, sic ad Ecclesias Ponticas scribens: Solemnes celebresque conuentus agimus in die passionis eius (Polycarpi.) Sed & eorum memoriam celebramus qui prius passi fuerant: vt sequentium animi ad prædecessorum viam exemplis insignibus excitentur. C

Euseb. l.4. hist. c.15.

12. Paulo post illuxit Cyprianus, Epist. ad Presbyteros & Diaconos, qui diligenter edicebat Presbyteris & Diaconis Ecclesiæ suæ, *vt dies annotarent quibus martyres supplicio affecti essent, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Alio loco scribens de parentibus Celerini, qui martyrium passi fuerant, ait: Quotannis festum eo nomine celebrari solitum fuisse cum sacrificio & oblatione: proculdubio Eucharistiæ sanctiss. corporis & sanguinis Christi.

Ep. ad Clerum & plebem.

13. Circiter ea tempora docebat Origenes, iure celebrari festum innocentium ab Herode occisorum, quia fuerunt primitiæ Martyrum ob causam Iesu Christi. Idem multis probat Deum habere dies festos suos. Est enim ei magna festiuitas, humana salus. Nec dubium quin & Dominus noster Iesus Christus agat festiuitatem maximam cum operæ pretium videt esse quod se humiliauit, & factus est patri obediens vsque ad mortem. Agit festa & Spiritus sanctus vbi plura sibi videt in iis qui conuertuntur ad Deum, templa præparata. An non est Angelis magna festiuitas, cum lætantur in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente? Luc. 15. D

Ho 3. in diuers. Hom. 23. in Numeros.

Basilius laudibus publicis celebrans Gordianum, Babylam, Mamantem, & alios quadraginta Martyres, adserit in honorem illorum quotannis obseruari certos dies à Cappadocibus in Ecclesia sua Cæsariensi. 14.

Nazianzenus idem refert de Machabæis martyrio affectis ab Antiocho: necnon de Cypriano, & aliis compluribus. 15.

Ac ne quid desit duodenario probationum numero, Augustinus in omnibus sermonibus suis de Sanctis, abunde demonstrat quæ celebritas, quæ veneratio illorum honori debebatur. Alibi superiorum omniū rationem reddens ita scribit: (Libro vigesimo contra Faustum, capite vigesimoprimo. Populus Christianus memoriam martyrum celebrat ad excitandam eorum imitationē, & vt meritis eorum consocietur, & orationibus adiuuetur. Iam ne desiderio tuo factum est satis, an aliquid requiris amplius? MIN. Nihil equidem. Nam si Caluinus & collegæ præstare volunt quod promittunt, vt religionem Christianam in pristinum splendorem redintegrent, qualis erat per quadringentos annos à morte Christi, cogentur festa Sanctorum anniuersariis festiuitatibus excipere. Nunc item serio detestor execrandas voces Centuriatorum, quos nō puduit dicere, tales ferias ab hæretico Montano repertas, & in Ecclesiam Christianam introductas fuisse. Dicamus nunc de Sanctorum imaginibus. 16.

IMAGINES SANCTORVM NON sunt idola: nec prohibentur expresso Dei verbo: aduersus 66. & 67. errorem Hugnosticum.

CAPVT XVII.

DOCTOR.

TV prius edissere, quid de hac re sentiant præcipui hæreseon istarum Ministri. MIN. Ex scriptis eorum deprehendi eos docere, *Omnes in vniuersum imagines mera idola esse: ac proinde omnes illis scripturis damnatas & prohibitas, quibus coarguuntur & vetantur idola & simulachra Paganorum.* Propterea, canunt in conuentibus suis: *Nulla tibi quæcunque ex re sculpetur imago.* Quam doctrinam vt factis approbarent, furioso ac plane Turcico impetu demoliti sunt omnes imagines quas in tēplis Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Flandriæ,

Zelandiæ, Holandiæ, Brabantiæ, Geneuæ, & A aliis locis, vbi impune illis grassari licuit, cōbusserunt, fregerunt, minutatim contriuerunt.

Confut. 1. DOCT. Prior eorum propositio non solum falsa est: sed & in totum genus humanū, & in sanctissimam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum est contumeliosa. MIN. Id clarius expone. DOCT. Scriptura veteris & noui Testamenti perhibet hominem à Deo trino & vno conditum esse ad imaginem & similitudinem suam: non ad ipsius idolum: necesse est ergo inter imaginem & idolum magnum esse discrimen: nec omnibus promiscue figuris aut imaginibus nomen idoli tribuendum esse. Nam alias consequeretur, Deum esse fabricatorem idolorum, & nihilo differre ab illis: quæ detestabilis est blasphemia in Deum & in totum genus humanum. MIN. Nihil istis verius dici potest: nec habeo quod respondeam. Nam scriptum est de idolis: Similes illis fiant qui faciunt ea.

Gen. 1. 9. Sap. 2. Eccl. 17. 1. Cor. 11. Psal. 113. B

2. DOCT. Præterea, æternus Dei filius sæpe nominatur imago Dei Patris, veluti cum Sapiens dicit: *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Paulus quoque vocat eum *imaginem Dei inuisibilis: imaginem Dei: Splendorem gloriæ, &* C *propriam imaginem substantiæ ipsius.* Quis vero idolum eum dicere auderet, nisi Patrem & Filium atroci blasphemia violare non metueret? Non ergo omnis imago, idolum censenda vel appellanda est.

Sap. 7. Coloss. 1. Heb. 1. 2. Cor. 4.

3. Adhæc, in sacris dicitur Seth genitus ab Adamo genitus ad imaginem & similitudinem suam non ad idolum. Salomon exstrui curauit, & statuit in templo imagines Cherubinorum, leonum, boum, & palmarum: quæ tamen nusquam idola nominantur. Denarius tributi oblatus Christo, ferebat imaginem Cæsaris: non idolum. Deus vult electos conformes fieri imagini filij sui: non D idoli. Iubemur quoque portare imaginem cœlestis Adami, sicut portauimus imaginem terreni: non idolum. Transformari in imaginem Domini, vt cum eo regnemus: non in idolum. Quis enim vnquam legendo didicit: aut fando audiuit IESVM Christum esse idolum? Electos idola filij Dei? Gestanda esse idola cœlestis Adæ? Nos aliquando in idola transformandos?

Gen. 5. 3. Reg. 7. 8. 2. Paral. 3. 5 Matth. 22. Rom. 8. 1. Cor. 15. 2. Cor. 2. Coloss. 1.

4. Paulus ipse pulchram differentiam inter imaginem & idolum statuit, vbi dicit: *Scimus quia idolum nihil est in mundo.* Enimuero comparata sunt idola ad repræsentandas res falsas, imo impossibiles vt dij deæque Gentium, qui nunquam exstiterunt: sed imagines Christianorum exhibent ea, quæ nunc & olim veram essentiam ac existentiam habuerunt: cuiusmodi sunt Christus verus homo, Maria mater eius, Apostoli, Prophetæ, Martyres, & alij sancti. Itaque magno sacrilegio se astringunt, qui imagines cum idolis confundunt: sicut olim in hanc sententiam sunt ratiocinati doctissimi viri Origenes, Theodoretus, & Damascenus.

1. Cor. 8. Hom. 8. in Gen. Quæst. 38. in Exod. L. de imag.

Et ne in re tam clara sim effusior, septimū Concilium generale Niceæ congregatum ab Orientalibus, & consensu Occidentaliū firmatum iuste percussit anathematibus suis omnes eos, qui sacras sanctorum imagines idola vocarent. 5.

Act. 5. 7.

MINIST. Hæc aduersus priorem errorem sufficiunt: iam tibi probandum est imagines non esse expresso Dei verbo vetitas. 6.

DOCT. Primo ex ipsis Catholicorum aduersariis veritatem ipsam sic confirmo: Lutherani (quibus cum sibi bene conuenire iactitant Geneuani & Tigurini) palam in suis templis, sacellis, compitis, librorum initiis, retinent imagines crucifixi, Deiparæ Virginis, & Ioannis Euangelistæ iuxta crucem adstantis, vt in Euangelio refertur. Addo Elizabetham Angliæ Reginam, quæ dicebatur imaginem crucifixi cum duobus cereis in sacello suo seruare. At nemo Caluinianorum aut illos aut istam damnat idololatriæ: nec igitur Catholicos coarguere debent huius criminis, quasi cōtra diuina verba Sanctorum imagines retinerent.

Orthod. consensu. Ioan. 19.

Quin & ipsi Caluiniani tum alibi tum Geneuæ curarunt ad viuum exprimi, venum exponunt, & publice ostentant vultus Lutheri, Melanthonis, Buceri, Caluini, Farelli, Vireti, Vermilij, Zuinglij, Bullingeri, & complurium aliorum Ministrorum: quod factu nefas esset, si omnis vsus imaginum expressis Dei verbis prohibitus esset. 7.

Beza quoque sæpius typis excudendum, & diuulgandum curauit Librum, cui nomen indidit *Icones*, in quo continentur imagines ac effigies eorum quos nunc referebam, & aliorum plurimorum. Nec dubitat hoc institutum & consilium suum magnificis verborum ampullis extollere: non aduersari verbis diuinis: nec igitur nostræ Sanctorum imagines atq; figuræ repugnant. Sed pręstat (vt de Demosthene dicebat Aeschines) istius bestiæ vocem audire suis verbis resonantem: 8.

Beza lib. Icon.

nantem: *Quid vetat quominus sicut scripturæ beneficio, doctos & pios homines quamuis mortuos, quasi nobiscum adhuc loquentes audimus, ita quoque ex veris illorum imaginibus, quos studiose viuos obseruauimus, hoc consequamur, vt eos adhuc intueri & amplecti videamur? Me quidem certe testari possum, tantorum hominum non modo libros legentem, sed etiam expressos vultus intuentē, haud multo aliter affici, & ad sanctas cogitationes impelli, quam si coram adhuc ipsos docentes, admonentes, increpantes, his oculis adspicerem.* MIN. Luculentum sane ac efficax testimonium huius prædicantis aduersus totam auditorum cohortem, ad astruendum Christi & sanctorū B eius imaginum vsum ac vtilitatem. Hinc enim efficitur, non omnes imagines esse idola: alias sequeretur, Bezam, Geneuanos, Hugnosticos omnes esse idololatras. Deinde, largitur illis Beza, non promiscue prohiberi expresso Dei verbo ne sculpantur imagines, sed duntaxat, ne fiant idola. Tum autem assentiatur necesse est, imagines Iesu Christi, matris eius, Prophetarum, Patriarcharum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium Sanctorum posse licite sculpi, depingi, publiceque proponi: cum infinitis modis sanctiores & eruditiores extiterint, longeq́ue C efficacius nos ad pias cogitationes impellāt, quam sordes istæ Ministrorum & apostatarum quorum imaginibus, & mendacissimis laudibus librum suum non tam ornauit, quam onerauit Beza. Postremo, sua pronunciatione manifestæ impietatis condemnatur

L. Iconum. Colloq. Montpelgart. Beza, cum publice proponit effigiem Caluini: & palam detestatur effigiem Domini nostri Iesu pro nobis crucifixi.

9\. DOCT. Illud quoque nullam dubitationem habet, Deum nunquam imperaturum fuisse postea vt fierent imagines, & in templo statuerentur. Non item patres & Prophetæ statuas & repræsentationes viro- D rum, mulierum, aliarumque rerum erexissent: si lege & sanctione diuina, omne genus imaginum prorsus interdictum fuisset. Alias namque nec Deus sibi constaret, nec fidelissimi eius serui à Gentilib. & idololatris quicquam distarent: à qua blasphemia cuncti

Exod. 25. abhorrere debent. Atqui Deus edixit Mosi vt faceret duos Cherubinos ex auro, quorum facies obuersæ forent versus propitiatorium, super cuius operculo pennas ala-

Exod. 26. rum expanderent. Iussit item fieri alias Cherubinorum imagines, innixas auleis tabernaculi. Cumque populus adoraturus, & in eo loco factur⁹ oblationes veniebat, coram A istis imaginibus, & arca fœderis prouolutus Deum venerabatur, nulla cum reprehensione idololatriæ, sed summa cum laude pietatis id faciebat. Præterea, Deus imperauit eidem Mosi, vt æneam serpentis imaginem fabricaret, eamque ligno imponeret, vt Hebræi morsibus serpentium saucij eadem conspecta sanitatem reciperent. Id quod Christus testatur adumbratam supplicij suæ crucis effigiem extitisse: docens hoc pacto imaginum suam passionem repræsentantium vsum & pium fructuosum esse. Insuper, Iacob Patriarcha multis ante temporibus duas itidem statuas erexerat, quarum altera scalam cum Angelis ascendentibus & descendentibus repræsentabat: altera in memoriam defunctæ vxoris suæ Rachel. MINIS. Locus omni ambiguitate caret. Ipsi enim Geneuani Prædicantes aiunt, *Signum siue statuam à Iacob erectam fuisse, quo loco Deus cum ipso locutus erat.* Et paulo post: *Sic mortua Rachel sepulta est in via spectante Ephratam. Statuitque Iacob signum siue statuam super sepulchrum eius.* Idque interpretatur in hunc modum in Com. Lutherus, Fagius, Munsterus, Borrhaius, Caluinus, Vermilius, Musculus.

(Marginalia: Num. 21. — Ioan. 3. — Gen. 28. 35. — Annotat. Gallic. in Bibl.)

10\. DOCT. Post Mosem, Salomon in adyto templi duos Cherubinos fecit ex ligno olei, 3. Reg. 6. quorum vterque decem cubitorum altitudinem æquabat. Omnes item muros eius figuris Cherubinorum, palmarum & florum exornauit. Fecit & in sancto sanctorum i- 2. Paral. 5. magines duorum Cherubinorum opere excmptibili. Postes & valuas eiusdem templi obtexit auro, cum exsculpsisset Cherubinos parietibus. In eodem templo fieri curauit mare aheneum duodecim boum formis 3. Reg. 7. impositum. In basi erant figuræ leonum, boum, palmarum, & Cherubinorum. Denique, quoquouersus oculi spectantium conuertebantur, vndique in illo celeberrimo Templo, cernere erat præclaras imagines, quibus & gloria omnipotentis Dei, & Sanctorum eius imaginibus adumbrabatur: vt tali speculo & spectaculo piæ mentes ad religionem & deuotionem excitarentur. MIN. Hæc omnia ipsa sunt diuinæ vocis oracula: proinde turpiter hallucinantur Iconomachi cum temere clamitant, *Nullam cuiuscunque rei sculpendam esse imaginem:* & auditores suos concitant ad effringendas & demoliendas tam Christi quam Sanctorum eius repræsentationes vbicunque grassandi nacti sunt licentiam.

DOCT.

11\. DOCT. Et vt nihil hæreſeon iſtarum confutationi deſit, Petri Vermilij viri inter Miniſtros primarij ſententiam attexam. Is cum ſuperiora teſtimonia, & Damaſceni, Sozomeni ac Euſebij (de quibus poſtea dicemus) authoritates ſibi obieciſſet, tandèm concludit: *Statuendum videtur, omnes creaturas imaginibus referri poſſe, quin & ipſos Angelos vt hominibus interdum ſeſe videndos exhibuerunt. Quare ſancti viri qui obierunt, ſignis referri poſſunt, &c.* Et poſtea: *Chriſtus quatenus homo eſt, ita pingi poteſt, &c. Neque præceptum Dei id vetat, niſi fieret vt coloretur. Crux item Domini. Quoniam artes pingendi dona Dei ſunt, qui Bezaleelem & Eliabum ornauit ſpiritu ſuo, &c. Deinde, nouimus Regem Salomonem voluiſſe affingi ſolio ſuo imagines, nec illam ob rem à quoquam Propheta reprehenſus eſt.* Potuitne ſecunda Hugnoſticorum propoſitio grauius condemnari, & rigidius notari, quam ab hoc eorum duce & anteſignano? MIN. Sane cum dicit, ſignis exprimi poſſe omnes creaturas, adeoque Angelos, itemque Sanctos viros vita functos, necnon ipſum Chriſtum hominem, & ſanctam eius Crucem: totam Hugnoſticorum colluuiem ab his vehementer abhorrentem reprobat & condemnat. Deinde, cum aſſerit nullo Dei præcepto vetari quominus tales imagines fiant, euertit totam ſecundam propoſitionem, quæ prorſus contrarium ſtatuit. Denique, quando ſententiam ſuam firmat ſcripturis, hiſtoriis, patrumq́ teſtificationibus: conuincit eos erroris, ignorationis, & impietatis, qui contraria dicunt & ſentiunt.

In 3. Reg. c. 7. & loc. com. fol. 110. 111. 112. Exod. 20. Exod. 31. 32. 33. 36. 37. 38. 3. Reg. 10. 2. Paral. 9.

12\. DOCT. Nec contemnendum, quin potius ſuſpiciendum eſt, quod priſci Iudæorum ac Hebræorum Rabbini, tot probationibus conuicti, in hanc ſententiam deſcenderunt, vt dicerent & ſcriberent legem Decalogi, ſacrarum imaginum vſum non prohiberi: ſed idola duntaxat inanium & falſorum deorum, vt ſunt Baal, Venus, Aſtaroth, Beelzebub, aliaque nomina ſine numine. Enimuero R. Abben Eſra ſuper Decalogo id ſentit: & opinioni ſuæ pondus adiicit à Rabbi Iaphet, aliiſque ſuperioribus magiſtris circuncifis. Rabbi Leui laudato authore magis antiquiore ex libro Melchita, dicit nihil à Deo vetari prætenſu præcepto, præter idola Paganorum. Rabbi Iſaac ad decimum octauum & vigeſimum caput Geneſeos ſcribit, cum priſci magiſtri Iſraelis non culparint Iacob, Moſem, Salomonem, quod publice imagines habuerint, id tabulis diuinæ legis minime prohibitum videri: ſed ſolummodo damnari infidelium populorum (inter quos Iſrael habitabat) Deos falſos & inanes. Rabbi Kimhi priorem Ezechielis viſionem exponens ait: Figuras quatuor animalium, quorum illic fit mentio, inſculptas fuiſſe quatuor primoribus Iſraelis militaribus vexillis, cum in prælium procederent. Id quod arguit imagines non fuiſſe indiſcriminatim, ac verbo Dei expreſſo prohibitas. Hæ confutationes ſatiſ-ne tibi videntur idoneæ? MIN. Quidni? cum ſint excerptæ à pluribus quam duodecim Scripturæ locis, prout eos interpretati ſunt nō ſolum veteres Hebræorum Rabbini, verumetiam principes Sacramentariorum Miniſtri?

Exod. 20. Deut. 5. Rabbi. Eſra. R. Iaphet. R. Leui. R. Iſaac. R. Kimhi.

VETVS ECCLESIA IMAGINES HAbuit: eaſdemq́, locis ſacris & publicis: inſuper, eiſdem venerationem exhibuit: aduerſus 68. 69. & 70. errorem.

CAPVT XVIII.

MINISTER.

SEd adfirmant *totam veterem Eccleſiam per annos quadringentos ac etiam quingentos à morte Domini, imaginibus caruiſſe: ſaltem in locis ſacris ac publicis: & nefas exiſtimaſſe huiuſmodi figuris aliquem cultum, ſub idololatriæ periculo exhibere.* Pro hac opinione velut pro focis & aris pugnat in Inſtitutione Caluinus: militat in Inſtructione Viretus & decertat in Confeſsionibus Beza. Hæc ſunt quæ ex eorum fontibus hauſi: quæque tecum communicare fert animus.

Confut. 1. DOCT. Congredior primum cum Caluino, manifeſtique mendacij hominem ſic conuinco. Auguſtinus ante annos mille & centum ſcripſit: Credo quod Ethnici pluribus locis, ſimul eos (Petrum & Paulum) cum Chriſto pictos viderunt: quia eorum memoria, etiam propter eundem paſsionis diē celebrius & ſolemniter Roma commendat. MIN. En imaginum vſus & publicus, & intra quingentos atque quadringentos annos à Chriſto: is quæ ſerio aſſertus ab illo, quem Caluinus teſtatur *omnium Patrum veterum magis fidelem, & fide dignum eſſe:* & quem Danæus Miniſter ſcribit: *inter pios pientiſſimum, inter ſcriptores Eccleſiaſticos, ſi qui vnquam docti fuerunt, doctiſſimum.*

L. 1. de conſenſ. Eu. c. 10. Inſt. l. 4. c. 14. §. 26. Ep. ad Co-mitem Friſia.

2. DOCT. Idem beatus pater recitat hiſtoriam ſacrificij Abrahæ parantis ſe ad immolandum

L. 22. cont.

Faust. c. 73. L. contr. Iul. Pelag. landum filium vnicum Isaac: itemque historiam Adami & Euæ tegentium pudenda ficuum foliis postquam Dominum offenderunt: ita vulgatas, & omnibus in locis cognitas beneficio picturarum & tabellarum quæ passim fiebant, vt Manichæis & Pelagianis præcisa esset omnis potestas inficiandi. A

3\. *L. de visit. infirmorũ.* Idem suadet homini Christiano, aduersa valetudine conflictanti, vt tota spe & fiducia recumbat in Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum; quo fine iubet vt penes se habeat Crucis & crucifixi imaginem, *per quam salutifera nobis Iesu Christi renouatur passio.* MIN. Luculenta sane testimonia, & magni authoris attulisti, quib. Caluinus red- B arguitur aut latæ ignorantiæ, si ista non aduertit: aut profligatæ impietatis, si se scire dissimulauit vsum imaginum inter Christianos tum publici iuris extitisse.

4\. *In natali.* DOCT. Quo tempore pater Augustinus hanc doctrinam in Africa tuebatur, Paulinus in Italia pingi curabat in templis suis imagines sanctorum Felicis, Martini, imo & Spiritus sancti in specie columbæ, in qua seipsum manifestauit: necnon elegantissimis versibus easdem celebrabat.

5\. *Serm.* Magister & pater eius in Christo Ambrosius, in archiepiscopatu suo Mediolanensi, duos Martyres Geruasium & Prothasium C sibi in visione oblatos fuisse cum tertio quodam, qui vultum & habitum beati Pauli referebat (inquit) prout à pictoribus repræsentari consueuit.

6\. *In vita B. Siluestri.* Damasus Papa iis paulo anterior, scriptũ reliquit, maximum illum Imperatorem Constantinum, statim à baptismo suo iussisse fieri imagines Saluatoris, Ioannis Baptistæ, duodecim Apostolorum, quatuor eorum Angelorum de quibus scriptura nominatim meminit, cunctasque ex auro solido: easdemque Romæ curauit erigi in templo Lateranensi, cum incredibili gloria & exultatione nominis Christiani. D

7\. *L. peri stephanon.* Iisdem temporibus Prudentius Poeta lectissimus, cum in Hispania patria sua vidisset effigiem Cassiani martyris in altari erectam, pulchreq; suis coloribus depictam, ac mille plagis toto corpore laniatam: cum item imaginem sancti Hippolyti, qui ob religionem Christianam admissis equis in quatuor partes disceptus fuerat: multa, eademque poematia in eorum laudem ac celebrationem conscripsit.

8\. Sulpitius Seuerus eodem sæculo magnifica templa in agro Bituricensi, Turonensi, & Pictauiensi exstrui curabat: quæ vt augustiori religione florerent, iussit illic pingi sculpiq; vultus Martini, & Hilarij, qui paulo ante iisdem in locis vixerant, & pietatem Christianam non parum auxerant: vt populares suos ad imitationem virtutis ac probitatis eorum prouocaret & accenderet.

Et vt ad ætatem heroicis Apostolorum temporibus proximam veniamus, grauis & eruditissimus author Tertullianus testis est, in sacris Calicibus Ecclesiæ Carthaginiensis, quæ totius Africæ metropolis erat, pictam & sculptam fuisse imaginem Domini nostri Iesu Christi, in modum pastoris deperditam ouem in ouile super humeros reportantis. Qua pictura significabatur, quam esset mitis Christus Deus noster ad recipiendos omne genus peccatores, qui per salutarem pœnitentiam ad eum reuerterentur, &c. Habes itaque septem eruditissimos & antiquissimos patres Latinos, qui omnes vnanimiter docent imagines non solum IesuChristi, sed & Sanctorum, apud veteres Christianos in vsu publico fuisse centum, ducentis, trecentis, & quadringentis annis post ascensionem Domini, non vno aliquo in loco, sed in plerisque mundi partibus. 9. *L. de pudicitia, c. 7.* 10.

MIN. Assequor omnia. Sed quid sentis de duabus aliis propositionibus? DOCT. Demonstrant aut singularem malitiam, & imposturam plane diabolicam: aut pecuinam Prædicantum stupiditatem. Id ex patribus Græcis patefacio. Sexcenti triginta & octo qui ex toto Oriente ad secundum Conciliũ Nicenum confluxerunt, diuino quodam concentu consensuque animorum, Anathematibus percusserunt omnes effractores imaginum: quarum vsum communi suffragio ab Apostolorum traditione profectum, comprobauerunt. Damascenus tribus libris ferme omnia complexus est, quæ ad hanc Patrum sanctorum confirmationem assumi possunt. 10.

MIN. Hæc quidem viris cordatis magna: sed tibi res est cum præfractis & duris ceruicibus: ideoque antiquioribus testibus opus tibi est. DOCT. Ergo à sancto Ioanne Chrysostomo, qui trecentis tantum & octoginta annis post Natiuitatem Domini in Oriente floruit, nunc exordior. Is conciues suos Antiochenos magnis effert laudibus, quod Pastorem suum Meletium tanta obseruantia complexi sunt, vt ad perpetuandam defuncti memoriam, in annulis, in vasibus, & interioribus cubiculis suis, imaginem eius in- 11. *Orat. in S. Meletium.*

Liturgia. sculptam seruarent. Idem in Liturgia sua A præscribebat, vt Diaconus priusquam sermone populum hortaretur, procideret ante imaginem Domini nostri Iesu Christi, velut gratiam & veniam petiturus. Idem rursus in museolo suo tabellam eximiæ artis habebat, in qua cernebatur effigies B. Pauli quam sic deuote contemplabatur, ac si præsentem *Orat. 1.* Apostolum videre contigisset, vti testatum reliquit B. Damascenus.

12. Quatuor simul connectam, nimirum Nicephorum, Damascenum, Euagrium, & Metaphrastem, qui velut vno ore commemorant, ab ipso Domino nostro formam ac similitudinem vultus eius impressam fuisse B lintheo seu sudario, quam Abagaro siue Angaro Regi Edessenorum in Mesopotamia transmiserit, à quo fuerat religiose inuitatus, vt sese inuiseret, & ab ineluctabili morbo sanaret.

13. *L. 7. hist. c. 14. L. 5. c. 20. L. 10. c. 30.* Sex rursum in aciem simul educo, Eusebium, Sozomenum, Cassiodorum, Damascenum, Theophylactum, Nicephorum, qui memoriæ prodiderunt, Hæmorrhoissam fœminam, quæ contacta fimbria vestis Dominicæ liberata fuerat à profluuio sanguinis, iam tum ibidem duas ex ære imagines erigendas curasse: quarum vna domini stantis habitum exprimebat, altera cernuo vultu C & corpore mulierem ipsam repræsentabat, quæ tali gestu valetudinem requirebat. Istas porro imagines ibi mansisse perhibent, & miracula edidisse totos trecentos annos, & amplius, hoc est, ad ætatem vsque Iuliani Apostatæ perhibent. Hic cum ex professo bellum gereret aduersus Christum & Sanctos eius, nihil peius oderat atque imagines eorum, quas ideo subrui præcepit (vt hodie factitant Hugnostici) suamque statuam in earum locum locari ac erigi: sed hanc Deus de cœlo ictu fulminis percussit & contriuit. Quo notabili exemplo sancita est diuinitus authoritas sanctarum imaginum, & punita D impietas iconomachorum.

14. *L. 7. hist. c. 14.* Idem rursum Eusebius testatur, suo tempore, hoc est, trecentis & triginta annis post natum Dominum nostrum, Christianos publice habuisse imagines beatorum Petri & Pauli. Tum etiam à laudatissimo Imperatore Constantino templa, quæ in Palæstina *L. 3. 4. de vita Constant.* ædificari iussit, exornata fuisse multis eximiis imaginibus Sanctorum, vt ad studium æmulationis homines tali spectaculo prouocarentur.

15. Gregorius Nyssenus author est, à pictoribus & sculptoribus mirabili artificio expressam fuisse historiam Theodori martyris, qua magnitudine animi, quo mentis robore, Tyrannis obsisteret, cum in fornacem ignis coniiceretur: & certaminum Præsidis Iesu Christi humanæ formæ effigiem. Affirmatque vehementer ad virtutem & constantiam accendi solitos illos, qui eas imagines intuerentur. *Orat. in S. Theodor.*

16. Iisdem temporibus Gregorius Nazianzenus aiebat multos dissolutæ vitæ nepotes ad temperantiam & modestiam adductos fuisse contemplando imaginem Polemonis Philosophi valde celebris & cordati viri. Deinde, miseratus vrbis Diocæsareæ imminentem occasum, se doloribus occasionem iustam habere dicit, quia futurum esse videbat, vt vastaretur Templum ibi constructum, & imagines Sanctorum illic erectæ & collocatæ diruerentur. *Carm. de virt. Epist. ad Olymp.*

17. Basilius, cognomento magnus, Orat. in S. Barlaam, eodem florens sæculo, in Concionibus plurimum laudabat artem & industriam pictorum, qui felicius penicillo expresserant acta generosi martyris Barlaam, quam ipse verbis apud auditores suos posset adumbrare: etiamsi reuera disertissimus esset, & ingenij doctrinæque laudibus abundaret. Vnde liquet Sanctorum imagines in Ecclesiis collocari consueuisse.

18. Acer ille sacrosanctæ Trinitatis propugnator Athanasius (Libello de passione imag.) Dom. mirabilia narrat de effigie Domini nostri crucifixi, quam ad viuum doctor ille Nicodemus expresserat, qui eundem de cruce sustulerat, & sepulturæ mandauerat. Cum enim in manus Iudæorum tandem illa incidisset, statuerunt in eam omnia crudelitatis & ludibriorum exempla, quæ olim patres eorum aduersus verum viuumq; Domini corpus exercuerant, ipsam virgis cædẽdo, coronando spinis, effodiendo latus, denique manus & pedes clauis suffigendo. Mirabile dictu. Insigni miraculo, magna vis cruoris inde erupit: quo portento Iudæi territi sunt: pars eorum ad Christũ conuersa & baptizata est, cum singulari fructu & gloria Christianæ religionis. MINIS. Satis-ne exploratum est, hoc opusculum esse ab Athanasio illo Arrianorum antagonista fortissimo? DOCT. Septingenti patres Græci, qui ex omnibus Orientis partibus ad secundam Synodum Nicenam olim conuenerunt, nullo modo dubitandum censent: quando hunc librum tanquam germanum *Action. 4.*

Athanaſij fœtum allegant, & Iconomachis A conſtanter opponunt.

29. Theodoretus, in vita Simeonis Stylitæ, qui circa annum domini quadringenteſimũ quadrageſimum, orientem pietate & doctrina plurimum illuſtrauit, Romanos valde commendat, quod imaginem ſancti Simeonis Stylitæ in officinis, in foribus, ac feneſtris ædium ſeruarent, ac ea ratione ſibi tutelam & remedium pararent, &c. MIN. Satis iam confutata eſt Caluini, Bezæ, & Comminiſtrorum improbitas, prolatis tot tantorumque virorum teſtimoniis, comprobantibus vſum imaginum publico iure, B vinculoque religionis ſancitum fuiſſe inter Chriſtianos tam Græcos quam Latinos, non ſolum quingentis annis à morte Chriſti, ſed & quadringentis, trecentis, ducentis, centum, imo etiam dum ille adhuc in terris ageret, &c. Si probaueris eaſdem imagines debere eſſe honori atque venerationi, victoriam pro cauſa Catholica contra impoſturas Hugnoſticas integram reportabis.

DE VENERATIONE ſacrarum imaginum.

1. DOCT. Non mirandum ſi Caluiniani & C Bezani vetant honorare imagines Domini & Sanctorum eius, cum nec ſanctiſsimam Trinitatem inuocari ſuſtineant, nedum humanitatem Chriſti licet perſonaliter cum Filio Dei coniunctam adorari permittant. Deinde, proſcindunt innumeris cõtumeliis & opprobriis non ſolum Patriarchas & Prophetas, ſed etiam Apoſtolos, Angelos, Deiparam, ſanctos omnes, vt initio citauimus & confutauimus. Dicam autem in primis qui cultus, quæ-ve veneratio ſacris imaginibus non debeatur. Non quidem adoratio ſuprema, quam Deus ſibi ſuo iure vendicat: & quam ſine ſacrilegio nec poſſumus nec de- D bemus Sanctis quibuſcunq; tribuere. MIN. Id ſane multæ ſcripturæ manifeſte prohibent.
Act.25. Sed & nouiſsimum Concilium Tridentinum vetat ſpem aut fiduciam reponere in imagine: nec exiſtimandum vllam vitam aut diuinitatem in ea contineri: docet inſuper nihil inde expetendum aut exſpectandum, vtpote à re mortua, quæ omni ſenſu careat, nedum vt iuuandi poteſtatem habeat vllam. Quis igitur honos reliquus eſt, quem ipſis rite deferre poſsimus?

2. DOCT. Concilio Niceno quæſtio iſta finita eſt. Illic enim definiunt patres, eum honorem habendum imaginibus, qualem tribuimus ſacris ſcripturis, ſacris vaſibus, & ſignis quæ nobis repræſentant eas res, quas ſecundum Deum, omni obſeruantia complectendas arbitramur. MINIST. Huiuſ-ne Concilij tanta eſt authoritas, vt in dubium vocari non debeat? DOCT. Celebratum eſt in Oriente, anno poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo octogeſimo octauo. In eo adfuerunt pluſquam ſexcenti totius Orientis Antiſtites: quo in numero Legati Eccleſiæ Romanæ, cum Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, Ieroſolymitano, & Conſtantinopolitano. Omnes porro vnanimiter in eandem conuenerunt, quam ſupra retulimus. MIN. Id quidem fieri non potuit, niſi adminiculante Spiritu ſancto: proinde, cunctis anathematibus Eccleſiæ Chriſti ſubiacebunt, qui de illius authoritate aut veritate dubitandum cenſuerit.
Paulus Diacon. Cedrenus. Zonaras.

3. DOCT. Poſtea celebratum eſt Conſtantinopoli aliud generale Concilium, quod à Græcis octauum œcumenicum appellatur, illicque ab omnibus Orientalibus decretum. Sacram imaginem Domini noſtri Ieſu Chriſti & omnium Saluatoris æquo honore cum libro ſanctorum Euangeliorum venerari decernimus: cum eandem rem imago figuret, quam litera ſcripta nobis ſignificat.
Act. vlt. c.3.

4. MIN. Semper equidem plurimi fuit apud me Conciliorum authoritas: vtpote quibus præfuerit Spiritus ſanctus ſuggerens omnem veritatem. Deinde, totum vniuerſæ Eccleſiæ Chriſti corpus repræſentant, quam Dominus ſub grauiſsimis pœnis iubet audiri: & Apoſtoli in Symbolo proponunt, vt in eam credamus. Denique, conueniunt eo præſtantiſsimi Paſtores & Doctores, vt communi iudicio diſceptent atque decernant, quæcunque credi docerique de rebus controuerſis oporteat in cœtibus fidelium. Quocirca ſi plura tibi ſuccurrunt, velim ea nobis impertiaris.
Ioan.14. Matth.18. Luc.10.

5. DOCT. Ante ſuperiora duo Concilia quæ conuocata ſunt in Oriente, Romæ aliud conuenerat ſub Gregorio tertio, circa annum 733. adfueruntque pluſquam mille Occidentis Epiſcopi: atque ibi decreto ſtatutum fuerat: Non ſolum licere, verumetiam oportere venerari imagines Chriſti, & Sanctorum eius. Cui doctrinæ ſi quis contradiceret, eum anathema pronunciarunt: quo in numero fuit Leo tertius Imperat. Conſtantinopolitanus, qui capitali odio aduerſus imagines diſsidebat & furebat.
Sigebert. Nauclerus.

6. Rurſus ſub Stephano tertio Romano Pon- A tifice, anno poſt Chriſtum natum 768. conuocatum eſt Romæ aliud Concilium, in quo patres eandem doctrinam de honorandis imaginibus confirmauerunt aduerſus Iconomachos, quorum anteſignanus erat Conſtantinus, cui ob turpitudinem ac fœditatē inditum eſt nomen Copronymi. Eum propter acerrimum bellum indictum imaginibus, ſummam in Catholicos viros crudelitatem, magiam, & alia ſcelera, hæreticum declararunt, anathematizarunt, & communione Chriſtianorum eiecerunt.

7. Præterea, Sigebertus, Ado, Aemylius, Abbas Vſpergenſis mentionem faciunt alterius B Concilij in Gallia habiti, quo tempore regnabat Pipinus Caroli Magni pater, circa annum Dom. 766. in quo confirmatus eſt & vſus, & cultus imaginum, miſſæque ſunt publico nomine in Græciam, ad hoſtes huius doctrinæ, vt errore abdicato, conſenſum Catholicorum in hoc articulo, ſicut & cæteris, probarent atque ſequerentur.

8. Paulo poſt circiter annum 772. Adrianus Papa conſcripſit Librum cuius inſcriptio eſt. De Reuerentia ſeu veneratione, quæ debetur Sanctis, & eorum imaginibus: in quo docet tum ex rebus geſtis, tum ex ſcriptis Sylueſtri, Damaſi, Cæleſtini, Leonis, Ioannis, & Pelagij prædeceſſorum ſuorum (qui omnes Eccleſiæ præfuerunt intra quingentos annos à Chriſto) prædictas imagines publice collocandas, & reuerenter habendas eſſe in templis Chriſtianorum. Ad hæc calculo ſuo probat ſecundum Concilium Nicænum, quo ſancitur cultus imaginum, & ex aduerſo reprehenduntur quædam Germanorum & Gallorum Synodi habitæ Francofurti, à quibus iſtud Concilium Nicænum carpebatur, vt ſcriptum reliquerunt Centuriatores Magdeburgenſes.

Sigebert. Trithem.

Cent. 8. col. 639.

9. MIN. Memoria repeto fieri omnium horum mentionem à miniſtro Ioanne Hannonienſi, in libro ſuo de ſtatu Eccleſiæ, quem Ioannes Criſpinus Geneuæ excudit 1558. proinde dubitandum non eſt Caluinianis. Ex iis autem colligo, primum, ſummam eſſe Caluini impudentiam ac impoſturam, qui ſibi credi poſtulat, vſum imaginum non fuiſſe inter Chriſtianos publicum quingentis annis à Chriſto. Secundo, meros calumniatores deprehendi Prædicantes, qui ſuadent auditoribus ſuis, adorationem Deo debitam à Catholicis ad imagines transferri, cum non alio intuitu colantur, quam quod res ſacras & colendas ſenſibus noſtris exhibeant ac repræſentent. Tertio, apparet hunc fuiſſe conſenſum tam Occidentis quam Orientis Eccleſiæ, iam inde ab vltimis temporibus, nimirum, imagines nullo verbo Dei expreſſo prohibitas, ſed potius ſeruandas & venerandas eſſe: quod qui negant ab omni Chriſtianorum communione exterminatos eſſe. Nunc tantum auet animus ſcire, quibus rationibus aut argumentis freti priſci patres hanc ſententiam ſibi tenendam ac tuendam eſſe exiſtimauerunt.

Fol. 187. 189. 190. 200. 203. 204. &c.

DOC. Primo, Scripturam ſacram ſecuti ſunt ducem, quæ Deum coram antiquo tabernaculo ſuo coli & adorari præcepit, in quo Arca fœderis diuinam maieſtatem repræſentabat, & imagines Cherubinorum expanſis alis gloriam numinis adumbrabant. Nam cum homines prono vultu procidebant coram Arca & imaginibus, non eſt dubium quin honorem illis exhiberent. Imo, vt ait Hieronymus, Tabernaculum honorabatur propter Cherubinos ibi figuratos. Diuus item Auguſtinus docet honorem eſſe deferendum ſignis vtilibus & à Deo inſtitutis (cuiuſmodi ſunt Sacramenta, & imagines,) tum in gratiam eius qui talia ſtatuit, tum ratione rei quam ſignificant & repræſen- C tant. Hoc idem alibi comprobat prolato in exemplum ſerpente æneo, cuius imaginem ſurſum erectam vniuerſus populus Iſrael cum reuerentia & religioſo honore contemplabatur in honorem Redemptoris, cuius mortem futuram in cruce imago illa deſignabat. Vnde efficitur, optimo iure venerandam eſſe crucis atque crucifixi imaginem, ob honorem Chriſti patientis, qui per eam adumbratur. Simile iudicandum de ſacris Deiparæ, Apoſtolorum, & omnium beatorum Imaginibus atque figuris, ob honorem debitum iis quorum vultus ac effigies per externam illam ſpeciem contemplatio- D nibus noſtris ſubiiciuntur. 10.

Exod. 25. & 33. 1. Reg. 1. Pſ. 28. 85. 95. 98. 131. 3. Reg. 6. & 7. Epiſt. ad Marcel. Lib. 3 de doct. Chriſtic. 9.

L. 3. de Trinit. cap. 10. Num 21. Io. 3.

MIN. Confirma ſententiam Antiquorum teſtificationibus. DOCT. Actum agerem. Nam antea protuli Athanaſium, Chryſoſtomum, Prudentium, & plurimos alios patres in hanc rem. Etenim cum Imagines in locis ſanctis, & publicis collocari voluerint, eaſdemque ex auro, argento, aliiſ-ve magni pretij materiis conficiendas curauerint, vt de Conſtantino, referunt Euſebius & Damaſus: quas etiam luculentis verſibus & magnificis titulis exornarint: non-ne hæc omnia certiſsima ſunt ſigna & iudicia, quibus 11.

bus declararunt honorem habendum esse A imaginibus, exemplumq́ statuerunt quod omnis posteritas æmularetur? Quinetiam à Deo ipsum exemplum mutuatum est, ipsas præcipiente omnium honoratissimo & sanctissimo loco reponendas, constituendas, aspectandas, & honorandas esse?

12. MIN. Vera esse agnosco & confiteor: veruntamen veteres sanctos patres audire gestio, qui idipsum doceant & comprobēt.

Epist. ad Imper. DOCTOR. Basilius Magnus Iuliani apostatæ, præcipui imaginum hostis blasphemias refellens, pronunciat: Historias imaginum illorum (Christi & Apostolorum) honoro. Hoc enim nobis traditum à sanctis A- B postolis non est prohibendum.] Quo quidem testimonio iam abhinc annis octingentis Adrianus Papa vsus est: & ante hunc patres Nicæni ad retundendam ferociam Ico-

Act. 2. nomachorum. MINISTER. Recte & ordine fecerunt; cum verbis disertissimis expressum: & ab authore, cui ob antiquitatem, doctrinam, & sanctitudinem fides merito debet haberi.

13. DOCT. Athanasius ætate maior, & cæteris dotibus non inferior respondet Antio-

Quæst. 16. cho principi, coli & honorari à Christianis crucis & passionis Christi sacras imagines, q̄a nobis repręsentant pręcipuū redemptio- C nis humanæ mysterium, peractum ab ipso filio Dei, qui pro nobis homo factus est, & in corpore suo pœnas peccatis nostris debitas clementer exsoluit.

14. *Carm. de pass. Dom.* MIN. Antiquiores adhuc testes tibi sunt? DOCT. Lactantius vtrisque adhuc superior, præclaris versibus laudes crucifixi celebrans, sic in eius memoriam signum & figuram iubet venerari:

Flecte genu lignumq; Crucis venerabile adora.

15. Quod multis ante temporibus vsurpari ab Ecclesiæ primæ Christianis agnouerunt

De baptis. Christi. Apologet. Octau. Apolog. 2. Cyprianus martyr, Minutius, Tertullianus, & Iustinus martyr: fortiterque obstiterunt D Iudæis, qui inde scandalizabantur: ac Ethnicis Christianos hac de causa subsannātibus. MIN. Nunquam equidem dubitandum existimaui, quin repræsentatio passionis Dominicæ religioso cultu prosequenda sit, quippe cum ex vltima origine mos hic inter Christianos viguerit, haustus ex traditione Apostolorum, vt ipsimet Centuriatores

Cēt. 8. c. 9. Magdeburgenses, alijque Doctiores Ministri fateri compelluntur.

16. DOCT. Progrediar igitur ad venerationem aliarum Imaginum. Viri præstantes quorum fides nō vacillat, testes sunt, Deum euidentibus miraculis editis demonstrasse sibi gratos & acceptos esse eos qui sacras Imagines venerantur: sicut è contrario detestatus est illos, qui eas irrident & persequuntur. Nam Eusebius, Sozomen. Theo- *L. 7. c. 14.* phylactus, Nicephorus, & Cassiodorus me- *l. 5. c. 20. in* moriæ prodiderunt, omne genus morbo- *c. 9. Matt.* rum sanatum fuisse, per herbam fimbriam vestis eius statuæ fusilis, quam fœmina Cæsariensis in honorem Domini erigi curauerat. Præterea, memorant fulmine disiectam fuisse Iuliani Apostatæ statuam quæ proxime collocata erat. Quo portento Deus declarauit & priorem illam imaginem sibi gratam, & hanc maxime detestabilem videri.

Deinde, cum Athanasius refert multum 17. sanguinem effluxisse ab Imagine Crucifixi, quam Iudæi per ludibrium virgis ceciderant, plurimosque morbos hoc remedio sanatos fuisse: nonne quasi diuina voce pronunciatum est eos, qui Crucis memoriam honorant Deo peracceptos; qui vero cum Iudæis despiciunt, sacros & piaculares habendos esse?

Tacitus prætereo alia miracula pene 18. innumera, quibus cœlitus comprobata est religiosa Imaginum veneratio, quæ passim legere poteris apud Euagrium, Paulum Diaconum, Nicephorum, Damascenum, Metaphrastem, Nauclerum, Sigebertum, Zonaram, Glycam, aliosque priscos patres & historicos.

Adijcio, admirabili iudicio Dei factū esse, 19. vt hostes venerandarum imaginum cœlestem vindictam & animaduersionem incurrerint: sicut ex aduerso, qui eas propugnarunt, diuinam mercedem & benedictionem perceperunt. MINIST. Si hoc legitimis probationibus impleueris, nihil est quod vltra desiderem. DOCT. Primo, non te præterit, quam diro exitu pessimam vitam finierit Iulianus Apostata infestissimus Imaginum hostis, qui in medio exercitu, iusta numinis vltione iaculo transfixus, infœlicem animam cum sanguine euomuit. MINIST. Memini id scriptum esse à Theodoreto, Socrate, Sozomeno, Nicephoro, & Cassiodoro: quod ab ijs exceptum in Centurias suas retulerunt Magdeburgenses: Crispinus, & Ioannes Hannoniensis Caluiniani.

DOCTOR. Deinde, Imperator Philippi- 20. cus belli & odiorum aduersus Sanctorum

Abba. Vrsperg. Supplem. Chron. Naucler. Imagines instaurator, Ecclesiæ communione semotus, regno pulsus, ac tandem à successore suo Athemio seu Anastasio oculis prius effossis, in lecto trucidatus est. A

22. Zonar. Glycas. Nauch. Sigeb. Cusp. Leo Tertius cum in foro Constantinopolitano, cunctas Imagines quas vndequaq; conquisierat, cremari iussisset, statim à Saracenis obsessus est, ciuitatem tam cōtagiosa pestis inuasit, vt exiguo temporis interuallo trecenta millia hominum ibi perierint: demum ipse potissima regni parte spoliatus, peste ac dysenteria cruciatus mortem operiuit.

22. Paul. Dia. Sigeb. Naucl. Zonar. Filius eius Cōstantinus Copronymus imperio simul & impietati patris succedens, post mille sacrilegia, post immania crudelitatis exempla perpetrata aut per ipsum, aut per ministros tam aduersus venerādas Imagines Sanctorum, quam aduersus corpora lectissimorum Catholicorum, seram quidem, sed diram sensit numinis iram. Enimuero post amissam nauali prælio classem bis mille nauium, post horrendos terræmotus, & absorptas chasmate potissimas imperij sui vrbes, post late grassantem pestilentiam, post inaudita frigora, post inusitatas aquarū exundationes, ac siccitates nunquam antea visas, hic iuratus Imaginum & Sanctorum hostis, lepra percussus est, & tam ingēti æstu interius flagrare cœpit, vt inter moriendum subinde desperabundus vociferaretur traditus sum in ignem æternum, &c. B

Sigeb. Fasciculus temp. Naucl. C

23. MINIS. Sufficiunt ista cœlestis iræ aduersus hostes imaginum exempla. Velim nunc probes ex aduersa parte gratos & acceptos fuisse Deo, qui causam imaginum sibi defendendam sumpserunt. DOCT. Cum Ioanni Damasceno manus amputata fuisset qua libros tres de illarum veneratione conscripserat, colendo B. Mariæ effigiem, recuperauit & manum, & vulneris dolore liberatus est. D

24. Inter furias Imper. Iconomachorum eluxerunt ingentia miracula, quibus Deus liberationi & consolationi multorum Martyrū qui pro earum defensione occumbebant, clementer consuluit. In eo numero palmarium obtinent quæ narrantur à Græcis de Stephano Auxentiano, de Paulo Cyprio, de Lazaro Constantinopolitano, Theophane, Nicephoro, Macario, Platone, Niceta, Germano, Machaele Episcopo Synadensi; de triginta & octo religiosis fratribus monasterij Pelereti, de trecentis & duodecim Decapolitanis, alijsque innumerabilibus: qui diuino robore muniti cōstanter, imo & alacriter omne genus suppliciorum pro Imaginibus Sanctorum propugnando subierūt: quo nomine coronam honoris & gloriæ cœlestis acceperunt.

Postremo laudatissimi Principes Pipin[9], & Carolus Magnus eius filius Sedis Apostolicæ aduersus Iconomachos acerrimi vindices, florentissimum Galliæ regnum vna cum Occidentis imperio à Domino acceperunt: quod diu fœliciterque rexerunt, ob pietatem erga Deum, deuotionē in Sanctos, & reuerentiam erga eorum Imagines. 25

MIN. Multiplices dubitationum scrupulos, qui me sollicitarūt in hoc articulo exemisti: tum autem multa suggessisti mihi quę penitus ignoraueram. Satis namque euidenter ostendisti locupletibus testimonijs, Imagines Sanctorū non esse habendas pro idolis, nec expresso Dei verbo prohiberi: sed probari, vsum earum publicum tum in Synagoga tum in Ecclesia perpetuo fuisse. Postremo, æquum esse vt colantur in earum rerum memoriam quas repræsentant. Perstringemus nunc doctrinam de Sanctorum reliquijs.

RELIQVIAS SANCTORUM HONESTE custodiri: religioseque coli debere: quoniam multa in vtilitatem generis humani Deus per eas facit, miracula: contra errorem 71.72.73.

CAPVT XIX.

DOCTOR.

SCriptis Caluini, Vireti, Bezæ, & similium continetur non esse custodiendum ossa, vestes, aliasve reliquias Sanctorū: quos magistros seculi dociles Discipuli vel flammis consumpserunt, aut in cloacas sordesq; obiecerunt quidquid vbique earum rerum ab ipsis reperiri potuit in Gallia, Anglia, Scotia, Belgio, & Germania.

DOCT. In eo plane prodiderunt se germanos imitatores esse Iudæorum, & Samaritanorum, qui corpora humana tam immunda censent postquā anima separata est, vt eorum contactu, viuos putent contaminari. Quinetiam hac nota noscuntur veri traduces impietatum Eunomij, Vigilantij, Copronymi, VVicleffij, VValdonis, Hussij, Zischæ, & aliorum veterum veternosorum hæreticorum, quos Ecclesia Catholica semper à cōmunione sua reiecit, & Satanæ tradidit Confut. 1. Hieron. adu. Vigil. Aug. de eccles. dog. c. 73. Zonar. Glycas.

didit propterea quod in huiusmodi errore
peruicaciter ad vltimum vsq; vitæ spiritum
perseuerauerunt.

2. Huc accedit, quod in eo cum prioribus
Ethnicis, tyrannis, ac persecutoribus San-
ctorum mirifice conueniunt: de quibus re-
citat Eusebius, quod cum supplicijs Marty-
res affecissent, corpora eorum flammis ab-
sumerent, cineresq; dissipandos aut flumi-
nibus aut ventis committerent: ne ab alijs
Christianis colligi, sepeliri & coli posset. De
quorum immanitate sic Tertullianus con-
Apolog. c. queritur: Nec mortuis parcunt Christianis,
37. quin illos de requie sepulturæ, de asylo quo-
dam mortis, iam alios, iam nec totos auel-
lant, dissecent, distrahant.] Sed longe antea
Ps. 72. Propheta Regius: Posuerunt morticinia ser-
uorum escas volatilib. cœli, carnes Sancto-
rum tuorum bestijs terræ, &c. MIN. Certe
hæc vetera flagitia in ore & oculis omnium
renouarunt in Gallia, Beza duce, miserabi-
les Hugnostici, cum è capsis & è conditorijs
effoderunt ossa B. Magdalenæ, Irenæi, Mar-
tini, Hilarij, & aliorum innumerabilium
quæ partim ignibus exusserunt, partim flu-
minibus immerserunt. Quorum itaque fa-
cta imitantur, eorum exitus merito exhor-
rescere debent.

3. DOCT. Scriptura satis expresse docet,
ossa reliquiasque Sanctorum religiose tra-
ctandas esse, cum exemplum nobis propo-
Exod. 13. nit Mosis & Iosue, qui ossa Iosephi ex Aegy-
Deut. 34. pto in terram promissionis asportauerunt:
Ep. Iudæ. cum dicitur Deus ipse corpus Mosis sepelis-
4. Reg. se, & Michaelem ei adfuisse: cum Elias quo
tempore transferebatur, asseruandum pal-
lium Eliseo reliquisset: cum ad tactum ossiũ
eiusdem Elisei mortuus in vitam reuocatur:
Psalm. 33. Dauid canit Deum custodire omnia ossa
Sanctorum: mortem item eorum pretio-
Psalm. 115. sam esse in conspectu Domini. Quinetiam
Matth. 12. Christus in Euangelio testatur Deo Patri
Act. 19. suo curæ esse capillos Sanctorum. Lucas
scribit Ephesios magna cura sudaria & se-
micinctia, quæ corpus Pauli contigerant,
asseruasse, quibus sese aduersus immundos
spiritus præmuniebant.

4. MINIST. Habes viros Apostolicos huius
Constit. li. 6. c. 30. pietatis assertores? DOCT. Habeo plane
Clementem Pauli cooperatorem, & Petri
successorem, qui quatuor Scripturarum lo-
cis confirmat Apostolicam traditionem es-
se, de custodiendis & honorandis Sancto-
Ep. ad Ro. rum reliquijs. Habeo Ignatium scribentem
feras & immanes bestias, eo non ausas acce-
A dere vel illas contingere. Habes Dionysium *Eccl. hier. lib. 9.*
Pauli discipulum, docentem morem obti-
nuisse, vt magno cũ honore corpora Chri-
stianorum in Ecclesias deportarentur, & re-
ligiose conderentur. Habeo Africani Ab-
diam insuper addentem, Telluri seu solo su-
per quo quieuerant ossa B. Thomæ, reue-
rentiam delatam fuisse.

Alii-ne tibi sunt huius dogmatis propu- 5.
gnatores? DOCT. Chrysostomus author *Hom. 5. ad*
est religiose visitari etiam locum vbi Iob *popul.*
tam viriliter insultus Satanæ represit: seque *Hom. vlt.*
mirabili cupiditate elatum fuisse memorat *ad Ro. &*
Romam proficiscendi, vt illic reliquias Pe- *3. ad Eph.*
B tri & Pauli venerari liceret.

Basilius ita scribit: Antea dicebatur Sa- 6.
cerdotibus, Non contaminabitur aliquo *In Ps. 115.*
mortuo, nunc autem qui contingit ossa
Martyris, quandam sanctificationis socie-
tatem assumit ex gratia corpori assidente.]

MINISTER. Post authoritates Scri- 7.
pturarum, sufficit mihi hic dexter senio Pa-
trum: effice nunc sodes, ossa, sepulchra, ve-
stes, & alias Sanctorum reliquias honoran-
das esse.

DOCT. Tantis errorum nebulis excæ-
cata est Hugnosticorum acies, vt non aduer-
tant se atrocem iniuriam Spiritui sancto in-
C fligere, cuius olim fuerunt & organa, sicut
etiamnum esse perseuerant. Nam quicun-
que violauerit templum Dei exterminabi-
tur.

Deinde, sunt etiam in Christum contu- 8.
meliosi, cuius corporis viua veraque mem- *1. Cor. 3. 6.*
bra censentur, pro quo mille ærumnas per- *2. Cor. 6.*
tulerunt, ac crudelissimas mortes oppete- *Eph. 5.*
re non dubitauerunt: & quibus idcirco pro-
missa est beata immortalitas & participatio
gloriæ ac regni cœlestis. Denique per San-
ctorum latus etiam ipsum Deum Patrem o-
mnipotentem petunt, qui Sanctos creauit,
anima rationali donauit, multisque præcla-
D ris dotibus locupletauit.

MIN. Mirifice tu quidem, sed tamen
verissime concludis eum qui iniurius sit re-
liquijs Sanctorum, esse contumeliosum ad-
uersus totam sanctissimam Trinitatem.

DOCT. Hæc illatio non difficulter elici *De Eccles.*
potest ex istis grauibus B. Augustini dictis: *dogm. c. 73.*
Sanctorum corpora, & præcipue beatorum
Martyrum reliquias, ac si Christi membra,
syncerissime honoranda: & Basilicas eorum
nominibus appellatas, velut loca sancta di-
uino cultui mancipata, affectu piissimo, &
deuotione fidelissima adeundas credimus.

Si quis

Si quis contra hanc ſententiam venerit, non A
Christianus, ſed Eunomianus & Vigilantianus creditur.] MIN. Non de nihilo eſt, quod verbo multitudinis vtitur, *Credimus*: quodq; hunc librum inſcripſit, *De Eccleſiaſticis dogmatibus*. His enim oſtendit hanc eſſe communiter receptam fidem & perſuaſionem apud omnes Chriſtianos, non de nouo repertam, ſed à priſcis temporibus vſitatam; denique non alio iure defendam, quam traditionem Apoſtolicam. Tum autem ſanctus vir proteſtatur has Reliquias eſſe honorandas non ſecus ac Chriſti membra: & qui contra ſenſerit, eum negat eſſe Chriſtianum. Vnde ſua ſponte procedit hæc concluſio, recoctos Caluiniſmi Prædicantes, non eſſe cenſendos Chriſtianos, ſed Chriſto palam aduerſantes.

9. *Epiſt.103.* DOCT. His adde quod Idem pater literis ſuis Quintiano commendat viduam nomine Gallam, & puellam Simpliciolam, ſecum ferentes quaſdam beati Stephani reliquias: quas ipſemet honorabat, & honorari præcipiebat. Vnde patet liquido Chriſtianorum qui tum viuebant, pietatem ac religionem prorſus contrariam fuiſſe nouitijs & impuris iſtis Imaginum ac Sanctoaum aduerſarijs.

10. MIN. Negari tam perſpicua res non poteſt. Sed vt omnis dubitandi ratio tollatur, C
adfer aliquid ex ijs alijs Patribus, qui pietatem Auguſtini referre videantur. DOCT.
Ser.9.3. Ambroſius de corporibus Nazarij & Celſi martyrum, his verbis vtitur: Honoro in carne Martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices: honoro viuentis perennitate virtutis memoriam: honoro per confeſsionem Domini ſacratos cineres: honoro corpus quod mihi oſtendit Dominum diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere.] Et curnam Chriſtiani non honorarent corpus Martyris, quod diaboli contremiſcunt? Quod & Chriſtus honorauit dono martyrij, quodque cum eo glorioſum regnabit in cœlis? D

11. MIN. Tria verba profer ex D. Hieronymo, tunc nihil amplius requiram. DOCT.
Epitaph. Ille plurimum celebrat Paulam fœminam Romanam, quod Religionis ergà Ieroſolymam, reuerenter honorauerit Domini noſtri lapidem ſepulchralem, & columnam ad
Epiſt. ad Marcel. quam deligatus & flagellis cæſus eſt, & in Samaria reliquias Abdiæ, Eliſæi, ac Ioan. Baptiſtæ. Execratur vero Vigilantium improbum hæreticum, petulanter inſultantem ijs, qui Sanctorum reliquias venerabantur. Cuius impuritatem & maledicentiam ſic imitatur hodie populus Hugnoſticorum, vt in eodem ludo eruditi fuiſſe videantur. Affirmat deinde pius ille Doctor. Cum honorantur reliquiæ Sanctorum, honorem in Chriſtum redūdare, pro cuius cauſa ſanguinem profuderunt, quique ſuis rationibus apponi vult quæcunque propter ipſum fidelibus ſuis expenſo feruntur. *Epiſt. ad Ripar. L. adu. Vigil. Matt.25*

MIN. Hactenus de Latinis: recita breuiter Græcorum ſententiam. DOCT. Chryſoſtomus ſe fœlicem fore exiſtimabat, ſi oſſa tantum & catenas Apoſtolorum Petri 12.
B Pauli oſculo venerari potuiſſet. Idem teſtabatur coram omnibus Mauſolæa Regum & Imperatorum nullo modo conferenda eſſe cum ſepulchris iſtorum (quondam) idiotarum, qui piſcatores hominum euaſerant, ſiquidem illa neglectu & incuria prætereuntur, hæc magna religione coluntur & frequentantur. Denique, diligenter adhortatur gregem ſibi commiſſum, vt ſubinde tumulos Martyrum viſitent, eorumque ſacras reliquias cultu & oſculo religioſo proſequantur, quo participes fiant illorum precum atque meritorum. *Hom. vlt. in ep. ad Rom. Hom.66. ad popul. Antioch. Ser in laudem Iuuentii & Maximi.*

Cyrillus Ieroſolym. docet non ſolum honorandas eſſe animas Sanctorum, verum & corpora, & oſſa in terris relicta, cum per ea Deus virtutes ſuas demonſtret: vt exemplo eſt corpus Eliſæi, cuius tactu mortuus in vitam iſtam reuocatus eſt. 13. *Catech.18.*

Nazianzenus Iuliano Apoſtatæ velut pudendum & damnabile crimen exprobrat, quod ſepulchra Herculis, Iouis, Saturni, honorare non dubitaret: cum interim dedignaretur & negligeret tumulos Sanctorum Martyrum, qui ſanguinem & vitam pro cultu veri ac viuentis Dei alacriter impenderant. 14. *Orat.1. in Iul.*

Baſilius Magnus ſcribit: cum pro Chriſto mors contingit, pretioſæ ſunt reliquiæ Sanctorum eius. Idem loquens de reliquijs Sanctorum quadraginta Martyrum, quæ per totam prouinciam diſperſæ erant, ait: Hi ſunt qui omnem hanc regionem gubernāt, ac velut arces ac munitiſsima propugnacula tutantur nos ab incurſionibus inimicorum, &c. 15. *In Pſ.115. Orat. in 40. Martyres.*

Athanaſius tanti fecit pallium pannis obſitum, & ouillam pellem qua fuerat indutus B. Antonius, vt beatum prædicaret eum, cui teſtamento legata fuerant: cum in hoc vili cento- 16. *In vita B. Antonii.*

centone quodammodo veneranda species herois illius, & imago sanctitatis effulgere videretur.

17 Eusebius Cæsariensis postquam Ignatij & Polycarpi illustrissima martyria commemorauit, author est, veteres illos Christianos vnius crassiora quidem ossa (quæ leonibus superfuerant) legisse & cineres alterius, tanquam gemmas pretiosissimas, easque summo cum honore mandasse sepulturæ. Quotannis porro quo die passi sunt, locum magno Christianorum conuentu frequentari, solemnibus sacris honorem & memoriam eorum celebrari. MINIST. Ex his luculentis testimonijs apparet, quod ab antiquis temporibus Ecclesia morem hunc seruarit, vt honoraret reliquias Sanctorum, omnesque filios suos hortaretur ad eandem pietatem; quam ab Apostolis acceptam ad posteros fideliter transmittebat, reprobando quasi sceleratos & nefarios, qui nunc & olim aduersus Sanctos sunt belligerati. Nec video quid Prædicantes obgannire possint, si (vt Caluinus, Beza, Melanchthon, & alij primates eorum facere præsumpserunt) Ecclesiam ad antiquæ puritatis normam reformare sese student, ac tueri doctrinam ac disciplinam eius, qualis extitit primis quingentis annis post Domini natiuitatem.

Li.3. hist. c. 36. & l.4. c.15.

18. Superest vt certis & claris testimoniis probes, Deum multa in vtilitatem generis humani miracula per vestes, tumulos, ossa, aliasque reliquias Sanctorum fecisse. Hugnostici namque à Caluino suo acceperunt, *omnia illa quæ feruntur, Diabolicas illusiones fuisse ad inescandam imperitam multitudinem.*

DOCTOR. In hac re non degenerant ab antecessoribus suis Vigilantianis, Arrianis, & Manichæis, qui nihil respondebât Catholicis, cum ad firmandam fidem orthodoxam allegabant miracula quæ contactu reliquiarum Sanctorum passim fiebant in templis & cemeteriis Catholicis.

19. Sectantur item exemplum Iuliani Apostatæ, Porphirij, Peregrini, Luciani, Celsi, Eunapij, & similium veterum apostatarum, qui postquam Christianismum abiurarunt, vt se veros eius aduersarios proderent, seruis Christi cum in cælis triumphantibus tum in terris militantibus bellum indixerunt, & mirandas eorum virtutes magicis ludificationibus & præstigiis dæmonum adscripserunt.

20. Denique, pleno gradu insistunt vestigiis

A Iudæorum & Pharisæorum, qui cum miracula Domini inficiari non valerent, calumniando criminabantur, & ad authorem Beelzebub principem Dæmonum ea referebant. En præclaros dictatores ac magistros à quibus hi procliues ad peiora discipuli, sentinâ calumniarum & blasphemiarum hauserunt Caluinus, Beza, Caluiniani, & Bezani, Hugnostici omnes; quas nûc ex impuris faucibus aduersus Deum, Christum eius, & illustria miracula, quæ tactis sanctorum eius reliquiis fiunt, propudiose euomere nô reformidant. Hæc vna ratio, quæ satis efficax esse deberet, ad ingerendum piis mentibus hor- B rorem tam detestandarum hæreseôn, quas hi fratres Ætnæi cælo capita alta ferentes, noua incude refingere conantur.

MINIST. Certam & perspicuam rem narras. Sed ne quid resideat hæsitationis, cuperem mihi probari ex Scripturis, & Sanctorum Patrum interpretationibus, hanc à Deo vim attributam esse Sanctorum eius reliquiis, vt earum contactu vera miracula perficiantur. DOCT. Damascenus, & eo longe antiquior Cyrillus Ierosolymitanus, hoc dogma comprobarunt ex eo quod Scriptura refert, quendam mortuum tactis beati Elisæi ossibus, in vitam rediisse. Cyrilli verba C ista sunt: Iacens in sepulchro Elisæi mortuus, mortuumque Prophetæ corpus attingens, viuificatus est. 21

Li. fidei, ca. 17.
Catech. 18.

Idem author Damascenus, aliique multi in fidem huius dogmatis adferunt ea quæ narrâtur in sacris Bibliis de virga Mosis, quæ tot perpetrauit in Ægypto, in mari rubro, & in desertis. Nec silentio prætereunt virgam Aaronis, quæ vna nocte & florem & fructum genuit. Narrant muros Ierichuntinos per arcam fœderis disiectos fuisse: per eandem Iordanem apertum, Dagonem mutilatum & deiectum, diuersas pœnas inflictas Palestinis, luem Bethsamitis immissam, percus- D sum Ozam, Ditatum Obed. Pallio Eliæ fluuium Iordanis bis diuisum, &c. 22.

Deinde, transitu facto ad nouum testamentum, sententiam corroborant, quia Dominus digitis suis surdis auditum, manibus sanitatem leprosis, visum cæcis, mutis loquelam restituit: Denique vestis suæ tactu sanguinis profluuium potenter repressit.

Quid quod vmbra corporis Petri valetudinem ægris restituit? Tacta sudaria Pauli dæmones profligarunt?

MINISTER. Nisi me ratio fugit, collegisti in vnam summam octodecim præclaras

claras & illustres historias ex vtroque Testamento selectas: quibus aperte euincitur, Deum per reliquias Seruorum suorum certa miracula solitum fuisse exhibere erga deuotos & humiles earum cultores. DOC. At nemo tam ferreæ frontis Hæreticus reperietur, qui dicere audeat hæc admiranda facinora fuisse Diabolicas illusiones ad fucum imperitis faciendum. Superest igitur vt sese condemnent erroris, & Caluinum manifestæ impietatis, quo magistro tam irreuerenter de Diuinis miraculis per Sanctorum reliquias editis loqui ac sentire didicerunt.

23. MINIS. Velim scire, vtrum eruditus ac pius ille Doctor August. aliquid super hac re scriptũ reliquerit, quoniã Caluinus ac Melanchthon palã iactitant se tantũ huius herois authoritati deferre, vt totam litem eius arbitrio permittere non vereantur. Idem facere videtur & Lambertus Danæus Caluini minister scribens ad Comitem Frisiæ, præfixa Enchirid. Augustini: *Augustinus vir ille inter pios pientissimus: inter scriptores Ecclesiasticos, si qui vnquam docti fuerunt, doctissimus. Est enim os Augustini qui propter infinitã omnis humanioris literaturæ cognitionem: sed in primis propter fidei Christianæ veram synceramque, si quis alius è veteribus, doctrinam, fuit semper inter Christianos homines celeberrimus & notissimus.* DOCTOR. Si quidẽ vere & ex animo loquuntur, pactã rem habemus. Nam hic eximius & grauissimus pater, cum diligenter exquirit causas, quamobrem vno potius quam alio loco miracula fiebant: & cur à corporibus, ossibus, & reliquiis quorundam Sanctorum, non autem omnium, tandem concludit, in eo sanctum & altum Dei consilium agnoscẽdum: qui se his modis in Sanctis suis mirabilem & laudabilem ostendit, quibus (vt ait Apostolus) diuersa gratiarum genera largitus est. Non enim omnes sunt Apostoli, nõ omnes Prophetæ, non omnes Doctores. Sed vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi. MINISTER. Et quæstio ista, & decisio firmata disertis Scripturis digna est magno illo Doctore. Profer aliud, si quod habes, ab eodem fonte testimonium.

Epist. 137. Ps. 64. 1. Cor. 12. Eph. 4.

24. DOCTOR. In vltimo libro de Ciuitate Dei, cum fideliter recensuit quinque miracula edita contactu reliquiarum S. S. Geruasij & Prothasij, quas Deus Ambrosio reuelauerat: necnon alia quindecim quæ contigerant tactis item reliquiis B. Stephani protomartyris: tandem in hunc modũ concludit: fiunt ergo etiamnunc miracula, eodem Deo faciente per quos vult, & quemadmodum vult. &c. Siue Deus per seipsum, siue per suos ministros ista faciat, siue etiam per Martyrum spiritum, siue per Angelos operatur: vt quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantum & impetrantibus non etiam orantibus fiant, siue alia fiant istis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus possunt: ei profecto attestantur fidei in qua carnis resurrectio prædicatur, &c. Martyres testes fidei fuerunt, & mũdum non repugnando, sed moriendo vicerunt. Pro hac fide præcessit eorum mira patientia, vt in his miraculis tanta ista potentia sequeretur, &c.]

Cap. 8.

MINISTER. Nihil est quod amplius desiderem circa dilucidam expositionem non solum huius articuli, sed & superiorum omnium, quibus abunde pertractata est veneratio religiosa Sanctis, ac eorum reliquiis, & imaginibus debita. Satis item explicata quæstio de eorum intercessionibus, inuocationibus & vberrimo fructu ad nos inde promanante. Nunc (vt auspicato fine concludatur hodiernum colloquium) de summa eorum fœlicitate disseramus: aut enim fallit me animus, aut hac in parte etiam à nostris Archisynagogis largiter peccari cõperiemus.

BEATI IN CAELO, BEATO DEI *conspectu perfruuntur: non amplius sperant: aut nouis meritis proficiunt vsque in vltimum mundi diem: contra errorem* 74. 75. 76.

CAPVT XX.

DOCTOR.

Ecclesia Dei verbis nixa constanter credit & docet, Sanctos in cælo receptos præsentem Dei vultum instar Angelorum clare cernere: non spe vlterius expectare: aut nouis operibus bonis in vltimum vsque diẽ proficere: contra 76. 77. & 78. errorem Hugnosticorum.

MINIST. Quis audet pernegare? DOCTOR. Caluinus scribens: *Qui ex corpore mortali sunt liberati, sunt in profectu, quia nondũ pertigerunt quo aspirant, nondum potiuntur fælicitate & gloria, quam sperarunt. Paulus optat fideles* Com. ad Philip. ca. 1. v. 6. &

ad

In 1. Cor. c. 13. *ad illum vsque diem proficere. Tunc reipsa fruentur perpetuo omni cælesti fœlicitate.* Et vt euincam, Bezam frustra niti hos errores ab illo auertere, ecce quid rursum idem scribit: *Animæ ad hæreditatem sibi repositam aspirant, vt nondum obtineant suum statum.* Et rursum: *Neque nunc tantum expectanda nobis est salus, sed vbi vita defuncti, in Christo quiescimus.* MINIST. Ergo vult animas Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, & omnium cælicolarum adhuc suspensas esse desiderio salutis, & hac nondum potiri. DOCTOR. Quam vero peruicax fuerit in hac hæresi tuenda, prodit iterum in cap. 23. Lucæ, v. 43. In cap. 8. ad Rom. v. 24. 25. & 30. & in cap. 14. Ioannis. MINISTER. Prius igitur Beza dealbaret Æthiopem, quam Caluinum suum ista macula purgaret.

(In 22. c. Matth. v. 23. & 37. In 25. c. v. 5.)

Confutatio. 1. Atq; causam eorum defendendam suscipiat si cui ferream frõtem induere libuerit; mihi nec animus, nec facultas ad tantam impudentiam suppetit. Sed maius operæ pretium esse arbitror, vt etiam ex ipsorum scriptis euincatur eos perniciose hallucinari circa hæc præcipua salutis nostræ capita. Nã idem Caluinus seipsum damnans, confitetur, *Sanctos iam frui beata & iucunda quiete.* Hæc porro omni ex parte beata quies in sola visione & fruitione consistit, docente Augustino: Quia fecisti ad te, inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.] Item. Omnis copia quæ Deus meus non est, egestas mihi est.] Itemque: Nihil est quod animam impleat, nisi tu Deus, cuius ad imaginem est creata.)

(In Luc. c. 16. v. 22. & c. 23. v. 43. L. 1. Conf. c. 1. L. Medit. c. 8. Soliloq. ca. 30.)

2. Hæresiarcha insuper confitetur alibi: *Mundos corde frui in cælis conspectu ac præsentia Dei. Nos item postquam ab omni corruptione carnis nostræ repurgati fuerimus, visuros Deum facie ad faciem. Deum aperte manifestari beatis spiritibus tanquam ipsis proximum, ac eorum oculis expositum.* Vnde sponte efficitur Angelos aliosque Sanctos spiritus qui sunt in cælis clara visione, plenaque fruitione Dei iam potiri, etsi nondum nouissimus dies, & vltimus Christi aduentus illuxerit. Ac proinde Caluinus secum aperte dissidens seipsum expugnat, & suum Bezam cælum terræ miscentem coarguit. Atque hoc meum de re proposita iudicium: nunc tuum audire gestio.

(Cal. in c. 5. Matth. v. 8. & in ca. 18. v. 10. In 1. Io. c. 3. In 1. Cor. c. 13. v. 12.)

3. DOCTOR. Illud non verbis meis, sed Christi pronunciabo. *Beati* (inquit) *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et de beatis Angelis disserens, adfirmat, *Eos semper videre*

(Matth. 5.)

A *faciem Patris: qui in cælis est.* MINISTER. Hæc testimonia & liquidæ sunt veritatis, & irrefragabilis authoritatis. Nam si mundo corde vident Deum, & Angeli assidue cõtemplantur faciem eius vt proprium summum bonum suum: detestandi sunt Beza & alij Prædicantes, dira detestatione digni sunt qui hoc ipsum detestantur, & aniles fabulas esse fabulantur. Matth. 18.

4. DOCT. Eandem pietatem Dominus insinuans ait ad Philippum: *Qui videt me, videt & Patrem meum. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Adhuc paululum, & mundus iam non videbit, vos autem me videbitis: quia*
B *viuo, & vos viuetis. In illo die cognoscetis quod ego sum in Patre, & vos in me, & ego in vobis.* Ex quibus aperte consequitur, beatos Apostolorum spiritus iam in cæli s Deum clare intueri, & Patrem in Filio, & Filium in Patre beata visione contemplari: alias vanæ essent ac illusoriæ promissiones, quod vel cogitatu nefarium est. Io. 14.

5. Et in præclarissima feruentissima prece ad Patrem, sic de Apostolis & omnibus piis loquitur: *Pater, quos dedisti mihi, volo vt Vbi ego sum, & illi sint mecum, & videant gloriam illam quam dedisti mihi.* MINISTER. Non potest certe euidentius declarari, neque constan-
C tius affirmari Sanctos iam nunc supremæ fœlicitatis esse compotes, ac perfrui beata Dei visione quam cum expetentibus Apostolis, *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis,* respondetur: *Videbitis me, Videbitis gloriam meam qui videt me, videt & Patrem, &c.* Io. 17. Io. 14. Io. 17.

6. DOCT. Scriptura sub exemplo Angelorum testatum facit in hac Diuina visione & fruitione summam fœlicitatem versari, eademque cælites cumulatissime iam potiri. Ait enim vnus eorum: *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum.* Et alius: *Ego sum Raphael vnus ex septem (1. vniuersis) qui astemus ante Dominũ.* Iob item scribit eos adesse Domino tanquã
D filios coram patre suo. Et Daniel: Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Idipsum asserit, beatus Isaias adfirmans se vidisse Seraphinos circa thronum Dei. Denique, Ioannes in Apocalyp. pronunciat ab iis Diuinam Maiestatem indesinenter videri & celebrari. Luc. 1. Tob. 12. Iob. 1. Dan 7. Isa. 6. Apoc. 4. 5.

7. MIN. Ex testimoniis Apostolorum hoc ipsum confirma. DOCT. Primores eorum Caluinicas hæreses sic refellunt, & Catholicam sententiam corroborant. Ait enim Discipulus ille quem diligebat Iesus. Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid 1. Io. 3.

 erimus.

erimus. Scimus autem cum apparuerit, simi-
les illi erimus in gloria, quoniam videbimus
Apoc.21. Deum sicuti est. Et rursum Serui eius vide-
bunt faciem eius, & nomen eius scriptum in
frontibus suis. Et vas electionis ait: *Videmus*
1.Cor.13. *nunc per speculum, & in ænigmate: tunc autem*
facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc vero
cognoscam sicut & cognitus sum.

8. Antiquis Patriarchis & Prophetis non a-
lia mens, non alia fides fuit, vt coniecturam
Exod.33. facere licet ex Mose qui summo beneficio
Ps.79. petit à Domino, *Si gratiam inueni in conspectu*
tuo, videam faciem tuam. Regius vates canit. *O-*
stende faciem tuam, & salui erimus. Isaias au-
tem de beatis ait: *Regem in splendore suo vide-*
Isa.33.52. *bunt. Videbit omnis caro salutare Dei nostri, &c.*
Nunquid hæc tibi videntur vanæ specula-
tiones & deliramenta vetularum. Non ido-
nea, quæ Beza despiciat, ac serio detestari
debeat. MINIST. Imo vero Diuinæ sunt
reuelationes, & oracula cælestia, quibus do-
cemur, qua in re summum hominis bonum
consistat: atque adeo ad credendum Deo,
& obediendum Diuinis eius mandatis inui-
tamur, vt eo tandem post decursum huius
vitæ spatium peruenire mereamur.

RESVRRECTIO CORPORVM NON est incredibilis: Sancti in iisdem numero corporibus, non alienis, resurgent: simulque coronabuntur in cælestibus: aduersus 77. 78. & 79. errorem Caluinisticum.

CAPVT XXI.

DOCTOR.

NON est tam mirum quam miserandum
& detestandum, quod Caluinus ve-
ster eo dementiæ peruenerit, vt scripserit,
resurrectionem corporum humanorum
rem esse incredibilem: sed noua esse indu-
enda & præmianda. MINIST. Rem mihi
narras incredibilem. DOCTOR. Dictis
facio fidem. Extat in Epistolis Caluini se-
cundo etiam à Beza recognitis, & Geneuæ
excusis apud Petrum Santandreanum M.D.
Pag.84. & 85. LXXVI. Epistola Farelli ad Caluinum. Si ti-
tulus fallit, videat Beza, qui secundo etiam
hoc asserit: in qua Farellus hæc scribit: *Quod*
res tibi incredibilis videtur huius carnis resurrectio,
nihil mirum. Quod autem hac ratione permotus,
sufficere statuis, si credas nouis corporibus aliquan-
do nos esse induendos, hoc à Scriptura doctrina est
alienum.

A MINIST. Aperte video nimis eheu? ve- Confutatio.
rum esse quod Diuinus Apostolus de istius-
modi hæresiarchis scripsit: *Mali homines &* 1.
seductores proficient in peius: errantes, & in erro-
rem mittentes. Hic enim postquam certum
Paradisi locum esse negauit: Sanctos quos 2.Tim.3.
credimus ibi receptos, omnibus diris &
opprobriis deformauit: nunc in propriis
corporibus illos resuscitandos & gloria ho-
noreque coronandos esse, incredibilem
rem prædicat. Quid superest ei, post hunc Matth.22.
Saduceismum, & Manicheismum, quam
apertus Epicureismus & Atheismus?

B At bene habet, quod etiam à suo sym- 2.
mista & commilitione Farello damnetur,
adfirmante impietates istas à Scripturæ do-
ctrina alienas esse. Ad Caluinũ igitur hæc Ser-
uatoris ad Sadduceos verba quoque perti- Matth.22.
nent: *Erratis nescientes Scripturas, neque vir-*
tutem Dei. De resurrectione mortuorum non legi-
stis quod dictum est à Deo dicente vobis. Ego sum Exod.3.
Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non
est Deus mortuorum sed viuentium.

DOCTOR. His adde quod fortissi- 3.
mus Dei athleta de fide & spe in propria
carne sua resurgendi constanter profitetur: Iob.19.
Scio enim quod redemptor meus viuit, & in
C *nouissimo die de terra surrecturus sum, & rur-*
sum circundabor pelle mea, & in carne mea vi-
debo Deum. Quem visurus sum ego ipse: & non
alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Ex
hoc vno duce omnes Patriarchas credidis-
se, omnesque Prophetas palam docuisse v-
niuersos homines in nouissimo huius mun-
di vere surrecturos, & in eadem pelle &
carne Deum visuros: haudquaquam in a-
lijs corporibus. Idipsum Danieli reuelat Dan.12.
cælestis Angelus dicens: *Multi* (id est, per
numerorum enallagen, omnes) *de iis, qui*
dormiunt in terra puluere, euigilabunt, alii in
vitam æternam, & alii in opprobrium, Quo-
D modo vero ij qui in puluere dormiunt ex-
citabuntur, si alia, & aliena corpora indu-
erent, non eadem numero quæ in puluere
terræ deposita fuerunt? Eadem quoque
repromittit Isaiæ istis verbis. *Viuent mor-* Isa.26.
tui tui, interfecti mei resurgent. Ad hoc et- Ezech.37.
iam pertinet Ezechielis visio de ossibus ari-
dis, quæ carnes suas, inde & animas & vitam
suam resumunt.

MINISTER. Hæc de veteri Testamento 4.
sufficiunt: sine vt Apostolicis ac Euangeli-
cis literis Caluinianas expugnem impietates.
Sunt autem in primis amplissimæ de genera
li omnium nostrûm resurrectione, hæque
in

in propria carne, non aliena, repromissiones & assertationes, quas Deus cum sit omnipotens & verax, tempore suo penitus adimplebit. *Venit hora* (inquit Christus) *in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem.* En author resurrectionis Christus, qui & alibi dicit se quoscunque voluerit resuscitaturum, itemque se resurrectionem & vitam. Hinc, organum seu instrumentum resurrectionis, vox Filii Dei, quæ & alibi dicitur Tuba Archangeli, quoniam huius ministerio personabit. Præterea, qui præmia recepturi, nempe iidem illi qui bona vel B mala fecerint, non alii. *Io. 5.*

5. Rursus idem Christus etiam tertio, de quolibet in eum credente, & carne sua vescente, ait: *Et ego resuscitabo eum in nouißimo die.* Quis porro toties, tantoque serio adfirmanti & promittenti Filio Dei non potius credet, quam impio neganti Caluino? Resuscitabo eum, ait ille, non alium eius loco. Ad quid vero resuscitabit, explicat apud alium Euangelistam: *Retribuetur tibi in resurrectione iustorum.* Ad hoc idem pertinet, quod Diuinitate sua in animis Discipulorum Ioannis confirmanda dixit: *Mortui resurgunt*, nimirum iidem qui morte ceciderunt? Et C quod à Matthæo de vltimo die & iudicio refertur. *Congregabuntur ante eum omnes gentes*, resumptis videlicet propriis corporibus, vt in iis vel gehennæ suppliciis tradantur, vel cum Christo in cælos abducantur. *Ioh. 6.* *Luc. 14.* *Luc. 7.* *Matth. 25.*

6. DOCT. His adde, quod promissiones istas tantis exemplis & miraculis confirmauit, vt nihil vltra posit à nobis desiderari. Cum enim Dominus venisset ad portam Naim & defunctus efferretur ad sepulturā, tetigit loculum dicens: *Adolescens, tibi dico, Surge.* Et resedit idem ille qui fuerat mortuus. Et accepta manu defunctæ filiolæ cuiusdam Archisynagogi dixit: *Puella surge. Et* D *confestim surrexit puella, & ambulabat*, ipsa nimirum cuius mortuæ manum acceperat, nō in nouo aut aduentitio corpore, sed proprio. Ecquid Lazari exemplo magnificentius & gloriosius? Idem enim numero qui languerat, quinque iam fœtidus quatriduo in tumulo iacuerat, Domino inclamante, *Lazare veni foras*, viuus prodiit ligatis manibus institis. Denique, sub Domini resurrectione, *Monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis venerunt in sanctam ci-* A *uitatem, & apparuerunt multis.* Quorsum autem monumentorum apertio, si noua corpora induenda? Aut sanctorum qui dormierant corpora fuissent, si aliena? *Luc. 7.* *Marc. 5.* *Ioan. 11.*

MIN. Hæc quidem certa, manifesta & prorsus Diuina sunt: sed superat omnia exemplum Christi in proprio corpore resurgentis. Existimantibus namque Discipulis eum rediuiuum phantasma esse, ait ad eos: *Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere:* quod & Thomas mittens digitos in locos clauorum, & manum in latus apertum reipsa comprobauit. Ergo extra omnem quæstionē est, Christum in eodem numero corpore surrexisse, quod clauis in cruce fixum fuerat, ac in eodem gloria & honore in terris, imo & super omnes cælos coronatum esse. Ita non semel prædixerat: *Post tres dies resurgam. Postquam resurrexero. Oportet Filium hominis resurgere à mortuis, &c.* Atqui resurrectio Christi tam viuum verumque fuit exemplar resurrectionis nostræ, vt nihil dubitet Apostolus adfirmare nos cum eo conuiuificatos, & conresuscitatos esse. Itaque indubitatum est nos in iisdem corporibus resurrecturos & præmiandos esse. 7. *Matth. 28.* *Marc. 16.* *Luc 24.* *Io. 20.* *Matth. 17.* *20. 26. 28* *Luc. 9.* *Ephes. 2.*

Iam ad Apostolica scripta descendam, & Caluini in os regero, quod ex eius congerrone Farello sumpsi. Ait enim Paulus: *Qui suscitauit Christum à morte, viuificabit & mortalia corpora vestra.* Nec solum, sed & reformabit illa, vt sint conformia corpori claritatis suæ. Certe his corporibus nunc putredini obnoxiis, nominatim promittitur immortalitas. Nec obscuræ nec incertæ sunt promissiones istæ, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* DOCT. Imo vero non potuisset expressius loqui, ait Tertullianus, nisi cutem suam manibus teneret. Si mors huius carnis ab Adam, ergo eiusdem carnis resurrectionis à Christo. Occidit Deus, & viuificat. Quid? nisi quod erat mortuum? 8. *Rom. 8.* *Philip. 3.* *1. Cor. 15.*

Præterea, citantur omnes homines ad tribunal Christi, vt referat vnusquisq; secundum ea quæ per corpus gessit siue bonum, siue malum. Atqui minime conuenit nobis rependi in alienis corporibus præmium operum, quibus peragendis, hæc quæ nunc gestamus fuerunt instrumenta. Pauli scilicet, corpus in quo illustratum fuit nomen Dei, honore priuabitur, & corpus aliunde conflatum martyrii gloria coronabitur? 9. *2. Cor. 5.*

Corpus stigmata Domini portans, ignominiose iacebit in puluere, aduentitium ex aere, vel terra compactum exultabit in gloria? A

10. DOCT. Tertullianus profecto etiam à Sacramentorum perceptione carnis humanæ resurrectionem ita comprobat: Caro dum ministra & famula animæ deputatur consors & cohæres inuenitur. Si temporalium, cur non & æternorum? Adeo caro salutis est cardo, de qua cum anima Deo allegitur, ipsa est quæ efficit vt anima allegi possit. Sed & caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro signatur, vt & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, vt & B anima spiritu illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera coniungit. MIN. In his certe sic conquiescendum, vt probationibus aliis non sit opus. Pergamus ad consequentia.

GLORIA PARADISI NON EST *æqualis in omnibus Sanctis: contra errorem* 80.

CAPVT XXII.

DOCTOR.

De fœlicitatis eorum modo atque mensura quid statuis? Vtrum æqualis futura est in omnibus claritas visionis, & gloria fruitionis Diuinæ: an vero diuersa ac inæqualis? DOCT. Cedo primum quid de hac re vestri Reformatores sentiendum arbitrentur. MIN. Nec mihi, nec illis etiam satis liquet, quandoquidem tanta opinionum varietate digladiantur, vt in eos apte quadret Apostoli dicterium: *Non intelligunt* 1. Tim. 1. *quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. Arbitror tamen Caluinum in assertorium patrem inclinare, primo cum scribit, eos abuti D hoc loco, *In domo Patris mei mansiones multæ* Ioh. 14. *sunt*, qui varios esse dignitatis & honoris gradus in regno cælesti ex eo colligunt. Secundo, cum hanc gloriam Sanctis rependi negat ob varia diuersaque bonorum operum merita, ex quibus tamen inæqualitas præmiorum præsertim colligitur & asseritur. Tertio, cum Beza omnem de gloria Paradisi & Sanctorum beatitate doctrinam Catholicam (ad quam hæc sententia pertinet) serio se detestari profitetur. Quapropter hunc articulum referre potes ad classem errorum, quibus hæretica natio gloriam Sanctorum expugnare contendit.

DOCT. Quoniam dixisti Caluinianos Ministros de hac re digladiari, age, pro more propriis sententiis eos coargue. MIN. 1. Caluinus certe scribit: *Sunt qui existiment* 1. Cor. c. *Paulo propositum fuisse dicere, post resurrectionem* 15. *dispares fore gradus honoris atque gloriæ in cœtu Sanctorum. Id quidem est verissimum, & aliis Scripturæ testimoniis euidenter confirmatur.* DOCT. Sic ergo Proteus iste diruit quod ædificarat: eodem ore efflat frigidum & calidum, modo ait modo negat, & vertiginis spiritu penitus ducitur & agitatur. Cum namque verissimum sit, & Scripturæ testimoniis firmetur diuersam ac inæqualem esse Sanctorum gloriam, ipse proprio testimonio planus est improbissimus quando id alibi pernegat.

MIN. Lambertus Danæus non exiguus 2. Caluinismi præco, Commentis in caput quintum Enchiridii Beati Augustini, Caluino se obiicit, ac errorem præceptoris sui his verbis refellit: *Quod autem (visio Dei) plena dicitur, non efficitur inde æqualem fore omnium* Io. 14. 1. Cor. 15. *Sanctorum visionem & fruitionem Dei. Nam in domo Dei multæ sunt mansiones, & vti inter stellas alia alii præfulget, ita inter Sanctos diuersa erit gloria. Danielis duodecimo. Quisque tamen quantum maxime pro doni sui capacitate poterit, Deum videbit.* DOCT. Et hic vere reprobatur Caluinianus error etiam à discipulo: ideoque duplici sacrarum Scripturarum testimonio.

MIN. Imo etiam duas in hunc finem laudat beati Augustini sententias, quarum prima est. Nullatenus æqualiter omnes vel Angeli vel animæ sanctorum Deum vel nunc vident, vel post resurrectionem videbunt.] Secunda est in libro de fide ad Petrum capite vigesimo octauo. Vna beatorum vita æterna est, diuersa gloria.] Quinetiam Danæus idem multo postea comprobat ex alio In cap. III. Enchirid. Augustini loco, & ex Petro Vermilio, Non fore parem piorum vel impiorum conditionem in cælo, vel in inferno, &c. Marloratus quoque ista Petri Vermelii, falso cognomine Martyr, Verba, in Rhapsodiis citat: *A resurrectione diuersos fore honoris & gloriæ in Sanctis gradus, verissimum est, aliisque Scripturæ testimoniis probatur.* In cap. 15. primæ ad Corinth. Atque ita Caluinus, iterum, iterumque à suis, & alienis omnino manet conuictus.

4. DOCT. Cum diserte & constanter adfirmet Scriptura, Deum vnicuique reddi- Psal. 61. Matth. 16. turum

Rom. 2. turum secundum opera sua: Vnumquem- A
2. Cor. 3. que mercedem accepturũ secundum pro-
1. Cor. 9. prium laborem: & qui parce laborauerit, parce etiam messurum: ac proinde contra, qui serit largiter, largiter quoq; messurum de Spiritu vitam æternam. Atqui palam est plerosque non pari modo in excolenda vinea Domini laborem ac operam impendere, sed quosdam in primo lumine deficere, quosdam constanter ac patienter ad extremum vsque perseuerare. Iustum est igitur vt copiosiorem de manu Domini in cælestibus mercedem accipiant.

5. Quis enim neget Mosem & Aaronem diutius ac tolerantius in opera Dei perstitisse, quam reliquum populum Israelis? Dauidem, Samuelem, Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, Danielem, aliosque sanctos Patres, fœliciorem operam Diuino cultui nauasse, quam filios ac posteros eorum? Idem iudicium de Apostolis, Discipulis ac Martyribus fieri debet, quos præ cæteris Christianis in studio pietatis eximie versatos esse constat. Vnde Paulus non minore conscientia, quam
1. Cor. 15. fiducia gloriatur: *Plus omnibus laboraui. Non ego, sed gratia Dei mecum.* Est igitur extra controuersiam, quosdam in æterna hæreditate prærogatiuis multis ornari, & sublimius extolli, quam reliquis plerisque concessum C esse videatur.

6. Huc accedit, quod iusta seueritas in plectendis flagitiis, & prompta benignitas in remunerandis piorum operibus pari passu ambulent, ac æquales sint in Deo perfectiones. Atqui lex ista Diuino decreto sancitur: *Pro mensura delicti erit & plagarum mo-*
Deut. 25. *dus.* Quin & horribilis iusta tamen sententia, contra reproborum cœtum pronun-
Apoc. 18. tiatur: *Quantum se glorificauit, & in delitiis*
Matth. 11. *fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* In
Luc. 10. Euangelio Dominus asserit, Tolerabiliorem fore Tyriorum, Sidoniorum, & Sodomitarum conditionem in die iudicii, quam D vrbium, & Gentium illarum, quæ Apostolos Euangelii præcones repudiauerint. Firma igitur & constanti fide tenendum est fore vt in cælis ampliori gratia & gloria præfulgeant, qui ob nomen Domini magis laborauerunt, pluraque pertulerunt: proinde Sanctorum fœlicitatem non futuram esse in omnibus æqualem. MIN. Non solum expressum est hoc argumentum ex puro puto Dei verbo, sed etiam naturali æquitate, ac iuris iustitiæque regula nititur.

7. DOCT. Ad hæc, quantumcumque sinistro glossemate conetur Hæresiarcha de- Ioan. 14.
prauare hæc verba Christi, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt:* tamen hæc est vera mens & sententia, vt doceamur esse disparem modulum gloriæ, varieque distributos honorum gradus in illo regno cælesti. Quosdam enim Sanctos in ordinem Cherubinorum adscriptos esse, quosdam cum Seraphinis accenseri, alios cum Thronis, nonnullos cum Potestatibus, partim cum Archangelis, partim cum Angelis, prout plus minus-ve cognouerint, amauerint, & obseruauerint verum illud & ineffabile Numen donec in hac mortali vita peregrinati B sunt? licet omnes in eodem cæli domicilio versentur, omnes eundem Deum contemplentur, sintque vnius ciuitatis, ac reipublicæ cælestis ciues adscripti. Enimuero si omnes hæ mansiones inter se pares & æquales essent, vnica tantum dici deberet, non multæ non plures. Nullus item ordo ibidem seruaretur, qui nisi inter res inæquales & diuersas constitui potest.

Addendum, quod prisci patres summo 8.
consensu hunc Euangelii locum de dispa- L. de sancta Virgi-
ritate gloriæ cælestis interpretati sunt. Au- nit. c. 26.
gustinus ait: Quia in ipsa vita æterna di- Tract. 67.
stincte fulgebunt lumina meritorum, *multa* in Ioan.
sunt mansiones apud Patrem.] Rursus: Mul- Scorp. adu.
tæ mansiones diuersas meritorum in vita æ- Gnosticos.
terna significant dignitates.] Longo temporis interuallo interior Tertullianus ita scripserat: Quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum?] MINIST. Hic video tribus machinis oppugnari errorem Caluinianũ. Primo, quod opera piorum vitam æternam mereantur. Deinde, quod diuersæ dignitates Sanctis assignatæ sunt in cælo secundum diuersitatem meritorum. Postremo, quod locus ille Euangelicus hanc doctrinam confirmat, & contrariam opinionem labefactat.

DOCT. Paulus eleganti comparatione 9.
atque similitudine causam istam propugnat
dicens: *Non omnis caro, eadem caro, sed alia ho-* 1. Cor. 15.
minum, alia pecorũ, alia volucrum, alia piscium, & corpora terrestria, & corpora cælestia. Sed alia quidem cælestium gloria, alia terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate. Sic & resurrectio mortuorum. Quæ verba
diligenter expendens Augustinus ait: Tan- Tract. 67. in Io.
quam stellæ Sancti diuersas mansiones, di- Ser. 46. de
uersas claritates tanquam in cælo sortiuntur verb.

in cæ-

in cælo.] Idem alibi ſcribit: Tanquam A
Dom. in monte. ſtella differt à ſtella, ſic aliter in cælo fulgebit virginitas, aliter caſtitas coniugalis, aliter ſancta viduitas.]

10. Ser. 191. de temp. Ad extremum, idem Pater Iouinianum hæreticum inſectatur, quod olim hanc ipſam hæreſin pertinaciter defenderit, & ait: Iouiniani Damnamus errorem qui dicit nullam in futuro meritorum diſtantiam.] Qua cenſoria nota grauiter infamantur Caluiniani, dum ex orco excitant hæreſin ante annos mille ducentos intermortuam. Cui mirifice concordat beatus Hieronymus
L. 2. adu. Iouin. ſcribens: Noſtri laboris eſt pro diuerſitate virtutum, diuerſa nobis præmia præpa- B
rare.]

11. MIN. Adducar in hanc ſententiam, ſi prius nodum ſolueris, qui me in contrariam partem aliquando pertraxit. In parabola Euangelica, Paterfamilias (quo nomine Deus ſignificatur) æqualiter denarium dari iubet
Matt. 20. omnibus qui in eius vinea laborauerant, nec maiorem mercedem reportarunt, qui ſolidum diem opere faciundo conſumpſerant, quam qui vix horulam labori impen-
Lib. 2. ad Iouin. derant. DOCT. Beatus Hieronymus explicat hanc difficultatem. Vnus denarius (inquit) non vnum eſt præmium: ſed vna vita, & vna de gehenna liberatio.] Cui ſen- C
tentiæ congruit Diui Auguſtini expoſitio,
Tract. 67. in Io. Denario (ait) vita ſignificatur æterna, vbi amplius alio nemo viuit, quoniam viuendi non eſt diuerſa in æternitate menſura.] Atque hoc illud eſt quod paucis verbis, ſed ſignificanter explicant Scholaſtici: Gloria cæleſtis extenſiue, non intenſiue: obiectiue, non formaliter, omnibus æqualis eſt. Nam omnes Sancti contemplantur eundem Deum, eo fruuntur; ſed non pari modo, verum hi plus, alii minus, prout in hac vita meruerunt. MINISTER. Qui fit iſtud? DOCTOR. Cum Deus obie- D
ctum ſit mere voluntarium, non aliter ſeſe videndum ac fruendum exhibet, quam quomodo, quando, & quatenus illi videtur. Præterea, Sancti omnes ſorte & fœlicitate ſua contenti degunt, omnique ex parte voluntates ſuas cum Dei beneplacito conformant, omnes in eodem cælo viuunt, omnes eandem permanſuræ fœlicitatis certitudinem & ſecuritatem poſsident, ſinguli tamen pro captu ſuo ſecundum vitæ peractæ rationem, & meritorum proportionem. Nulla porro eſt inter eos inuidia. Vt enim:

οὐ φθονέει μήνη πολὺ κρείσσοσιν ἡλίου αὐγαῖς.

Id eſt:

Non inuidet luna longe præſtantioribus ſolis radiis.

Ita:

ἄφθονοι οὐρανίδαι καὶ ἐν ἀλλήλοις τελέθουσιν·
εἰ γὰρ ἔρις μακάρεσσιν ἔην, οὐκ ἂν πόλος ἔστη.

Id eſt:

Sine inuidia etiam cælites inter ſe viuunt,
Etenim ſi diſcordia inter beatos eſſet non conſiſteret cælum.

Vt cecinit ſapientiſsimus poeta Phocylides.

Ex hoc ſi vult vnitas denarii, qui pluribus operariis æqualiter eſt diſtributus.

BEATI CÆLITES CONTEMPLAtione non ſolius Deitatis, ſed & glorioſæ humanitatis Chriſti inenarrabili voluptate afficiuntur: aduerſus 81. 82. errorem.

CAPVT XXIII.

MINISTER.

Reuertamur ad inſtitutam de gloria Sanctorum diſputationem. Qua in re tandem conſiſtit? DOCT. Iam ante diximus ſummum hominis bonum in clara viſione, ſecura fruitione, perfectaque dilectione Dei, qui ſeſe conſpiciendum præbet, ac familiariter beatis ſpiritibus communicat. Ordo itaque poſtulat, vt deinceps agamus de ſecundaria, ſeu accidentali fœlicitate, quæ in contemplatione quarundam rerum creatarum ſita eſt. Harum prima & præcipua eſt Humanitas Dom. noſtri Ieſu Chri- 1. Cor. 15.
ſti, quam Beati contemplantur immortalem, agilem, ſubtilem, impatibilem, ipſo Sole plus millies illuſtriorem atque lucidiorem: eamque in throno Dei ſublimiter e- Epheſ. 1.
uectam, eiuſdemque imperii, ac vniuerſæ Matth. 28.
dominationis participem. Eam contem- Philip. 2.
plantur (inquam) prout obſeruatur, time- Heb. 1.
tur, inuocatur ab omnibus creaturis cæleſtibus, terreſtribus: & ſubterraneis, velut eam in qua æternus Dei Filius venturus eſt ad iudicandum viuos & mortuos: in qua Coloſſ. 1. 2.
ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Matth. 25.
reconditi: in qua denique habitat hypoſtatice omnis plenitudo Diuinitatis. Huius enim contemplatione ineffabile percipiunt gaudium, dum conſiderant ſui generis & ſanguinis hominem, fratrem, & conſortem ſuum ſuper Dei ſolio exaltatum, tantaque Io. 1.
vnitione cum Deo deuinctum, vt vnam duntaxat perſonam conſtituat. Non enim

poſſunt

Ioan. 3. possunt non mirabiliter exultare intuentes dum omni gratia & veritate plenum, velut vnigenitum à Patre, & vniuersis Spiritus sancti donis ac beneficiis repletum sine mensura. Quantus rogo, gaudii cumulus pertentat eorum animos, cum cernunt in eius latere manibus, ac pedibus, cicatricum notas omnibus ab Oriente lectis vnionib⁹ & smaragdis, imo ipsis stellis firmamenti splendidiores? Quid, cum adspiciunt hoc tantum speculum charitatis, obedientiæ, humilitatis, iustitiæ, & beneuolentiæ, erga genus humanum? Denique, lætitiam persentiunt quantam animus capere potest maximam, cum se ab eo tantopere diligi sentiunt, vt in hæreditatem eiusdē gloriæ, in consortium fœlicitatis, & in regni sempiterni possessionem pariter admittantur. MIN. Hæc omnia tam pulchre cum voce veritatis, hoc est, cum ipso Dei verbo congruunt, vt vere concludi possit Bezam bene & grauiter impudentem fuisse cum scripsit, se ex animo detestari quæcunque Catholici de fœlicitate Paradisi disserunt atque definiunt.

Ioan. 20. Luc. 24. Zach. 12. & 13.

2\. Heb. 1. Ac præter hæc quæ commemorasti, Paulus de Christo homine sic loquitur: *Purgationem peccatorum faciens, sed & ad dexteram Maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis affectus quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.* Idem alibi: *Constituit eum* (Pater) *ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius. Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.* Et iterum: *Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.* Idcirco etiam Ioannes testificatur se vidisse vniuersum Sanctorum cœtum procidentium ante Agnum Dei, cui cum summa reuerentia gratias agebant, quod redempti essent eius sanguine, magnaque voce proclamabant, *Dignus est Agnus accipere virtutem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, &c.*

Ephes. 1. Philip. 2. Apoc. 5.

3\. Matth. 17. Nec vero dubitandum est, si Petrus videns hanc humanitatem in monte sancto transfiguratam adeo elatus fuit incredibili gaudio, vt omnem rerum humanarum curam abiiciens optaret in tam gloriosa contemplatione continenter permanere: non est (inquam) dubium, quin Sanctorum animæ immensa voluptate perfruantur, cum non solum beatam eius humanitatem intuentur, verumetiam eiusdem gloriæ, & per ipsum, fiunt participes, ac eius assimilantur imagini. Illuc respiciens Dominus Patrem obsecrabat, *Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt videant gloriam quam dedisti mihi.* Io. 17. Atque hæc mihi aduersus superiorem errorem satis erunt, si quorundam antiquorum, Augustini præsertim fidem protuleris.

Rom. 8. Philip. 3. 1. Io. 3.

DOCT. Superiora confirmat hoc eximio Epiphonemate: O anima mea, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam multo tempore tolerare, vt Christum in gloria sua videre possemus: nonne dignum esset pati omne quod triste est, vt tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur?] Postea idem apertius declarat dicens: Deus in similitudine hominis apparuit vt vterque sensus in eo beatificaretur, & reficeretur oculus cordis in eius Diuinitate, & oculus corporis in eius humanitate: vt siue ingrediens, siue egrediens, in ipso pascua inueniret natura humana condita ab ipso.] Ex quibus vniuersis colligere licet, hanc de cælesti gloria doctrinam niti verbo Dei, & suffragio venerandæ antiquitatis firmari.

4\. Manualis c. 15. Cap. 26. Ioan. 10.

SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ, corpore & animo glorificatæ in cælis contemplatione, Fœlices animæ maiorem in modum oblectantur: contra errorem 83.

CAPVT XXIV.

MINISTER.

Pertexe quæso, fœlicem illam telam de gloria, qua Sancti in cælis condecorantur, eiusque causas & obiecta persequi ne graueris. DOCT. Nec verbis nec calamis exprimi potest, quanta lætitia perfundantur Beati animi, cum è propinquo oculos intendunt in beatissimam Deiparam & virginem Mariam, corpore simul & anima glorificatam supra omnes Angelorum ordines, Filio suo assidentem, & omni genere benedictionis & gratiarum cumulatam. Contuentur enim perfecto modo, raptique admiratione contemplantur Magna illa opera, quæ fecit ei qui potens est: suspiciunt eius humilitatem: venerantur perpetuam virginitatem; mirantur innocentiam: & in omnibus generationibus prædicant beatissimam. Affi- 1.

Luc. 1.

Luc. 11. ciuntur immortali gaudio intuentes vterum qui portauit, vbera quæ lactauerunt, sinum qui fouit, os illud venustulum quod
Matth. 2. Luc. 2. toties basiauit, brachia & manus quæ tam familiariter, & frequēter comprehenderunt, & vltro citroque gestauerunt Deum carne indutum, qui tantopere Matrem dilexit, vt suaui eius imperio sese submittere interdum non dubitauerit.

2. MIN. Plane sic statuendum arbitror.
3. Reg. 10. Matth. 12. Etenim si Regina Sabæorum veniens ab extremis terræ finibus gloriam Salomonis attonita mente demirabatur, si totius orbis Reges expetebant aspectum viri peccatoris & mortalis: quanto maior & solidior lætitiæ fructus ad fœlices cælitum animas redit, vbi defixe hærent in contemplatione Virginis, quæ concepit & peperit eum, qui modis
Iudith. 8. & 10. Hester. 4. omnibus Salomonem antecellit? Si terrena, species & venustas beatæ Iudith spectantium oculos in admirationem rapiebat, si lepos elucens in facie Hesteris mentes barbaras amica vi domabat, & feroces tyrannorum animos ad humanitatem traducebat, non est vt cogitatione complecti, nedum assequi oratione possimus, quam incredibiliter exsultent in cælo spiritus beatorum, cum inspiciunt hoc virtutis speculum, hanc in mulieribus benedictam, hoc tem-
Luc. 1. plum Spiritus sancti, mirandum operæ pretium Dei, lumen ac decus humanæ stirpis, matrem ac nutricem Seruatoris omnium mortalium.

3. DOCT. In tali contemplatione defixi meditantur æternā eius electionem, quod-
Gen. 3. que statim ab orbe condito promissa est generi humano quæ semine suo contereret caput Serpentis, quam & Patriarchæ figu-
Ambros. Beda. Hildephon. Anselm. dicta. rauerunt, & Prophetæ vaticinati sunt. Inde memoria repetunt vitam & mores eius, vt in lucem pura venerit sancta in natiuitate, in omni vita reprehensionis expers, munda in cogitationibus, innocens in affectibus, circunspecta in verbis, modesta in actionibus, casta in moribus, & vt paucis absoluamus talis in corpore & anima, vt digna iudicata sit, quæ vera Dei Mater diceretur & esset.

4. Cantic. 6. Vident autem eam pulcram vt lunam, electam vt Solem, impiis terribilem vt castrorum aciem ordinatam. Vident amictam Sole, stellis duodecim coronatam, ac velut
Apoc. 12. Psal. 44. Reginam cæli sedentem à dextris Regis, in vestitu deaurato, circundatam mira virtutum varietate. Gratulantur eius fœlicitate, quodque coram alloqui, & propius aspice-

A re datur eam, de qua Spiritus sanctus pronuntiat, Decoræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia, oculi tui columbarum, vbera tua meliora vino, os tuum odor pomorum, statura tua assimilata est palmæ, grata es vt lilium, pulchra vt rosa, decorus vultus tuus, vox suauis, fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua, odor vestimentorum tuorum velut odor Libani, &c. Cantic. 1. 3. 4. 5. 6. &c.

MIN. Has voces aureas ipse Dei Spiritus effatus est de illa, velut Augustini, Hildephonsi, Bernardi, Anselmi, Ruperti firmant amplissima testimonia. Magnus in- 5. Serm. Com. in Cant.
B super Athanasius gloriosam eius Assumptionem in cælos referens commemorat ipsos etiam Angelos stupore attonitos hæsisse ad eius Assumptionem, cunctasque cælestes animas inflammatas eam videndi & audiendi mirabili cupiditate. Bern. ser. 4. de Assumpt.

Nec vidisse semel satis est, iuuat vsque morari.

DOCT. Iam vero quam tu esse censes faciem eius apud superos, cum adhuc Moses in terris degens radiatam & splendidam cutem habuerit: Stephanus faciem sicut Angeli? Præterea, si Elizabeth præ gaudio dum ab ea salutaretur & amplexaretur, ex- 6. Exod. 34. 2. Cor. 3. Actor. 7. Luc. 1.
C clamauit, & filius eius Ioannes saliit exsultans in vtero eius: quanto magis putandum est, gaudio gestire cælites qui in perpetuum suauissimo eius conspectu & consortio perfruuntur? Si Discipulus quem diligebat Iesus, illam humili obsequio coluit in terris, Apostoli orationibus eam comitati sunt, primi Christiani ad eius spectaculum vndique confluxerunt, cum adhuc inter mortales versaretur: quibus nunc obseruantiæ studiis eam in cælis glorificatā prosequuntur? Cum tam prope datur eius ora tueri? Familiariter alloqui? Natas audire ac reddere voces? Ioan. 19. Actor. 1. Ign. Epist. ad Ioan.

D MINIST. Inibis à me permagnam gratiam, si quempiam ex antiquis ad testimonium citaueris. DOCT. Fortissimus ille sanctissimæ Trinitatis propugnator Athanasius author est omnes beatorum Angelorum ordines & Hierarchias mirifice exhilaratos fuisse videndo eam ascendentem ad cælos, Deoque gratias egisse ob talem eximiam glorificationem. Bernardus asserit totam curiam cœlestem ad eius aduentum lætitia & exultatione repletam fuisse, cunctosque cælestes spiritus exarsisse desiderio videndi faciem eius, audiendi vocem, & 7.

expecta-

exoptato eius conspectu congressuque perfruendi. MIN. Hoc nobile par abunde voto meo satisfacit. DOCT. Tacitus ergo præteribo quæ super hac re scripserunt Damascenus, Metaphrastes, Andreas Cretensis, Anselmus, Guerricus, & alii, vt ad ea quæ supersunt orationem conuertamus.

SANCTI IN CÆLIS SVMMAM capiunt voluptatem ex consortio & visione beatorum Angelorum: aduersus 84. errorem.

CAPVT XXV.

MINISTER.

1. NOn etiam aliunde gloriam istam secundariã in cælis Sancti capiunt? DOCT. Eximium lætitiæ augmentum consequuntur aspectu & consortio innumerabilium Angelorum quos lectissimis ordinibus & Hierarchiis suis distinctos è propinquo conspiciunt: idque eo magis, quod eodem pene
Apoc. 12. 19. & 21. gradu dignitatis cum iis censentur, suntque velut socii ac fratres in regno cælesti, diliguntur ab ipsis tanquam eiusdem Creatoris opera, obseruantur vt conciues, amantur vt eiusdem gloriæ, & sempiternæ beatitatis
Matth. 22. participes. Hinc etiam necesse est immensam vim lætitiæ ac voluptatis ad vniuersos redundare, dum Angelicæ simul & humanæ voces pulcherrimo consensu concentuque resonant laudes communis omnium Creatoris & Seruatoris. Nam Sancti sunt vt Angeli Dei in cælo: & in omnibus vicis ac
Matth. 22. Apoc. 19. compitis illius Ierosolymæ cælestis ab vtrisque concinitur Halleluia.

2. MIN. Enimuero si Abraham pater fidei nostræ, Lot, Iacob, Moses, Iosue, Manue, Gedeon, Dauid, Elias, Elisæus, Tobias, Daniel, Socii eius, Zacharias, Maria Virgo, Apostoli, aliique Sancti, cum in terris essent, magni beneficii loco deputarunt; quod interdum ipsis contigerit videre & alloqui beatos Angelos, indutos humana specie: nullatenus ambigendum, quin vberiorem lætitiæ messem in cælis colligant, vbi nunc & in æternum eosdem in perfectione angelicæ naturæ eorum intuentur.

3. Nec enim absurde ratiocinari possumus,
Luc. 15. 16. Cum Angeli è corporum ergastulis migrantes animas cum lætitia perducunt ad superos, vt olim animam Lazari in sinu patris

A Abrahæ: cumque gaudium immensum sit apud eos ob pœnitentiam & conuersionem vnius peccatoris: quis non vicissim de Sanctis idem statuat, eos nempe mirum in modum sibi gratulari, quod tam beneuolos Spiritus videant, & assidue collætentur atq; comitentur in regno cælesti?

DOCT. Hac mente Paulus de trium- 4.
phanti Ecclesia loquens, vocat eam Ciuita- *Heb. 12.*
tem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis. Apostolus item Ioannes affirmat se vidisse infinitam multitudinem An-
B gelorum in circuitu throni Diuini, qui cum *Apoc. 5. 7.*
Senioribus (id est, priscis Patriarchis Prophetis, & Patribus) elata voce concinuerint laudes Dei omnipotentis.

MINIST. Recita, sodes, aliquot vetu- 5.
statis testimonia, vnde veritas huius doctrinæ magis magisque fulciatur, mox ad alia digrediemur. DOCT. Vigilantissimus pastor Gregorius scribit: Quænam lingua
potest dicere, quæ mens capere potest quan- *Hom. 37.*
ta supernæ fœlicitatis sint gaudia, Angelorum choris interesse, gloriæ Conditoris assistere, in circumscriptum lumen videre, præsentem Dei vultum cernere, nullo metu
C mortis affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari?]

MINIST. Num de iis quidquam lo- 6.
cutus est Augustinus. DOCT. Imo ve- *Ser. 1. de*
ro vbi multa in hanc sententiam disseruit, *omnibus*
tandem hoc Epiphonema subiungit: Su- *Sanct.*
per omnia hæc est, consociari Angelorum & Archangelorum cœtibus, Thronis etiam & Dominationibus, Principatibus, & Potestatibus: imo fructum decerpere omnium Virtutum cælestium, contemplari choros spirituales, omnibus astris splendidiores, &c.] MIN. Hæc mihi satis sunt; persequere reliqua.
D

SANCTI ETIAM OBLECTANTVR aspectu Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Martyrum, Confessorum, & Virginum: aduersus 85. errorem.

CAPVT XXVI.

DOCTOR.

NIhil moror Bezam & secutuleios eius, qui vt olim quidam sobrius accessitaq

sit ad perdendam rempublicam, sic hi simpliciter & aperte sacrilegi, profitentur se ex animo detestari pias Catholicorum dissertationes de fœlici statu animarum quæ receptæ sunt in cælis. Non ideo dimouebor à proposito, quin potius magis impellar, vt summa ope defendam ac probem quod orthodoxa fides credendum esse suadet: nimirum cælestes animas ingenti lætitia re-
1. creari, cum illic veteres Patriarchas intuentur, noscunt, diligunt; ac vicissim videntur, noscitantur, ac diliguntur ab illis. Quam autem iuuat cernere florem illum prioris æui! Adam, Abel, Seth, Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Iob, Melchisedec! Quanto gaudio triumphant beatorum spiritus, dum contemplantur eximia lumina Prophetarum, vt fuerunt Moses, Samuel, Elias, Elisæus, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Rex ille & Propheta Dauid, pius Ezechias religiosus Iosaphat, Iosias zelo plenus, Iosue inuictus Heros, fortis Samson, bellicosus Matthathias, hostium triumphator Machabæus, aliique Reges, Principes, & Rectores populi Dei qui leges Diuinas custodierunt, omnem fidem & spem in Messia venturo reposuerunt, aduentum eius prædicauerunt, & variis typis adumbrauerunt? MIN. Ne qua dubitatio super-
Matth. 8. sit, Christus in argumentum Diuini fauoris & gaudii adfirmat multos venturos esse ab Oriente & Occidente, & sessuros cum
Gal. 3. Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum. Apostolus quoque prædicat eos fœlices, qui benedicuntur cum fideli Abraham. Quamobrem etiam Diues epulo vo-
Luc. 16. tis ardentibus exoptabat, vt guttulæ aspersione refrigerari posset in medio flammarum, & vt simili consolatione gauderet, qua Lazarus in sinu Abrahæ.

2. DOCT. Quæ porro lætitia maior dici vel cogitari potest, quam propius intueri
Matth. 19. sanctum illum senatum Apostolorum, sedentium super duodecim sedes, velut supremi Iudicis assessores? Quatuor Euangelistas contemplari? Septuaginta duos Discipulos: & post hos infinitam illam manum fortissimorum Martyrum, sacrorum Episcoporum, venerabilium Doctorum, spectabilium Confessorum, selectorum Sacerdotum, fidelium Diaconorum, castarum Virginum, deuotissimorum Monachorum & Anachoretarum? Ac vt compendio totam rem absoluam, innumerabiles Sanctos atque Sanctas fœminas omnium

A nationum sæculorum, & conditionum?

Certe Ioannes pro ingenti beneficio du- 3.
cit, vidisse turbam eorum tantam quantum Apoc. 7.
numerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, tribubus, & linguis, & populis, stantes ante thronum, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna dicentes, Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno, &c. Quod spectaculum isto iucundius & augustius?

MIN. Sunt-ne tibi ad manum testimo- 4.
nia veterum Patrum, qui hæc ita tradant? DOCT. Ipsa nuda ratio sine vlla eorum
B authoritate satis hoc dogma defendit: sed ne quid residuæ dubitationis hæreat, habeo
authorem magnum illum Patrem & Theo- Serm. 1. de
logum Augustinum scribentem, rem esse omn. Sanct.
plenam vberrimæ consolationis, contemplari in cælis, agmina Sanctorum splendidius syderibus micantia, Patriarcharum fide fulgentia, Prophetarum spe lætantia, Apostolorum in duodecim tribubus Israel orbem iudicantia, Martyrum purpureis victoriæ coronis lucentia, Virginum choros candentia serta gestantes inspicere, & cetera.

Idem rursum tradens quid sit, & quid ha- 5.
C beat Paradisus ait: Ibi sancti fulgebunt vt Manual.
stellæ in perpetuas æternitates, & sicut splen- c. 18.
dor firmamenti qui erudiunt multos. Qua- Dan. 12.
propter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris ardo-
risue asperitas vlla; sed talis erit rerum tem- Isa.
peries, quam nec oculus vidit, nec auris au- 1. Cor.
diuit, nec in cor hominis ascendit, nisi illorum qui ea perfrui digni inuenientur, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Verum, super hæc omnia est, consociari choris Angelorum atque omnium cœlestium virtutum: intueri Patriarchas & Prophetas, videre Apostolos, atq; omnes Sanctos,
D videre etiam parentes nostros. Gloriosa sunt hæc, &c.

SANCTI IN COELIS SESE MVTVO cognoscunt: contra errorem 86.

CAPVT XXVII.

MINISTER.

SIt ita sane vt constanter probasti: sed Lambertus Danæus id non credit, verum ait: *Quod scribit Augustinus fore, vt inuicem* In Enchir.
nos agnoscamus in gloria incertum est. Et à com- Aug. c. 94.
pluri-

pluribus alijs Ministris accepi, non modo falli, sed & graui superstitione adstringi eos, qui putant mutuam inter se notitiam apud superos in Sanctis intercedere.

Confutatio. 1. DOCTOR. Splendidum & impudens mendacium ab impuris Prædicantibus accepisti. Et quantum ad Danæum singulariter attinet, cum D. Augustino sese ita impudenter hic opponit, secum turpissime confligit de eodem scribens in epistola ad Comitem Frisiæ Orientalis: *Augustinus vir ille inter pios pientissimus, inter scriptores Ecclesiasticos, si qui vnquam docti fuerint, doctissimus. Est enim is Augustinus, qui propter infinitam omnis humanioris literaturæ cognitionem, sed in primis propter fidei Christianæ veram synceramque, si quis alius è veteribus, doctrina fuit semper inter Christianos, homines celeberrimus & notissimus, &c. Indefessus, inuictusque nominis Diuini propugnator, & Orthodoxæ doctrinæ defensor, &c.* MINIST. Ergo Danæus in dubitationem istam eius sententiam de certa mutuaque sanctorum in cœlis notitia, reuocans, palam, profanus & indoctus, ac Christianæ fidei expers, simulque heterodoxæ impietatis assertor est, qui contrarium censeat.

2. Luc 16. Verum, ex scripturis hæc impietas est reuincenda. DOCT. Hanc aperte Christus damnat conceptis verbis referens, animã pauperis Lazari recumbentem in sinu Abrahæ protinus cognitam fuisse ab anima diuitis Epulonis, etiam ex ipso flammarum & tenebrarum infernalium gurgite. Quin & idem Epulo ex iisdem tormentis dicto citius patrem Abrahamum agnouit, inter quos multa vltro citroque verba facta sunt. Ex quibus certo perspicitur mutuam inter animas corporibus mortalibus exutas, & quæ iam in alio sæculo versantur, mutuam intercedere notitiam ac cognitionem.

3. Mat. 17. Luc 9. Marc. 9. Præterea, cum in transfiguratione Domini nostri Moses & Elias sese conspiciendos, & audiendos præbuerunt, agniti sunt à tribus Apostolis, quos Christus eo secum adduxerat: vnde liquet in altero sæculo sanctos sese mutuo non difficulter cognituros.

4. 2. Mach. 15. Si aliter porro esset, qui fiebat vt summus Sacerdos Onias Prophetam Ieremiam agnosceret, atque testaretur eum precari pro populo Iudaico, & sancta ciuitate? 1. Reg. 28. Quo pacto Saul & Pythonissa Samuelem cognouissent? Quomodo Michael Synagogæ protector cum Gabriele verba speciatim contulisset? Dan. 10. 11. 12. Aut Gabriel indicasset Danieli Micha-

A elem stare à partibus Israelis? Quomodo vterque de Angelo Persarum, & de Angelo Græcorum speciatim locutus esset, nisi mutuam haberent inter se felices isti spiritus cõmunicationem?

MIN. Hæ quidem rationes perspicuam fidem faciunt: adde tamen si places, veterum testimonia. 5.

DOCT. Augustinus Epistola consolatoria, ad viduam Italicam certo adfirmat fore, vt maritum agnoscat, postquam soluta corporeis compagibus ad beatam immortalitatem commigrauerit. Vtitur ad eam rẽ firmandam hac insigni sententia: Nostros (Epist. 6.) B hinc migrantes non amisimus, sed præmisimus. Hic autem & coniux tuus, cuius abscessu vidua diceris, tibi notissimus erit.

Hieronymus (Epist. ad Theodoram vid.) item in hanc rem scribit: Aduersus mortis duritiem, & crudelissimam necessitatẽ solatio hoc erigimur, quod breui visuri sumus eos, quos dolemus absentes. 6.

Tertullianus (Lib. de Monogam.) vir Apostolicorum temporum, eandem sententiã roborans, ait: Resurrecturi sumus in spirituale consortium, agnituri tam nosmetipsos quam & nostros. 7.

Et vt Græcos iungamus cũ Latinis, Chrysostomus & Origenes in ea sententia fuerũt, (8. Com. in Iob.) C vt existimarint Iobum filiis suis superstitem, post decessum eosdem agnouisse, & cum iis in Abrahæ sinu gauisum esse, vbi pariter exspectabant aduentum Messiæ.

DE QVINQVE DONIS AC MVNERIBVS collatis Sanctorum corporibus: aduersus 87. 88. 89. 90. 91. errorem.

CAPVT XXVIII.

MINISTER.

NVllum adhuc ex te audiui verbum de D glorificatione beatorum corporum in illo fœlici Paradisi cœlestis loco, qualia nimirum sunt futura. DOCTOR. Catholici ducem Scripturam sequuti, docẽt illa quinque præsertim cœlestibus donis ac perfectionibus exornanda fore. Primo namque 1. huiusmodi habebunt immortalitatem, qualem à resurrectione sua dominus noster adsumpsit in proprio corpore suo: & Paulus tribuit dicens: *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur.* Rom. 6. *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: Quod autem viuit, viuit Deo.* De Sanctorũ porro corpo-

corporibus velut de proprio dicit alibi : *O-* A
1.Cor.15. *portet mortale hoc induere immortalitatem.* Et
Isa.25. Ioannes post Isaiam, adfirmat: Mortem non
Apoc.20. esse, vel futuram, vel metuendam, in ciuitate
& 21. illa cœlesti. Quinimo æternus ipse Dei filius non raro vitam æternam suis à nouissimo die pollicetur: quod haudquaquam præstaret, si Sanctorum corporibus mors aliqua ex
Ioan.5. parte immineret vel timeretur. *Qui verbum meum audit, & credit ei qui me misit, habet vitam æternam. Qui bona fecerunt, procedent in resurrectionem vitæ.* Et rursum: *Hæc est voluntas Pa-*
Ioan.6. *tris mei, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Qui credit in me, habet vitam æternam. Qui manducat hunc panem,*
Ioan.8. *habet vitam æternam.* Iterumque; *Si quis sermo-*
Ioan.11. *nem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit,* B
2.Cor.4. *viuet. Non morietur in æternum, &c.* Apostolus
Philip.3. denique constanter prædicat, Vitam Iesu
2.Cor 5. manifestandam esse in corporibus nostris, nimirum, quando illa reformabit, & conformia reddet corpori claritatis suæ, atque absorbebitur quod mortale est, à vita, &c.

2. Secundo, tanta donabuntur impatibilitate & incorruptibilitate, vt nec vllis vulneribus lædi, nec quibuscunque doloribus affligi possint, aut vlla necessitate seu externa, seu interna, valeant opprimi. MINIS. Quo authore sententiam istam defendis? C
1.Cor.15. DOCTOR. Paulo in primis docente: *Oportet corruptibile hoc* (corpus nimirum) *indue-*
Isa.25.49. *re incorruptibilitatem. Canet enim tuba, &*
Apoc 21. *mortui resurgent incorrupti:* Isaias item Discipulus quem diligebat Iesus, concorditer aiunt; Absterfurum esse Deum omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, & mortem amplius non futuram, neque luctum, neque clamorem, nec vllum dolorem. Quod etiam comprobat vir Apostolicorum tem-
Mat.22. porum Tertullianus ex eo quod à Christo
L.de resur. carnis. dictum est: *Erunt sicut Angeli Dei in cælo*, inquiens: Similes erunt Angelis per indumentum illud incorruptibilitatis, per substantiæ resuscitatæ denuntiationem. Idem postea: Ea (sanctorum caro) tamen impassibilis, quâ in hoc ipsum manumissa à Domino, ne
Deut.29. vltra pati possit. Hoc idem paulo post confirmat, ex eo quod Dominus & vestimenta
Dan.3. & calceamenta filiorum Israelis quadragin-
Ion.2. ta annis indetrita & inobsoleta seruauit: triū
Gen.9. Hebræorum corpora, capillos, tiaras illæsas
4.Reg.2. esse voluit: Ionam è ventre belluæ & maris sanum eripuit: Enoch ac Eliam tot sæculis, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni iniuria, & contumelia immunes reddit.

Quæ omnia & ante Tertullianum Irenæus martyr, & post vtrunque Augustinus diligēter obseruarunt. L.5. Ep.ad Consent.

3. MINISTER. Quod tertium illorum erit beneficium? DOCTOR. Tanta subtilitas, vt sine vllo impedimento penetrare possint omnia alia corpora, non secus ac solares radij vitreas laminas citra vllā fracturam transeunt lux papyrum, Angeli muros & obstacula clathrorum nullo negotio perrumpunt. MIN. Cedo exemplum aliquod. DOCT. Ipsum corpus Christi propono Ezech. 44.
quod ex vtero Virginis prodiit illæso: ex Isa.7.
monumento antequam ab Angelo apertum Dan.2.
sit: clausis ianuis intrauit ad discipulos: de- Ioan.20.
nique, citra vllam effractionem cœlos penetrauit. Nec male concluditur hæc ratio: siquidem testatur Apostolus: Corpus nostrum humile licet & abiectum, transformatum iri vt conforme fiat corpori Christi
glorioso. Et Ioannes ait: Similes ei erimus Philip.3. 1.Ioan.
in gloria. Et Paulus eodem respiciens in- 1.Cor.15.
quit: Seminatur corpus animale (scilicet, mortis interuentu) resurget autem spirituale Non quod humanam substantiam deper- L.13.de ciuit.
dat, scribit Augustinus, sed quia in resurrectione dabitur corporibus subtilitas eiusmodi, qualis est in angelicis spiritibus.

4. MIN. Beza certe vel inuitus ista vera esse Ad alterā
confitetur scribens: *Donari enim aliqui glori-* Bresiani
ficata humana corpora perpetua tum essentia, tum libri par-
gloriosarum qualitatum vt claritatis, agilitatis, tem.pag.
impassibilitatis, & subtilitatis firmitate, & si qua 586.
aliæ sunt præterea eiusmodi dotes, ex verbo Dei confitemur, &c Atque sic & semetipsum & congerrones suos impietatis coarguit.

5. Verum, non satis intelligo, quæ sit Agilitas, quæ beatificatis corporibus tribuitur. DOCT. Ea est, qua sine vllo prægrauante pondere, onere, aut obstaculo, ad punctū temporis, aut nictum oculi, quocunque voluerint, transferantur: sicut oculus dicto D
citius obtutum vndiquaque diffundit, mēs cogitationes, & voluntas suos affectus. Id locutionibus propheticis ita graphice depingit Isaias: *Mutabunt fortitudinem assument pen-* Isa.40.
nas vt aquilæ, volabunt, & non deficient. Et tantam agilitatem demirans subijcit: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fe-* Esa.49.
nestras suas? Quod velut clarius explicat Apostolus dicens: *Rapiemur in nubibus obuiam*
Christo in aera. Et alio in loco, de quolibet 1.Thess.4.
Sanctorum corpore scribit: *Seminatur* (mor- 1.Cor.15.
te videlicet) *in infirmitate: surget in virtute,*

Nec

L.16.de ciuit.c.27.L.13.c.18.L.21.c.11.30. Nec aliud sibi vult Augustinus cum ait: Deus imperabit animæ, anima corpori, quod ei per omnia obsequetur: eritque facilitas eadem, quæ fœlicitas. Rursus: Corpus statim sistetur, quo volet spiritus. Item alibi adhuc apertius: Deus à beatis corporibus auferet omne pondus.

6. MIN. Qua in re consistet quinta corporum glorificatorum perfectio? DOCT. In eximio splendore, fulgore, ac lumine, quo ipsius solis vel adæquabunt, vel exsuperabūt claritatem, attestante ipsomet filio Dei: *Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum.* (Mat. 13.) Præterea, Paulus cum Daniele, hac de causa sanctos comparant cum præfulgidis stellis firmamenti. (Dan. 12. 1. Cor. 15.) Et Sapiens scribit: *Fulgebunt iusti sicut Sol in conspectu Dei.* (Sap. 13.) Quod si facies Moisis propter breue cum Deo colloquium tanto lumine fulsit, vt non possent Israelitæ intendere in eam: (Exod. 24.) & Stephani vultus velut Angeli Iudæis visus est: (Act. 7.) quæ tandem futura est claritas SS. qui diuinam maiestatem in æternū sunt visuri, & cœlesti sempiternaque gloria perfruentur? An non etiam prædicat Apostolus fore vt Christus reformet corpus humilitatis nostræ, quo fiat conforme corpori claritatis suæ? (Philip. 3.) MIN. Nihil certius dici potest. Proinde, statuendum est Bezam & contaminatos eius congreges, reos esse contemptæ Religionis, imo & conuictos manifestæ impietatis, cum non solum despiciunt, sed & ex animo detestentur quæcunque à Catholicis differuntur & afferuntur de gloria, fœlicitate, & gaudiis cœlestis Paradisi. (Confess. c. 6)

DE AVREOLIS DOCTORVM, *Martyrum, & Virginum: aduersus 92. 93. & 94. errorem.*

CAPVT XXIX.

MINISTER.

A Vdire percupio quid statuendum sit de Aureolis, quas dicitis quibusdam sanctis seruari præ cæteris: quandoquidem à Prædicantibus Geneuanis exsibilantur.

1 Ab eorum finitione auspicandum. Aureola dicitur quædam specialis ac spiritualis honoris & gloriæ corona, qua quidam eorum donabuntur in cœlis, eo quod aliquibus ante cæteros heroicis virtutibus effloruerint. Quemadmodum Doctoribus donatum est, vt sapientiæ gloria præcellerent A ad orthodoxæ fidei veritatem & certitudinem, aduersus hæreticorum fraudes & corruptelas propugnandam. Martyribus concessum, vt præcellenti robore animi & constantia, minas, supplicia, horrendas mortes sibi per Tyrannos illatas fortiter perferrēt. Virginibus deniq; competit laus verecūdiæ pudoris, & integerrimæ castitatis tum corporis tum animæ: quarum virtutum præsidio vniuersas carnalium voluptatum illecebras alacriter contempserunt & peruicerūt. Atque hi sunt tres Sanctorum ordines, quibus seruantur in cœlestibus aureolæ. 2.

B MINIST. Quibus scripturis hæc nituntur. (Matt. 13) DOCT. Tribus parabolis Euangelicis, quæ sunt apud S. Matthæum, scilicet, aureola Virginum adumbratur per thesaurum abscōditum in agro: Martyrum per margaritas pretiosas, quas venditis omnibus aliis bonis suis, homo sibi comparat: Doctorum, per sagenam missam in mare & ex omni piscium congregantem. Rursum, in veteri testamento (Exod. 37) aureola virginum significatur per arcam fœderis: Martyrum, per coronulam quæ super altare suffitus erat: Doctorum autē per panes propositionis, qui mensæ continuo superponebantur.

C MIN. Hæc illustranda sunt exemplis, vt dilucidius intelligantur. 3. D.O C T. In prima fronte collocabimus Paulum, qui iam securus perpetuæ castitatis; conscius plurimorū laborum, quos pro Euangelij propagatione tolerauerat: certus etiam imminentis sibi præclari martyrij, gratias agens Deo quod nihil reliqui foret præter vltimam de tribus coronam, his verbis vaticinatur: *Ego iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. De reliquo, superest mihi corona iustitiæ, quā reddet mihi in illa die iustus iudex.* (2. Tim. 4.)

4. MIN. Magna certe vis Veritatis, quando D vel inuitis Caluini faucibus, ex iis erumpit. Fatetur enim, etiam referente Marlorato, specialem illam Pauli gloriationem, in die nouissimo, his verbis: *Tunc Paulus tot victoriarum, quas Christi auspiciis obtinuit, triumphū aget. & in pompa ducet omnes populos suo ministerio sub gloriosum Christi iugum redactos.* (Com. in 2. Cor. 1. v. 14.) Nam dicens Corinthiis, Gloria vestra sumus, quemadmodum & vos nostra, in die domini Iesu, significat gloriationem istam non esse euanidam quales sunt, quæ coram hominibus refulgent, sed perpetuam & stabilē, quia in die Christi perstabit.

5. DOCT. Paulo proxime statuēdi videntur

vter-

Matt.3.4. 14.20. vterque Ioannes, qui per vniuersum vitæ cursum perpetuam virginitatem coluerunt Christi doctrinam aduersus Pharisæos, Sadducæos, Ethnicos, ac hæreticos fortiter propugnauerunt: pro eademque varias ærumnas & supplicia pertulerunt, & nunc ob eam rem, in regno cœlorum glorificantur vt virgines, exaltantur vt Doctores, & vt fortissimi Martyres triplici simul coronantur aureola.

6. Tertium agmen exemplorum constituet sancta multitudo virginum, quæ perpetuam integritatem in animis & corporibus conseruantes; beatissimæ Deiparæ puritatem, quantum in se fuit, sunt imitatæ, & nunc cũ eadem aureola speciali decorantur. De his enim dicitur: *Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocunque ierit.* Per hæc Augustinus sententiam nostram istis verbis confirmat? Quo ire putamus hunc Agnum, quo nemo eum sequi vel audeat vel valeat, nisi virgines? Vbi credo sunt grandia gaudia: nec gaudia qualia in ipso regno Dei cæteris non virginibus erunt, sed à cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Gaudium virginum Christi, de Christo, in Christo, cũ Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gaudia propria virginum Christi non sunt eadem non virginum, quamuis Christi: Nam sunt aliis alia, sed nullis talia. Idem rursum de Virginum & Martyrum aureolis loquens, ad eas capessandas sic vnumquemque nostrum adhortatur: Certent nũc charissimi; singuli ad honores vtrosque amplissimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas. Extat quoque epistola nomine Augustini ad Tyrillum, tomo 2. eiusdem Augustini, numero 20. & tomo 9. D. Hieronymi, pia certe ac erudita, cuiuscunque sit, qua refertur, D. Io. Baptistam vna cum D. Hieronymo in somnis aliquando eidem B. Augustino apparuisse: illum tria serta, istum autem duo tantum ferentem: Hæc autem miranti Augustino dixit Baptista: Sertũ tertiũ quod plus illo fero, est aureola martyrij, quo vitã finiui corporis: hic quia gladio vitam non finiuit, aureolam talem non habet. Serta vero alia duo quæ habemus, aureolæ sunt, quæ solum Virginibus & Doctoribus dantur, vt ab aliis discernantur, &c. MIN. Egregium sane quod hæc doctrina à Prophetis, Apostolis, & Patribus, denique & cœlestibus reuelationibus comprobetur.

Apoc.14. L. de sanct. virginit. c. 27. Serm. 1. de omnibus sanct. August. Hieron.

7. DOCTOR. Alios exemplorum ordines educet heroica phalanx constãtissimorum Martyrum, qui genus omne suppliciorum magnanimo pectore susceperunt, alto contemptu odia, minasque Tyrannorum despexerunt, ipsam denique mortem non tantum fortiter, verum & alacriter oppetierunt. Quarum virtutum merito triumphãt apud superos, & honore gloriaque coronati dignam laboribus mercedem adipiscuntur. Hinc Ecclesia Cath. in cuiuslibet martyris festiuitate iubilans canit: Corona aurea super caput eius. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Posuisti Domine, super caput eius coronam de lapide pretioso. Filiæ Ierusalem, venite, & videte martyres cum coronis, quibus coronauit eos Dominus, &c.

8. Addendi sunt omnium sæculorum, ac populorum Christianorum Doctores, quos posuit Spiritus S. regere, propagare, defendere Ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo. Hi enim tãquam luminaria magna, singulari pietate & doctrina, verbo & exemplo semper eluxerũt in medio nationis prauæ & peruersæ Ethnicorũ, Schismaticorũ, Hæreticorum: eorundemque tetros errores valentissimis concionibus, disputationibus, & scriptis profligarunt, & veritatem puritatẽque doctrinæ atque fidei Catholicæ seruarunt, & ad nos vsque fecerunt feliciter peruenire. Hi sunt filij, pro patribus (Prophetis, Apostolis & discipulis) Ecclesiæ nati. Hi nobis dati pastores & doctores ad coagmentationem sanctorum, donec occurramus Christo. Horum exitum intuentes, fidem imitari iubemur. Huiusmodi enim viris seruatam esse in cœlis specialis gloriæ coronam adfirmat his verbis Propheta; *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Quod & Christus annuit, dicens: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Psal.44. Eph.4. Heb.13. Dan.12. Mat.5.

9. MINIST. Hanc puto esse gloriam atque prærogatiuam singularem, quam Isaias appellat, coronam decoris, & sertum exultationis: Paulus, Coronam incorruptibilem & coronam iustitiæ, quam consequetur nemo, nisi legitime certauerit: Iacobus, Coronam vitæ: Petrus, immarcessibilem gloriæ coronam: Ioannes denique coronam vitæ, coronam ex auro, coronam aptatam è stellis, coronam sponsæ Agni, &c. Isa.28. 1.Cor.9. 1.Thessal.9. 2.Timot.4. Iac.1. Apoc.2.4. 12.21.

CAP.

DE CICATRICIBVS SANCTORVM Martyrum: aduersus errorem 95.

CAPVT XXX.

MINISTER.

SVauiludius ille Caluinus cum sannionibus suis irridet illos, qui tradunt permansuras in æternum notas & cicatrices vulnerum, quæ corporibus suis exceperunt tum ipse dominus noster Iesus, tum eius Martyres, vnde fructum peculiaris lætitiæ sint accepturi.

Confut. 1. 2. Cor. 11. Ephes. 3. 4. Phil. 1. Coloss. 4. Gal. 6. DOCT. Iam ante mihi satis disseruisse videor de cicatricib. Domini nostri: dicam igitur de stigmatibus & notis Martyrum eius. Si Paulus cũ adhuc detineretur in mortali corpore, corã omni Ecclesia gloria gloriabatur in vulneribus, in vinculis, in plagis, in lapidationibus, in carceribus, & cicatricib⁹, quas vocat stigmata Iesu Christi, quanto æquius id faciet in nouissimo die corã Deo, coram Angelis, coram omnibus Sanctis? Iam vero si pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius, nonne cicatrices etiam, & alia certaminis ac mortis eorum insignia cedent in honorem illorum Sanctorum qui mortem oppetierunt? Psal. 115.

2. L. 22. de ciu. Dei, c. 20. MIN. Nunquid sententiam istam tueri poteris sacræ & doctæ antiquitatis patrocinio? Augustinus initio iudicium suum suspendit, sed tandem pro certo statuit ac decernit has gloriosas martyrij sui notas in corporibus martyrum permansuras, nosq; in illis intuendis singulari voluptate affectum iri. Nec vllam inde metuendam martyribus deformitatem: sed accessuram potius eius dignitatem, sicut lux Soli, Lunæ, ac stellis gratiam conducit: & gemma annulum, candor lilium, fragrans odor rosam condecorat & cohonestat.

3. Super orat. Anna. MIN. Si quod testimonium ex Græcis Patribus accesserit, perorata erit causa ista. DOCT. Os aureum audi verba sua resonantem. Martyres beatos vocamus, ex vulneribus beatificamus, & tunc ex præmiis, ex plagis, ex coronis repositis. Nam ex vulneribus præmia, non ex præmijs vulnera principium sumunt atque materiam. Ita Paulus in molestijs sibi propter Christum irruentibus gaudebat. *Gaudeo in passionibus meis pro vobis. Gloriamur in tribulationibus, &c.* Coloss. 1. Rom. 5.

4. Tom. 3. MIN. Hæc quidem vera, sed non adeo clara. DOCT. En igitur apertiora. Laudans Theom. Tom. I. pro concione publica Iuuentium & Maximum, qui sub Iuliano Apostata, capitum abscissione martyrium subierãt, ad finem cõcionis ait: Sicut milites vulnera quæ in prælijs sibi inflicta Regi monstrantes, fidenter loquuntur: ita & illi in manibus absecta capita gestantes, & in medium afferentes, quęque voluerint apud Regem cœlorum impetrare possunt. MIN. Et hoc doctrinæ satis mihi liquet. Chrysost.

CORPORA SANCTORVM QVINQVE præcipuos sensus suos, id est, Visum, Auditum, Olfactum, Tactum, Gustum; eosdemique suis officiis fungentes retinebunt: aduersus 96. 97. 98. 99. 100. & 101. errorem.

CAPVT XXXI.

MINISTER.

QVoniam Beza magno supercilio protestatur, *se aniles speculationes de Paradisi gaudiis non modo aspernari, sed etiam toto pectore auersari*, quascunque docent Catholici: velim rescire, quid sentiatis de corporum beatorum sensibus, & eorum officijs, vt expendam, an id iure faciat, an non? Confess. fidei, c. 6.

DOCT. Nobis, nostrisq; constanter persuademus Sanctorum corpora sic integra perfecteque reparanda & glorificanda esse, vt omnibus membris, organis, & quinque sensibus suis constent, atque horum officijs gloriose fungantur: alioqui non esset absoluta perfectaque illorum resurrectio. His vero argumentis nitimur. Custodit Dominus ossa Sanctorum, adeo vt nec vnum eorum sic conteratur, vt in illa reparatione desiderari valeat. Nec modo humanorum ossium curam gerit, sed & capillos omn. s capitis nostri numeratos habeat, vt in illa die quantum decor & venustas corporum deposcet, perfecte restituet. Ergo multo magis oculos, aures, nares, linguam, manusq; nostras reparabit. Confut. 1. Psal. 33. Mat. 10.

2. Deinde, Christus resurrectionis nostræ perfectissimum exemplar corpus suum integrum ex sepulchro reduxit, non cœcum, non surdum, non claudum, nõ mutum, aut vllo sensu mutilatum: quandoquidem vidit, audiuitq; secum colloquentem Magdalenam, attonitos visu suo Apostolos, Thomam ante incredulum ad sui contactum inuitauit: quinimo cum illis comedit, & ipsi comederunt & biberũt cum illo postquam resurrexit à mortuis Igitur & corpora Sanctorum Io. 20. 21. Act. 10.

ctorum glorificata videbunt oculis,auribus
ſuis audient,guſtabunt,tangent quæcunque
beatificum eorum ſtatum decebunt.

3. MIN.Firmiſsimæ profecto & apertiſsimæ
aſſertiones.Sed & cum de miſerijs reprobo-
Mat.8.20. rum,& inferorum gurgite dicitur:*Ibi erit fle-*
Apoc. *tus, & ſtridor dentium*: itemque horrendum
eiulatores,*Montes cadite ſuper nos, colles abſcon-*
dite nos, non eſt dubium quin ſenſus, & ho-
rum vſum ſint recepturi: atque ſic multo
magis Electos atque Sanctos.

4. Inſuper, omnes proprijs oculis aſpicient
Mat.26. Chriſtum hominem venientem de cœlis in
Act.1. nubibus,cum poteſtate magna & maieſtate.
Apoc.1. *Nam videbit eum omnis oculus, & qui eum pupu-*
Iob.19. *gerunt*. Qua de re certus Iob conſtanter pro-
fitetur:*In carne mea videbo Deum meum. Quem*
viſurus ſum ego ipſe,& oculi mei conſpecturi ſunt,
& non alius. Itaque extra omnem quæſtio-
nem atque dubitationem eſt, Electos & vi-
dendi ſenſum, & officium eſſe recepturos.
Sed de auditu non ita apertum.

5. DOCT. Imo vero æqua de vtriſque ra-
1.Cor.15. tio. Vt enim omnes iudicem veniētem ſunt
Ioan.5. viſuri, ſic & audituri tubam Dei, & vocem
1.Theſſ.4. Archangeli vniuerſos ad iudicium excitan-
Luc.14. tem. Ad hæc, nemo eorum ſurdus eſſe po-
Mat.24. terit ad has illius voces, *Redde rationem villica-*
tionis tuæ. Eſuriui, & dediſtis mihi manducare.
Venite ergo benedicti. Quandiu vni ex minimis
Pſal.2. *meis feciſtis, mihi feciſtis*. Et reprobis loquēs in
ira ſua: *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare.*
*Ite ergo in ignem æternum,&c.*cuncti velint no-
lint proprijs auribus dicentem exaudient.

6. Hinc ad ſortem bonorum ſuſpirans Au-
Med.c.22. guſt.ait: Vtinam conceſſa mihi peccatorum
venia, moxque hac carnis ſarcina depoſita,
præſentem vultum Chriſti cernerem, illud
ſummum & incircunſcriptum lumen ſem-
per aſpicerem. Et de auditionis ſenſu poſtea
Cap.26. ſcribit: In cœlis nouas ſemper harmonias
vox meloda concrepat. Et in iubilum pro-
L.22.ciu. lata mulcent aures organa. Idem rurſum de
c.29. viſu ſcribit:Habebunt etiam illi (beatorum)
oculi corporei officium ſuum,& in loco ſuo
erunt, vteturque eis ſpiritus per ſpiritale
corpus.

7. Ad quid vero ſanctiſsima & ſuauiſsima
ſanctorum Deum collaudantium harmo-
nia,ad quid dulciſsima cantica, quæ toties in
Apocalypſi referuntur, ſi nullus audiret? Si
omnes cœli ciues obmuteſcerent, & obſur-
deſcerent? Abſit.

8. MIN.De olfactu quid cenſetis? DOCT.
Cum eius organum ſit in narib', ſubiectum
A vero cerebrum ipſum, ambigi non poteſt,
quin hic ſenſus in glorificatis corporibus
manſurus ſit; percipient autem ſancti per
hunc ſenſum non odores extraneos,ſicut a-
pud nos florum,aromatum, vel vnguento-
rum,qui nulli illic ſunt niſi metaphorici, A-
poc.5.ſed ipſamet corpora glorioſa, quæ o-
mni balſamo,omniq; pigmento ſuauiora e-
runt. Si enim à quibuſdam corporibus ſan-
ctorum defunctorum odor quōdam ema-
nauit dulciſsimus, quanto ſuaueolentiora
credendum eſt in cœlis eſſe futura? Hac de L.de ſpiri-
re ſcribit Auguſtinus: Suauis eſt Dominus ad tu & ani-
videndum,ſuauis eſt ad guſtandum. Nec di- ma.c.58.
B ci poteſt quantam habeat in guſtu volupta-
tem,quantam in ſapore iucunditatē, quan-
tam in odore ſuauitatem. Tantæ ſuauitatis
magnitudinem vos qui experti eſtis, nobis
qui nunquam tale quid guſtauimus, intima-
re non poteſtis.

Quid etiam prohibere poterit,quo minus 9.
Tangi,atque Tangere & ſeipſos, & alios va-
leant, cum Chriſtus à reſurrectione ſua per
Thomam & alios Apoſtolos palpatus & cō-
trectatus fuerit, vt eis præceperat dicens,
Palpate & videte, quoniam ipſe ſum? Mitte ma-
num tuam in latus meum? Et B.Ioannes ſcri- Luc.24.
bat: *Quod vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ* Ioan.20.
C *contrectauerunt de verbo vitæ, hoc annunciamus* 1.Ioan.1.
vobis?

Aperta quoque eſt B.Anſelmi, de guſtus 10.
officio ac exercitio, ſicut de reliquis ſenten-
tia iſta:In futura vita delectatio quædā inef-
fabilis bonos inebriabit,& inæſtimabili dul- L.de ſimi-
cedine ſui totos eos inenarrabili abundātia libus.c.57.
ſatiabit.Quid dixi totos? Oculi,aures, nares,
os, manus, guttur, cor, iecur, pulmo, oſſa,
medullę, exta etiam ipſa & cuncta ſigillatim
ſingulaq; membra eorum, in cōmuni tam
mirabili delectationis & dulcedinis ſenſu
replebuntur, vt vere totus homo torrente
voluptatis Dei potetur, & ab vbertate do-
D mus eius inebrietur.

MIN. Profecto non dubito quin omnes 11.
ſenſus membra, parteſque corporum bea-
torum honeſtis & conuenientibus ſibi vo-
luptatibus repleantur, tum è contrario re-
proborum iuſtis pœnis & cruciatibus ple-
ctantur: vt contrariorum ſunt contrariæ
conſecutiones: vberiorq; diuina liberalitas
pateat in retribuendo, quam iuſtitia in pu-
niendo. Tantaque ſit illius ſtatus felicitas, vt
vel minimam eius partem nec oculus
viderit, nec auris audi-
uerit.

NVLLO

NVLLO CIBO AVT POTV CORPORA Sanctorum glorificata indigebunt: nec vlla in eis deformitates aut imperfectiones reliqua erunt: aduersus 102. & 103. errorem.

CAPVT XXXII.

MINISTER.

QVid rursum aduersus Bezanas auersiones de eisdem beatis corporibus sanctorum à piis sentiendum & credendum est?

1. DOCT. Quod nullo cibo aut potu indigeat, aut vllis deformitatibus imperfectionibus B naturalibus vilescant. Ait enim Apostolus:

Philip. 3. *Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Sed nulla deformitas, nulla cibi vel potus indigentia in isto à resurrectione fuit, nec igitur in illis residebit.

2. Idem rursus omnem ab illis semouens

1. Cor. 15. deformitatem & imperfectionem, scribit: *Seminatur* (corpus humanum) *in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Quæ vero gloria, quæ nobilitas, aut quis spiritalis decor in corporibus illis Sanctorum existeret, si vel oculis capti C aut cæcutientes vt olim Isaac, Iacob & Tobias, aut sanie infecti vt Iob, aut vlceribus pleni essent, vt quondam beatus fuit Lazarus? Aut cibo & potus instar brutorum & mortalium indigerent? Hæc omnia ab iis remouens author Glossæ ait ibidem: Corpus transibit in naturam spiritus, quia agile, leue, cibis non indigens.

3. Subdit idem Apostolus *Oportet mortale hoc*

1. Cor. 15. *induere immortalitatem, & corruptibile hoc induere incorruptionem.* Prorsus autem mortale est & corruptibile, quod ad sui vitam sustentandum cibo & potu indiget: illa ergo his D non egebunt.

4. Verum, omne tulit punctum Ioannes in

Apoc. 21. Apocalypsi, adfirmans: *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, & iam non erit amplius neq; luctus, neq; clamor, sed nec vllus dolor, &c.* Nec igitur fames, aut sitis, aut vlla vel animi vel corporis ægritudo in tanta fœlicitate adesse poterit: sed status omnium bonorum aggregatione perfectus erit. Augusti-

L. 13. ciu. c. 22. nus quidem paucis, sed grauissimis verbis rem istam expedit, adfirmans istiusmodi corpora iustorum nullis cibis indigere vt morbos repellant, vel mortem fugiant, cum sint futura immortalia: simulque ad obie-A cta de Christo & Angelis comedentibus respondet, hoc eos fecisse non quia indigebant, sed quia volebant. Concludit: Non enim potestas, sed egestas edendi ac bibendi talibus auferetur. Sed ampliore manu ista tradit, & scripturis, exemplis, & rationibus corroborat lib. 22. de Ciuit. cap. 17. 18. 19. 20. & 21. MIN. Quia video sententiam istam amplioribus probationibus non egere, ad aliam properemus.

SANCTI IN COELIS VNA CVM ordinibus Angelorum, vt vnius ciuitatis conciues erunt: & cum eisdem corporibus & animis Deum perpetuis hymnis celebrabunt: aduersus errorem 102. 103.

CAPVT XXXIII.

DOCTOR.

SEntentia rursus Catholicorum est, quantumuis eam auersetur Beza, Sanctos in cœlo corporibus & animis cum beatis Angelis, vt conciues eorum beandos; & cum iisdem canticis diuinis & perpetuis Deum celebraturos esse. MIN. Quibus verbis diuinis, illud efficis? DOCT. Illis in primis 1.

quibus Christus asseruit, Sanctos à resurrectione futuros esse *sicut sunt Angeli Dei in cœlo.* Matth. 22. Luc. 20.

Aequales enim Angelis sunt. Ergo illorum ordines possidebunt, ac eiusdem cum illis gloriæ & beatitatis erunt participes. Cum etiam Luc. 15.

gaudium illis fit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, profecto multo maiore lætitia gestient, & toto animo exultabunt, cum omnes à peccatis solutos in suis cœtibus recipient.

Ad hæc, quando nos non modo conser- 2.

uos suos libenter agnoscant & reuereantur; Apoc. 19.

sed etiam vt fratres amplectantur, foueant, 22.

& congratulenter, quod accusator & calumniator noster è cœlis in abyssos proiectus sit: non est obscurum nec ambiguum, quin Apoc. 12.

nos secum peramanter collecturi sint, & in cœlestia regna perducturi, quando ab eisdem rapiemur in nubibus obuiam Christo 1. Thess. 4.

in aera, continuo vt ille dixerit, *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à* Mat. 25.

constitutione mundi. MIN. Enimuero si Lazari Luc. 16.

animam in sinum Abrahæ, consolationis locum deportarunt, electos quosque secum in cœlestibus admittent.

DOCT. Paulus disputationem absoluere 3.

Heb.12. mihi videtur, cum ait ad Hebræos: *Accessistis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis.* Accessistis, inquit Ansel-
Comment. mus, ad ciuitatem Dei, scilicet ad Ierusalem cœlestem, quæ dicitur visio pacis, quia nihil inquietudinis inter se vident in illo regno cœlorum: sed quietem & pacem æternam. Et accessistis ad frequentiam Angelorum qui ciuitatem illam fœliciter inhabitant & horum omnium futuri estis socij.

4.
Eph.1. Dicentes rursum Paulum, *Per Christum instaurari omnia quæ in cælis & in terris sunt*, idem Anselmus interpretatur, ac si dicat, Numerum beatorum Angelorum diuinitus stabilitum, sed cadentibus reprobis angelis imminutum, reparari dum illuc humiliati homines redeunt & assumuntur in Angelicum consortium. Idem sensit & Haymo commentariis in vtramque Epist.

5. MIN. Recte hæc quidem: verum, magni illius Augustini sensa verbaque de hac sententia audire gestio. DOCT. Agens de fœli-
Medit.c.22 citate cœlestis patriæ, scribit: Ibi victor miles illis hymnidicis Angelorum sociatus choris, cantat Deo sine cessatione canticum de canticis Sion.

Nobile perpetua caput amplectente corona. Et proxime sequenti capite Deum inducit animam beatam his verbis alloquentem:
Cap.23. Veni, vt læteris in conspectu meo cum Angelis meis, quorum societas tibi à me repro-
Cap.27. missa est. Postea, cunctorum animas excitans
Ps.102. ad laudes Dei, scribit: Laudemus Deum,
143. quem laudant Angeli, Adorant Dominatio-
Isa.6. nes, tremunt Potestates, cui Cherubin & Seraphin incessabili voce proclamant Sanctus. Iungamus voces nostras vocibus Angelorum sanctorum, & communem Dominum laudemus pro modulo nostro. Idem Manualis, c.6. & lib.22. ciuit. c.3.

6.
Com. MIN. Num & alij antiquiores idem senserunt? DOC. Theodoretus & Basilius in hunc versum Psalmi 149. *Exultationes Dei in gutture eorum*, docent eas exultationes esse hymnos & psalmos, quos sancti in gloria, ob diuina beneficia prædicant, horũ causam (Deum)
L.5.c.8. celebrantes. Irenæus vir apostolicus eadem sentiens scribit: Si nunc pignus Spiritus ha-
Rom.8. bentes clamamus, Abba Pater, quid fiet
1.Ioan.3.
A quando resurgentes facie ad faciem videbimus eum? Quando omnia membra affluenter exultationis hymnum protulerint, glorificantia eum, qui suscitauerit ea ex mortuis, & æternam vitam donauerit.

ORATIO.

Felices Sancti Dei omnes, qui iam transistis huius mortalitatis pelagus, & peruenire L.Medit.c.24.
meruistis ad portum perpetuæ quietis, securitatis, & pacis: securi & tranquilli, semperq; festiui atque gaudentes estis. Obsecro vos per vestram charitatem, qui securi estis de
B vobis, soliciti estote de nobis, securi estis de vestra immarcessibili gloria, soliciti estote de nostra multiplici miseria. Per ipsum vos rogo qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius immortalitate iam immortales estis, de cuius beatissima visione semper gaudetis, estote iugiter memores nostri: subuenite nobis miseris, qui adhuc in salo huius vitæ circunstantibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam surrexistis altitudinem, adiuuate nos vile pauimentum longe inferius iacentes. Date manum, & erigite iacentes super pedes, vt conualescẽtes de infirmitate, fortes efficiamur
C in bello, intercedite & orate instanter atque indesinenter pro nobis miseris multumque negligentibus peccatoribus, vt per vestras orationes, vestro sancto consortio coniungamur: quia aliter salui esse non possumus. Sumus namq; valde fragiles, & nullius virtutis homunciones, animalia ventris, & carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis vestigium apparet. Et tamen in Christi confessione positi, ligno crucis ferimur nauigantes per hoc mare magnum & spatiosum, vbi sunt reptilia quorum non est numerus, vbi draco sæuissimus, semper paratus ad deuorandum, vbi sunt loca periculosa, Scylla,
D & Charybdis, & alia innumerabilia, in quibus naufragamur incauti. Orate Dominum, orate piissimi, orate omnia agmina Sanctorum & vniuersi cœtus beatorum, vt vestris precibus meritisque adiuti, salua naue, & integris mercibus, peruenire mereamur ad portum perpetuæ quietis, continuæ pacis, & nunquam finiendæ securitatis, Amen.



Tomi primi finis.

LIBER XI.